# R.P.D. IOANNIS RUALIN, ORDINIS CLUNIACENSIS, ... SERMONUM DE SANCTIS PARS...

Jean 1443-1514 Raulin




NAZIONALE
VITT. EMANUELE
14
7 L
2

R. P.

# D. IOANNIS RAVLIN,

Ordinis Cluniacensis,

SAPIENTISSIMI ET CELEBERRIMI SACRÆ THEOL. PROFESSORIS VIRIQVE DOCTISSIMI,

# SERMONVM DE SANCTIS Pars secunda.

*Editio noua, aucta, moralis doctrinæ flosculis decorata, à multis mendis repurgata, & locis Sacræ Scripturæ, copiosissimisq́, Indicibus fideliter exornata.*




EDITIO NOVISSIMA.

S. Marie de Scala



ANTVERPIÆ,
Apud HENRICVM AERTSSENS.
M. DC. LXIII.

# INDEX SECVNDAE PARTIS SERMONVM DE SANCTIS.

FINIS.

# INDEX MATERIARVM
## IN HAC SECVNDA PARTE DE SS.
### CONTENTARVM.

F



G



Hære-

H



I



L

Maria

*Mise-*

Paulus

## Q



Recogi-


R



S


Visitat

FINIS.



SERMONVM
# DE SANCTIS
## SAPIENTISSIMI RELIGIOSISSIQVE PATRIS,
## IOANNIS RAVLIN,
Ordinis Cluniacensis,
## SACRÆ THEOLOGIÆ
Professoris probatissimi.
## PARS SECVNDA.
### IN NATIVITATE S. IOANNIS BAPTISTAE, *Sermo I. Per Thema.*

*Luc. 1.* *A Voluntas diuina est prima causa gratiæ in vno & desertionis in alio.*



RIT *enim magnus coram Domino.* Quæri posset, iuxta verbum assumptum cur Dominus alios magnos alios paruos facit, alios in gratia sua collocat, vt Ioannem Baptistam. Alios vero deserit, ita quod in mala multa dilabuntur. Sed nõ est ad hoc alia respõsio, nisi quã dat Psal. *Hunc humiliat, & hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto,* hoc est, quia in volũtate sua est huic dare gratiã & ab illo retrahere. Vel quandoq; dare, vel quãdoq; retrahere. Aliquando enim dant calicem vini meri, illi scilicet quem numquã deserit, vt Ioãni, alij fęcẽ dat, vt his quos deserit, alijs mixtũ, vt his quibus post casum dat gratiã. Et si Deus alicui det gratiam, certe *hoc honore dignus est, quẽ rex voluerit honorare.* Dat enim Dominus dignis bonũ vinum, coquinis & histrionibus fæces. Et quia voluit Dominus honorare Ioannẽ, ideo tali honore dignus fuit, vt esset magnus corã Domino, & non solum coram Domino, sed etiam corã Domina, & regina cæli. Quæ ei de sua plenitudine contulit cum Elisabeth visitauit. Ad eius igitur plenitudinis vas recurramus, vt gratiæ paululum accipiamus, dicentes: Aue, &c. *Psal. 74.* *Esth. 6.*

Magnus iste fuit corã Domino. Primo, magnus in cõceptione. Secundo, magnus in natiuitate. Tertio, magnus in cõuersatione vitæ. De primo dicetur in præsenti sermone. De reliquis vero in sequẽtibus sermonibus. Igitur magnus fuit Ioannes in conceptione, quod demonstrãt quinq; conceptionis eiusdẽ prærogatiua. Prima est quod longe antequã conceptus, à Prophetis sanctis prænunciatus est & præfiguratus. Primo: *Vox clamãtis in deserto,* &c. Vox quidẽ acuta & pungitiua, pungens mentes & perforans interiora cordis. *Posuit os meũ Dominus, quasi gladium acutũ.* Lingua vero adulatorũ lata est, quia nõ nouit perforare, sed lãbere solum, vt terram capiat. *Inimici tui terram lingent.* Talis est vox multorũ prędicatorum, qui vt capiãt muscas diuitiarum, lãbunt peccata maiorũ, nec ea tangunt, ne forte sibi irascantur, & perdãt, quod quærunt, quia scriptum est, *tange mõtes & fumigabunt.* Secundo, à Malach. Propheta eiusdẽ. *Ecce ego mitto Ang. lũ meum, qui præparabit viam tuã ante te.* Angelum quidẽ non natura, sed gratia nõ substantia, sed officio. Contra quosdã hęreticos, qui dixerunt Ioannem Baptistã esse *Esai. 40* *Esai. 49.* *Psal. 71* *B Adulatores lingua* [illegible] *Psa. 143* *Mala. 3.*

Angelum incarnatũ, sicut Dominũ Iesum esse Deum incarnatũ. Propterea Ecclesia pingit eum senẽ, quãuis iuuenis mortuus sit, ne putetur in eo iuuẽtus angelica. Angelus autem quem mittit Dominus in singulis pectoribus ante aduẽtum suum, est memoria suiipsius, ẽ contra diabolus obliuionem sui ante aduentũ eius. Multi enim extra se vagantur, & forte in mense, imo in anno, vix vident, & intuẽtur quid sit in domo eorũ, vt dicat quilibet talium
Psal 37. illud Psal. *Lumen oculorum meorũ*, id est, intellectus & sensualitatis, *& ipsum nõ est mecum*, sed in rebus exterioribus totaliter versatur. Vnde cũ immittit nobis Dominus memoriã nostri, signum est aduentus eius in nos, quia tunc nobis displicemus, & Deo placemus. Quod nobis displiceamus, dũ nostri memoramur, ostendit sui
Tren. 3 exemplo Propheta dicẽs: *Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea*, id est, mihi fœtebit vita mea. Quia vero homo in se nõ regreditur, nec se recolligit, aridus est corde & extra omnẽ deuotionẽ, dicit Ps.
Psal. 101 *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panẽ meum*, panem scilicet doloris de peccatis & interiori paupertate mea. Secũda prerogatiua est quod à sanctissimis parentibus est procreatus. Vnde ex sex virtutibus laudantur Ioãnis parentes. Ideo autẽ laudãtur à scriptura, vt meliorẽ ab eis hereditatẽ morum nos accipere iudicemus, quã tẽporaliũ & maiorem nobilitatẽ. Et
Luc. 1. primo à dignitate. *Fuit in diebus Herodis regis sacerdos quidã de vice Abia nomine Zacharias, & vxor illi de filiabus Aaron, & nomen eius Elisabeth*. Dignitas enim & nobilitas in homine sancto & virtuoso sunt duo lapides pretiosi in auro, in homine vero malo sunt duo gladij in manu furiosi. Sed hic quæritur. Primo, quare Euangelista expressit hoc cõtigisse in diebus Herodis regis, & qui sunt dies Herodis. Ad secundũ

C

Dies duplices Domini & malorũ principũ

membrũ quæstionis respõdetur. Primo, quod sicut Dominus habet dies suos, qui à sole iustitiæ Christo illuminantur, sicut fuit cũ vigeret iustitia & diuinus cultus apud Iudæos, & cum vigeret deuotio & sanctitas in primitiua Ecclesia, sic habet Herodes dies suos & mali principes & prælati, qui à sole suo illuminantur, qui quidẽ sol est prosperitas vel sapiẽtia mũdana, quia tunc maxime lucebat apud Iudæos, quãdo inter eos cõuersatus est Dominus. Nam & amori temporaliũ dediti erãt, & sapientiã mundi in sacerdotũ traditionibus sectabãtur. Et isti dies videtur nũc esse, quãdo principes & prelati amori terrenorũ dediti sunt, nihil curantes de spiritualibus. Quos dies non desiderabat Hieremias Propheta, dicens: *Diem hominis non desideraui, tu scis*. Isti dies frigidi sunt valde & infertiles, in quibus abundante iniquitate refrigescit charitas, multorũ. Cap. 17.
Ad primũ membrũ dicitur quod duplex est causa. Prima literalis est, quod tẽpore alienigene regis describitur ortus præcursoris, vt videatur prophetia Iacob impleta. Secunda ratio ad ostendendum, quod semper dominis malis regnantibus aliquos bonos suscitat Dominus ad eorum malitiã reprimendã, sicut suscitauit. Heliã
tẽpore Achab, & Esaiã tẽpore Manasse. *Nõ* 3 Reg 18
*enim abijcit Dominus ex toto populum suũ. Nec* 4 Reg. 21
*repulit plebẽ quam præsciuit. Et vt reuocet po-* Rom. 11.
*pulum à sequela mali principis*. Inde dicitur
de sancto viro sic suscitato Eccles. *In tem-* Nota.
*pore iracundiæ factus est reconciliatio*. Et Oseæ: Cap. 44
*Si fornicaris tu Israel, non delinquat saltẽ Iuda*. Cap 4.
Per regnum Israel & Iuda Deo ordines principum, sæcularium scilicet & Ecclesiasticorum designantur. Sicut autem regnum Israel prius recessit à Domino quã Iuda, sic principes sæculi cõmuniter procliuiores sunt ad malum quã Ecclesiastici. Ideo si fornicatur Israel, dũmodo non delinquat Iuda, id est si mali sint principes sæculares, dummodo Ecclesiastici in cultu Dei permaneant, non abijcit Dominus vsquequaque. Sic Herode regnante dum Zacharias simul viuat, potest fieri vt Ioannes, id est, gratia Dei nascitur in
populo. *Inebriabo animas sacerdotum pingue-* Cap. 31.
*dine, & populus meus bonis adimplebitur*, non dicit animas regum, quia sacerdotium sanctum efficacius est ad salutem populi

quam

quam principatus regni, perniciosior tamen est sacerdotum malitia, pessimum tempus cum ambo in malū consentiunt. Vnde tempore passionis Christi principibus sacerdotum accusantibus Christum Herodes spreuit. Spernere autem minus malum est quā accusare. Sed pessimum illud tempus, quando ambo mali sunt designat Hiere. *Tradidit Dominus in opprobrium regem, & sacerdotē.* Et alibi: *Confusi sunt domus Israel & reges eorum, & sacerdotes.* Si igitur cum malo sacerdote regnet in Iudæa malus rex, nulla aut pauca spes remanet populi. Si autem bonus rex cum bono sacerdote, sicut fuit tēpore Dauid, & Iosiæ, sic est optima spes salutis populi. Si tamē sacerdotes boni sint malis existentibus regibus, adhuc superest spes de salute populi, sicut fuit tempore Moysi & Aaron quādo principes iussi sunt suspendi in patibulis. Secūdo quæritur quare hic nomē patris & matris exprimitur, & ad patrem nō ad matrem Angelus destinatur, cum tamen Christi conceptio ē diuerso facta fuerit. Nam Mariæ non viro nunciata est. Respondeo quod ideo tā differens facta est conceptio vtriusque, vt Mariæ non Ioseph nunciaretur Christi conceptio, quia de virgine absque viro conceptus est Christus, non sic de Ioanne, qui ex vtriusque commixtione conceptus est. Ideo viro, qui caput est mulieris, recte nuncius præmittitur. Similiter & his, qui sunt occasio boni in populo, recte dona Dei prius distribuuntur, sicut & his, qui sunt occasio mali dona diaboli, & vtrique in scola sua proficiūt. Secundo dicitur quod nomen patris & matris idcirco hic ponuntur, quia in aliquorū prophetarum principiis solent patrum nomina designari, sicut in principio Hieremiæ. *Verba Hieremiæ, filij Helchiæ, & visio Esaiæ filij Amos.* in quo notatur (vt dicit Hieronymus) ipsum patrem prophetæ fuisse prophetam. Et propter hoc recte vtriusque parentis Ioannis nomen exprimitur, insinuando vtrumque fuisse præditum spiritu prophetiæ.

Thren. 2
Hier. 2.
Num 25
Cap 2.
Ibidem

Tertio quæritur quare patrem expressit de vice Abia. Respōdetur Primo, quod Dauid volens ampliare cultum Dei, ordinauit de vigintiquatuor generationibus vigintiquatuor sacerdotes, qui successiue seruirēt per hebdomadas in tēplo Domini, & octaua sors cecidit super Abiā vt dicitur, de cuius genere descenderat iste Zacharias. Dicitur secundo quod hoc ideo ponitur. Primo vt discat Episcopus vel prælatus cuius vices gerat Gerit enim vices patris & Domini, vt exhibeat se populo suo patrem amabilem & reuerendum Dominum, sicut Moyses instar patris primo pro populo supplicauit, vt Dominus populum iudicauit. Secundo vt vices diligenter obseruet. Vicem enim in oratione obseruat, qui ab oratione in prædicationem vicissim se transfert. Non enim commendabilis est orationis assiduitas, quod innuit Dominus. Cum dicit ad Moysem: *quid clamas ad me, loquere filijs Israel*, quasi diceret, nolo vt semper orationi insistas, doctrinæ etiam est aliquod tempus inpendendum. Nec impedit illud Apostoli, sine intercessione orate, quia non cessat orare, qui non cessat bene agere. Sed quia melior est nobilitas mentis quàm carnis, & mundus laudat suos à nobilitate carnis, scriptura sacra à nobilitate mentis. Sæpe enim magis laudatur quercus quàm vinea. Ideo isti. Secundo laudantur ab æquitate & iustitia. Vnde subditur. Erant autem ambo iusti ante Dominum. Multi reputantur apud mūdum iusti, qui non sunt, quia homo iudicat quæ foris sunt, & videt in facie solum, Deus autem intuetur cor, & inde iudicia Domini vera, iudicia autem hominum fallacia, vt iniustis iustitiæ gratiā semper ascribant, & iustum odio persequantur, aut decolorent mendacio. Sæpe enim humana sententia aliquos iustos approbat, quos Deus ignorat, & ideo non est hominum secura laudatio. Sed multum iustus est, qui ante Deum iustus est, id est iudicio Dei reputatur iustus,

1 Par. 24
D
Prælatus gerit vices patris & Domini.
Exod. 14
Nota.

ſtus,qui in angelis ſuis reperit prauitatē. quo eſt vena quæ tēdit ad cor.
a Pſal 14 *Domine non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis*
Eccl. 24 *viuens. Cum enim oculi Domini lucidiores ſint ſuper ſolē.* Quod in homine latet facile depræhendit in homine. Tertio cōmendātur ab obediētia & aſsiduitate bonorum operū. Inde dicitur quod erant incedētes in mandatis & iuſtificationibus Dei, vbi nō dicit ſtudētes, quia hoc poteſt eſſe curioſitatis, ſed incedentes bene operando. Cōtra quod multi ſedent ad ſtudiū, qui nō mouētur ad greſſum, cū tamen ſpōſus non tā ſtudiū vel ſeſsionem ſponſæ laudet, quam greſſus, dicens:

E Sindere & non bene operari vanum eſt

Cant. 7. *Quā pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia principis.* Iſti sūt ſimiles illis, qui viā inquirunt, & cū edocti ſunt de eo, nollūt illā ſequi, & illis qui medicos conſulunt, ſed eorū conſiliū nō ſequūtur. Mandata autē moralia ſunt iuſtificationes, ceremonialia & bene præmittūtur mandata iuſtificationibus, quia temere vſurpat officiū iudicis, qui prius mandata non obſeruat.
Eccl. 18. *Ante iudicium para iuſtitiā tibi, & antequā loquaris diſce.* Oportet vnumquēque prius de ſua conſciētia iudicare, & ſic eius, quem iudicat, geſta diſcutere, quod ſi fieret, omnis ambitio honoris tolleretur. Sed quidam currunt in mandatis, vt qui amore vigent, ſicut reli-
Pſal 118 gioſi, & ille qui ait: *Viā mandatorū tuorū cucurri, cū dilataſti cor meū,* ſcilicet per amorē. Alij incedunt, vt thoro coniuncti, qui aliqualiter propter actiuā retardantur, ſicut iſti. Sed dicit textus in omnibus mādatis, quod eſt ſingulare, quia nullus eſt, qui nō in aliquo deficiat, & qui non ſentiat aliquā partem ſui muri debiliorem. Quarto commendantur à pacifica conuerſatione ſiue concordia. Erat enim ſine quærela. Primo conſciētię ſuę. Nulla enim querela eſt vbi bonitas mētis & facta concordāt, nec ibi auditur quærela litigioſæ mulieris, ſed dulcis eſt illic quies ſecundū illud proſæ, ſi vox vitam non remordet dulcis eſt ſimphonia. Secūdo, ſine quærela inter ſe, quod debet inueniri in matrimonio, vbi debet eſſe amor, quia in ſignū huius ſponſus in paruo digito ponit annulū, in quo eſt vena quæ tēdit ad cor.

F Matrimonium fouetur amore.

Sed oppoſitū fit in multis matrimonijs, in quibus eſt quaſi infernus vel initiū eius, eo quod ſit ibi cōtinua diſcordia & diſſentio. Tertio ſine quærela reſpectu proximi, quia iuſte ſe habebāt quo ad proximos ſuos & maxime Zacharias, cū ratione ſui ſacerdotij haberet iudicare populū, rigorem iuſtitiæ tēperabat miſericordia. Plerūque enim iuſtitia durior hominū quærelā excitat, *Noli eſſe iuſtus multū.* Quarto ſine que- Eccleſ. 7
rela & murmure contra Deū, ſicut quidā qui cauſantur de difficultate mandatorū Dei, & murmurāt quod Deus prohibuerit fornicationē. Quinto commendātur à patiētia, quia non erat illis filius, & tamē patiēter ferebāt, vbi tamē non eſt perfectum ſolatiū, ſi vxor habeatur ſine filijs: Prou. 5.
cerua chariſsima & gratiſsimus hinnulus. Sed ſubditur ratio duplex, quod filiū non haberent, ſcilicet quia erat Eliſabeth ſterilis, & ambo proceſſerāt in diebus ſuis. Vbi aduertēdū eſt, quod multiplex inuenitur ſterilitas. Prima eſt quę per artē aut malū regimē procuratur, ſicut faciūt malæ mulieres, quæ ita ſe ſtringūt aut gulæ vacant, vt ſteriles efficiātur, ſicut & fecit mater S. Germani, quæ cepit potionē vt extingueret fœtū. Secūdo cōtingit ſterilitas ex indiſpoſitione membrorū ad generationem requiſitorum ſeu vis generatiuæ, qua fit vt nulla ſequatur generatio; ſicut erat in iſtis. Et hanc ſterilitatem Dominus immittit ſeu permittit propter multa, quæ communiter cedunt in bonū parentū. Quādoque enim vt parētes melius vacēt Deo, neque habeant cor ſuum partitū in filios, aliquādo vt orationibus expetant filios, ſicut patuit in Anna matre Samuelis, quādoque ne filij ſint cauſa damnationis parentum, quia plerunque parentes propter filios extollendos impelluntur ad rapinas faciendas vel contractus illicitos, nonnumquam quia filij mali eſſent & ad improperiū parentum. Hoc oſtenſum fuit æquiualenter in quodam puero impetrato precibus Ioānis eleemoſinarij cuidā diuiti, qui cū ſubmerſus

G Sterilitas multiplex.

Nota.

sus fuisset, & molestaret ille diues Ioannem pro filio, reuelatum est eidē debere eum potius agere gratias Ioāni, cuius meritis saluatus esset puer, qui alias male victurus erat & dānandus. Sicut enim Dominus istū subtraxit à parentibus, ne malitia mutaret intellectū illius, sic & quādoq; omnino non permittit quosdā habere filios, quia nouit si haberent male educādos & malos futuros. Nonnumquā etiam propter peccata parentū punit eos sterilitate. Hoc patuit in Michol. quę quia derisit Dauid ludentē corā arca Domini percussa est sterilitatę, & similiter in Imperatoribus Romanis, qui propter suas tyrānides mulctati sunt priuatione filiorum. Tertia sterilitas procedit ex radice meritoria, quādo quis propria voluntate abdicat à se omnē concubitū carnalem. Hāc elegit spōte Maria, sed multo melius eam Deus quā Elisabeth (quæ necessariā patiebatur sterilitatē) fœcūdauit. Nam ex vetula consueto nascendi modo Ioannes oritur, sed Christus de Maria iuuēcula & virgine præter solitū nascitur, vt hoc ipso ostenderetur vetus generatio propagari vsq; ad Christū, à qua nec ipse præcursor extitit immunis, per Christū vero renouari senectutes nostras, & in nouū hominem reformari. Quarta sterilitas est spiritualis, quæ est sterilitas seu carētia bonorum spiritualium, qua modo sunt steriles multi prælati. Primo, quia nō habent mēbra ipsa ad generandū propter nimiā incuruationē ad terrena, & constrictionem ad opera misericordiæ. Debent enim generare duos filios, scilicet bona opera, & bonos subditos, de quibus dicit Apo. *Filioli mei quos iterū parturio, donec formetur Christus in vobis.* Secunda causa est, quia non processerunt in diebus suis. Senes enim fuerūt Zacharias & Elisabeth antequā generarēt. Sic oportet senē esse in lege diuina antequam officiū generandi & prędicādi assumatur, & propter hoc Angelus prius præmittit fructū & postea consulit accubitum & nō ante. Inde Cāt. dicitur prius sponsa languescere, in quo ostēditur diuturnitas & senectus cognitionis & amoris, & postea dicitur ei, surge propera amica mea. Sed sicut opprobriū est mulieri sterilē esse, sic multo magis subiacebunt opprobrio, maxime litterati, si soli veniunt ante Deū, si ex prędicatione fructum non fecerint. Greg. de tantorū mortibus proculdubio rei sunt, quantis bene loquēdo prodesse potuerūt. Vnde Deut. vbi præcipitur fratri suscitare semen suo fratri defuncto, dicit Aug. qui fratri defuncto, id est Christo semen non suscitat, non figuratū in lege sed verum portabit opprobriū. Sexto, laudatur Zacharias ab executione sui officij, diligenti, cū dicitur factum est cū sacerdotio fungeretur Zacharias, &c. Quinque autē sunt officia sacerdotis, scilicet oratio prædicatio cōfessionis auditio, celebratio, & contēplatio, qui sunt quinq; talenta, quæ tradidit Dominus seruis suis. Matt. 25. Sed multi sunt qui nesciunt officiū suum, & tamē dignitate & nomine sacerdotij gloriātur, sicut illi de quibus: *Porro filij Hely filij Belial, nescientes sacerdotiū neque officium sacerdotum ad populum.* Et: *Sacerdotes non iā circa altaris officium dediti erant, sed tēplo contēpto & sacrificijs neglectu festinabant participes fieri palestræ & præbitionis iniustæ.* Sequitur in textu, *& omnis populus erat expectās foris*, in quo post designationem officij sacerdotis ponitur in officium populi, scilicet expectare foris. Tria tamen ibi possunt sumi documenta. Primum est quod in solēnitatibus præcipuis populus ad ecclesiā debet cōuenire, nec impudēter se ingerere in sanctuariū, sed stare foris, & sic facilius quod petierit impetrabit. Nam Luc. *Stans à longe publicanus gratiā reportauit.* Secundū documētum quod non debet populus recedere, quousque fuerit consummatū sacrificiū secūdum exhortationē. *Constituite diē solemnē in condensis vsque ad cornu altaris.* Cornu altaris finis missæ dicitur, qui expectādus est. Sicut enim talis fiebat reuerētia Samueli presbytero antiquæ legis, vt de eo dicatur. *Non comesturus est populus panē, donec ille venerit & benedicat hostiæ*, sic nec debet populis

[Margin notes: 2. Reg. 6 | II Sterilitas spiritualis in prælatis opprobriosa est | Gal. 4. | Cant. 2. | Deut. 25 | I Sacerdotis officia quinque sunt. | 1 Reg. 2. | 2 Mac. 4 | Nota. Documēta. | Luc. 18. | Psal. 117 | 1. Reg. 9]

pulus recedere à missa nisi licẽtiatus à sacerdote. Hinc in fine missæ dicitur, ite missa est. Sic populus expectauit Ambrosium cũ obdormisset in altari vt patet in legẽda B. Martini. Licet autẽ debeat populus expectare, cauendum est tamen sacerdoti ne nimia mora molestiã est fastidiũ ingerat populo. Nam in orationibus secretis pernoctare licet, in his autẽ mysterijs vbi assistit populus, aliquantulũ properandum est, ne molestia populo generetur. Tertiũ documentũ cõcernẽs sacerdotẽ est, quod sicut tãta debet esse prælati deuotio, vt in cõparatione eius cæteri grex dicantur, sic tã profunde debet intrare ad secreta cælestia, quod in eius cõparatione cæteri foris esse dicãtur. Hinc Dominus oraturus, discipulos lõge quasi foris reliquit, auulsus ab eis quantũ iactus est lapidis, & tũc apparuit ei Angelus. Tam etiã familiaris debet esse prælatus cælesti curiæ, vt non oporteat eũ diu pulsare ad ostiũ, sed quã cito dixerit ianitori, aperite mihi portas iustitiæ, statim admissus de amissione tãquã de exauditione gratias agat dicens & subiungens, cõfitebor tibi Domine, quoniã exaudisti me. Vnde & Moyse intrãte in tabernaculo Domini, vt cum Domino
Exod 34 loqueretur. *Populus procul stabat adorãs, & cũ*
Gen. 22 *ascẽderet in montẽ ad Dominũ populus deorsum morabatur.* Sic Abrahã ascendens in montẽ
K reliquit suos deorsum expectãtes. Tertia
Nota. prærogatiua Ioannis, quia est ab Angelo prænũciatus etiam illo eodẽ qui prænuntiauit conceptionẽ Christi. In antiquo testimonio solũ ortũ Sansonis & Ysaac legimus ab Angelis prænunciatũ, & in hoc laudãtur, in Isaac figura videtur præcessisse Ioãnis, qui de matre sterili, vt Ioannes, & parẽtibus ætate prouectis cõceptus, & natus est. Nã quod Isaac interpretatur gaudiũ, ei cõgruit, de quo dicitur, quod multi in natiuitate eius gaudebunt, Isaac etiã cõceptio futura prius patri quã matri nũ-
Iud 13. ciatur. In Sansone, qui interpretatur Sol eorũ, est figura Christi. Nã Sansonis cõce-
Nota. ptio prius matri reuelatur. Vnde dicitur in textu. *Apparuit autẽ illi*, scilicet Zachariæ *Angelus Domini*, &c. vbi multa legitur fecisse. Primo quidẽ apparuisse Zachariæ, sed non qualitercumq;, imo certis modis ex quibus elicere possumus aliqua documẽta. Primo enim apparuit ministrãti. Nã cũ Angeli sint administratorij spiritus, apparent his qui ministrãt, nõ his qui nõ vigilant. Prælati dicuntur Angeli, & ideo cũ Angeli vidẽt prælatos ociosos & dissimiles sibi dicũt, transeamus ab his sedibus. Secundo, iuxta altare incensi nõ holocau- Nota.
sti, & hoc primo quasi iam carnaliũ oblationes, quæ in altari holocausti fiebant, abominãs, & magis approbãs sacrificium laudis vel orationis, quæ in nouo testamento offeruntur Deo, secundum illud Psal. *Numquid manducabo carnes taurorũ aut* Psal. 49.
*sanguinem hircorum potabo? immola Deo sacrificium laudis.* Incensum enim est oratio vel laus. Per altare enim holocausti quod foris erat, vetus sacrificiũ, per altare incensi quod intus, nouũ. Inde & Ecclesia quę carnes reiecit immolatitias, incẽsum retinuit. Secũdo, per hoc ostẽditur quod cælestis visitatio frequentius exhibetur internæ deuotioni quam corporali afflictioni. *Exercitatio corporalis ad modicum vtilis* 1. Tim. 4.
*est, pietas ad omnia valet.* Sed tamen prius L
occurrit altare holocaustorũ, quia primo Deuotio
oportet carnẽ mactare quã mentis deuo- interior
tio possit haberi, vt quasi post sextã feriã visitatio-
ad sabbatũ veniamus. Prius enim nasci- ne cælesti illustratur.
tur homo exterior ad laborẽ, & post auis efficitur ad volandũ. *Tertio erat stans à dex-* Iob 5.
*tris.* Veteres sacerdotes stabant à sinistris, qui tãtum tẽporalia petebãt, nunc autẽ à dextris stat Ecclesia, cum pro æternis militat Hinc de ea dicitur. *Astitit regina à dex-* Psal. 44.
*tris tuis*, licet *in vestitu deaurato* tẽporalibus. Vnde & regina dicitur quæ aspirat ad regnum. Nam concubina potius est, quę in ministerio sacerdotum quærit tẽporalia, hæc autem nõ habebit partem in regno. Tales vero longe plures sunt quã reginę.
*Sexaginta sunt reginæ & octoginta concubinæ,* Cant. 6.
*& adolescentularum non est numerus*, quia infiniti ad temporalia anhelant, sed à sinistris stant tales, reginę vero à dextris. Sed & hic

& hic adhuc in altaris ministerio videntur exprimi diuersi Ecclesiæ status. Nã in principio à dextris stat sacerdos, quia in principio Ecclesię petebãtur ęterna contẽptis tẽporalibus, postmodũ ad sinistrã fertur liber, in quo exprimitur fęx tẽporis nostri, in quo maxime pro tẽporalibus ministratur, & quasi à sinistris stãt sacerdotes, in fine missæ liber refertur ad cornu dextrũ, in quo signatur in fine mũdi futuros validissimos mũdi contẽptores, & solis cælestibus inhiãtes. Ideo dicitur Ecclesia terribilis vt castrorũ acies ordinata, quia in principio & in fine fortissimos habet, & in medio debiles. Secũdo, angelus turbauit Zachariã. Sequitur enim & Zacharias turbatus est vidés, & timor irruit super eũ. Gregorius in quantã miseriã cecidimus, qui ad bonorũ Angelorũ præsentiã formidamus, sicut testatur de se. *Ecce gloria Domini stabat*, &c. Sequitur *& vidi & cecidi in faciẽ meã.* Tertio, cõsolatus est eum. In veteri testamẽto primo blandiuntur Angeli, sed in recessu turbãt, vt in Gedeone & Manue & Tobia, post resurrectionẽ sancti, nec in accessu nec in recessu turbantur Angelorum, Apostoli enim non leguntur turbati in ascensione cum viderunt Angelos iuxta illos stantes, nec cum locuti sunt, sed cum gaudio reuersi sunt in Hierusalẽ, nec Petrus cũ liberatur à carcere per Angelum turbatur, nec Ioãnes in Apocalypsi, in tẽpore tamẽ resurrectionis & cõceptionis Christi, Maria & Zacharia, & mulieribus post resurrectionem prius turbatis, & post consolatis. In hoc tria nobis tẽpora cõmendãtur. Vnũ tẽpus legis, vbi quęcumq; consolatio vel visitatio semper post se relinquebat turbationẽ, quia nullum ibi remediũ plene sufficiẽs inueniebatur. Vnde Dauid cum præmisit, *Memor fui Dei & delectatus sum,* tunc delitias terminat in turbationẽ, cũ subdit, *turbatus sum & nõ sum loquutus.* Tẽpore gratię primo turbatio fit per Angelos, sed cõuertitur in consolationẽ. *Angelo descendẽte in piscinã prius turbabatur aqua, post habebat efficaciam sanitatis.* Tempore glorię absque turbatione videntur virtutes cælestes, cum iã non reuerentur à sanctis vt Dñi, sed diliguntur vt cõserui. Quod autẽ Zacharias & sanctæ mulieres post resurrectionẽ videndo turbatę sunt, sed in auditu recipiũt consolationẽ, indicat nõ visui sed auditui pro pręsenti cõsolationem repositam, sicut nouerat ille qui dicebat. *Auditui meo dabis gaudium & lætitiã interim deducant oculi mei lachrymas, quousque abstergat Deus omnem lachrymam ab oculis nostris.* Maria vero non visu, sed auditu turbata est. Auditus enim Euæ infectionẽ oportebat in filia expiari, vt quia mater Eua serpenti autẽ aperuit, filia eius Maria in eodem mẽbro cauterium turbationis acciperet, vt sicut filius eius portauit iniquitates Adæ, & per gustum aceti & fellis, gustum reparauit infectum, sic & ipsa portans iniquitatem matris, auditus sui turbatione corruptũ nobis repararet auditum, & oportune auditus turbatio pręparauit ei viam, qui per aurem debebat intrare in virginem. Consolatus est autẽ angelus Zachariam dicens: *Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, & vxor tua pariet tibi filium,* &c.

M Angelica apparitio varia afficiebat homines secundũ diuersarũ tempora legum.

Psal. 76.

Ioan. 5.

Psal. 50.

Sed quæritur an vetulus ille orabat vt haberet prolem. Quod sic videtur ex verbis angeli innui. Sed oppositum patet ex textu sequenti, quod desperabat se posse habere filium, ita vt non crederet angelo promittenti prolem. Dicitur primo quod Zacharias non petebat prolẽ, quam sibi reputabat impossibilem, sed redemptionem generis humani, sicut ostendit in suo cantico. Iugis enim sacerdotum illius temporis erat deprecatio vt veniret Messias, quã tamẽ impletã ostẽdit Dñs, cũ se dixit esse Christũ. Sed hãc oblationẽ Dei patris Iudęi respuerũt, sicut figuratum est 2. Reg. 23. In Dauid qui desiderauit bibere aquam de cisterna Bethleem, & oblatam sibi bibere noluit, sed libauit eam Dño & fudit in terram. Hanc autem libauit Iudæus Dño cum obtulit Christũ in cruce, effudit in terrã cũ eiecit vel expulit eũ ad gentes, de quo cõqueritur

Psal. 21. ritur in Ps. dicens: *Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea*, id est, apostoli.
N Dicitur secundo quod Dominus ex sua liberalitate dedit ei plus quam peteret. Hoc dicit Gloss. ibidem exaudita est oratio tua magis quàm petisti. Rogasti pro liberatione plebis. & datus est tibi præcursor. Hoc etiam sæpe facit Dominus orantibus, excedens eorum merita & vota. quia secundum Ambro. plena semper & redundantia sunt diuina beneficia non exiguo constricta numero sed vbere bonorum coaceruata congestu. Paraliticus enim oblatus est vt sanaretur corpore tantum, qui etiam sanatus est à Domino mente, quia prius dixit: *homo remittuntur tibi peccata tua*, & post *surge tolle grabatũ tuũ, &c.* Latro pendẽs petijt à Domino memoriã sui, & obtinuit regnũ. & promiserat quod virga tribus illius, quã eligeret, germinaret, sed plus factũ, quia produxit frondes, flores, & amigdala. & *Orauit Salomõ vt haberet cor docile ad iudicandum populum, & hoc dedit ei Dominus, & cum hoc diuitias & gloriã super omnes qui ante eum fuerant*, & *Tres reges pugnaturi contra Moab petierunt Helysæum vt rogaret Dominum sibi dari aquam, quibus Helysæus. Nõ videbitis pluuiam neque ventum, & dabit Dominus vobis aquam, insuper & Moab in manus vestras.* Zacharia ergo solum roganti pro liberatione populi, dedit Dominus & filiũ præcursorem redemptoris, de quo angelus, nomen eius Ioannem vocabis, & erit tibi gaudium exultatio, quia: *filius sapiens lætificat patrẽ.* Vnde sicut nil tam iucundum potuit nũciari Zachariæ sicut partus mulieris suæ, sic nihil prælato tam gratũ esse debet sicut profectus subditorum. Quare in persona boni prælati rogat sponsa. *Fulcite me floribus, stipate me malis, id est, bonis operibus subditorum.* Quarta prærogatiua Ioannis quod fuit ante sanctificatus quã natus dicente angelo, & Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. Et merito quia Deus volebat eum facere magnum, & ad magnum officium assumere. Quando autem aliquis vult suum puerum magnum facere, à iuuentute sua solet eum assuefacere ad puritatem mentis diligendam, & ad ducendam bonam vitam, & ideo voluit eum Dominus esse mundum antequam exiret vterum matris. Aliqui enim, vt Cayn, attulerant iniquitatem ex vtero matris, & ita sunt modo aliqui, sed voluit nunc Dominus oppositum facere. Vnde quam magnũ esset officium, ad quod Deus Ioannem assumere volebat, subditur. Ipse præcedet ante illum, scilicet dominum in spiritu & virtute Helyæ, &c. Vbi notandum quod in duobus prophetis expressius præcessit figura Ioannis, in Hieremia, eo quod in vtero matris sanctificatus est vterque, quia Hieremiæ dictũ est à Domino. *Priusquam te formarẽ in vtero noui te.* vterque etiã de gente sacerdotali. Helyæ vero assimilatur in austeritate conuersationis & libertate correptionis. Quod autem hic vterque parẽs Ioannis nominatur, Helyas vero subito introducitur sine patre & matre. Sicut & Melchisedech. Hoc ideo fit, quia Ioannes primũ præcurrit aduẽtum in testimonium carnalis generationis Christi, Helyas vero secundum, vbi carnalis generatio pænitus locum nõ habebit, sed spiritualis, de qua: *In regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ. &c.* Quinta prærogatiua quod in senectute amborum parentum miraculose conceptus est. Chrys. de infructuosa petra ficus maturas producit Deus. ita vt de dicto angeli dubitaret Zacharias dicens. Vnde hoc sciam. Ego enim sum senex &c. Sed punitus est propter suam dubietatẽ respondẽte angelo. ego sum Gabriel, qui asto ante Deũ, & missus sum loqui. &c. & ecce eris tacens, &c. vtinã hæc dicerentur mulieribus vt tacerẽt. Sed dicerẽt mulieres, quod hoc non fuit dictũ mulieri, sed solũ viro. & per consequens quod nõ debent reprehendi quod nimiũ loquantur. Dicitur 1. quod nõ reprehẽditur Zacharias, quia nimis loquutus est, sed quia nõ cito credidit, mulieres autẽ è cõuerso nimis cito credunt, & nimium loquuntur. Dicitur

Marginalia (left column): Liberalitas Dei sæpe dat plus quã petatur. — Matt. 9. — Luc. 23 — Num. 17 — 3. Reg. 3 — 4. Reg. 3 — Prou. 10 — Cant. 2.
Marginalia (right column): Hier. 1. — Nota — 3. Reg. 17 — Gen. 14. — Mat. 19.

Dicitur secundo quod aliquando mulieribus impositum est silentiū aut pœna alia certa pro nimia loquacitate, vt patuit
Num.12 in Maria sorore Moysi, *quæ quia nimis loquuta est contra Moysen, leprosa facta est & separata à societate hominū*, vt vel sic taceret, sed quicquid sit, sunt & erunt in possessione & Saisina frangendi suum silentiū.

Sed quæritur vtrum peccauerit Zacharias dubitando, & vtrū puniendus fuerit, quia non statim credidit angelo reuelāti, & videtur quod non quo ad vtrumque.
1.Ioan.4 Primo, quia dicitur: *Nolite credere omni spiritui, sed probate spiritus si ex Deo sint.* licebat igitur ei probare si angelus ille erat à Deo & dubitare quousque fuisset certificatus. Secundo multi alij similiter dubitauerūt, nec peccasse dicuntur, nec legūtur puniri. Patet primo de Maria quę quasi dubia videretur de verbis angeli ait. quomodo fiet istud &c. Secundo de Abraham qui Domino promittenti terrā Chanaā semini suo ait: vnde scire possum quod possessurus sum eā, & statim signū accepit Gē. 15. Tertio de Gedeon. Iudic. 6. qui impune quæsiuit signum. Dicitur primo quod Zacharias non habuit occasionē dubitādi, sed propter multa credere debuit. Primo propter illū qui nunciauit, quia angelus erat, nō homo. Secundo propter officium in quo apparuit, quia dum sacerdotio fungeretur, in tali autem officio nunquam in veteri aut nouo testamento legitur apparuisse. Tertio propter tempus, quia in die propitiationis & hora incensi. Quarto propter locum, quia in tēplo stans à dextris altaris. Quinto quia nihil nunciabat nisi ad honorem & gloriam Dei. immo etiam quodammodo secreta sua reuelauit dicens quod exaudita esset oratio sua, ideo (vt ait Ambr.) tantis confluentibus nō immerito diffidētia plectitur silentij pœna. Postquā enim tales circumstantiæ cōcurrebant, sufficienter certificabatur, quod loquebatur Angelus Dei qui mentiri nō poterat, & per cōsequens discredendo vel nolendo aliter credere, nisi daretur signum, peccabat & erat dignus pœna. Dicebat enim vnde hoc sciā, quasi diceret, quod est signū illud, ratione cuius credā verbis tuis. Post verbū autem Domini vel Angeli, ad fidem habendā vel confirmationē fidei quærere signum, vitium est, & male ageret Christianus, qui signis vellet sibi fidē Astrui vel Ecclesiæ sacramenta, ad confirmationē vero fidei alienæ licet plerumq; signa petere à Domino. *Rogabant Apostoli Dominū vt extēderet manum suā ad sanitates & signa*, ideo peccauit Achaz cū ad petitionem Esaię renuit petere signū à Domino, ne glorificaretur Dominus in cōspectu populi. Act.4. Esa.7. Dicitur secundo, quod Maria non dubitauit de re sicut Zacharias. Credebat enim verbū Angeli implendū, sed de modo (vt ait Amb.) nulli fuerat reuelatū. Tantum enim mysterium non hominis sed Angeli fuit ore promendum, & ideo de modo quæsiuit. Præterea, generatio Christi fuit mirabilis, nec alicui similis, ex antiquo tamē sterilis & senex cōceperant, vt in Abraham & Sara, ideo nō habebat occasionē dubitandi qui legerat litteras sacras, vbi Maria mulier iuuecula habere potuisset. *Maria non dubitauit de conceptione Christi.* *Nec dubitauit Abrahā sed credidit Deo*, contra spē in spē credidit, nec considerauit corpus suū emortuū. & quod risit in promissione filij, nō processit ex dubietate sicut in Sara, sed magis ex gaudio, sed apud Zachariā plus potuit consideratio suæ senectutis quā sermo Dei viuus & efficax. Rom. 4. Gedeō etiā & si ad verbū angeli cōsiderauit propriā ignobilitatē, qua ad liberandū populum insufficiēs videbatur tamen non ait: vnde hoc sciā, sed ait: *Obsecro Domine in quo liberabo Israël*, quasi diceret, credo quod liberabo, sed in quo. Iud.6. Dicitur tertio quod mystice loquēdo per hoc quod Zacharias desperabat de prole quia senex, & quia vxor eius sterilis, innuitur quod duo sūt qui prælatos & prædicatores solent mittere in desperationē fructus, scilicet propria infirmitas, quę in senectute ostēditur & auditorū vel subditorum inueterata malitia tanquā vxoris sterilitas diuturna. Dies enim hominū, in quibus dicitur Ely- *Prædicator desperat de fructu propter duo.*

ſabeth proceſsiſſe, ſunt vanitas & voluptas in quibus qui proceſſerũt, facile verbũ Domini non capit in eis. Pauperes enim & afflicti facilius euangelizantur. In cuius figura: *Inopes & amaro animo congregantur ad Dauid.* Sed propter hæc non eſt à prædicatione ceſſandum. Dicitur quarto (ſemper myſtice loquendo) quod merito reprẹhẽditur & punitur Zacharias, qui ſe excuſauit per ſenectutẽ, nõ autẽ. Hieremias qui ſe excuſauit à prẹdicationis officiũ, quia puer eſſet, vt innuatur côuenienter recuſaſſe eum, qui puer eſt, prædicationis officiũ. Nã in tali opere maturitas ætatis exigitur, nec facit ad excuſationẽ ſenectus, qui magis ei congruit. *Leuitæ poſt 50. annum cuſtodes fiebant vaſorum Domini.* vt non niſi maturis ætate cõmitti debeat regimẽ animarũ. Sequitur ergo in textu declaratio punitionis, egreſſus autẽ non poterat loqui &c. In quo innuitur quod à ſacerdotio rediẽs populo prædicare ſolebat. Talis enim debet eſſe viciſsitudo ſacerdotis, vt poſtquã cauſam populi ad Deũ precibus allegauerit, poſtmodũ cauſam Dei ad populũ prædicando alleget. Vt autẽ impleti ſunt dies officij eius, abijt in domũ ſuã. Dici poteſt quod officiũ ſacerdotis eſt contemplatio Dei, reditus in domum ſuam eſt cognitio & cuſtodia ſui ipſius. Hi ſunt duo dies poſt quos Elyzabeth concepit. Non enim ſufficiẽs eſt vel idoneus ad auditores impugnandos, qui & Dei & ſui ipſius cognitionẽ prius non habuerit, ſecundum quod orat Aug. Dñe nouerim te, nouerim me. Poſt hos dies concepit Elyſabeth, & occultabat ſe mẽſibus quinque. Huius occultationis duplex fuit ratio. Prima vt veritas côceptionis magis eluceſceret, antequã ſe proderet in publicũ. Secunda eſt, quia verecundum ſibi erat, quod ſciretur tã ſenex dediſſe operã voluptati, ſicut verecundabatur Sara, dicens: *Poſtquã cõſenui & Dominus meus vetulus eſt, voluptati operã dabo.* Vnde verecundia ſanctorum cõmendabilis eſt. Ben. Verecũdia vſque adeo eſt animi bonum, vt & quod male agere nõ verẽtur, videri tamẽ verecundentur. Nã & quod male agit odit lucẽ. Secundo verecundia lãpas eſt pudicæ mẽtis iugiter in ea lucẽs vt nihil in ea turpe aut indecorũ reſidere attentet, quod nõ illa ilico prodat. Si autẽ occultabat ſe Eliſabeth de partu ſuo erubeſcẽs, magna eſt impudẽtia mulierũque nec partus fornicarios erubeſcũt, ita quod côuenieter dicitur inuerecũdę illud Hier. *Frõs meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere, imo inuerecũdia mulieris ſignũ eſt fornicationis.* Et: *Fornicatio mulieris in extollẽtia oculorũ, & in palpebris illius agnoſcitur.* Difficile enim ſeruatur caſtitas, vbi verecũdia nõ habetur.

*1. Re. 22* · *Nota* · *Hier. 1.* · *Num. 8.* · Q *Verecundia commendabilis eſt.* *Gen. 18.* · *Hier. 3.* · *Eccl. 26.*

## SERMO. II. DE EODEM PER *thema ſupradictũ. Erit enim magnus, &c.*

*A Ioannis Baptiſtæ magnitudo.*

QVod Ioannes fuerit magnus coram Domino ex quinq; deduci poteſt. Primo hoc quod Dominus conſtituit eum præconẽ ſuũ, & magiſtrum domus, ad parandum ſibi domũ, in qua habitaret, ſicut dicebat angelus, ipſe prẹibit ante illum in ſpiritu, & virtute Helyæ, & ſequitur, parare Dño plebẽ perfectam, & non ſolum præceſsit in ſpiritu Helyæ aut Heliſęi, quia Helyas ſolũ videtur habuiſſe ſpiritũ ſimplicẽ, quia nõ niſi in vita, Heliſæus duplicem, *quia etiã poſt mortẽ ſuſcitauit mortuũ.* Sed Ioannes habuit triplicẽ, id eſt ante vitã hominibus manifeſtam, quando adhuc in vtero exiſtẽs repletus eſt Spiritu ſancto. Secũdo in vita mirabili, & in prædicatione acquirẽdo Domino plebẽ perfectã. Vnde quia ſciebat Dominum diligere venationẽ, cœpit exerceri in arte venandi. Et primo venatus eſt locuſtas, ſic quod locuſtas, & mel ſilueſtre edebat, id eſt pauperes peccatores publicanos, & meretrices, & hoc per paruũ rethe, & dulce verbũ prædicationis, poſtmodũ apros & ceruos groſſos, vtẽdo fortioribus vinculis, & verbo aſperiori cũ diceret, genimina viperarũ, &c. per apros intelligẽdo ſcribas & doctores, qui ſolo ore ſe defẽdunt, per ceruos nobiles, & officiarios, qui duobus cornibus fuerunt, ſed nõ potuit groſſum Herodẽ capere. Ideo Dominus dedit ei tres groſſas pẽſiones. Primo, quia

*4. Re. 13*

quia carnē castigauit, virginitatis aureolā, quia apros conuertit, doctoris aureolā, quia ceruos, martyrum coronam. Tertio post mortē. Patuit in hoc, quod subuenit multis infirmis, adeo quod propter miracula frequētia inuidens ei Iulianus apostata, cum suo tēpore multa essent aliorū sanctorum corpora, tamē dimisit cōburi corpus eius. Secūda ratio, ille magnus corā Domino, qui est ei multū familiaris & amicus, ita quod Dominus vocat eū nomine intimi amici, sic est de Ioanne cui impositū est à Deo nomen familiarissimi (gallice de mignō) Ioānes, id est gratiosus.
Ioan. 3. Adeo *quod ipse etiā non timuit se vocare amicū sponsi.* Sed nec ipsi Euāgelistę (ne Domino displicerent) obliti sunt illius in cronicis suis, imo fere omnes ab illo inceperunt. Tertio ille dicitur magnus corā Domino, qui in magna dignitate constitutus est ab eo, sed Ioannes est huiusmodi, cū sit ordinatus ab eo suus legatus, secundū illud Ioan. 1. *Fuit homo missus à Deo, &c.* hic venit vt testimonium, &c. scilicet ad vtilitatem populi, & nō propter cupiditatē aut singularē sui dignitatē. Nō loquor de dignitatibus huius sęculi, quia nō sunt magnę, quia non attingūt ibi homines, & magni
Psal. 72. virtuosi, sed defectuosi. *Ipsi peccatores, & abundātes in sæculo obtinuerūt diuitias.* Et:
Eccl. 10. *Vidi stultum positum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum, vidi seruos in equis, & principes ambulantes super terram quasi seruos.* Quarta ratio, quia magnæ vitæ, magnæ doctrinæ, & magni animi fuit, ideo coram Domino magnus fuit. Quod magnæ vitæ patet, quia est vnus de illis, de quibus dicitur: candidiores, niue nitidiores lacte. Nix est ita alba, quod si diu, & attēte consideretur, cætera apparebunt nigra, sic si attēte cōsideretur vita Ioānis, nostra apparebit nigra, & immunda. Sed adhuc erat cādidior niue, quia nix cādens de cælo statim perdit suam albedinem, & cōuertitur in lutum. Ioannes vero semper seruauit suā puritatē & munditiā, vt potuisset dixisse Domino: lauabis me sanctificādo in vtero & super niuem dealbabor, conseruādo munditiā in mundo. Lac etiā est valde album, & naturale ad nutriēdum puerum, sic vita Ioānis mundissima nutriebat nō tantum bonos, sed etiā malos, adeo vt de Herode dicatur: *quod metuebat Ioannē sciens virū iustū*, nec tamē ita perdebat suam albedinē, & immunditiā sicut solet lac, ideo erat nitidior lacte. De doctrina patet, quia ille est magnæ doctrinæ, & per cōsequēs magnus, qui facit, & docet, secundum illud: *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorū*, sed Ioānes primo fecit pœnitenā, & sic docuit, igitur. De animositate patet, quia scribas, & Herodē audacter repræhendit. Quinta ratio, quia paruus in oculis suis fuit, ideo magnus in oculis Dei. Nā dictum est Sauli: *cū esses paruulus in oculis tuis, ecce caput in tribus Israel factus es.* Sed qui sunt magni in oculis suis, parui sunt, imo nihil. Et ideo dicit Apost. *Qui se putat aliquid esse, cū nihil sit, ipse se seducit.* Ioānes vero se paruū reputās dicebat, quod nō erat nisi vox, quod nō erat dignus soluere corrigia calceamētorū Christi, quod illū oportet crescere, se autē minui, cū tamē posset ad horā putari Christus, in hac humilitate Mariā imitatus cui cum nunciaretur de dignitate maternitatis, se ancillā Dñi nominauit, ad quam (vt melius, & āplius loquamur de pręcursore filij sui) cōfugiētes, intelligētia nobis dari petemus præmissa salutatione. *Aue*, &c.

Marci 6
Matt. 5.
1. Reg. 5
Gal. 6.

Postquā dictum est sermone pręcedēti de magnitudine Ioannis in conceptione, nunc cōsequēter dicēdum est, quomodo fuit magnus. Primo in natiuitate. Secūdo in conuersatione vitæ. Igitur imprimis, quod magnus fuerit in natiuitate. Prima est, quia natus est propheta, imo antequā natus propheta cōsecratus est. Nam ante eius natiuitatē ad præsentiā Mariæ gestātis Christū in vtero, cū salutaret ipsā Elysabeth repletus est Spiritu sancto, & exultauit in gaudio infās in vtero matris, & quod tūc fuerit propheta patet, quia tūc vidit occulta, sed Dñm Iesū in spiritu, cū tamē essēt duo parietes intermedij, in tātum quod eius meritis Elisabeth repleta est

eſt Spiritu ſancto,& cæpit prophetare de benedictione Mariç, & cognouit qui puer. Tũc enim lucerna illa vſque adeo lucebat ſub modio, vt ſufficeret illuminare ſuũ modiũ ſcilicet matrẽ,ſed poſtea poſita ſuper cãdelabrũ illuxit populo. Sed quęritur quomodo cognouit in vtero Chriſtum,cũ nõ videatur fuiſſe ei acceleratus vſus rationis. Quod ſic ſuadetur. Nã dona Dei non auferuntur ab aliquo ſine peccato & ſine culpa,cum ergo ille non peccauerit, numquam fuiſſet ſibi ablatus vſus rationis,quod tamen falſum eſt,quia ſtatim poſt non vtebatur ratione. Reſponderi poteſt cũ doctore ſancto,quod Ioannes noncum natus habuit vſum rationis, & liberi arbitrij ad illud momentum exultationis per illuſtrationem Spiritus ſancti,per quam cognouit Dominũ præſentem , & gauiſus eſt . Hinc canitur in hymno , ventris obſtruſo poſitus cubili ſenſeras regem thalamo manentem , & ita fuit in eo acceleratus vſus rationis. Nec inconueniens ſi poſtea ſit ſubtractus, ſicut & gratia gratis data , vt prophetia, & deuotio quandoque ad horam ſiue etiam ad monumentum datur . Secus eſt de gratia gratum faciente , qui non ſubtrahitur ſine culpa. Sic Ioannes fuit optimus Chriſti ſeruus,qui ſeruiuit ei ex vtero,& merito Deus talem elegit , ſecundũ illud: formans me ex vtero ſeruum ſibi, qui ſcilicet eſſet purus,& ſine macula. Nã *Secundum ducem populi ſic , & miniſtri eius*, quod maxime verũ eſt de miniſtris magis familiaribus Domino,qui ſeruiunt ei in propria perſona. Cum igitur Deus ſit puriſsimus , nec falli poſsit in eligendo, non eſt dubium quin Ioannes quem elegerat , vt eſſet ſibi familiaris, & intimus, ſimilis ei eſſet purus & mundus. Signum autem magnæ familiaritatis Ioannis ad Chriſtum eſt,quia fuit camerarius Chriſti, ſeruiẽs illi dũ adhuc lateret in camera vteri virginalis, quando videlicet exultabat in vtero Eliſabeth ad præſentiã Chriſti , quaſi genuflectendo ei. Cæteri vero ſeruiunt Chriſto poſtquam egreſſus eſt de

*Nota.*

C

*Elegit dominus ſeruos puros, ſimiles ſibi.*

*Eccl. 10.*

camera,& intrauit curiam mundi. Secũda prærogatiua eſt,quod in natiuitate ſua à Maria matre Chriſti ſuſceptus eſt; ipſa enim fuit ſicut obſtetrix , quæ vulgo dicitur ſapiens mulier, quæ in domo aliena non fuit otioſa,ſed miniſtrabat,nec veriſimile eſt quod reliquiſſet cognatã in neceſsitate,nec etiam Eliſabeth permiſiſſet, eam abire , quin ſuo geſtaſſet in gremio, in quo geri debebat ſaluator,filiũ ſuum, qui ad ſolam Mariç pręſentiam habuerat ſpiritum prophetiæ, vt ſcilicet maiora reciperet munera gratiarum , Si etiam ( vt dicitur in textu Euangelij) poſtquã Eliſabeth peperit filium venerunt vicini , & cognati, vt congratularentur ei,à fortiori ratione remanſit Maria cognata , vt congratularetur parenti . Tertia prærogatiua, quod miraculoſe tali donatus eſt nomine,quod patet ex multis. Primo , quia ab Angelo nunciatum fuerat Zachariç in templo tamquam à Deo impoſitum. Secundo,quia à matre per reuelationẽ fuerat cognitum . Non enim didicerat à patre, cũ mutus permanſiſſet à reuelatione Angeli. Tertio à patre muto declaratum eſt, qui poſtulans pugillarem ſcripſit dicens, Ioannes eſt nomen eius . Vnde vocatus eſt Ioannes propter tria . Primo, quia quodammodo fuit filius gratiæ non naturæ, eo quod ex ſterili,& ſene genitus ſit. Secundo, quia fuit nuncius temporis gratiæ , ſecundum illud : *Lex & prophetæ vſque ad Ioannem.* Tertio propter plenitudinem gratiæ. Cum enim filij Adę naſcãtur natura filij iræ , voluit tamen ipſum repleri gratia ex vtero , ne putaretur vas illud aliquando euacuandum gratia , ita quod poterat dicere illud : *De ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei,* rem ſcilicet nominis mihi dando. *Nõ enim eſt Deus vt mentiatur.* Nec fallere poteſt quempiã, ſed nec falli in cognoſcenda natura rei. Cum ergo imponit alicui nomen,nõ imponit ſine veritate rei correſpondente. Non ſic de mundo, qui ſæpe decipit , & decipitur nominando res . Mẽdax enim eſt & pater eius ſcilicet mendacij,quia nõ per

*Mat. 11.*

*Eſai. 49.*

*Num. 23*

D

*Iudiciũ Dei infallibile, ſed mundus ſæpe fallitur.*

perfecte cognoscit res, sed in ænigmate. Ideo iudicia mundi similia sunt iudicio famuli incantatoris. Incantator enim ludés habet cooperte magnum capellum, sub quo quandoque latet aliquid magnũ & quandoque nihil, & tunc quærit à famulo, diuina, quod est sub capello, & tũc capellum eleuat dicens famulo suffla, & inuenit vnum pulchrum nihil. Sic quædã personæ portant exterius habitum religiosum, & credunt aliquid magnum latere, sed si leuaretur habitus vel discooperiretur, appareret vnum pulchrum nihil. Creduntur enim esse sanctæ & iustæ personæ, in quibus nihil est virtutis, adeo vt cuilibet tali dici possit illud: *Nomen habes, quod viuas, & mortuus es.* Non sic iste, qui habuit veritatem rei concordantem cũ nomine Ioannis, id est gratiosi, & taliter, quod fere omnes volunt sibi nomé illud assumere, vt per virtuté & proprietatem nominis, & meritum eius possint ad gratiã Dei accedere. Non enim se auderent nominare nomine Iesu postquam illi communicatum est, qui solus saluare potuit, sed bene assumũt sibi nomen Ioannis, tanquam pulchrius post illud, qui Dei gratiam desiderant & possunt adipisci. Quia auté vicini contra dicebant impositioni nominis dicentes, nemo est in cognitione tua, &c. per hoc designantur mali vicini & consiliarij, qui arguunt bonos parétes, si filios suos sanctitati & religioni studere faciant, & non mundanis scientijs. Quarta prærogatiua, quod natiuitas eius duplici miraculo decorata est. Primo in apertione linguę Zachariæ, quia tunc apertum est os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum, non sicut multi qui blasphemant cum aperiunt os. Sed hic quæritur quare ita mutus effectus est Zacharias, & quare vsque ad natiuitatem Ioannis.

Apoc. 3

Dicitur primo, quod propter multa effectus est Zacharias mutus. Primo in pęnam dubitationis suæ, sicut dictũ est prius. Secundo vt significaretur, quod adueniente Christo lex, & prophetiæ adimpletæ tacerent. Vnde Chrysost. Ideo Zacharias sacerdos Iudęorũ obmutuit, quia iam cessare & obmutescere oportebat sacrificia eorũ, quæ pro peccatis populi offerebantur. Veniebat enim solus sacerdos, qui agno proprio immolato sacrificium Deo pro peccatis omnium offerret. Tertio vt per hoc notetur, quod lingua dubitantis in fide facta est muta, quando eius oratio non est de Deo accepta. Quarto per hoc quod iste bonus sacerdos in lingua punitur. *In lingua etiam punitur alchimus sacerdos pessimus, cuius os conclusum est, nec potuit vltra loqui*, significatur, quod mali sacerdotes multum delinquunt in lingua, sed nec boni facile illud peccatum declinant. Nam & peccant tacendo, & loquendo. Tacendo quidem, quando sunt (sicut dicitur:) *Canes muti non valentes latrare: Væ mihi, quia tacui.* Sed de verbo patet in Iob dicentem: *vnum loquutus sum, quod vtinam non dixissem.* Quinto, quod Zacharias loquelam perdidisse legitur non auditum in generatione Ioannis, saltẽ nõ expresse habetur quod auditum perdiderit, in hoc ostenditur quod à verbis sęculi debet esse mutus, qui prædicando fructificare vult. Non enim in fine sustinet Neemias eos, *qui partim loquuntur Azotice partim Iudaice*, secundum linguam populi, & populi quod faciunt, quod aliquando legem Iustiniani, aliquando legem Domini in ore habent, quos necesse esset habere duo ora, *ne ex vno foramine emanarent dulcem, & amaram aquam*, vt dicitur: Qui tamen, licet ab huiusmodi abstinere debeant, ea tamen ab alijs dicta possunt, & audire, & dissimulare pro tempore Bern. Nugæ in ore sæcularium nugæ sunt, in ore sacerdotum blasphemiæ, quæ & si ferendæ sunt pro tempore, referendæ nunquam.

Nota. 1. Mac. 9
Esai. 56.
Esai. 6.
Iob 39.
E
Prædicator absti neat à verbis sæculi.
Neë. 13.
Iac. 3.

Dicitur secundo, quod vsque ad natiuitaté Ioannis permansit mutus Zacharias, sed tunc ei restituta est lingua. Primo ad designandum dignitatem Ioannis & officium, & ad eius gloriam. Ipse enim erat vox clara, ideo eo nato donata est vox

Nota.

vox patri, qui eam vocem genuerat in silentio, & hoc vt diu tacendo, & discendo & audiendo, loqui disceremus, vt prius mutus sit discipulus, sed audiens antequam docens: *Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia*. Audit enim Zacharias mutus, & tacens, & ei accedit ad honorem suum Ioannes, qui & bona gratia, quæ datur in loquẽdo his qui diutius audierunt. Secundo, vt notetur, quod habens reuelationẽ debet tacere quasi mutus, non se iactare, quasi elatus, secundum illud: *Qui vides multa, nonne custodies & hoc, quousque charitas Dei & proximi, ad hoc eum impellat*. Sic visiones suas custodiuit Paulus per annos 14. donec vnctio doceret eum reuelare propter salutem animarũ. Sic mater Domini nec Angeli salutationẽ nec secreta alia Domini legitur reuelasse, imo conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Vnde probabile est non esse visionem à Domino, quę tam facile profertur, quia: *Somnia extollunt imprudentes*, sed cum est in corde Natiuitas Ioannis, id est gratiæ suæ charitatis ad hoc mouentis, tunc licet aperire linguã, & os ad huiusmodi referendum. Secundũ miraculum fuit in collatione prophetiæ patri, cum pater fecit illud pulchrum canticum. Benedictus Dominus Deus Israel, vbi cecinit de redemptione generis humani, & circa finem de præcursore redẽptoris, quasi loquens ad puerũ & dicens, & tu puer propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciẽ, &c. ad dandam sciẽtiam salutis plebi eius. Christus enim præcessit suos ad danda salutem. Ioãnes vero præcessit nõ ad dandã salutẽ. (Non enim erat ille lux) sed ad dandam scientiã salutis, quia venit, vt testimoniũ prohiberet de lumine. Præcessit enim tanquam lucifer ante solem, & solẽ propinquum pronuncians, & orto sole radios suos subtrahens. Ait enim illum oportet crescere, me autem minui, quasi diceret, præcessi solem tanquam sidus matutinũ, abscondi me necesse est orto sole. Alij autẽ prophetæ priores, qui præcesserant luciferum istum annunciabant aduentum Christi, sicut galli cantus in nocte denũciat diẽ nõ diu post futurũ, plebi eius, scilicet Israelitię, quia ad literã solis Iudæis prædicauit, & eos tantũ conuertit, secundum quod prędixerat Angelus Zacharię, & multos filiorũ Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorũ. Christus vero, & si solis Iudæis prædicauerit corporaliter, tamen conuertit & gentes. Nam: *postquam de Ioanne actum est, & in persona eius præmissum, Dominus vocauit me ab vtero*, &c. hinc illa lectio legitur in festiuitate Ioannis, Paulo post dicit pater ad filium. Parũ est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas, dedi te in lucem gentium, quasi dicat Ioannem tantum promisi ad suscitandos Iudæos, sed tu suscitabis mihi & gentes.

Quinta prærogatiua, quod natiuitas eius longe cum laudibus promulgata est, Vnde factus est timor super omnes vicinos eorũ, scilicet de punitione Zachariæ & admiratio de restitutione linguę, & super omnia montana Iudeæ diuulgabãtur omnia verba hæc, sicut rumor venit, & diuulgatur, quando venit aliquis bonus legatus ex charitate, & propter vtilitatẽ populi, sicut Ioannes. Ipse enim fuit à Deo missus sicut legatus fidelis ex latere Domini Papæ sibi charissimus & specialissimus, ad salutem nobis nunciãdam, & sicut aurora non est lux plena, sed est nũcius, & testis superuenientis plenæ lucis, sic Ioannes erat solum nuncius lucis superueniẽtis. Sexta prærogatiua, quia dies natiuitatis eius solennis est. Primo propter verbum Angeli, qui prædixerat, & multi in natiuitate eius gaudebunt, quod non solum in Christianis, sed etiam in paganis inuenitur, quibus illa dies solennis esse dicitur. Hinc Beda. Merito pater gaudet, quod vel senecta natũ, vel talis gratiæ accepit filium, gaudent & alij, quibus inauditum eatenus regni cælestis euãgelizauit ingressum. Et Ambr. Solennis lætitia est in ortu, & generatione iustorum. Sanctus enim non solum parentum gratia, sed

Marginalia: Eccl. 32. — F Reuelatio tacere debet nisi charitas in oppositũ suadente — Esai. 42 — Eccl. 34 — Esa. 49. — Nota.

tia, sed etiam salus est plurimorum. Vnde & monemur sanctorum generatione lætari. Sed vltra cæteros habet hoc speciale Ioannes: quod celebrior est eius transitu natiuitas, quod nec in beata virgine, nec in aliquo alio homine inuenitur. Nã etsi pro Christo passus, euidentius tamen pro ipso natus est. Quia tamen dicit Angelus multos in natiuitate non de natiuitate gauisuros: videtur prophetare sæcularium lætitiam, quam adhuc agunt in natiuitate eiusdem, non de ipsa natiuitate gaudẽtes in ciborum, & vestium splendido apparatu. Contra quos Bern. Quid vos vt irrationales feræ & reptilia deserti, cibos exquiritis delicatos. Ioannes quo nullus maior in natis mulierum corpus innocentissimum sic affligit: vos insani festinatis indui purpura, & bysso, & splendide epulari. Secundo solennis est propter mysterium, quia per Ioannem figuratus est ortus gratiæ, quam nobis attulit Christus, figurata etiam est per huiusmodi natiuitatem natiuitas spiritualis, ad quam sequitur gaudium, solennitas, & exultatio, secundum illud: *Gaudium est super vno peccatore pœnitentiam agente.* Similiter primus Ioannes annunciauit nobis gaudia æterna, ideo nil mirum si natiuitas eius solenniter celebretur. Pro secunda parte. Dicitur quod B. Ioannes, in vitę suę conuersatione fuit magnus ex animi magnitudine. Quod patet primo à priori, quia magnitudo animi mensuratur triplici dimensione, scilicet lõgitudine, latitudine, & profunditate, hęc autem omnia habuit Ioannes, Primo enim lõgitudo animi est longanimitas patientiæ per quam animus futura bona expectat, & præsentia non curat. Per hanc se extendit animus sursum, secundum illud, quę sursum sunt quærite. Magnus est, qui ad alta potest attingere. Non sunt magni honores, & diuitiæ huius sæculi, ad quos stulti, & pueri attingunt. Hanc habuit Ioannes cum in desertum secessit, præsentia contemnens, & solius futuri boni desiderio accensus. Secundo mensuratur latitudine

Luc. 15.

G Magnitudo animi mensuratur triplici dimensione

charitatis, per quam se extendit animus ad dexteram, & ad sinistram, ad amicos, & inimicos, sic tamen ad amicos, quod non refrigescat apud Deum. Hanc habuit Ioannes, qui omnibus indifferenter se communicabat, & prædicabat viam salutis. Tertio profunditate humilitatis, per quam animus descendit infra se, & corã se. Magnus animus est, cui magno nihil est magnum, vt ait Seneca: Infra se considerando nihil esse. Quando enim quis in re ponit prætium expressiuum, vt si in re duorum solidorum faceret centũ, nullus postea poneret ad prætium nec curaret. Sic qui se reputat esse aliquid cum nihil sit, Deus non appreciatur ipsum. Aliqui enim faciunt denariatas suas, ita caras, quod remanent eis. Non sic Ioannes, qui se dixit indignum soluere corrigiam calciamentorum Christi, cum ad horam potuisset putari Christus. Lapis prætiosus quanto minor quantitate, tanto prætiosior reputatur, sic Ioannes quanto se magis humiliabat, tanto maior erat apud Deum. Et quia multum se humiliabat, ideo magnus erit coram Domino. Ioan. 3.

Secundo patet animi eius magnitudo à posteriori, & quasi à signo per prærogatiuas, quas in vita sua accepit à Domino, quæ sine dubio fuerunt signa, quod magnus esset animo & virtute. Prima prærogatiua est, quia à iuuentute, ita spiritu Domini repleri visus est, vt præ cæteris sit totius religionis, sanctitatis, & doctrinæ exemplar. Patuit in hoc, quod puer secessit in desertum, in quo dedit tria documenta, & exempla. Primum est dandi iuuentutem suam Deo, secundum illud: *Bonum est viro cũ portauerit iugum Domini ab adolescentia*, ne si forte assuefiat iuuẽtus in malo, vix possit ad Deum reuerti. Sicut enim ramus iuuenis & tenellus facile flectitur & torquetur ad libitum, induratus vero & ingrossatus, dum creditur flecti, frẽgitur, sic cor humanũ ab infantia & tenera ætate facile flectitur ad Deũ per obedientiã, sed postquã induratum est in malo, potius frangitur per impatientiã. Thren. 3.

H Iuuẽtus danda est Deo.

Secundum

vox patri, qui eam vocem genuerat in silentio, & hoc vt diu tacendo, & discendo & audiendo, loqui disceremus, vt prius mutus sit discipulus, sed audiens antequam docens: *Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia.* Audit enim Zacharias mutus, & tacens, & ei accedit ad honorem suum Ioannes, qui & bona gratia, quæ datur in loquēdo his qui diutius audierunt. Secundo, vt notetur, quod habens reuelationē debet tacere quasi mutus, non se iactare, quasi elatus, secundum illud: *Qui vides multa, nonne custodies & hoc, quousque charitas Dei & proximi, ad hoc eum impellat.* Sic visiones suas custodiuit Paulus per annos 14. donec vnctio doceret eum reuelare propter salutem animarū. Sic mater Domini nec Angeli salutationē nec secreta alia Domini legitur reuelasse, imo conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Vnde probabile est non esse visionem à Domino, quę tam facile profertur, quia: *Somnia extollunt imprudentes*, sed cum est in corde Natiuitas Ioannis, id est gratiæ suæ charitatis ad hoc mouentis, tunc licet aperire linguā, & os ad huiusmodi referendum. Secundū miraculum fuit in collatione prophetiæ patri, cum pater fecit illud pulchrum canticum. Benedictus Dominus Deus Israel, vbi cecinit de redemptione generis humani, & circa finem de præcursore redēptoris, quasi loquens ad puerū & dicens, & tu puer propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciē, &c. ad dandam sciētiam salutis plebi eius. Christus enim præcessit suos ad danda salutem. Iōanes vero præcessit nō ad dandā salutē. (Non enim erat ille lux) sed ad dandam scientiā salutis, quia venit, vt testimoniū perhiberet de lumine. Præcessit enim tanquam lucifer ante solem, & solē propinquum pronuncians, & orto sole radios suos subtrahens. Ait enim illum oportet crescere, me autem minui, quasi diceret, præcessi solem tanquam sidus matutinū, abscondi me necesse est orto sole. Alij autē prophetæ priores, qui præcesserant luciferum istum annunciabant aduentum Christi, sicut galli cantus in nocte denūciat diē nō diu post futurū, plebi eius, scilicet Israelitice, quia ad literā solis Iudæis prædicauit, & eos tantū conuertit, secundum quod prędixerat Angelus Zacharię, & multos filiorū Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorū. Christus vero, & si solis Iudæis prædicauerit corporaliter, tamen conuertit & gentes. Nam: *postquam de Ioanne actum est, & in persona eius præmissum, Dominus vocauit me ab vtero*, &c. hinc illa lectio legitur in festiuitate Ioannis, Paulo post dicit pater ad filium. Parū est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas, dedi te in lucem gentium, quasi dicat Ioannem tantum promisi ad suscitandos Iudæos, sed tu suscitabis mihi & gentes.

*Eccl. 32.*

F

*Reuelatio tacere debet nisi charitate oppositū suadente*

*Esai. 42*

*Eccl. 34*

*Esa. 49.*

Quinta prærogatiua, quod natiuitas eius longe cum laudibus promulgata est, Vnde factus est timor super omnes vicinos eorū, scilicet de punitione Zachariæ & admiratio de restitutione linguę, & super omnia montana Iudeæ diuulgabātur omnia verba hæc, sicut rumor venit, & diuulgatur, quando venit aliquis bonus legatus ex charitate, & propter vtilitatē populi, sicut Ioannes. Ipse enim fuit à Deo missus sicut legatus fidelis ex latere Domini Papæ sibi charissimus & specialissimus, ad salutem nobis nunciādam, & sicut aurora non est lux plena, sed est nūcius, & testis superuenientis plenæ lucis, sic Ioannes erat solum nuncius lucis superueniētis. Sexta prærogatiua, quia dies natiuitatis eius solennis est. Primo propter verbum Angeli, qui prædixerat, & multi in natiuitate eius gaudebunt, quod non solum in Christianis, sed etiam in paganis inuenitur, quibus illa dies solennis esse dicitur. Hinc Beda. Merito pater gaudet, quod vel senecta natū, vel talis gratiæ accepit filium, gaudent & alij, quibus inauditum eatenus regni cælestis euāgelizauit ingressum. Et Ambr. Solennis lætitia est in ortu, & generatione iustorum. Sanctus enim non solum parentum gratia, sed

*Nota.*

tia, sed etiam salus est plurimorum. Vnde & monemur sanctorum generatione lætari. Sed vltra cæteros habet hoc speciale Ioannes: quod celebrior est eius transitu natiuitas, quod nec in beata virgine, nec in aliquo alio homine inuenitur. Nã etsi pro Christo passus, euidentius tamen pro ipso natus est. Quia tamen dicit Angelus multos in natiuitate non de natiuitate gauisuros: videtur prophetare sæcularium lætitiam, quam adhuc agunt in natiuitate eiusdem, non de ipsa natiuitate gaudẽtes in ciborum, & vestium splendido apparatu. Contra quos Bern. Quid vos vt irrationales feræ & reptilia deserti, cibos exquiritis delicatos. Ioannes quo nullus maior in natis mulierum corpus innocentissimum sic affligit: vos insani festinatis indui purpura, & bysso, & splendide epulari. Secundo solennis est propter mysterium, quia per Ioannem figuratus est ortus gratiæ, quam nobis attulit Christus, figurata etiam est per huiusmodi natiuitatem natiuitas spiritualis, ad quam sequitur gaudium, solennitas, & exultatio, secundum illud: *Gaudium est super vno peccatore pœnitentiam agente.* Similiter primus Ioannes annunciauit nobis gaudia æterna, ideo nil mirum si natiuitas eius solenniter celebretur. Pro secunda parte. Dicitur quod B. Ioannes, in vitę suę conuersatione fuit magnus ex animi magnitudine. Quod patet primo à priori, quia magnitudo animi mensuratur triplici dimensione, scilicet lõgitudine, latitudine, & profunditate, hęc autem omnia habuit Ioannes, Primo enim lõgitudo animi est longanimitas patientiæ per quam animus futura bona expectat, & præsentia non curat. Per hanc se extendit animus sursum, secundum illud, quę sursum sunt quærite. Magnus est, qui ad alta potest attingere. Non sunt magni honores, & diuitiæ huius sæculi, ad quos stulti, & pueri attingunt. Hanc habuit Ioannes cum in desertum secessit, præsentia contemnens, & solius futuri boni desiderio accensus. Secundo mensuratur latitudine charitatis, per quam se extendit animus ad dexteram, & ad sinistram, ad amicos, & inimicos, sic tamen ad amicos, quod non refrigescat apud Deum. Hanc habuit Ioannes, qui omnibus indifferenter se communicabat, & prædicabat viam salutis. Tertio profunditate humilitatis, per quam animus descendit infra se, & corã se. Magnus animus est, cui magno nihil est magnum, vt ait Seneca: Infra se considerando nihil esse. Quando enim quis in re ponit prætium expressiuum, vt si in re duorum solidorum faceret centũ, nullus postea poneret ad prætium nec curaret. Sic qui se reputat esse aliquid cum nihil sit, Deus non appreciatur ipsum. Aliqui enim faciunt denariatas suas, ita caras, quod remanent eis. Non sic Ioannes, qui se dixit indignum soluere corrigiam calciamentorum Christi, cum ad horam potuisset putari Christus. Lapis prætiosus quanto minor quantitate, tanto prætiosior reputatur, sic Ioannes quanto se magis humiliabat, tanto maior erat apud Deum. Et quia multum se humiliabat, ideo magnus erit coram Domino.

*Luc. 15.* *Ioan. 1.*

*G Magnitudo animi mensuratur triplici dimensione*

Secundo patet animi eius magnitudo à posteriori, & quasi à signo per prærogatiuas, quas in vita sua accepit à Domino, quæ sine dubio fuerunt signa, quod magnus esset animo & virtute. Prima prærogatiua est, quia à iuuentute, ita spiritu Domini repleri visus est, vt præ cæteris sit totius religionis, sanctitatis, & doctrinæ exemplar. Patuit in hoc, quod puer secessit in desertum, in quo dedit tria documenta, & exempla. Primum est dandi iuuentutem suam Deo, secundum illud: *Bonum est viro cũ portauerit iugum Domini ab adolescentia*, ne si forte assuefiat iuuẽtus in malo, vix possit ad Deum reuerti. Sicut enim ramus iuuenis & tenellus facile flectitur & torquetur ad libitum, induratus vero & ingrossatus, dum creditur flecti, frẽgitur, sic cor humanũ ab infantia & tenera ætate facile flectitur ad Deũ per obedientiã, sed postquã induratum est in malo, potius frangitur per impatientiã.

*Thren. 3.*

*H Iuuentus danda est Deo*

Secundum

Nota. Secundum est fugiendi mundū, sicut docuerat in Psal. dicens: *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Propter quatuor autem fugit mundum. Primo, ne oculis visuris Saluatorem videret mundi vanitatem & pollueretur, orans cum Psalm. Psa. 118 *Auerte oculos meos ne videant vanitatem.* Iste est modus crescendi in virtutibus, vt respiciat homo sursum ad Deum per contemplationem, & declinet oculos à terra respuendo mundi vanitatē, qui non potest melius obtineri, quam cum homo est separatus à mundo. Vix enim respiciunt mundani sursum ad Deum, sed multi eorum sunt sicut arbor, iuxta cuius radicē pullulant multi ramunculi, qui humorē ex quo debuit arbor nutriri sugentes, nō permittūt arborem crescere. Multi enim habent tot parentes, tot terrena negotia, quod humorem intentionis & deuotionis cordis distrahunt à Deo, quos omnes ramunculos extirpauit Ioānes à corde, mundum & bona mundi relinquendo. Secundo fugit in desertum, vt ibi doctrinam, quam prędicaret, susciperet. Capacior enim est susceptionis doctrinę vel inspirationis diuinæ, cum est extra tumultum mundi & hominum. Inde Christus de fideli anima dicit: Osea 2. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Sic reuelationem accepit Zacharias cum esset solus in templo, extra tumultum populi. Tertio, vt linguam refrænaret secundū illud hymni, vel leui saltem maculare vitā flamine posses, vt sic digna esset ferre testimonium Christo. Propterea enim purgata fuerunt labia Esaiæ & à Seraphin Esaie 6. forcipe de altari sumpto, quia non decet quemquam pollutis labijs annunciare verbum Dei, & ferre testimonium de eo. Quarto, vt sua vita doctrinæ correspon deret, ne forte alijs prædicās ipse reprobus efficeretur, si non cōcordarent opera cum doctrina. In quo docuit prælatos & prędicatores prius bene operari & pęnitentiā agere, quam præcipere aut prædicare pænitentiam, alioquin reputabuntur non veri pastores, sed magistri operum, qui dure præsunt, & Pharisæi, qui dicunt & non faciunt. Cū enim propria peccata non haberet, pro quibus pęnitentiam agere debuisset, tamen quia ad prædicandam pænitentiam missus, supra humanam naturam pænitentiam agebat, vt sic exēplo suo alios ad pænitentiā prouocaret, & ita ex hoc prouocauit, quia prius agebat quod prædicabat, quod veniebat ad illum omnis Hierosolyma & omnis regio trans Iordanem. Tertium documentum quod non debet esse durū onus inueterato in peccatis, si multa sustineat grauia pro peccatis suis, sed multum dulce, quia iustum est & salutiferū, sicut iustum est & salubre quod infirmus bibat potionem amaram, quādo Ioannes puer sine culpa plurima sustinuit. Secunda prærogatiua quod dignus fuit laude ex testimonio Christi. Magnum est laudari à Deo, sed parū quid à mundo. Laus enim Dei vera est, gloriosa, certa, & fructuosa. Vera quidem, quia ipsam profert veritas. Non sic testimonium quod quis perhibet de seipso, secundum illud Ioā. *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.* Inde etiam ait Apostolus. *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Propterea rufugiens Psal. seipsum laudare dicebat Domino, *apud te laus mea.* Secundo laus Dei est gloriosa, quia à rege gloriæ profertur, sed laus sui ipsius ignominiosa est & sordida, quia laus in ore proprio sordescit. Similiter laus mundi & malorum hominum, quia vt ait Seneca: tam turpe est laudari à turpibus, quā laudari ob turpia. Nullius enim valoris est laus ab eo, qui non est laudabilis. Tertio certa est, quia ab eo qui falli nō potest nec fallere, laudatio autem quę fit ab hominibus etiam bonis incerta est, cum nō videant corda, vbi est fons & sedes bonitatis, imo nec seipsum homo plene videt, ideo certum non potest de se ferre testimonium. Hinc ait Apostolus: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Et Greg. plerumque sordet in oculis iudicis,

[Right margin notes: 2 Laus Dei vera gloriosa certa & fructuosa est. — Ioan. 8. — 2.Cor.10 — Psal. 21. — 1.Cor.4]

eis, quod in æstimatione fulget operantis. Quarto vtilis est laus Dei seu testimonium, quia secũdum ipsum iudex noster debet procedere. *Tres enim sunt, qui testimonium dant in cælo. Pater, verbum, & Spiritus sanctus.* quorum testimonio stabitur in omnibus, non autem testimonio laudantium vel vituperantium. Sic magna est laus Ioannis, qui à Saluatore laudari meruit. Ratio autem quare eum laudauit, Dominus est, quia de ipso prius testimonium perhibuerat dicens: *Ecce agnus Dei.* Sic si vis à Deo laudari, prius de eo testimonium perhibe per bona opera. Vnde Christus de Ioanne sic ait: *Inter natos mulierum non surrexit maior.* &c. Ex quo verbo videtur cuidam doctori quod sit maior in regno cælorum post Christum & Mariam, sicut post solem & lunã stella clarior est lucifer, & sedẽ primi Angeli obtineat.

1. Ioã. 5.

Ioan. 1

Matt. 11

K

*Ioannes Baptista maior post Christum & Mariã.*

Sed oritur dubitatio, quia dicitur: *Qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo,* scilicet Ioanne, quomodo ergo sic laudatur à Deo. Respondetur quod hoc verbum potest multipliciter intelligi. Primo vt sit comparatio Ioannis ad Christum, sic qui minor est in regno cœlorũ, scilicet Christus, qui erat in regno cælorum etiam secundum humanitatem, quia anima eius clare videbat Deũ, sed paulo minus minoratus ab Angelis, hic maior est illo, vel si per regnum cælorum præsentis temporis ecclesia dicatur, sicut ostendit Greg. accipi in diuersis locis scripturæ sensus, est: qui in regno ecclesiæ militantis humilior est aut minor reputatione, hic maior est illo. Et secundũ hoc nihil detrahitur de laude serui, si minor domino dicatur. Secundo sic non loquendo de Christo, sed comparãdo Ioannem ad eos, qui habebant vel habituri erant beatitudinem, qui minor est in regno cælesti actualiter in eo existens, maior est illo feruore charitatis & continuitate eius, quia beatus cum multo feruore & continue sine lassitudine tendit in Deũ, quod nõ potest facere viator. Tertio sic qui minor est, &c. maior est illo dignitate, securitate, & impassibilitate, quia nobiliori modo coniunctus Deo, securus de perpetuitate suæ beatitudinis, & extra omnem passibilitatem & miseriam, quæ non inueniebantur à Ioanne. Quarto sic qui minor est, &c. maior est illo virtute operationis à potestate naturali, quia in tali anima non est inclusa in carcere corporis, sicut in viatore, sed omnia potest in Deo, & fertur quo vult. ideo oportuit in Ioanne esse maiorem gratiam ad subleuandam fragilitatem eius. Licet aut in actu esset minor quocunque beato, tamen in potentia erat maximus, quia maximam gratiam tanquam arram & pignus gloriæ habens, & inter maximos in cælo post hanc vitam numerandus, ideo nil mirũ si laudatur à Domino. Tertia prærogatiua, quia Baptista Christi esse meruit, quod nulli alteri concessum est. Ab eo enim baptizatus est Christus, qui prius Ioannem baptizauerat baptismo flaminis replendo illum gratia Spiritus sancti, in vtero matris.

Matt. 11

Sed quæres: Si sic baptizatus est Ioannes repletione Spiritus sancti, quomodo dixit Domino: *Ego à te debeo baptizari*, id est, lauari vel mundari, *& tu venis ad me.*

Respondetur primo quod Ioannes loquebatur vt membrum generis humani, quod erat lauandum, & ideo secum mẽbris computabat. Secundo baptizari non solum est purgari, sed etiam iustificari. Quærebat autem ampliorem & vlteriorem iustificationem supra illam, quã habuerat in vtero materno, & consecutus fuerat propter bona opera meritoria. Quarta prærogatiua est quod beatissimã Trinitatem viuens cognoscere dignus fuit. Primo vocem patris audire, non solum in baptismo, sed etiam in deserto, cum dictum est ei: super quẽ videris spiritum descendentem, &c. Secundo filiũ, quem non solum baptizauit, sed etiã prędicando digito ostendit. Et inde (vt dicitur in Historijs) reliquo corpore beati Ioannis concremato, solus ille digitus in medio ignis mansit integer & inustus.

Tertio Spiritum sanctum in specie columbæ descendentem, in quo debet considerari quod non nisi dignis personis & sanctis Christus sua mysteria reuelat, ideo si qui malæ vitæ iactent se habuisse reuelationes: debēt pro suspectis haberi.

Quinta est quod sanctitas eius Iudæis gentibus & Christianis manifesta fuit & collaudata. Fuit enim Iudæis manifesta, ita vt ad eius prædicationem concurreret omnis Iudæa & Hierusalem, &c. Non quidem per miracula, quia: *Ioannes quidem signum fecit nullum*, sed per prædicationem & bonam conuersationē. Erat enim eius prædicatio multum fructuosa, quia de regno cælorum erat, & ex magno charitatis feruore procedens. Nam sicut infra clibani concaua exæstuans latet incendium, nec tamen foris lapidis repulsis obicibus ardoris alicuius ostentat indiciū: sic vis charitatis eius in eremo seruabatur recondita, quæ postea in tempore ostensionis suæ ad populum per verba se prodidit. Tunc enim recipiebat, & meditabatur, quæ postea effusurus erat in populum. Arbor enim bonarum prædicationum ex radice procedit sanctarū meditationum, & ita ad se, imo ad Deum attrahebat per suam prædicationem, attrahebat & per bonam conuersationem, quę talis erat, vt nutriret etiam malos in bono, sicut Herodem. *Ioan.* 11

*Nota.* Similiter apud Christianos est maximę reputationis inter cæteros sanctos, vt videatur quibusdam præcellere omnibus præter Christum & Mariam, sicut dictū est. A paganis etiam, & Saracenis eius festiuitas recolitur, & sanctitas commendatur, quod non dicitur de alijs Sanctis.

Sexta est, quia solus à Christo canonizatus est per verba prædicta, inter natos mulierum, &c. & sic non est dubitandum de eius sanctitate & magnitudine apud Deum. Cum igitur ita sit magnus coram Domino, & libēter ab ijs, qui magni sunt apud Principes, quæramus adiutorium, debemus à Ioanne auxilium quærere. Necessaria enim est nobis littera gratiæ, necessaria est absolutio à peccatis nostris, indigemus etiam habere vnum perpetuum, scilicet gloriam paradisi. Omnia ista facile impetrabit ad supremum Dominum, & Pontificem summum B. Ioannes: si ei requestas nostras obtulerimus.

## DE EADEM SOLENNITATE
### *Serm. III. Per Thema.*

*Psal.* 131 *Luc.* 11 PAraui lucernam Christo meo. Quæritur cum Dominus dicat: *Nemo lucernam accendit, & sub modio ponit, sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur lumen videant*, & ipse dixerit de Ioanne: *Ipse erat lucerna ardens & lucens*: cur ergo Dominus cum accendit ipsum, dimisit illum per multū tempus sub modio, scilicet in vtero materno. Respondetur quod in mari nihil est quod magis occultetur quam lucerna, ne eam videant hostes à longe. Ideo veniens Dominus debellare hostes in nocte huius sæculi accendens lucernam præcursoris sui, eam abscondit pro tempore vsque in diem ostensionis suæ ad Israel, in quo debellaturus erat Christus hostes suos, & sic primo hoc fecit Dominus ad decipiendum hostem. Sciebat enim quod scriptum erat: *Illuc producam cornu Dauid*, id est fortitudinem Dauid, *& paraui lucernam* &c. de quo cornu dixit Zacharias: *Et erexit cornu salutis nobis*. Dicitur secundo quod prius opus facere testam ad ponendum lucernam, & deinde ponere infra candelam, & tertio accendere. Sic Dominus in conceptione Ioannis primo ędificauit testam, deinde in animæ infusione posuit candelam non accensam in testa corporis, & tertio in eius sanctificatione accendit lucernam, & quarto in eius conuersatione super cādelabrum, hoc est in aperto eam posuit, vt in tenebris peccatorū, & ignorantiæ videretur. Ideo dixit Zacharias: *Præibis enim ante faciem Domini parare vias eius*, & sequitur: *Illuminare his, quæ in tenebris*, &c. Res autē perdita, quæ parua est, indiget lucerna in nocte vt inueniatur, & quia Dominus inter omnes erat paruulus,

*Ioan.* 5

*Lucerna Ioannes cur diu latuit.*

*Psa.* 131

paruulus, ideo indigebat ista lucerna, qua accensa immediate cognouit Ioãnes Dominum in Maria, soleni in luna, minimũ inter omnes & humillimũ. Ista autem lucerna accensa fuit à lucerna Mariæ. Quãdo in domo nõ est ignis vel lucerna, quęritur in alia domo. Quæramus igitur à Maria lumen intelligentiæ ad laudãdum suum parẽtem Ioannem, dicẽtes ei, Aue.

Quia satis dictum est quomodo hęc lucerna fuit posita sub modio in conceptione, dicemus solum quomodo fuit posita in aperto. Primo, quidem in natiuitate. Secundo in conuersatione vitæ. Pro primo de quo tantum in hoc sermone dicetur, sciendum est, quod in Euangelio hodierno duo de hac lucerna declarantur. Primum est eius apparitio. Secundum est eius mirabilis operatio. De primo dicit Euãgelista, Elisabeth impletum est tempus pariendi. Quod fuit sexto calendas Iulij, & sexta feria. Tunc autem erat sol in Geminis, & solsticium æstiuale, post eleuationem vero solis in solsticio, sol declinat & descendit, in quo significabatur, quod sol iustitiæ descensurus erat secũdum illud Ps. *Inclinauit cælos, & descendit*, & existens in geminis, quia factus est gigas geminæ substantiæ. Et peperit filiũ. Ecce quomodo apparuit lucerna illa, sed lucida, & clara lumine gratię. Nos autem miseri in tenebris culpæ nascimur viuimus, & morimur, quam ergo dissimilis nostra natiuitas à natiuitate Ioannis. A natiuitate mater gratia suscepit Ioannem ad viuificandum, à natiuitate nos mater tenebrosa concupiscentia suscipit ad mortificandum. A natiuitate mater gratia eius viam recte direxit, à natiuitate mater cõcupiscentia nostrum initium ad mortem detraxit. Ista autem lucerna tam luminosa fuit, quod de eius apparitione multi gauisi sunt. Inde subditur & audierũt vicini, & cognati, & congratulabantur. In quo sumendę sunt duæ doctrinæ Prima est, quod sicut magnum fuit gaudium de natiuitate Ioannis, ita magnum gaudium debet esse, quãdo vnus bonus homo nascitur in Ecclesia Dei, secũdum illud Ioã. *Cum autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Vulgus autem sępe gaudet de promotione iustorum, vbi maiores inuident & tristantur. *In multiplicatione iustorum, lætabitur vulgus*, & eiusdem: *In exultatione iustorum multa gloria est*, scilicet plebi, regnantibus impijs ruinę hominum. Secunda doctrina est, quod soli vicini, & cognati spirituales Ioannis, qui cum eo bellum indixerunt delitijs, habent gaudere. Non enim deliciosis memoria natiuitatis Ioannis materia lætitiæ est, sed tristitię & tribulationis. Inter natos enim mulierum, non fuit cuius memoria magis possit, & debeat omnes contristare delitiosos. Si enim quidam alij sancti sua corpora afflixerunt, in eis aliqua peccata pręcesserunt, quæ indigebant afflictione purgari, sed Ioannes nec in verbis legitur excessisse, sanctificatus ex vtero matris. Ideo austeritas conuersationis eius delitiosis peccatoribus durus nuncius est afflictionis æternę. Sed vicini & cognati Elisabeth, nõ cognoscentes officium huius lucernę, nec quod esset parata ad nũciandum tempus gratię, ideo decepti vocabant puerũ quasi antiquo nomine patris sui Zachariam, sed mater melius cognoscens mysterium ait. Nequaquã, sed vocabitur Ioannes. In quo verbo sterilis datur documẽtum, quod de opere facto, & nato debet dicere voluntas sterilis, nec ex se sufficiens producere, quod non attribuetur nomen sibi vel intellectui aut cognitioni, sed gratiæ Dei. Vnde in lege defuncti nomen imponebat, qui semen suscitabat. Sic boni si qua bona faciant, defuncto Christo non sibi ascribunt, & talibus, qui non vsurpant sibi nomina in mundo, reseruat Deus nomina gloriosa, quæ deleri non possunt, quales erãt, quibus dictum est: *Gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cælo.* Contradicebant autem vicini & cognati dicentes, quia nemo est in cognatione tua, &c. & ideo innuebant patri eius, & c. & hoc in nutibus visibi-

Psal. 17.
B Natiuitas nostra, qualis sit.
Prima doctrina
Ioan. 16.
Prou. 29
Prou. 28
Nota
Luc. 10.

visibilibus, ex quo videtur, quod Zacharias non tantum mutus, sed & surdus factus est propter incredulitatem suam. Si enim audire potuisset, verbo non nutu, quomodo nominaretur interrogasset. Et postulans pugillarem scripsit dicens: Ioannes est nomen eius, in quibus verbis vicinorum, & Zachariæ, quatuor innuũtur. Primũ est, quod nomen Ioannis fuit tunc proprium, & singulare præcursori. quia tunc nullus fuit, qui hoc nomen sic sibi proprium habuerit, quia nullus gratiosus nascebatur, sed quilibet in peccato originali, & propterea bene dicebant cognati, quia nemo est in cognatione tua, &c. nisi scilicet ille qui antequam exiret de ventre sanctificatus est, ideo Ioannes est nomen eius. Secũdo denotatur quod nulli vel pauci sint qui vocentur hoc nomine, nisi forte æquiuoce, sicut homo pictus in pariete, habens figuram solam hominis non proprie, dicitur homo, ex eo, quod vita caret, sic nec illi Ioannes, qui sunt extra gratiam, qualis erat cui dictum

Apoc. 3. fuit: *Nomen habes, quod viuas, & mortuus es.* homo enim pictus, & homo verus se habere possunt sicut excedens, & excessum. Nam homo pictus frequẽter excedit hominem viuum in apparatu & decore exteriori, sed deficit in valore exteriori. Sic multi sunt Ioannes, id est gratiosi in apparentia exteriori, quia parum aut nihil habent de valore interiori. Sola autẽ gratia exterior vel ornatus sine interiori non est nisi pictura & fictio. Vnde tales sic solum exterius gratiosi sunt Ioannes picti, in quibus vocandis mundus decipitur, & vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Tertio, quod sicut præcursor Christi, qui venerat ad perhibẽdum testimonium, Christo habebat nomen Ioannis, id est gratiosi sibi propriũ, sic debent habere Prælati, & Prædicatores annunciãtes verbum Domini, vt sic alios illuminent & inflammment suis exemplis. Sed multi sunt sicut lucerna extincta, quę fumum pestiferũ emittit. Sic enim illi prauo exemplo subditos suos corrumpunt,

D Prælati mali cõparãtur lucernæ

& contra quęlibet huiusmodi loquitur: *Ecce ego ad te mons pestifer, qui corrumpis vniuersam terram.* Hier. 51. Legitur in libro de natura animalium, quod equa ad fumum candelæ extinctæ facit abortiuum. Sic Ecclesia ad exemplum malorum pręlatorum suos filios amittit. Quarto, quod decebat vt hæc lucerna esset Ioannes, id est, accensa lumine gratiæ antequã ostenderetur re, id est quia re paradisi in natiuitate Christi. Nam antequam Dominus nasceretur, reliquiæ paradisi clausæ fuerunt nec videbantur. Ideo de talibus reliquijs quærebat populus illud Ps. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam*, & Dominus respondit illud: *Ego ostendam tibi omne bonum.* Exod. 33. Tabernaculum autem vel capsa, in qua istæ reliquiæ erant absconditæ, & nouẽ mensibus quieuerunt, fuit vterus virginalis, secundum illud: *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Eccl. 24. Sicut enim aurifaber facit vas vitreũ vel cristallinũ, intra quod ponit reliquias vt melius videantur, sic Spiritus sanctus intra tabernaculum vteris virginalis formauit vasculũ, scilicet corpus Christi, & ibi posuit reliquias paradisi, hoc est diuinitatem, & tũc filius Dei inuisibilis fuit visus, & cognitus, sicut scriptum erat: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Baruch 3. Inde decuit, vt præcursor cuius proprium officium fuit illuminare ad videndum hoc reliquiare, haberet nomen Ioannis, id est, gratia illuminati, qua cæteros illuminaret. Pro secunda parte dicitur, quod mirabilis fuit operatio huius lucernæ in duobus.

Primo, quia non solum illuminauit visum Zachariæ recreando eum sui præsentia, sed & linguam reformauit, & auditum. Inde dicitur in textu, apertum est autem illico os eius, & lingua eius, & loquebatur, &c. Hoc considerans Paulus Historiographus Romanæ Ecclesiæ diaconus, Casinensis monachus, quadã die cum vellet paschalem cereum cõsecrare, raucus effectus cum prius vocalis esset, vt sibi vox restitueretur, cõposuit in honorem

norem B. Ioannis hymnū. Vt queant laxis, in cuius principio petit vocis restitutionem, quam obtinuit, sicut & merito S. Ioannis restaurata est Zachariæ. Talis lucerna sicut Ioannes, est verbū Dei, quæ necessaria est ad ambulandū in via mundi tenebrosa & lubrica, secundum illud Psal. *Via illorum tenebræ & lubricum.* Nam sicut carens lumine dum ambulat in via obscura, & tenebrosa, & periculosa, facile cespitat vel periclitatur, quia quandoque putat ponere pedem in loco tuto & mūdo, & ponit in luto vel fouea, vbi præcipitatur, sic qui vult ambulare in via mūdi sine lucerna verbi Dei. Et ideo dicebat Psal. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Ista autē lucerna non solum illuminat visum interiorem, iuxta illud: *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis,* sed etiam linguas mutorum, & auditus surdorum reformat ad bene loquendum & audiendū de Deo. Sed mirum est de multis, qui habēt istam lucernam, qui bene intelligūt scripturas, & frequenter loquūtur, & loqui audiunt de Deo, & tamen turpissime deuiant in via morum, ponentes sæpe pedē affectionis in luto vel fouea peccati. Hoc nihilominus ideo videtur esse, quia lucernam istam non ponunt ante oculos cordis, sed post dorsum quia non recondunt in memoria ad saporandum & gustandum, sed solum in ore resonare faciunt vt scioli, & magni videantur. Secūdo lucerna hęc lumine suo penetrauit vsque ad intima cordis, cum ex sui irradiatione hoc est meritis prophetauit Zacharias dicens: Benedictus Dominus, &c. Magna est largitas diuinæ bonitatis & pietatis eius, si parati ad accipiendum sumus. Nam ecce loquela, quæ sola ablata est diffidenti cum spiritu prophetiæ est restituta credenti, & vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia, & ita frequenter reddit Dominus amplius quā sustulerit, quæ corporaliter ægrotantes corpore simul & anima sanare consueuerat. Vnde Ambros. Vide quam bonus Deus, & facilis indulgere peccatis, non solum ablata restituit, sed & insperata cōcedit. Nemo ergo diffidat: nemo veterum conscius delictorum præmia diuina desperet. Nouit Deus mutare sententiam, si tu noueris emendare delictum. Maria vero tandē valefaciens Elisabeth, & Zachariæ benedixit Ioanni, completo prius ortu eius secundum communiorem opinionem. Sed contemplari libeat quantæ fusæ sint lachrymæ, quando Maria recessit, quando mundi gaudium, & stella maris in domum suam reuersa est.

*E Verbi Dei lucerna necessaria est.*

*Psal. 118*

*Ibidem.*

## IN EADEM FESTIVITATE
### *Sermo IIII. Per Thema præcedens. Paraui lucernam, &c.*

NOtandum, quod est triplex lucerna, quædam lucens, sed nō ardens, vt est lucerna adulatorū, quia multa desunt bona, sed non amore eorū, quibus consulunt, sed pro pecunia, similiter eorum, qui multa sciunt, & nihil amori diuini habent. Talis fuit Salomon in fine, talis est vermis putridus, lucet, & nō ardet, talis etiam est lucerna mūdanorum, de qua dicitur: *Lucerna impiorum extinguetur.* Vnde sicut in curijs magnorum datur candela pro equo parando, pro cœnando, & cubando, & sæpe famulus consumit partem candelæ in præparatione equi, & totum residuum in comedendo, & bibendo, ita quod quando debet cubare, candela extinguitur, & sic se cubat in tenebris, sic multi partem lucernæ, id est discretionis sibi datæ à Deo expendūt in equi, id est corporis præparatione, & vestium ornatu, aliam in cibo & potu, delicijs, & solatijs, ita quod in nocte mortis hora cubationis deficit eis candela prudentiæ, & nesciunt se regere nec de salute prouidere. Sic media nocte dixerunt fatuæ virgines, lampades nostræ extinctę sunt. Alia est lucerna ardens, sed non lucens, sicut luxuriosi, quorum verba non lucent, licet ardeant & comburant, & fœteant, sic & blasphemi proferentes

*A Lucerna multiplex.*

*Prou. 13*

*Mat. 25*

verba contumeliæ & blasphemiæ. Talis fuit aliquando Salomon cum delitijs carnis vacabat. Sed est alia lucerna ardens, & lucens, scilicet Ioannes de quo Saluator: *Ille erat lucerna ardens, & lucens*, ardens per zelum, lucens per doctrinam & conuersationis exemplum. Cum enim esset parua lucerna, & modicum accensa erat sub modio Elisabeth, & sub dio deserti. Sic hi, qui non sunt perfecti, debent latitare, & circa sui custodiam solum vigilare, sicut ille, qui dicebat: anima mea in manibus meis semper. Sed cum fuit teda perfecta, omnibus apparuit, & præcipue vt testimonium perhiberet de lumine, id est Christo, qui nascitur de Patre, sicut radius solis nascitur à sole sine aliqua diminutione substantiæ, & natus est de matre sine matris corruptione. Oculi enim Iudęorum infirmi magnam claritatē Christi non poterant comprehendere, ideo necesse fuit aliud minus lumen præmitti, quod assuefaceret & præpararet eos ad susceptionem tanti luminis. Hinc August. Tantæ cæcitatis erat homo, vt ad diem sine lucerna venire non posset. Idem alibi: Quia Christus sic erat homo, vt in illo lateret Deus, missus est ante illum magnus homo, per cuius testimonium inueniretur plusquam homo, & hoc est, quod dicitur in Psal. *Paraui lucernam Christo meo.* Sed fuit adhuc alia melior, & luminosior lucerna parata Christo, scilicet beata virgo quæ semper illuxit per gratiam, in cuius lumine, vt videamus lumen vitæ Ioannis, ad eam recurramus dicentes. Aue gratia, &c.

Ioan. 5.

Psa. 131

Postquam dictum est sermone pręcedenti quomodo hæc lucerna luxit in natiuitate, hic dicendum est, quomodo luxit in vita, & dicitur, quod in vita sua in duobus populo illuxit. Primo in austeritate conuersationis. Secundo in doctrinę suæ veritate.

B Claustri desertū commendabile.

Primo igitur illuminauit Ioannes populum austere viuendo, cuius vitę austeritas est commendabilis, scilicet loco, vestimento, & cibo. Loco, quia in deserto in quod puer tenellus secessit, ex quo patet commendabile esse desertum claustri tanquam commodius perfectiori vitæ. Tumultus enim mundi multos impedit, & inficit. Vnde corpora plus elongata à terra plus participant de lumine, & in elementis, & in cælestibus. Sic luna, quæ minus distat cæteris planetis, à terra, nunquā ita perfecte illuminatur, quin ibi appareat macula, nec potest seruare lumen suum in vno statu, immo tendit à plenitudine in defectum. Sic qui sunt elongati à mundo, & à terrena cupiditate, & voluptate plus recipiunt de lumine gratiæ. Qui vero sunt propinqui mundo, communiter sunt propinqui terrenæ cupiditati, & ex consequenti sunt sicut luna pleni macula peccati. Inde dicitur: *Si fuerit diues, non erit immunis à delicto*, quia sępe cor seu affectio in illis ponitur. Propterea etiam præcipitur: *Cadauera non tangetis, quia immunda sunt*, quod sæpe faciunt per affectionem carnalem, qui in mundo habitant. Et ideo Ioannes se elongauit à mundo, vt plus reciperet de lumine cælesti, de quo exinde tantum habuit, quod est maximum luminare Ecclesiæ, fugit & parentes, ne ex cohabitatione cum eis inficeretur per carnalem affectionem. Secundo in loco solitario Deus cum anima loquitur: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Libentius enim loquitur quis cum sponsa sua in secreto quam in aperto. Sic Deus cum anima sancta. Bern. O anima sancta sola esto, vt illi soli placeas quem solū elegisti ex omnibus. An ignoras te verecūdum habere sponsum, qui nequaquam cæteris præsentibus suā tibi voluit exhibere præsentiam. Tertio ibi sæpius diuina consolatio infunditur. *Onager in solitudine in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui.* Iacob domi remanens benedictionem patris obtinuit, quam Esau frater eius foris vagans amisit. Ideo Dominus in lege iubet os turturis retorqueri ad asellas, id est consolationes, & delectationes suas in intimis haurire. Sicut faciebat Ioannes. Quarto ibi

Eccl. 31.

Leui. 11.

Osee 2.

Hier. 2.

Ibi gratia conseruatur. Si aliquis haberet phialam plenam balsamo, stultus esset si in turba se poneret, vbi phialam frangeret, & sic balsamum effunderet. Sic est de illo, qui in turba sæcularium se scienter ponit, vbi gratiam à Deo collatam sæpius amittit, quia: *Gratiæ fatuorum effundentur.* Eccl. 20. Maria enim in turba filium suum amisit, sed eum post in templo inuenit. Sed plurimi in turbas mundanorum irruunt, & vltro se periculis committunt, similes papilionibus volantibus ad candelam in qua comburuntur. Exemplum ad hoc est de Dina filia Iacob, quæ quia voluit egredi foras ad videndum filias Sichimorum, rapta est à Sichem filio Emor. Hinc Seneca ait: quotiens inter homines fui minus, homo redij. Gen. 34.

Secundo commendatur ex vestitu, quia vestitus vili, & aspero indumento, scilicet pilis camelorum, non de cameloto aut serico, sicut nunc multi Prælati. Hinc exemplum capiant religiosi, vt induantur vilibus, secundum illud: *Induam cælos tenebris*, id est, religiosos luctuoso & obscuro habitu, & ad hoc inuitantur Iohel: *Cubate in sacco ministri Dei mei.* sed pro illo sacco habituri sunt gloriosum habitum. Inde cuilibet talium dicitur: *Exuite stolam luctus, & vexationis, & induite decorem & honorem sempiternæ gloriæ.* Qui autem stolam luctus non induit, eam exuere non potest, & qui eam eribuerit, induetur sicut diploide confusione sua, quemadmodum diues, qui induebatur purpura, & bysso, & tandem sepultus est in inferno. Esa. 50. Ioel 2. Bar. 5.

Tertio commendatur à cibo, quia locustas, & mel siluestre edebat, qui erat vilissimus cibus, insuper sola aqua contentus, nec vinum nec siceram bibebat. In quo primo sumere debemus exemplum abstinentiæ ad seruandam puritatem mentis, & ad placendum oculis Dei. Nam Ecclesia dicit: *Nigra sum, sed, formosa filia Hierusalem*, nigra sum exterius in corpore per abstinentiam, sed formosa sum interius in mente in oculis Domini. Vnde primus homo, qui in statu abstinentiæ, & ieiunij retinuit innocentiam, decorem, post peccatum gulæ caloris, & frigoris, famis, & sitis sustinuit dolorem. Quid nunc nos delicati dicturi sumus? Ecce Ioannes homo sanctus à Deo missus, imo Angelus Dei, quo in natis mulierum non surrexit maior, innocentissimum illud corpus sic castigat, & affligit, & nos cibos terra, mari, & aere exquisitos perquirimus ad deliciandum. c Abstinētia valet ad puritatem mentis. Cant. 1.

Secundo per hoc quod Ioannes aquam bibit, & non vinum, potuit notari, quod apud Iudæos intellectus legis deficiebat. Nam & vinum legitur defecisse apud Iudæos, quia iam non bibebant nisi aquam traditionum. Inde dicit eis Dominus: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras.* Iam enim tempore Esaiæ miscebant caupones aquam vino, vt dicitur Esaiæ, *& inciepat molescere legis rigor per adinuentionem traditionum humanarum.* Tempore vero Ioannis solam bibebant aquam, solis traditionibus intendentes, quod Ioan. Innuit *Maria dicens filio, vinum non habent.* Nos quoque relicto puro intellectu Euangelij, sicut Iudæi, traditiones frequentamus humanas, quæ neminem inebriant, nec faciunt temporalium obliuisci, sed potius per dispensationes cupiditatem nutriunt, & excusant. Adhuc enim necesse habet beata virgo clamare ad filium, vinum non habent. Secundo habuit Ioannes in vita perfectionem virtutum. Mat. 15. Esai. 1. Ioan. 2.

Non enim sufficit austeritas vitæ ad reddendum hominem perfectum, sicut patuit in multis Philosophis, qui se ieiunijs, & abstinentijs multis affligebant pro inani mortalium laude captanda, sed consistit perfectio in virtutibus Theologicis, & moralibus, quas habuit perfecte. Primo in interiori homine, vbi sedem suam habentes, & ibi operabantur puritatem mentis, quæ maxime placet Deo, quia Prouerbiorum. *Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum suorum* Nota. Prou. 22

*suorum habebit amicum regem.* Inde, & ipse amicus Christi dicitur Ioan. 3. Secundo in exteriori operatione, & signo non fallaci. Fidem quidem ostendit se habere cum Christum cōfessus est esse Filiū Dei, spem, cum recognoscens se esse amicum sponsi gaudio gaudebat, sperās scilicet se introducendum tamquā amicum ad nuptias cœlestis patriæ, charitatem ad Deū, quando omnia propter eum dereliquit, & ad proximum, dum zelo salutis populi egressus est de deserto ad prædicādum, & docendum viam vitæ, temperantiā in cibis, potibus, vestimētis, & puritate virginali, fortitudinem in aduersis, & maxime in tolerātia mortis pro veritate, prudentiam in agibilibus suis, iustitiam, reddendo vnicuique quod suū erat. Et præsertim inter virtutes humanas docuit exemplo suo humilitatē, vt esset eius schola similis scholæ Saluatoris, qui ait: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Sic enim dum Christus putaretur, se humiliabat dicens, non sum dignus soluere corrigiā, &c. illū oportet crescere, &c. Nam sciebat, propriū esse luciferi, vt vmbrā iaciat, propterea quodāmodo vmbram iecit dū se obscurauit, vt Christus clarescerct, seipsum depulit vt Christus emineret, sicut lucifer luci, sic cedens Christo. Matt. 11.

D

Sed quomodo dixit loquens de Filio Dei, illū oportet crescere, &c. Cum Deus non habeat vnde crescat. Dicitur primo, quod Deus non crescit nisi quoad nos. Quanto autem plus à nobis cognoscitur tanto maior reputatur, sicut mōs de prope visus apparet maioris magnitudinis. Hinc Psal. ait: *Accedet homo ad cor altum & exaltabitur Deus.* Crescere igitur deberet Deus in nobis per cognitionem, & amorem, vt tandem illa eius summa celsitudo videatur. Sed sicut homo non crescit in senectute, sed in iuuentute vel in pueritia quando paruus est, sic nos nisi parui, & humiles, ideo bene dixit Ioannes volens crescere: & proficere me autem oportet minui. Vnde quando luna est in maximo defectu, puta in fine quartæ vltimæ, tunc reincipit crescere. Ita cum homo est in extremo humilitatis. Si vis ergo augeri, oportet te prius minui, & sicut candelam emungi, vt plus lucis reddat. Dicitur secundo, quod primus homo minutus est per peccatum in naturalibus, quia in eis vulneratus, in gratuitis, quia in eis spoliatus, in æternis, quia ad immortalitatem erat transferendus si fecisset, quod debebat. Secūdus homo minutus est in defectu humano, quem assumpsit, dicēte Psal. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis.* Sed diabolus præco primi hominis minutus est, quia altera manus est ei amputata, altera debilitata, & post iudicium ex toto tolletur eius potestas. Præco vero secundi hominis in opinione, & corpore minutus est, vt ad caput suum iungeretur, & tunc Christus incipiebat crescere quoad notitiam fidei eius, & hoc erat quod dicebat Ioannes, illum oportet crescere, me autē minui. Vir fidelis paranimphus amicus sponsi, qui suo detrimēto gloriam spōsi quærebat. Non sic æmuli, & detractores nostri temporis, qui alios minuere non cessant, vt ipsi crescant, & suum augmētum aliorum faciunt detrimentum. Melius enim nouerat Ioannes viam crescendi, compendiū scilicet illud, de quo Luc. *Qui se humiliat, exaltabitur.* Sed dedignatur superbia incedere per hanc viam. Neque enim bonos vel malos vel mediocres sustinere potest, quia facta aliorum si sint manifeste mala, diffamat, si mediocria, in deteriorem partem interpretari non cessat, si manifeste bona, & ea negare non possit, suppliciū suum est, statim detrahit, & diminuit, quia omnis superbus inuidus est.

*Crescit Deus quoad nos quāto plus à nobis cognoscitur*

Psal. 63.

Psal. 8.

Luc. 14.

In secunda parte dicendum est, quomodo hæc lucerna Ioannes illuminauit populum in verbi Dei prædicatione anno 15 imperij Tiberij Cæsaris, quādo facta est super eum manus Domini in deserto, ex quo patet, quod fuit specialiter missus à Deo, & ideo eius testimonio credendum erat. Vnde de eo potest intelligi illud Psal. *Tu parasti direttiones,* id est Ioannem Psal. 98.

nem

tem Baptistam *ad dirigendum iudicium, & iustitiam*. Numquam enim Dominus facit iudicium, & iustitiam, quin prius faciat aliquas ad hoc directiones, in quo notantur iudices, qui nimis cito iudicant. Sed quod esset missus à Deo, & per consequens audiendus, patet per quinque signa, per quæ cognoscitur quis à Deo missus. Primum est cum veritatem loquitur, quia. *Qui de terra est de terra loquitur, & quod natum est ex carne caro est*. Talis fuit Ioannes, qui veritatem confessus est, & non negauit. *Vos misistis ad Ioannem, & ille testimonium perhibuit veritati*. Sciebat enim quod ipse solum esset Lucifer, qui præcessisset ortum solis, qui abscondi deberet orto sole, quia non erat ille lux. Iob 5. Quæritur numquid produces luciferum in tempore suo? Tempus suum est pars noctis extrema, cum instante luce sequentis diei, & quandoque sunt tenebræ densiores. Sic nato Ioanne & instante Christi natiuitate fuit cæcitas in populo Iudæorũ, ita vt ipsum luciferum solem esse putarent, sed confessus est veritatem dicens: non sum ego Christus. Secundum signum, cum de diuinis est sermo eius. *Quem misit Deus, verba Dei loquitur*. E contra de alijs qui non mittuntur à Deo, de quibus Ezech. *Vident vana, & loquuntur mendacium*. Ioannes vero nihil loquebatur nisi de Deo, & de salute animarum. Inde multi veniebant ad eum quærentes quid faciemus. Sed è diuerso multi nunc sunt qui de verbo Dei, & statu animarum suarum nec quęrere nec audire volunt, quod est mirabile. Si enim mercator velit emere pannos, diligenter inquirit cuiusmodi sunt, si emat equum, inquit, si sanus sit vel infirmus, si bene vel male incedat, & ita de alijs, & tamen salus animarum negligitur. Consuluntur medici carnales pro salute corporis, & spirituales contemnuntur, cum tamen dicatur. *Ne despicias narrationem presbiterorum sapientum, & in Prouerbijs eorum conuersa*.

E *Missus esse a Deo quis deprehenditur quinque signis.* *Ioan. 3* *Ioan. 5.* *Ioan 3* *Ezec. 14* *Eccles 8*

Similiter diu sedent multi ad mensam carnalem & sine tædio, sed spiritualem refectionem fastidiunt. *Omnem escam*, scilicet spiritualẽ, *abhominata est anima eorũ*, & hoc, quia habent infectum cordis palatum. Tertium signum, cum propriam gloriam non quærit, sed Dei, quia: *Qui à semetipso loquitur propriam gloriam quærit, qui autem quærit gloriam eius, qui misit illum, hic verax est*. Sic fuit Ioannes qui interrogatus de seipso dixit, se esse vocem fragilẽ, non Helyam, neque prophetam, neque Christum. Non sic Herodes, qui percussus est ab Angelo, eo quod non dedisset gloriam Deo. Quartum signum cũ quis constanter, & fiducialiter se habet in his quæ agit: sicut illi, de quibus: *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia*. Talis erat Ioãnes qui nullius timebat faciem, neque militis, neque Principis, similis Helyæ, de quo dicitur: *Surrexit Helyas quasi ignis, & verbum eius quasi facula ardebat*, & ibid. *in diebus suis non pertimuit principem, & potentia nemo vicit illum*. Habebat enim verba viuacia & efficacia, inflammantia auditores ad amorẽ Dei, sicut solent facere verba diuina, cum ex zelo & feruore charitatis proferũtur. Morem enim follis habet sacra doctrina, quæ spiritu quo plena est, emortuam fere scintillam ignescere, & in immensas quandoque flammas erũpere cogit. Habebat etiam quando opus erat verba terribilia, & pungentia, quæ erant quasi sagittæ potentis acutę cum carbonibus desolatorijs, cum diceret Pharisæis: genimina viperarum quis vos docebit fugere, &c. & quasi in securi, & ascia fodiebat vineam Ecclesiæ, cum diceret: iam securis ad radicem posita est, propter quod multi ligone compunctionis confossi cõfitebantur peccata sua. Sciebat enim præceptum esse prædicatoribus. *Loquimini ad cor Hierusalem, & aduocate eam*. Nam non debet prædicator loqui ad aures prædicando placentia, secundum votum eorum, qui dicunt illud: *Loquimini nobis placentia*, sed etiam ad cor loquendo vtilia, etiam quandoque pungentia, & additur,

*Psal. 106* *Ioan. 10* *Act. 12* *Act. 4.* *Eccl. 48* F *Verbi diuini efficacia.* *Esa. 40* *Esa. 30.*

*aduocate eam*, scilicet ad pœnitentiam, *quia Dominus paratus est eam recipere. Si pœnitentiam egerit gens à malo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod locutus sum vt facerem ei*, & hoc faciebat cum diceret: *Pœnitentiam agite*, & sequitur in auctoritate prædicta, quoniam completa est malitia eius. Aliquid dicitur completum dupliciter. Vno modo quando ex toto est perfectum. Secundo, quando perficitur, sicut domus dicitur cōpleta, quando est ex toto perfecta, vel quando finitur. Sic male secundū vltimum modum dicitur cōpleta, quando peccator dimissis peccatis ad Deum reuertitur. Nec mirum si sic contra omnes explicabat suas artes, quod vulgo dicitur *S'il desployet ainsi son artillerie*. Venerat enim ad parandum viam Domino, qui prædicaturus erat suam Theologiā, artes autem disponunt ad Theologiam. In quo faciebat sicut dicit Chrysost. sup. Mat. Hom. 6. exactiones maximas. Oportet enim imponere dicā super istas grossas genas vel gistas pinguium, & diuitum. Sic fiunt impositiones quando magnus Dominus venit in aliquā ciuitatem, sed tamen in hoc est differentia, quia impositores nihil sibi imponunt, & totū alijs, sed Ioannes primo sibi, & postea cæteris dicens: *Pœnitentiam agite*. Quasi diceret ego primo imposui mihi tributum pœnitentiæ, & solui, sic & vos facite. Sed nihilominus morem boni medici obseruabat Ioannes, quia licet quandoque vox eius esset terribilis ad curandum grossa apostemata superborum, erat etiam quandoque dulcis, cū diceret pauperibus peccatoribus, agite dignos fructus pœnitentiæ. Appropinquabit enim regnum cælorum. Quintum signum, cum quis studet Christum per omnia imitari, & eius testis esse, sicut illi quibus dixit Dominus accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes bene viuendo, fidem meam confitendo, & tandem moriendo. Talis fuit Ioannes, qui fere per omnia Christo conformis in vita, doctrina, & passione. Sic & nos sanctum hunc imitari studeamus, & more boni speculi, quod reddit quicquid ei ostenditur, quæ de Ioanne declarata sunt bonis operibus reddamus, vt lucerna illa ardens, & lucēs nos intus ardere faciat charitate, & exterius verbo, & exemplo.

[Margin: Hier. 18]

## *DE BEATIS APOSTOLIS PETRO & Paulo, Serm. I. & in ordine V. Per Thema.*

CONSTITUES *eos Principes super omnem terram*. Posset oriri quæstio quare stāte Christo in iudicio Petrus, & Paulus pinguntur assessores, sed stante iudicato stant Maria & Ioannes. Respōdetur, quod ratio est vt denotetur quod in iudicio erunt iustitia, & misericordia. Nam per ensem Pauli iustitia, per claues Petri misericordia signatur. Tunc enim præmiabit Dominus bonos, & puniet malos, & tunc exibit rumphea ex vtraq; parte acuta. *Et ideo tunc iudicans vincet iustitia & misericordia*. Sed quia tunc solam misericordiam exercet iudicaturus, ideo sibi semper proponuntur, & coniunguntur personæ misericordes, scilicet Ioānes & Maria, quæ est regina misericordiæ, ad quam recurremus, dicentes: Aue, &c.

[Margin: Psal. 44.]

[Margin: Apoc. 2.]

Vulgo dicitur quod nō est melius seruitium quam regis, quia qui ei seruiunt, solent cæteris altius promoueri. Et ideo sicut non est rex in cōparatione ad regē gloriæ, sic nec seruitij eorum ad eius seruitium, si quis maxime attendat ad quāta promouet seruos suos. Alij reges seruos suos faciunt præpositos, & balliuos. Iste autem Principes. Alij super quandam, & modicam partem terræ, iste super omnē terrā, ideo dicitur, *Constitues eos*, &c. Quia enim omnia dimiserūt, propterea omnia possederunt, & omnē terrā assecuti sunt. Inde dicitur: *Constitues eos Principes*, &c. Sed mundani non sapiētes, quę Dei sunt, & ad sola bona præsentia attendentes, stultos putant eos qui omnia propter Christum relinquunt, & hic multas paupertates

[Margin: A Stulti putātur à mūdo, sed male qui hic omnia relinquūt.]

pertatẽs sustinent, quasi sit possibile pręsentibus, & futuris frui delitijs. Vnde quidam Magister Parisiens. coram rege, & pluribus Episcopis vt loqueretur rogatus, sic incepit. Petrus & Paulus stulti fuerunt, qui cum bis vel ter repeteret, quæsitus ab Episcopis, cur talia verba proferret, ille tunc eadẽ verba repetẽs assignauit rationẽ dicens. Episcopi cũ equis phaleratis, cibarijs delicatis, vestibus pretiosis, cum vitijs, & delitijs credunt cælũ ascendere. Igitur Petrus, & Paulus fuerunt stultissimi, qui paupertatẽ, tribulationem, famẽ, frigus sustinuerunt, si gloriam Dei ita de facili sicut prælati nostri potuissent obtinere. Sed magis errãt Episcopi nostri, quia non aliter itur in cælum quã per tribulationes, nec aliter nisi omnia relinquẽdo, si enim omnia possedissẽt nõ fuissent cõstituti Principes super omnẽ terrã secundũ quod prædixit Psal. in Themate præassumpto, *Constitues eos*, &c.

Hoc sermone, & sequenti solum dicetur de beato Petro, postea vero de Paulo. Igitur duo dicemus de beato Petro. Primum quomodo examinatus fuit antequã constitueretur Princeps Ecclesiæ. Secundum quomodo optime exercuit suum principatum. Quo ad primum sermone præsenti terminandũ, dico quod antequã constitueretur, & confirmaretur in principẽ Ecclesiæ tripliciter examinatus est. Primo de fide, vt in Euangelio diei. Secũdo de charitate, vt in Euangelio vigiliæ. Tertio in patientia, fortitudine & cõstantia, vt patet in alijs locis scripturæ. Primo autem examinatus est de fide aliena. Secundo de fide propria ad denotãdum, quod prælati non solum reddituri sunt rationem de fide propria, sed etiã de fide suorum subditorum. Pro primo sic interrogauit Dominus. *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Responsum est, *alij Ioannem Baptistam*, &c. Nemo tamẽ quærebat, quare sic crederent homines, quia de hoc non est curandum. Vane enim loquitur mundus. Nam in verbis suis non attẽdit veritatem vel bonitatem seu vtilitatem (*Mat. 16.*) secundum illud Psal. *Non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est.* Et alibi: *Vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum.* Et iterum: *Qui inquirebant mala mihi locuti sunt vanitates.* Et impletum est illud: *Prosternetur veritas in terra.* Pro vitãdo enim damno terreno vel lucro acquirendo non timent homines mentiri, etiam cum iuramento, sicut dicitur de mundano. *Ipse etiam pro buccella panis deserit veritatẽ.* Hinc & Esai. *Corruit in platea veritas.* Et Hierem. *Attendi, & auscultaui, nemo quod bonum est loquitur.* Secundo interrogauit Apostolos, inter quos præcipuus erat Petrus. Vos autem quem me esse dicitis? Sed cur ita quæsiuit, cum ipse omnia posset? Respondetur quod propter duo. Primo, vt appareret eminentia Petri in confessione, & sic digna probaretur collatio tradendæ sibi potestatis, quia non nisi hominibus magnæ fidei debet hæc conferri. Secundo vt fidem illius & Apostolorum per sequentem approbationem & promissionem fortius confirmaret. Fuit autem prompta Petri confessio, quia statim ait: Tu es Christus Filius Dei viui, & hanc promptitudinem docuit postea esse habendam 1. Petri 4. Parati reddere rationem omni poscenti de ea, quæ in vobis est, fide & spe. Sed multi hodie verius responderent de bonis equis, canibus, & tabernis, quam de fidei articulis vel mandatis. In responsione autem Petri tria nobis ostenduntur de Christo Domino, quæ solent homines requirere in eo, cui seruituri sunt, scilicet eius benignitas, remunerandi potestas, & nobilitas. Duo prima, cum dicitur Christus, id est vnctus. Inunguntur reges, vt doceãtur benigni esse in subditos. Nobilitas in hoc quod dicit, Filius Dei. Nemo libenter seruit homini crudeli, vel remunerare non valenti, vel personæ vili, imo iuxta dictum Sapientis: *Beatus qui non seruiuit indignis se.* Benignissimus autem præceptor est Christus. Præcipit seruienti vtilia & honesta, & ipse bonorũ nostrorum non eget, sed habet regnum in manu s-

*Psalm. 5* *Dan. 8.* *Prou. 28* *Esai. 59* *Hier. 8.* *B* *Christus tria habet quæ requiruntur in Domino* *Eccl. 25*

nu sua ad dandum cuilibet seruienti sibi ad voluntatem suam. Ipse etiam adeo nobilis est, quod nulli dedecus est sibi seruire, sed seruire ei regnare est. E contrario diabolus crudelis est, & non miserebitur: *Nihil habet de suo vnde remuneret nec etiam vnam festucam*, ac ignobilissimus effectus est per peccatum, cui miserrima seruitute obstinatissime seruit. Hier. 6.

Approbat autem summus magister & Dominus hanc responsionem Petri dicens: Beatus es Symon Bariona, &c. Hic quæritur Primo, quare beatificatur fides Petri & non dæmonis. Sicut enim Petrus dixit: *Tu es Christus Filius Dei*, ita etiam dæmones: *Scimus qui sis, tu es Filius* Dei, *sanctus Dei*, & tamen iubentur dæmones obmutescere. Petrus autem dicitur beatus. Respondet August. de verb. Apost. serm. 16. & 31. & tract. 10. super Ioann. quod licet eadem essent verba, non tamen idem animus, nec eadem intentio. Dicebat enim Petrus ex dilectione vt Christum amplecteretur, dæmones autem vt Christus ab eis recederet. Hoc patet, quia antequã confiterentur dicebant quid nobis, & tibi est? quid venisti ante tempus perdere nos? Dominus autem radicem interrogat, non florem. Vnde dicitur: *Ne qua radix amaritudinis sursum germinans molestet, & per illam contaminentur multi*. Et ideo nil mirum si confessio Petri ex bona radice charitatis procedens beatificatur, non autem dæmonis, quæ ex vitiosa radice timoris pure seruilis procedebat. Secundo quæritur vnde est quod Petrus confitetur & Symon beatificatur. Respondetur quod hoc est ad ostendendum, quod cognitio fidei laudẽ non habet, sed obedientia vel operatio. Petrus enim interpretatur agnoscens. Symon vero obediens, imo plurimum nocet cognitio sine obedientia. In signum cuius Symon confitetur & Petrus negat, & iuxta illud: *Petrus est scandalum*, quia agnoscentes & non obedientes confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Et sunt alijs in scandalum per malum exemplum. Sed Symon dicitur diligere plus his. Quia caró & sanguis non reuelauit. Nam à carne non attollitur mens, nisi ad ea quæ à carnalibus accipiuntur organis, scilicet sensuum corporis à quibus frequenter oritur fantasia erroris circa diuina, quia: *animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei*. Similiter ex affectu sanguinis non surgit mens, nisi ad ea quæ diligit & sentit, sicut tenentes doctrinam Balaam, qui docent edere & fornicari. Caro enim & sanguis secundum quod inducit in vitium, nõ est particeps diuinæ sapientiæ in cognitione secretorum, vt hic denotatur. Secundo non est particeps diuinæ gratiæ in operatione bonorum. Inde Sapiens: *Quid nequius quam quod excogitauit caro & sanguis*. Tertio non est particeps diuinæ gloriæ in retributione præmiorum, quia: *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*. Hoc cognoscebat Paulus, & ideo post vocationẽ à Christo non acquieuit carni & sanguini. Sed pater meus reuelauit qui in cælis est. Gloss. interli. qui illustrat mentes hominum, sicut de cælis lux diffunditur. Nam: *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est*, &c. Vel in cælis dicitur esse, quia ibi relucet nobilior eius actus, vbique tamen est pater immensus. Et sic patet quod hæc Petri confessio nõ est per adulationem, sicut confessio Pharisæorum. *Magister scimus quia verax es*, nõ per falsam imaginationem, sicut confessio carnalium, non per humanam rationem sicut confessio Nathanaelis. *Rabbi tu es Filius Dei*. Hoc enim ait, quia Christus dixerat ei occulta, sed per diuinam reuelationem, ideo hic beatificatur, non ille. Beatificatio autem illa habet adiunctam promissionem præmij. Subdit enim Dominus. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, &c. & portæ inferi nõ præualebũt aduersus eã, quia suggestiones diaboli, hæreses, & peccata non separabunt eam à charitate & fide. Descendit pluuia quantum ad suggestionem dæmonũ, venerunt flumina quantum ad delectationes vitiorum, flauerunt venti, quantũ ad persuasiones hære-

Marginal notes: Mat. 11 · Heb. 12. · C · Nota. · Mat. 26 · Tit. 1. · 1. Cor. 2 · Apoc. 2. · Eccl. 17. · 1. Cor. 15 · Iac. 1. · Mat. 22 · Ioan. 1. · Matt. 16

hæreticorum, & irruerunt in illam & non cecidit, &c. *Et tibi dabo claues*, &c. Nota. Tempore caristiæ panis & vini solus Dominus portat clauem, sed quando post vindemias & messes videt magnam copiam vini vel bladi, tradit clauem seruis suis. Sic ante Christi passionem erat valde magna caristia bonorum paradisi. Nullus enim poterat illuc intrare. Sed vindemia abundanti facta in passione Domini tradidit clauem regni cælorũ Petro, vnde hic sunt tria verba, quibus Christus indicat maiestatem suam, quam Petrus confessus est, ego dico, ego ædificabo, ego dabo. Hęc enim solius Dei sunt. Suum est dicere, id est præcipere, quod pertinet ad potentiam patris, suum ædificare, quod pertinet ad sapientiam filij. Psal. 126 Psal. *Nisi Dominus ædificauerit domum*, &c. D Suum dare, quod pertinet ad bonitatem Ecclesiastici dicuntur vitæ viuere regia & cælesti. Spiritus sancti, à quo sunt omnia dona gratiarum. Ait ergo: *Tibi dabo claues regni cælorum*, id est Ecclesiæ, quia vita illorum qui sunt in Ecclesia debet esse regia & cęlestis. Vita regia est vbi recte consulitur, 1. Cor. 12 imperatur, & paretur. Hæc enim fiunt in regno bene disposito. Cum autem cælum à corruptione sit purum, & à terris sit remotum, & Dei habitaculum, vita cælestis est illorum, qui habent puritatem cordis & carnis, & quantum ad amorem elongati sunt à terrenis, & sunt habitatio Dei. Claues autem dare promisit, non arma. Portarius enim tempore belli debet armatus esse, qui tempore pacis non est. Et quia ante aduentum Christi portarius erat armatus, quia erat Angelus habens gladium in manibus, ideo tunc erat bellũ inter nos & paradisum. Sed post aduẽtum eius, paradisus erat quasi religiosa domus, ideo posuit ibi Dominus Petrum, cui non dedit arma sed claues, in formã domus religiosæ. Ecce quomodo claues ad sacerdotes pertinẽt, qui clauigeri sunt Dei. Sed iam non Dei intuitu ligant aut soluunt, sed amore pecuniæ. Isti sunt clauigeri non à claue, sed à claua. Claues enim mutant in clauas. In quo similes sunt portarijs potentium mundi, qui feroces sunt, portantes clauas velut alij Cerberi. Nota. Non sic Petrus, qui portat claues sicut misericors, in signum quod misericordia clauigera est regni cælestis. & quod non nisi per claues Ecclesiæ, quorum ministerium exhibetur in absolutione sacramentali, intratur in regnum cælorum.

Sed videtur quod iste claues sint frustra. Nam clauis est ad aperiendũ ostium, sed ostium regni cælorum semper apertum est à passione Christi, secundum illud: *Vidi ostium apertum in cælo.* Respondetur cum Richardo de media villa in 4. dist. 18. quæst. 1. quod clausura cæli triplex legitur. Quædam vniuersalis & non perpetua, & hæc facta est homini propter peccatum primorum parentum, & durauit vsque ad Christum. Alia vniuersalis & perpetua, quæ fit homini per vltimam sententiam, & durat in perpetuum. Tertia particularis sed non perpetua, quæ fit homini medio tempore per propriã culpam & pœnam ei debitam. Quo ad primam claues soli Christo datæ sunt, quo ad secundam nulli, quo ad tertiam Ecclesiæ, ita tamen quod potestas auctoritatis est in solo Deo, qui aperit per gratiæ infusionem, potestas excellentiæ in Christo, qui aperit per passionis meritum, potestas ministerij in Pręlatis, qui aperiunt per ministerium sacramentorum, qui operantur in virtute passionis Christi. Claudit autem Dominus cælum non effectiue sed permissiue, permittendo iusto iudicio hominem ruere in peccatum, & gratiam non conferendo, aut claudit obligando ad pœnam satisfactoriam pro peccatis, sine cuius totali solutione non intratur in cælum, & isto vltimo modo ligant etiam sacerdotes, imponendo in parte vel in toto pœnam peccatis debitã. Et hanc potestatem promisit Petro in Euangelio, & postmodum exhibuit ei & cæteris Prælatis & sacerdotibus, dicens: *Quæcunque ligaueris super terram*, &c. In qua promissione Christi secundum tenorem Euangelij ostenditur fidei virtus & efficacia,

E Clausura cæli triplex. Apoc. 4

F *Firmitatem duplicem habere debet prælatus Hier. 1.* cacia tripliciter. Primo, respectu sui subiecti, ibi, tu es Petrus, id est firmus Petrus ob fidei firmitatem, vt dicit Glos. Duplicem firmitatem debet habere qui præest. Vnam ad fulciendum debiles, aliam contra hostes, secundum illud: *Dedi te in ciuitatem munitam, & in columnam ferream.* Primum cōtra hostes, secundum ad supportandum debiles. Gregor. Tantorum pondera sustinere quisque compellitur, quantis in hoc mundo principatur. Sed qui debuerunt onera portare, potius se reddunt onerosos, quales merito reprehendit Bernard. dicens: Quid iugum vestrum super eos aggrauatis, quorū onera potius portare debetis? Similiter qui debuerunt hostibus resistere, primi fugiūt, vt sit verum illud Psal. *Posuisti firmamentum eius formidinem.* *Psal. 88.* Ita quod qui debuit exemplo suo infirmos confirmare ad tollerantiam aduersorum, nihil asperum sustinere voluit.

Secundo ostenditur efficacia fidei comparatione ad cætera bona, quorum est fundamentum, ibi & super hanc petram, id est, super hanc fidei firmitatem ædificabo, &c. quia *Fundamentum aliud nemo potest ponere,* &c. *1. Cor. 3* quod est Christus Iesus, id est fides Christi Iesu. Tertio, in comparatione ad mala, quæ contra eam non præualent, ibi & portæ inferi. Inde Beda. Qui intimo cordis amorem fidem Christi percipit, quicquid ingruit extra facile vincit. Vbi notandum quod peccata portæ mortis dicuntur. Primo, vt per hoc intelligatur fatuitas eorum, qui diu in peccatis morantur. Quale enim est hoc, diu morari ad portam inferni? Bene videtur velle intrare qui hoc facit. Sicut autem inter illum, qui est ad portam, & domum limen est medium, sic inter eum, qui est in mortali & infernum transuersum corporis est medium, à quo corpore si spiritus separetur, quasi in pūcto in infernum descendit. Secundo, vt intelligatur eorum fatuitas, qui multis expensis & laboribus peccata faciunt. Tertio, vt intelligatur simplicitas illorum, qui magna peccata parua pœnitentia volunt delere. Hoc enim est velle obstruere portam inferni festuca vna. Potius faciendum est quod dicitur: *Voluite saxa ingentia ad os speluncæ.* *Iosu. 10.* Saxum ingens est pœnitentia magna, in qua homo est inflexibilis, nolens eam nec pudore nec alia causa dimittere. Vnde ipsa fides nūc à fine vsque in finem attingit fortiter, nunc ad pœnas inferni cogitans, nunc ad gaudia paradisi, & ipsa vitia nunc fame esurire facit, nunc aquis lachrymarum submergit, aut etiam fame ieiuniorum & alijs afflictionibus fugat, mala vero pœnæ dulcedine æterni præmij dulcorat, & sic disponit malum pœnæ suauiter, malo culpæ resistendo fortiter.

*G Peccata dicuntur portæ mortis.*

Secundo examinatus est Petrus de dilectione, antequam constitueretur princeps Ecclesiæ. Et merito, quia sicut fides est fundamentum Ecclesiæ, sic dilectio complementum. *Plenitudo legis est dilectio.* *Rom. 13* Examinatio autem ista continetur in Euangelio vigiliæ. *Dixit Iesus Simoni Petro. Simon Ioannis diligis me plus his,* &c. *Ioan. 21* Res enim dilectissima non nisi diligenti est committenda. Res autem sibi charissima est Ecclesia, quam volebat Petro cōmittere. *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea.* *Ephes. 5.* Ideo nil mirum si ipsum examinauit de dilectione. Cui bene, & caute respondit Petrus, & cautius quam ante casum. Non enim audet dicere, quod amat plus his. Ex quo patet, quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ita quod casus etiam eis in bonum cooperatur. Petrus enim putauit animam suam ponere pro Christo, vbi Christus disposuerat animam suam ponere pro ouibus suis, de quarum numero Petrus erat. Quia tamen Dominus in examine suo pluries repetijt quæstionem de dilectione, contristatus est Petrus, quia licet sciret se illum diligere, incertus tamen erat de futuris vtrum esset casurus, & dilectionem amissurus. Sed forte dices: Cum videret eum contristatum, quare iterum post hoc dixit ei mortem

tem suam ignominiosam, quasi magis esset eum contristaturus.

Dicitur primo ad dandum nobis exemplum fortitudinis, quia in hac vita vnum malum non venit sine alio, sed secundum Psal. *Abyssus abyssum inuocat.* Secundo, quia timebat de casu, ideo Dominus certificat eum de suo fine qualiter clarificaturus erat Deum. In hoc autem suo examine secundum processum Euāgelij ostendit summus magister Christus quatuor, in quibus consistit ordinatio vitæ eorum, qui habent gregem dominicum pascere. Primum est quod se debent ponere in via obedientiæ, vt ea impleāt, quæ ipsi prædicant. Propter hoc enim Dominus Petrum Simonem vocat, qui interpretatur obediens. Nam prædicator debet primo obedire doctrinæ suæ. Teste enim Augustino libro de doctrina Christiana. Non obedienter auditur, qui seipsum non audit. E contra secundum Greg. cum imperio docetur, quod prius agitur quod dicitur. Nam doctrinæ subtrahit quis fiduciam, quando conscientia præpedit linguam. Inde hortatur Apostolus Timotheum. *Attende tibi, & doctrinæ,* primo tibi. *Si sapiens fueris, tibimetipsi eris,* quia iuxta Bernard. non est sapiens, qui non est sibi sapiens. Sed ibi documenta sumant religiosi. Primo in hoc quod Dominus ter Simonem vocat, vt sciant se obedire debere præceptis diuinis statutis maiorum, & admonitionibus eorum. Secundo, quod religiosus debet esse Simon Ioannis, non Symon Cyreneus, qui angariatus est Crucem Domini ferre. Ioannes interpretatur gratia. Obedientia ergo gratiæ est obedientia gratis exhibita, & talis est Deo grata. Timendum est ne obedientia illorum sit parum Deo grata, qui non obediunt nisi quando gladius super caput eorum extrahitur, cum scilicet in virtute obedientiæ præcipitur. Simile enim est ac si diceretur. Gladio æternæ pœnæ ferieris si hoc non feceris. Secundo debēt pastores operam dare vt in amore Dei proficiant, & ideo pluries interrogat Dominus Petrū de dilectione. Sed quæres quare ter interrogat. Respondetur primo quod August. super Ioannem, reddit hoc trinę negationi, (& bene,) vt tertia confessione magis amori seruiat lingua quam timori. Secundo Bernardus refert ad hoc, quod pastor debet plus amare Christum, quam se, sua, & suos. Tertio ad denotandū tria, propter quæ pastores, & sacerdotes debent plus cæteris diligere Christum, quę sunt, nobilitas officiorum, largitas beneficiorum, & dignitas priuilegiorum, quę eis Dominus contulit. Primo enim officia pastoris, & sacerdotis sunt excellētissima, quia officia Dominica, Angelica, & Apostolica. Officia enim Domini in isto mundo fuerunt prędicare, docere & animam à peccatis mundare, & à diabolo liberare, secundum quod dicit Dominus de se. *Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me,* &c. Quæ conueniunt prælatis, & sacerdotibus. Similiter officium Apostolorum est plantandi, ædificandi, renouandi mundum, sacramenta sacrādi, spiritualia ministrandi, animas sanctificandi, & Dei populum regendi, & in ęternam patriam introducendi. Sed officium Angelorū eis commissum valde nobile est, scilicet faciē Dei contemplari, in libro vitę legere, studere, & meditari assidue, & videre in eo, & attendere præterita, præsentia, & futura. Similiter debent pastores, & sacerdotes in libro scripturæ sacrę legem Domini meditari die ac nocte, & attendere quæ sit voluntas Domini beneplacens, & perfecta, & eam debent adimplere, & attendere qui sunt, quæ fuerunt, & erūt. Item Angelicum est magnificare laudare Deum, & gratias de beneficijs eius ei exhibere, & ministrare secundum Dei nutum nobis vtilia nos instruere, munirē & defendere, regere & custodire, & assistere in exitu nostro à corpore, & bona nostra Deo præsentare, propter quæ officia dicitur pręlatus & sacerdos Angelus Domini exercituum. Secunda causa est largitas beneficiorum. Largiter enim dedit eis

H Prælatus faciat, quæ docet aut iubet.

1 Tim 4

Prou. 9.

Nota.

I Prælatus & sacerdos habent officia excellētissima

Esai. 61.

dit eis Dominus beneficia temporalia & ſpiritualia, quæ tradidit eorum adminiſtrationi. Nam dedit eis patrimoniũ ſuũ bonorum temporalium, quæ acquiſiuit ſuo ſanguine, & eis largius, liberius, quietius, honorabilius, & delectabilius adminiſtratur quam cæteris, quia alijs aduenunt temporalia bona laborando, iſtis maxime cantando. Ideo timendũ eſt eis, ne ſint de illis de quibus Pſal. *In labore hominum non ſunt*. Item largitus eſt Dominus Prælatis & ſacerdotibus, non ſolum temporalium adminiſtrationem, ſed etiã ſpiritualium diſpenſationem, ſicut dicit Apoſtolus: *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Dei & diſpenſatores miniſteriorum Dei*. diſpenſatores non diſſipatores, non contẽptores, non venditores. Tertia cauſa eſt dignitas priuilegiorum, quę maxime ſunt quatuor. Primum eſt ſanctitatis, quia præ cæteris ſunt ſanctificati & conſecrati. Secundum circa ſibi datam poteſtatem, quam nec dedit Angelis aut cæteris ſanctis, imo nec matri ſuæ, quæ eſt ligandi, ſoluendi, miſſam celebrandi, corpus ſuũ conficiendi. Cui enim Angelorum aut ſanctorum, præterquam ſacerdotibus, aliquando dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*? Tertium eſt libertatis, quia ſunt regale ſacerdotium, cui atteſtatur corona. Sunt enim ſerui illius, cui ſeruire regnare eſt, de quo gratias agendo Deo debent dicere illud: quod dicunt ſeniores 24. *Feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes*. Romani quos ſeruituti ſubdebãt comas tondebãt, & coronas rotundas, ſicut nos facimus clericis, eis faciebant in ſignum ſeruitutis. E contrario vult Chriſtus ſeruos ſuos in ſignum libertatis & immunitatis tõderi. Sunt enim ſerui Dei liberi ab exactionibus & iuriſdictionibus ſæcularium poteſtatum, quaſi filij regis æterni, quos tangere non liceat propter verba Domini dicentis ad eos: *Qui tangit vos quaſi qui tangit pupillam oculi mei*. In ſignum tamen ſeruitutis diuinæ tondentur. Quartum eſt ſublimitatis, quia ipſi ſunt gregis dominici duces, eccleſiæ ſponſi, & capita populorum, qui ſubditos habent dijudicare, & non iudicari ab eis. Propter quod Conſtantinus Magnus in Concilio Niceno combuſſit libellos accuſationum Epiſcoporum & ſacerdotum ſibi oblatos, dicens eos eſſe ſoli diuino iudicio reſeruandos, vt dicitur in hiſtoria tripartita lib. 2. cap. 2.

*Pſal. 52.* — *2. Cor. 4* — K *Prælatorum & ſacerdotum priuilegia.* — *Apoc. 5* — *Zach. 2.*

Secundo quæritur quare plus interrogat de dilectione quam de ſcientia. Reſpondetur quod hoc eſt, quia ordinando eos qui in eccleſia militante alijs pręſint, plus attendendum eſt ad charitatem, quę ædificat, quam ad ſcientiam quę inflat. In triumphante enim eccleſia ſupremus ordo Angelorum eſt Seraphin, nomen habens ab ardore dilectionis, poſt quem Cherubin, nomen habens à plenitudine ſcientiæ.

Tertio quæritur quare interrogat an diligat plus his. Reſpondetur quod hoc ideo eſt, quia non ſufficit ad ſtatum eius, qui præficitur, charitas tenera, ſed neceſſaria eſt charitas firma, quæ foras mittat timorem, quæ pro rege animam audeat ponere, vt ſtatim dicetur.

Tertio debet Prælatus officio paſcendi ſolicite intendere, vt ſit de numero illorum, de quibus Dominus: *Dabo vobis Paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina*. Inde Dominus pluries dixit Petro vt paſceret. *Hier. 3.*

Sed quæritur quare ter iniunxit paſcere, bis agnos, & ſemel oues. Reſpondetur primo quod ter iubetur paſcere, ad deſignandum quod tripliciter debet paſtor paſcere, ſcilicet verbo, exemplo, & temporali ſubſidio. De exemplo monet Apoſtolus: *Exemplum eſto fidelium in conuerſatione, in verbo*. Et: *In omnibus præbe teipſum exemplum bonorum operum*. De alijs duobus dicit Aug. Talis debet eſſe rector eccleſię, qui proponat verbum doctrinæ ignorantibus, & menſam ſuam communicet indigentibus. Libenter audit populus linguam eius loquentem, cuius dexteram expectant porrigentem. Dicitur ſecundo quod bis monetur Petrus paſcere agnos, qui

L *Prælatus tripliciter paſcat gregẽ* — *1. Tim. 4* — *Tit. 2.*

qui nec lanam ne lac ministrant pastoribus, & semel oues, quæ huiusmodi commoda conferunt, quia sciebat Christus pastores Ecclesiæ parum facturos illis à quibus non speraretur vtilitas temporalis. Ideo ne illi negligerentur, bis illos commendauit pascendos. Quia vero satis fore perpensos nouerat eosdem pastores circa eos, à quibus emolumenta temporalium bonorum susciperent, suffecit ei semel huiusmodi sub nomine ouiú commendare. Secundo hoc fecit vt ostenderet quod agni tenelli, id est, iuuenes frequentiori indigent refectione quam oues, id est senes sicut corporali, ita & spirituali. Ecce quam vigilāter requirit Dominus à Petro vt gregem pascat, nolens defectu pabuli vitam gregis perire, quem morte sua voluit viuificare. Quarto debent pastores si opus sit pro grege mori, quod innuit Dominus cum post commendationem ouium prædixit mortem Petri, quasi diceret secundum Chrysostomum. Animam quam dixisti pro me dare, nunc da pro ouibus meis. Gregorius. Primum nobis est exteriora nostra misericorditer ouibus Christi impendere, postremum vero (si necesse fuerit) etiā mortem nostram pro eisdem ouibus ministrare. Sed cum incomparabiliter longe melior sit anima, qua viuimus, terrena substantia, quam exterius possidemus, qui non dat pro ouibus suis substantiam suam, quando pro eis daturus est animā suam? Ait ergo Dominus Petro: *Cum esses iunior cingebas te, &c. cum autem senueris alius te cinget, &c.* In quo mystice conuenit cum eo Apostolus, qui nouiter conuersis ait: *lac potum dedi vobis, non escam.* Tanquā enim pueri sunt homines lacte nutriendi à principio, lacte quidem suauitatis & deuotionis, & postea roborati esca tribulationis. Dulce enim & suaue est sequi Deum cum habita mentis iucunditate & securitate & tranquillitate. Sed arduum & perfectissimum est sequi Deum cum cordis tribulatione, & fidei, & mentis continua impugnatione. Dulce enim erat Petro & suaue esse cum Christo in eius iucunda transfiguratione. Sed valde durum & terribile erat Petro esse cū Christo in eius crudeli persecutione, quando dixit, non noui hominem. Tertio examinatus est Petrus de patientia, fortitudine, & constantia. Primo cum sæpius redargutus est à Domino, sicut in prædicatione passionis cum dixit: Absit à te Domine non erit tibi hoc, Dominus dedit ei materiam patientiæ vocando eum Sathanam.

Ioan. 10 (margin)

Sed modo quæri posset, quare tunc redarguit & corripuit Petrum, & non Ioannem Baptistam, cum prohibebat eum dicens: *Ego à te debeo baptizari.* Respondetur quod ostendit occultorum cognitor Deus ex alio & alio affectu prohibitiones procedere. Ioannes prohibebat ex affectu humilitatis, & reuerentia maiestatis, ideo instruitur à Domino dicente: Sine modo. Petrus increpabat ex affectu inordinati amoris, quo nimium feruebat, vnde nec de passione audire poterat, vel ex perturbatione mentis, sicut amicus audito grauamine amici dicit: *Nunquam erit hoc, absit.* Et ideo arguitur, sed tanquā reducibilis. *Vade* (inquit Dominus) *post me.* Mat. 16 Quia vero diabolus aduersabatur ex affectu malignitatis, ideo repellitur tanquam non reducibilis. *Vade* (inquit) *retro.* Sic redargutus est de inconsideratione in ministerio locutionis, dicente Domino: *Quod ego facio, tu nescis modo.* Tertio redargutus est de inordinata vltione, cum ei Ioan. 13 dictum est: *Converte gladium tuum.* Et in Mat. 26 istis non legitur male respondisse. Sed in passione interrogatus male respondit, quia negauit veritatem.

Secundo examinatus est de constantia cum ei prædiceretur mors sua, vt paulo ante dictum est. Et ex tunc semper bene respondit, ita vt etiam mereretur confirmari in principatu Ecclesiæ in die Penthecostes, in tantum quod nihil aduersus eum præualere potuit deinceps.

*IN EODEM FESTO SERMO II. & in ordine VI. Per Thema supradictum.*

DIfferentia est inter Principes sæculares & Ecclesiasticos, quia ad sæculares pertinet vias manu tenere, & passagia, & pontes, sed non viã ostendere. Ad Ecclesiasticos vtrumque pertinet. Primo quidem manutenere vias ne obstruantur à malis hominibus, sicut Petrus & Paulus restiterunt Neroni, qui volebat obstruere vias paradisi, ne quis intraret. Modo vero non solum obstruunt nostri Prælati, sed nec alios intrare sinunt, adeo vt verificetur illud: *Viæ Syon lugent*, eo quod non sit qui veniat ad solemnitatem, scilicet paradisi. Secundo habent eas ostendere, & verbo & exemplo ad instar horum Apostolorum. Secundum vero Psalm. *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas*. Sed breuior via est veritas quam misericordia, sicut in aliquam vrbem vltra Aluerniam si iretur per montes, esset breuior via, sed asperior, & illic non posset ascendere eques aut quadriga. Apostoli vtramque viam ostenderunt. Paulus suo ense viam veritatis, fidei, & martyrij, quæ est breuissima, sed asperrima, & quam pauci ambulant. Sed Petrus viam misericordiæ ostendit claue pœnitentiæ, quam etiam primum predicauit. Primam non vadit quis nisi descẽdat de equo suo, id est, corpore per mortẽ, & tunc statim est in termino. Sed per secundam bene itur cum equo, sed tam longa est, vt oporteat multum circuire cum equo ipso in hoc mundo, & sæpe, eodem dimisso, etiam in purgatorio. Quia ergo ista secũda via, quam omnes pene ambulamus longa est, indigemus pane, quem tenet mater omnium bonorum Maria in manibus suis. Ideo vt nobis ipsum communicet salutemus eam dicentes: Aue Maria, &c.

*A Prælati Ecclesiæ habent tenere viã eæli apertã & eã ostendere.*

*Thren. 1*

*Act. 2.*

Notandum quod isti Apostoli constituti sunt super triplicem terram, vt merito dicantur cõstituti super omnem terram. Omne enim exigit tria appellata. Est enim terra conscientiæ, quam oportet excolere donec afferat fructum in patientia. De qua: *Terra super se venientem bibens imbrem*, &c. Terra illa bibit per deuotionem, profert herbam per bonam intentionem. Primum non habet terra petrosa. Secundo caret terra spinosa. Tertio auibus exposita. Secunda est terra ecclesiæ, quæ est quasi quædam præfectura, cuius balliui sunt Prælati, quibus dicitur: *Diligite iustitiam qui iudicatis terram*. Et vtinam Prælati diligerent iustitiam, non pecuniam. Sed dicitur: *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones*. Ratio autem quare nunc Deus odit ecclesiam est, quia: *Iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ*. Tertia est terra gloriæ, quæ est quasi quoddam regnum. Ista quidem est beata terra, cuius rex est nobilis, in qua desiderabat hæreditatem qui dicebat: *Portio mea Domine sit in terra viuentium*. Super primam terram constituti sunt Apostoli in conuersione, quando constituti sunt in libertate gratiæ. Cum enim Dominus hominem Dominum sui à constitutione fecerit, per peccatum redactus est in seruitutem. Sed suum dominium recuperauit, cum per diuinam vocationem ad libertatem gratiæ appellatus est. Super secundam constituti sunt in promotione, quando facti sunt rectores Ecclesiæ à Domino dicente, *quæcunque ligaueritis*, &c. Super terram constituti sunt in passione eorum, quando facti sunt consortes gloriæ, & secundum: *Constituit eos super excelsam terram, vt comederent fructus agrorum paradisi*. Sic ergo patet fuisse in Apostolis quod prædixerat Psal. *Constitues eos Principes*, &c. Postquam dictum est de examine Petri, antequam constitueretur princeps Ecclesiæ, nunc dicendum est quam bene exercuerit principatum illum. Dico igitur quod optime exercuit seruando tria requisita ad bonum principem, quæ tanguntur in Psal. cum ait: *Intende, prospere procede, & regna propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam*.

*Heb. 6.*

*B Terra multiplex excolenda.*

*Sap. 1.*

*Esa. 1.*

*Ibidem.*

*Deut. 32*

*Psal. 44.*

*C Principẽ tria decent.*

*Psal. 44.*

Primo

Primo enim seruauit quo ad se veritatem vitæ recte viuendo secundum mandata Domini, Deum super omnia diligendo, perseuerando in ieiunijs, & orationibus, & communicatione corporis Christi. Primum scilicet dilectionem Dei super omnia satis ostendebat, cum non obstantibus quibuscunque minis, supplicijs, sed & morte intentata non cessabat prædicare fidem Christi, sed vt habetur:
Act. 5. *Cum cæteris Apostolis ibat gaudens à conspectu concilij, quoniam dignus habitus erat pro nomine Iesu contumeliam pati.* Secundum patet satis ex verbo Christi, quæ de Apostolis
Matt. 9. prædixerat. *Cum auferetur ab eis sponsus, tunc ieiunabunt*. De tertio habetur,
Act. 1. *Hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione*,
Act. 3. dicitur Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam, dixerunt Apostoli officium suum esse o-
Act. 6. rationi vacare. *Nos autem* (inquiunt) *orationi & ministerio verbi instantes erimus*: &
Act. 10 alibi: *Petrus erat orans cū missi ad eum Cornelius Centurio*. De quarto simul etiā cū isto
Act. 2. tertio habetur Act. vbi dicitur de credē-
Ibidem. tibus. *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis*, scilicet Eucharistiæ & orationibus. Quod si ita dicebant Apostoli faciendū, inter quos primus erat Petrus, ipsi prius faciebant. Sequitur ibidem. Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis. Secundo seruauit veritatem quo ad proximum. Primo veritatem occultam & cælatam declarando, si-
Act. 5. cut patuit in Anania & Saphira.

Secundo veritatem fidei prædicando, & cum efficacia tanta, vt sicut leone rugiente omnia animalia figunt pedem, sic eo prædicante omnes terreni & feroces præ admiratione starent stupefacti. Vere Leo erat Petrus, cum ad rugitum prædicationis eius quinque millia conuersa sunt, & alia vice rugitum emisit, & tria millia hominum pedem fixerunt, & terrenis affectibus abrenunciantes, & Domino adhærentes. Et non solum Iudæis, sed etiam Gentilibus prædicando veritatem fidei, vt patuit in Cornelio & do- Act. 10
mesticis eius. Hoc autem fuerat ei demonstratum in visione, quando in disco vidit reptilia & non esibilia homini, & dictum est ei: occide & manduca. Similiter figuratum in arca Noe, in qua iussa sunt poni animalia munda & immunda, mitia & immitia contra Cathaclysmum aquarum, & prophetarum ab Esaia, qui Esa. 11.
prædixit vitulum, & leonem, & agnum simul sub ducatu pueri moraturos, in signum quod Ecclesia erat congreganda ex omni tribu, & lingua, & natione.

Tertio docendo aliquas veritates seu doctrinas vtiles Ecclesiæ, & inter cætera, vt dicit Gregorius Turonensis in libro primo miraculorum beatorum Martyrum. cap. 27. Petrus ob humilitatem docendam caput desuper tonderi instituit, docuit etiam modum solenniter celebrandi, dum celebrauit apud Antiochiā. Vnde quando aliquis habet multos ad instruendum & gubernandum solet eis solicite prouidere de bono magistro, & tradere ei curam de eis regendis & instruendis. Sic Christus Ecclesiam habebat iuuenculam & teneram, quæ debebat instrui in noua lege ideo prouidet ei de isto bono magistro & rectore Petro, qui ea doceret in necessarijs & etiam quibusdam vtilibus. Cuius doctrina propterea fuit efficax in populo, quia quod docebat verbo monstrabat exemplo, imo vita est principalior ad aspectum virgarum Iacob & qualitatem, eo- Gen. 30
rum oues Laban concipiebant fetus albos vel nigros vel varios. Sic cum bonis prælatis boni efficiuntur subditi, cum malis mali cū mediocribus mediocres. Eleuata nube & recedente filij Israel re- Exo. 40.
cedebant, & stante stabant, quia: moto pastore per bona opera sic faciunt subditi, eo stante nec agente nihil proficiunt. Vnde & de sanctis animalibus dicitur: *Cum euntibus ibant, & cum stan-* Ezech. 1
*tibus stabant, & cum eleuatis à terra*

Psal. 17. pariter eleuabantur. Psalm. *Cum sancto sanctus eris.*

Secundo exercuit principatum in mansuetudine. Primo quo ad se benigne suscipiendo correctionem Pauli, de qua & Gal. 2. laudando eum in sua secunda epistola. Secundo quo ad alios subueniendo benigne infirmis spiritualiter, hoc est confortando deficientes in tribulationibus Luc. 22. secundum quod fuerat ei iniunctum. *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Quod & fecit non solum verbis, sed etiã 1. Pet. 1 scriptura dicens in Epistola. *Modicum nunc si oportet contristari in varijs tribulationibus, vt probatio fidei vestræ multo pretiosior sit auro quod per ignem probatur*, vbi ostendit quod homines debent consolari in tribulationibus. Et hoc non sine causa. Pri- D Tribulationes sunt hic acceptãde mo quia sunt modicæ, & duratione, & afflictionis acerbitate in comparatione, ac pœnas futuras inferni, & purgatorij. Virga enim Moysi proiecta in colubrum Exod. 4. versa est. Sic tribulatio proiecta in pœnã Sap. 3. æternam mutabitur. Inde Sap. *Sapientiam & disciplinam qui abijcit infelix est.* Comparatione etiam præmij æterni sustinentia 2 Cor. 4 modica est. *Hoc momentaneum & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Libenter debet seruus Dei sumere guttam amaritudinis transitoriç, ne oporteat eum Eccli. 1. bibere mare amaritudinis æternæ. *Vsque in tempus sustinebit patiens, & postea redditio iucunditatis.* Secundo, quia tribulationes sunt oportunæ. Primo enim secundum August. congruunt loco in quo sumus, qui est vallis miseriæ, in quo eo magis flendum quo minus flemus. Locus est exilij, quod multi non intelligunt. Aug. Nescimus quo fine elaudemur exilio isto. Hinc & Bernard. Non ad hoc nos de paradiso voluptatis diuina animaduersio eiecisse videtur, vt alterum sibi hic paradisum adinuentio humana pararet. Se- Eccle. 3. cundo congruunt tempori, quia: *Tempus flendi & tempus ridendi.* Tempus innocentiæ delitijs congruebat, tempori culpæ & corruptionis congruunt tribulationes. Nam: *Plantauerat Deus paradisum voluptatis à principio.* Homo autem qui in delitijs Genes. 2 quasi in aquis dulcibus computruit, in tribulationibus quasi in aquis salsis conseruari debuit. Tertio quia meritis nostris congruunt tribulationes. Mich. *Iram* Mich. 7. *Domini portabo, quoniam peccaui ei.* Augustinus libro de Libero Arbit. Nullius temporis interuallo hæc duo diuiduntur, vt quasi alio tempore faciat homo quod nõ debet, & alio patiatur ne vel temporis puncto vniuersalis pulchritudo deturpetur, vt sic in ea dedecus culpæ absque decore vindictæ. Tertio quia tribulationes sunt maxime vtiles. Sunt enim via regni ad quod tendimus: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum* Dei. Ad hoc Act. 14. designandum, eiecto Adam de paradiso, ignis positus est ad portam: Tribulationes etiam faciunt ne transeuntibus adhæreamus, sicut asinus oneratus herbis stimulo cohercetur, & ne æternorum obliuiscamur. Gregorius. Electis suis Deus iter asperum facit, ne dum delectantur in via obliuiscantur eorum quæ sunt in patria.

Secundo beatus Petrus benigne subueniebat infirmis corporaliter. Nam & claudum sanauit Eneam. In ioppe suscitauit Thabitam. Sed nunc prelati non cu- Act. 3. & 9. rant de animabus infirmis, suntque magis soliciti visitare loca, in quibus est abundantia caponum, & anserum, & gallinarum pinguium, quibus impinguentur, quam loca famelicarum animarum, vt verbo Dei reficiantur. Sic bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, non compatiuntur super contritione Ioseph. Visitant enim loca vinearum potius quam Ecclesiarum.

Tertio exercuit in iustitia & æquitate. Primo quo ad se, faciendo iustitiam de se ipso, castigando corpus suum & in seruitutem redigendo, crucifigendo carnem suam cum vitijs & concupiscentijs. Sic debet facere quilibet de corpore suo iustitiam, ponendo ipsum in vinculis & compedibus, quia insanum est,

est,& vult semper inimicari spiritui,& ei rebellare, aut ipsum fugere, cum tamen Eccl. 33. sit eius seruus. Nam: *Seruo maleuolo tortura & compedes*. Insanus enim est qui nutrit insanum. Secundo faciendo iustitiam de peruersis & maleficis, vt condemnando Act. 8. Primo, Symonem magum. Secundo cum peruenit Romam dejiciendo eum deorsum. Sic nunc multi nituntur in altū volare cū Symone mago, velint, nolint Petrus & Paulus, id est, doctrinæ Petri & Pauli, sed in fine frangunt sibi collum cadendo deorsum in baratrum inferni. Sed licet B. Petrus optime administrasset, & exercuisset suum principatum & ad salutem mundi, tamen pro omni remuneratione tandem à mundo cruci addictus est, & crucifixus capite deorsum pendente & pedibus sursum erectis.

Si quæras quare sic crucifixus est. Respondetur primo, quia sic voluit Petrus, ex nimia humilitate reputans se indignū eo modo crucifigi quo Christus. Secundo vt ostenderet naturam suam ex terrena massa primi parentis emanasse,&quia non semper rectus est homo, sed tortuosus nascitur. Christus autem erectus, crucifixus est, quia nunquam in eo macula peccati fuit. Tertio hoc permissū est fieri à tyrannis, ad denotandum quod tyrannizantes Ecclesiam Petri, illos qui deberent esse caput Ecclesiæ inferius permitterent residere,& pedes ad dignitates assumerent. Quarto Petrus pendet in cruce, habens manus deorsum & pedes sursum, vt manibus, id est, operibus & exēplis sit Prælatus homines capiens, & pedibus, id est affectionibus rapiat cælum: actiuus inferius, contemplatiuus superius. Mortuo autem Petro (vt dicitur in passionario vbi recitatur disputatio Symonis magi contra Apostolos coram Nerone) postquam videlicet commendando summo pastori gregem suum spiritum emiserat cum gratiarum actione, affuerūt viri sancti qui dicebant se de Hierosolymis aduenisse propter Apostolos. Hi vna cum Marcello illustri viro sepelierūt corpus Petri in Vaticano, & dixerunt omni populo. Gaudete & exultate, quia magnos patronos meruistis habere & amicos Domini nostri Iesu Christi. Et sciatis quod post eorum necem Nero regnum tenere non poterit. Quod & ita factum est, quia omnibus odiosus & omnes fugiens, vt aiunt quidam, in Syluis fame & frigore obrigescēs à lupis deuoratus est. Quidam autem dicunt quod gladio proprio se iugulauit. Dicti vero viri sancti cum hæc dixissent, vltra non comparuerunt, nec vnde fuerant compertum est.

*IN EODEM FESTO APOStolorum. Serm. IIII.& in ordine VII. sed præcipue de sancto Paulo per Thema prædictum, Constitues eos Principes, &c.*

TAles decebat dari Principes Ecclesiæ nouellæ, quales erant Petrus & Paulus, qui scilicet mitissimi essent ac benignissimi, & quasi vbera ad eam lactandā. Antea enim dici poterat de Ecclesia illud: *Soror nostra paruula est, & vbera non habet*. Vnde quasi mammillam se exhibebat Petrus. *Sicut modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem*. Similiter Paulus cum dixit: *Lac potum dedi vobis non escam*, Et: *Facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo*. Stultum esset dare infanti crustas panis. Infans lacte primo nutritur, postea pane, sed ei frangi debet, tandem tamen sibi debet adultus frangere. Paulus docet nos cognoscere veritatem, Petrus nos amare Dei misericordiam. A Paulo quasi lac sugere debemus veritatem, à Petro Dei amorē. Paulus totam instruit Ecclesiam in fide & moribus: ideo ab ipso sugimus veritatis doctrinam. Petrus ostendit quàm miranda sit misericordia Dei, ideo ab ipso quasi lac sugimus misericordiam & amorem. Primo quantum ad ipsius Petri cōuersionem, quia cum Christum ter negasset, respexit tamen eū Dominus oculo misericordię, & fleuit amare. Quis despe-

[Margin notes: A Vbera Ecclesiæ Petrus & Paulus. Cant. 8. 1. Pet. 2. 1. Cor. 3 Hebr. 5.]

rationis locus, vbi lachrimæ Petri veniam impetrant? Secundo quantum ad eius institionem ineffabilis apparet Dei dispensatio consideranti, qualiter Dominus post lapsum non solũ Petrum restituit, sed etiã principem Apostolorum instituit, non Ioannem qui non ceciderat, vt sciret compati qui infirmus fuerat, & qui ceciderat fieret alijs firmamentum. Tertio quo ad interrogationis formam, quia interrogauit de amore quasi diceret. Non sit pastor nisi qui amat, amor facit pastorem, cognitio doctorẽ. Debemus autem de vtraque mammilla sugere, non sicut quidã de altera tantũ. Minus debito sugebat Cain qui dicebat, maior est iniquitas mea quàm vt veniam merear, & Iudas qui abiens laqueo se suspẽdit. Nimis de altera sugebat qui dicebat de dæmonibus, & post multos annos visitabũtur. Vnde quidam etiã peccãt semper in spe veniæ quasi senes pendentes ab vbere, sed Esai. *Puer centum annorum morietur.* Multi tamen vt fœneratores & raptores non sugunt lac, sed sanguinem velut sanguisugæ, de quibus Prou. *Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes affer, affer.* Auferens enim substantiam pauperis, sugũt eius sanguinem. Nam Ecclesiast. *Panis egentium vita pauperũ.* Sed de vbere Pauli non sugit veritatẽ qui mendax est, quia. *Os quod mentitur occidit animam.* Quidam execrantur vbera eius qui peierãt. Et (proch dolor) sicut experiẽtia docente paupercula mulier abundat in lacte, & paruulis, vbi regina sepissime vix potest habere vnum, sic primitiua Ecclesia dum pauper erat multos generabat filios, & etiam religio. Sed postquam facta est regina, & diues vix potest concipere. De ea enim quando pauper erat, dictum est. *Gaudete cum gaudio vniuersi, qui sugebatis super eam, vt & sugatis, & repleamini ab vberibus consolationis eius.* Quis autem non doleat si videat matri suæ extrahi mammillas, sicut factum est beatæ Agathæ? Sic enim fit hodie cum viri misericordiæ tolluntur. Sed qui habuit potestatem beatæ Agathæ reddendi vbera, iterum restituet viros misericordiæ suæ Ecclesiæ. Quod fiet medio illius cuius beata vbera lactauerunt æterni patris filium. Ad quam recurremus dicentes. Aue, &c.

Nota. | Esa. 65. | Prou. 30. | Eccle. 34. | Cap. 10. | Esa. 66.

Quoniam iam dictum est quomodo beatus Petrus post examen Domini sufficiens inuentus quasi per pacem, & sine bello constitutus est princeps Ecclesiæ; nunc videdũ est de beato Paulo, quomodo quasi bonus, & strenuus miles acquisiuit per suam valentem militiam, & (vt vulgo dicitur) lucratus est ad ensem principatum, & terrenum, & æternum. Igitur beatus Paulus contra tres hostes fortissimos pugnauit, & triũphauit qui sunt mundus, caro, & dæmon. Fortis est caro. quia vicit de fortioribus, Sansonẽ, de sanctioribus Dauid, de sapientioribus Salomonẽ. Mundus fortis est, quia difficile est nõ extolli prosperitatibus, nec frãgi aduersitatibus. Dæmon etiã fortis est, vt de eo dicatur. *Non est potestas super terram, quæ valeat ei comparari.* Primo itaque pugnauit contra carnem, & vicit, quia virgo perpetuo mãsit. Non autẽ reportãt triumphũ, qui vicerũt debiles hostes, vt pueros vel mulieres. Sic qui nõ vicit carnem suã nobiliter, non reportat aureolã. Neque enim, qui vicerũt carnẽ in fine vitæ, quia finaliter desiderijs carnis abrenunciauerũt, habent hanc aureolã, sed illi, qui semper custodierunt corpus mundum; vt Paulus. Et inde ad conseruationem suę virginitatis, quia caro nimia delicate nutrita insurgit in spiritum, castigabat corpus suum, & in seruitutem redigebat, ipso dicente: vsque ad hanc horam esurimus, & sitimus, & vbi alij in delectationibus carnis gloriãtur, delectabatur in tribulationibus. *Libẽter gloriabor in infirmitatibus meis.* In quo similis erat bono mercatori, qui videns, quod lucratur super mare, licet habeat ventũ contrarium, & aduersitates, tamen lętanter, & in pace nauigat.

Iob 41. | B Aureola virginitatis debetur nobiliter carnem vincentibus. | 2 Cor. 12.

Sic quia semper lucrabatur Paulus, (In cuius figura Iacob semper lucrabatur

Nota.

rtur cum Labam, licet Labam vellet eum circumuenire) ideo cum lætitia cordis sustinebat aduersitates, & infirmitates corporis. Secus est de peccatore, qui sicut malus mercator semper perdit, quia qui offendit in vno multa bona perdet. Ideo, licet exterius habeat serenum in voluptatibus carnis, tamen semper habet amaritudinem cordis, quemadmodũ in eius persona dicit Psal. *Tota die contristatus ingrediebar.* Et propter hoc in graui tétatione carnis meruit consolationem à Domino dicente, sufficit tibi gratia mea. Secundo propter suam puritatem virginalé assecutus est maiorem notitiam scripturarum, & diuinorum mysteriorũ, quia vidit arcana verba, quæ non licet homini loqui, & sic factus est aptior ad portandũ verbum Domini, & annunciãdum bona eius. Vnde sicut tabernarius dum vinum habet venale, & vult, quod sciatur, solet de illo ponere in vase, & facere clamari per villam, vt sic homines alliciantur, sic Dominus habens cellarium plenum vino iucunditatis, & lętitię, scilicet paradisum, ostendit illud Paulo quando rapuit eum, & voluit, quod clamaret illud tanquam venale, sicut ipse fecit post baptismum prædicans Iudæis & gentibus.

Psal 37.

Secundo, pugnauit Paulus contra mũdum, & vicit. Primo, in cótemptum terrenorum, quia omnia transitoria cótemnebat propter Christum. Patet: *Quæ mihi fuerunt lucra, arbitratus sum propter Christum detrimenta.* Et sequitur: *Propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam.* Nec mirum si sic contemnebat omnia. Nam sicut ille, qui diu respexit solem in rota, non potest cito videre alia lucida, sic nec Paulus, qui Deum contemplatus erat, poterat ad terrena lucra attendere aut ea appretiari. Non mirum si reputabat ea stercora, quia secundum Philosophos, communiter boni odoratus homines sunt fatui. Fatuus autem erat Paulus à mundo reputatus, qui dicebat: *Nos stulti propter Christum.* Ideo nil mirum si optime odorabat omnia ista inferiora lucra tanquam stercora. Vnde Chrysost. libr. de compunct. Sicut is, qui in paupertate positus intra vile tuguriũ vixit, si forte regem videat auro multo, & gemmis fulgentem, vltra non vult pauperis tugurij recordari, sed agit omnia quatenus possit à splendore, & gloria regis, quem admiratus est, inseparabilis fieri, ita Paulus vbi in cælis regem gloriæ perspexit, omnia ista plena egestatis contempsit, mente, & solicitudine totum illuc se transferens, ita vt dum aliquid triste occurreret, animo ibi occupato non sentiret. Inde ait: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Aliquibus mundus mortuus est, qui tamen non sunt mortui mundo, quos mundus non reputat, sed ipsi desiderio, & affectu versantur in mundo. Sed mortuus de mortuo non curat. Ideo Paulus non solum dicit sibi mortuum, esse mundum, sed etiam se esse mundo mortuum. Vnde potest, qui non est mortuus, mortuo compati, & lachrymari; sed mortuus erga mortuũ nullum habet affectum. Laudatur Abraham quod dimisit ad voluntatem Dei terram patriam, & cognationem, & venit in alienã. Iste vero terrena omnia oblitus est, imo ipsum cælum, & omnia alia præter Christum, in varias terras discurrens. Vnde aiebat, neque altitudo, neque profundum, neque alia creatura poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu. Sicut autem auis nata est ad volatum, ita Paulus ad volatum natus erat, qui tot aduersa sustinens dicebat, nostra conuersatio in cælis est, & quem terra corpore detinebat, in sublimibus spei penna subleuabat, nec detineri poterat à pressuris, & perturbationibus mundi, sed eas fortiter pertransibat. Vnde sicut vehementer optans ire ad aliquod castrum, si nulla est via nisi transeundo per turbam, licet sciat, se ibi comprimendum, tamen transit, sic Paulus vehementer optans ire in cælum, secundum illud, desiderium habeo dissolui, & esse cum Christo, cum sciret non posse intrari cælum sine

Ephes. 1. — C Nota. — 1. Cor. 4 — Gal. 6.

sine turbationibus & pressuris, nihilominus illas non timuit, nec propter eas retardatur à volatu in cælum. Mali vero, quia nō multum optant ire in cælum, diuerterunt à turba, & tribulatione quærētes hic solatium. Cum ergo sic fortis fuerit Paulus, vt omnes pressuras mūdi fortiter pertransierit, sequamur eum. Expedit enim debilibus in pressura sequi eum, qui potest resistere pressuræ, & eam superare. Ipse autem dicit de seipso: *Persecutionem patimur, & sustinemus, blasphemamur, & obsecramus. Tanquam purgamenta mundi huius facti sumus omnium peripsema vsque adhuc*. Ex quibus verbis patet quam valenter sustinebat, & superabat pressuras huius mundi. Secūdo vicit mūdum ipsum diuinę maiestati subjiciendo. Vnde triginta sex annis pene totum acquisiuit orbem non nisi lingua, & signo crucis, non cum ornatu procedendo, sed cum catenis & vinculis, cùm magna audacia loquens verbum Dei doctis simul & indoctis.

1. Cor 4

Sed dices: Habebat ne auditores? Dico quod sic. Primo enim habebat inimicos, qui eum traducebant sicut bonum medicum de ciuitate in ciuitatem, ita quod illo medio plurimos sanabat ab infidelitate, & acquirebat Deo. Imo & quidam ex inimicis suis ipsum iuuabant Christum prædicando, licet aliter quàm decebat, de quibus: *Quidam* (inquit) *ex contentione Christum annunciant non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis*.

Phil. 1.

Secundo, iuuabat eum charitas Dei, proximi, & etiam inimicorum. Nam charitate Deo sic adhærebat, vt fiducialiter diceret, nihil creatum posse eum separare ab amore Dei. Sic proximos diligebat, vt optaret anathema esse pro eis à Christo, vt salui fierent. Dicebat etiam: *Quis infirmatur & ego non infirmor*, Et: *omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos*. Inimicos etiam deflebat, vt patet, cū ait: *Multi ambulant quos sæpe dicebam vobis, nunc autem flens dico, inimicos crucis Christi*.

2 Cor 12
1. Cor. 9
Phil 3.

Tertio pugnauit beatus Paulus contra diabolum, qui sibi suscitabat vbique persecutionem, patientia sua mirabili omnia eius molimina destruens. Has persecutiones breuiter enumerat beatus Hylarius dicens. Philippis virgis cęditur, in carcere ponitur, & ligno pedibus affligitur; in Listris lapidatur, in Iconio, & Thessalonica ab iniquis persequitur; in Epheso, feris datur, in Damasco per sportū à muro deponitur in Hierusalem sistitur, cæditur: ligatur, insidiatur in Cæsarea clauditur, criminatur, nauigans in Italiam periculis multis subditur. Romam veniens sub Nerone iudicatur, & occisus finitur. Secundo humilitate vicit superbiā dæmonis. Erat enim Paulus sicut nubes, quia nubes quanto altior, & cælo propinquior, tanto minorem se ostendit. Sic Paulus post raptum ad tertium cælum dixit. *Ego sum minimus apostolorum, & omnium sanctiorum minimo data est mihi gratia*. Inde & loquens de raptu noluit se nominare dicēs, *Scio hominem ante annos. 14.* &c. Similis in hoc Moysi, qui loquens populo velabat faciem suam splendidam, sed in colloquio Dei non velabat. Tertio, verbo, & imperio vincebat dæmones. Nam ad eius imperium dæmon exijt à puella phitonissa, & Elimas magus solo eius verbo cæcitate percussus est. Nec mirum si vincebat dæmones, quia etiam Angelos iudicaturus est, secundum illud. *Nescitis quod Angelos iudicabimus*. Quarto prædicatione vicit dæmonem, ipsum fugando de cordibus plurimorum. Sic habent boni prædicatores vincere dæmonem, ipsum publice fugantes non solum de corde vnius personæ, sed de tota regione, & hoc est eorum officium, quod est valde perfectum, quia secundū Greg. Quanto anima præcellit corpus, tanto maius est, animam pabulo verbi diuini reficere, quam ventrem morituræ carnis terreno pane satiare, Et inde, quia plurimūm laborauit Paulus ad expellendum diabolum de cordibus infidelium tā gentilium quàm iudæorum, ideo coronā seu aureolam prædicatorum habuit. De labore

1 Cor 15.
Ephes 3.
2 Cor. 12.
Exod. 34.
Act. 16
Act. 13
1. Cor. 6
E
Nota. De prædicatoribus.

1 Cor. 15 bore suo habetur. *Abundantius* (inquit) *his omnibus laboraui*. Ipse enim laborauit in conuersione peccatorum quasi parturiens, secundum illud: Gal. 4 *Filioli quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*. Secundo vicit ministros diaboli, dociles cõuertendo, obstinatos vero confundendo, vt patet ex Actibus Apostolorum, & tandem Neronem confudit Patroclũ suscitando, & eidem post mortem apparendo. Et ad vltimum, ita bene pugnauit, quod caput in pugna amputatum habuit, sed tamen vicit, quia intentionem suam de bello reportauit, eo quod per mortem suam, sicut intendebat, vitam consecutus est æternam, & Ecclesiam fundauit, & illuminauit, & fidem augmentauit.

## IN COMMEMORATIONE sancti Pauli Apostoli Serm. I. & in ordine VIII. Per Thema.

2. Tim. 4 B*Onum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, ideoque reposita est mihi corona iustitiæ*. Antequam verbum Dei proficere possit, oportet quod tria ostia aperiantur, vt illic ingrediatur. Primum ostium est auris audientium. Multi enim sunt, qui velut Iudæi ad sermonem Stephani continent aures suas, ne audiãt, sicut nunc gentiles, & Saraceni, & mali Christiani, qui non curant de alimento animæ, sed ventris, quorum (inquit Paulus) Deus venter est. Sic B. Paulus tẽpore suo petebat: 2. Thes. 3 *Orate vt sermo Dei currat, & clarificetur*. Secundo oportet, quod aperiatur ostium cordis audientis. Multi autem sunt in sermone, qui libenter audiunt, vt discant vel aliquid noui audiant, sed non vt faciant, sicut Athenienses audientes Paulum, qui semper aliquid noui audire cupiebant. Hoc ostium aperiri petebat, qui dicebat: 2. Mac. 1 *Adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua*. Hoc rogabat Paulus, vt scriberet in cordibus discipulorum, secundum illud: Esai. 8. *Signa legem in discipulis meis*. Inde ipse dicebat Corinthijs: 2. Cor. 3 *Epistola nostra vos estis in Domino*. Sed multi sunt, qui aperiũt diabolo non Deo, in quibus scribuntur mẽdacia, maledictiones, & huiusmodi, & sunt epistolæ principis tenebrarum, vtpote, qui in frontibus, & manibus, characterem bestiæ assumpserunt. Ostio isto aperto velociter currit sermo eius. Sed ante omnia aperiendum est ostium tertiũ, scilicet os, & cor prædicatoris, vt dicere possit. *Eructauit cor meum verbum bonum*. Psal. 44 Sed hoc non est prædicatoris, sed solius Dei. Ideo si Paulus fecit orari pro se, dicens: *Orate pro me, vt Deus mihi aperiat ostiũ sermonis ad loquendum mysterium Christi*, Col. 4 quãto magis ego, qui nullus sum respectu Apostoli indigeo vestris orationibus. Sicut etiam ante mensam corporalem præcedit benedictio, & postea sequitur gratiarum actio, & eleemosinarum distributio, ita mensam verbi Dei debent præcedere orationes vestræ, & subsequi gratiarum actio, & eleemosinarum distributio, vt alijs repetatis, quæ audistis. Scriptum est enim, date, & dabitur vobis, hoc est date orationes vestras pro nobis, & nos iuxta posse verbum Dei ministrabimus. Hæc autem omnia cõuenientissime fient medio virginis gloriosæ, cui propterea dicemus. Aue gratia plena, &c.

*A Verbum Dei quibus indiget aperturis vt proficiat*

Quæritur quomodo dixit Apostolus, *Bonum certamen certaui, cursum consummaui*. &c. cui adhuc restabat passionis, quã sibi impendere prædixerat, tam magna concertatio, & adhuc deerat certamen, vbi erat acrior, & crudelior inimicus. Respõdetur primo secundũ Augustinum quod non re plena, sed spe firma securus erat, securus quidem & certus, tum propter reuelationem, vt diceret confidenter, tempus resolutionis meæ instat, tũ propter cõtinuam bellorum victoriam, quia quotidie erat in morte, & continue vincebat: *Quotidie morior propter vestram gloriã fratres, quàm habeo in Christo Iesu Domino nostro*. 1 Cor. 15 Cum propter spiritus garniti gratia interiorem firmitatem, qua sic munitus erat, vt diceret. *Quis nos separabit*, &c. Rom. 8. *Certus sum, quia neque mors, neque vita*, &c. Dicitur secundo, secundum Aristotelem,

Plus autem gloriabatur, quam illi qui in catenis aureis gloriantur. Quarto tantus erat amor Pauli, vt esset impossibile glutino amoris, sic nexum à Christo separari. Inde confidenter dicebat vt allegatum est. *Certus sum quia neque mors neque vita, &c. poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Nec mirum, *quia fortis est vt mors dilectio, & aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Vnde cum discipuli flerent, volentes eum retinere ne iret in Hierusalem, dicebat: *Quid facitis flentes & affligentes cor meum.* Ego non solum alligari, sed & mori paratus sum, &c.

Rom. 8

Cant. 7.

Act. 21

Et quomodo possent aquæ tribulationis operire charitatem? Charitas enim tectum est, quæ operit multitudinem peccatorum, quod tectum sustinet pluuias irruentes & grandines. Vnde erat perfecta charitas, quæ faciebat eum ambulare super aquas. Sic Petrus declarauit dicens: *Domine si tu es, iube me venire ad te super aquas.* Non sic de imperfecta charitate, sed periculum est imperfecto in charitate se ingerere tribulationibus, quemadmodum periculum est pueris se balneare in magna aqua, cuius ignorant profundum.

Hæc ita dicebat Paulus, quia amantium mos est (vt Chrysostomus ait:) vt amorem suum silentio tegere nequeant, sed necessarijs suis & charis prodant. Sicut autem auis nobilis, vt Aquila, semper se tenet in nido, nisi prout necessitas exigit quærendæ prædæ, sic Pauli conuersatio semper in cælestibus erat nisi pro tanto quod necessitas erat sibi victus vel vestitus vel conuersionis populi. Homines enim brutales in hoc mundo habitant, corde spirituales cum Deo. In arca Noe aues sursum, animalia immunda deorsum.

D. Pauli amor erga proximum qualis fuerit.

Secundo magnus erat amor Pauli ad proximum: Primo quidem vt mulieris parturientis. Amor autem matris magnus est. Inde dicebat: *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis,* & ex nimio amore cupiebat esse Anathema à Christo pro fratribus suis secundũ carnem. Exemplo mulieris quæ sine filio quem gerit in gremio, nõ vult intrare in domum diuitis ad conuiuandũ. Secũdo erat amor Pauli, vt patris corripientis, ipso dicente: *In Christo Iesu per Euangeliũ ego vos genui,* & sequitur, *in virga veniam ad vos,* Et: *Tanquam pater filios suos deprecantes vos, & consolantes testificati sumus.* Vnde pater punit & corripit, sed cum dolore. Hinc dicebat: *Timeo ne cum venero humiliet me Deus apud vos, sicut patrem pudet inuenire filios suos malæ vitæ & famæ, & lugeam multos ex his qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia quam gesserunt.*

Rom. 9.

1. Cor. 4

1. Thes. 2

2. Cor. 12

Vnde quando separauit illum quem excommunicauit: *Cum lachrymis & gemitibus hoc faciebat,* Et: Obsecrat Corinthios vt confirment in illum charitatem. Sed & inimicis Iudæis tanquam pater filijs in frenesi comprehensis compatiebatur: *Persecutionem patimur & sustinemus, blasphemamur & obsecramus. Tanquam purgamenta mundi huius facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc,* ita quod eos, à quibus quinquies quadragenas vna minus acceperat, excusabat dicens. *Testimonium illis perhibeo quod æmulationẽ Dei habent, sed non secundum scientiam,* & sæpe pro illis orabat dicens. *Voluntas quidem cordis mei & obsecratio fit pro illis in salutem,* & considerans duritiam eorum & desperationem dicebat apud se, se consolans. *Veniet ex Syon qui eripiat & auertat impietates à Iacob.* Erat etiam amor eius vt patris procurantis negotia filiorum, sicut patuit in collectis quas fieri faciebat. Et ad quas exhortabatur: *Qui parce seminat parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.*

1. Cor. 5

2. Cor. 2

1. Cor. 4

Rom. 10

Ibidem.

1. Cor. 16

2. Cor. 9

Erat etiam vt patris reciliantis alijs, hoc patuit in Onesimo seruo fugitiuo Philemonis, pro quo scripsit ita efficacem Epistolam. *Si habes,* (inquit) *me socium, suscipe illum sicut me. Si autem nocuit tibi aut debet, hoc mihi imputa.*

Ad Philem.

Tertio

Tertio, erat amor Pauli vt nutrices blandientis. *Tanquam si nutrix foueat filios suos.* Sicut enim nutrix ad habendũ amorem pueri nunc vocem pueri fingit, nunc vocem Baboaldi, nunc deosculatur, nunc percutit, sic Paulus omnibus omnia factus est, vt omnes lucrifaceret Christo. Inde ait: *Factus sum sicut Iudæis Iudæus, & his qui sine lege erant tanquam sine lege essem.* Vide quot coloribus depicta erat conuersatio Pauli, vt de ipso posit dici illud: *In veste Aaron descriptus erat vniuersus orbis.* Tunc in veste Pauli vniuersus orbis describitur, quando eius conuersatio omnibus conformatur, ita tamen vt vitæ rectitudinem intus retineat. Erat enim omnibus debitor, sicut prælatus qui se in regimine suscepto cõstituit omnibus debitorem. Hinc Glossa super illud Apostoli, omnibus omnia factus sum. Prudens Apostolus omnibus cessit, propositum tamen veræ religionis non excessit, quia vbi cessit ad hoc cessit vt proficeret, ideo dicit, vt omnes saluos facerem. Sed dices, quomodo potero me cõformare peccatoribus exterius, & interius rectitudinem cordis retinere? Respondetur quod non se conformabat eorum opera mala sectando, sed eos consolando, cum humilibus humilis existens, cum magnis magnus, cum sapiẽtibus sapiens, cum simplicibus simplex, cum Iudæis Iudæus, cum paganis tanquam sine lege, cum lugentibus lugens, cum gaudentibus gaudens, occulte pœnitentiam & austeritatem ducens, palam cum alijs conuersans. Quarto, erat amor Pauli, vt fratris & socij collaborantis & coadiuuantis. *Sicut est mihi iustum hoc sentire pro omnibus vobis.* Eo quod habeã vos in corde & in vinculis meis & in defensione & confirmatione Euangelij socios gaudij mei omnes vos esse, & cap. 3. Itaque fratres mei charissimi, sequitur: Rogo & te germane compar adiuua illas quæ mecũ laborauerunt in Euangelio.

1. Thes. 2 | Sap. 18. | Phil. 1.

Pro secunda parte videndum est de fide & prædicatione Pauli. In eis autẽ fuit tam excellens, vt magister gentium constitueretur ad fidem eis prædicandam, secundum illud: *Positus sum prædicator, & Apostolus, & magister gentium in fide, & veritate,* & taliter, quod cæteros prædicatores præcellebat. Primo, in excellentia doctrinæ. Nam (vt ait Petrus venerabilis) doctrina Pauli ita post Euangelium cæteris veteribus ac nouis scripturis prouecta est, vt & clarius per totum mundum resonet, firmius credatur, solemnius recitetur, deuotius audiatur, ita vt nullus antiquorum hæreticorum hanc temerare ausus fuerit, non Appelles, non Cherintus, non Montanus antiquiores, non Arrius, non Nouatus, non Sabellius recentiores, nec etiam ipse Manichæus, qui cũ totam veteris Testamenti paginam, & partem Euangelij abiecisset. Paulo tamẽ, & scriptis eius credere se non negabat, sed cum honore suscipiebat, imo & inter ipsos paganos ipsis Philosophis, qui studere magis sapientiæ videbantur, harum Epistolarum lectio præcellebat. Propter quod Seneca dicebat nullas se credere suffecturas ætates ad literarum illarum altitudinem capiendam. Inde vero eodẽ Seneca coram eo recitante de his, mirabatur vnde homini indocto tanta sciẽtia inesse potuit. Secundo, præcellebat in diligentia executionis sui officij, scilicet prædicationis, ita vt vere dixerit, plus omnibus laboraui. Certæ fidelis seruus Domini, qui talentum eius sic multiplicauit plus cæteris laborans, vt ab Hierusalem vsque ad Illyricum omnia repleret Euangelio Christi. Largus seminator erat qui per tantam patriam seminauerat verbum Dei. Cum tali autem diligentia, & labore executus est officium suum, vt mirabilia faceret de corpore suo ad infideles docendos, & conuertendos ad fidẽ Christi, disputando, prædicando, & discurrendo per varia loca. Primo discurrendo à Damasco in Hierusalem, à Hierusalem in Anthiochiam, deinde iussu Spiritus sancti de Antiochia in Cyprum cum Barnaba. Qui venientes Salaminam perãbulata

2. Tim. 1 | E Pauli doctrina.

bulata vniuersa insula vsque ad Paphum inuenerunt ibi Paulum sergium Procõsulem cum Elyma mago, deinde venit Paulus cum suis ad Pergem pamphiliæ. Postea à Pergem in Antiochiam pisidiæ, dehinc in Iconium, postea in ciuitates Licaoniæ, vbi constituit presbyteros per omnes Ecclesias, & post multiplicẽ fructum in Hierusalem propter quęstionem de legalibus, & inde in Antiochiam rediјt, vt habetur plenius Actuum 13. & 14. Postmodum volens visitare fratres quibus prædicauerat assumpto Syla profectus est in Syriam, & Ciliciam, & deinde in Berbem, & Lystrem. Inde transeuntes Phrigiam, & galathię regionem, venerũt Mysiã, & postea descenderunt Troadẽ. Et dehinc trãsituri in Macedoniã à Troade in Samothraciam, deinde in Neapolim, & demum in Philippis, quæ est prima partis macedonię ciuitas colonia, vbi phitonissam curauit Paulus. Deinde venerũt in lydiam, & postmodum perambulatis Amphipoli, & Appollonia venerunt Thessalonicam, & in Beroan, & inde perductus est Paulus Athenas, vbi disputauit cum græcis, à quibus transtulit se Corinthũ, in qua populũ multũ domino acquisiuit. Inde profectus est Ephesum, & ingressus synagogas disputabat cum iudæis, vnde egressus descendit Cæsaream, & de Cæsarea venit Antiochiã, & facto ibi aliquãto tempore profectus est Galathiam regionem, & Phrigiã confirmans omnes discipulos. Postea peragratis partibus superioribus venit Ephesum, ibique biennio commoratus disputans, & suadẽs de regno Dei: fecit vt omnes qui habitabant in Asya audirẽt verbũ Domini tã gentiles quam iudæi. Inde reuersus per Macedoniam, & Troadẽ, & Miletum, & per plures aliàs ciuitates, & insulas transiens applicuit Tyro, & de Tyro per Ptholomaidam, & Cæsaream iter faciens, tandẽ Hierusalẽ cum multa fatigatione peruenit. Vbi comprehensus à iudæis multa passus coactus est appellare ad Cæsarem, & tandem vrbem Romam vinctus accessit, vbique prædicationi insistens ire in Hyspaniã disponebat. Ecce quàm diligens fuit Paulus in exequẽdo officio sibi credito, ecce quomodo honorauit suum ministerium, vt compleret quod dixerat: *Quandiu quidem Apostolus sum gentium honorificabo ministeriũ meum*, imo etiam supererogauit in suo ministerio, quia non solum gentilibus quorum erat Apostolus, sed & iudæis prædicabat, & scribebat, vt patet in Epistola ad Heb. multo plura faciens in officio quam ad quæ tenebatur. Vtinam singuli sic honorarent ministerium suum. Sed quidam magis suis filijs vel parentibus exhibent honorem quàm officio vel Deo, propterea Deus deponit eos sæpe per mortem. Hoc patuit in Hely, qui cum sciret filios indigne agere, & retrahere homines à sacrificio Domini, nõ eos corripuit sicut decebat, & propterea punitus est morte, dicente Domino per prophetam. *Quia honorasti filos tuos plus quam me, ecce ego præcidam brachium tuum*, &c. Secũdo patet per prædicta quomodo abũdanter satisfecit, & quomodo fecit restitutionem copiosam, quia pro vno, quem auerterat seu auertere conatus fuerat à fide, multos restituit, etiam domo intrãdo, vt perduceret ad Christum.

Paulí peregrinatio. Rom. 11. 1. Reg. 2.

Sed quæritur quare ita Paulus discurrebat per mundum vniuersum. Respondetur. Primo vt caperet prædam suam. Vnde ait, *curram si quomodo comprahendã*, & alios hortabatur. *Sic currite, vt comprahendatis*. Auis nobilis videns prædam non stat in pace, sed se agitat, & conatur rumpere laqueos pedum suorum, vt volet ad prædam. Sic cor nobile virtutibus nunquàm ociosum debet esse in mundo, sed semper debet conari rũpere laqueos ipsum retinentes in mundo. Quod faceret si bene intelligeret quàm sit bona præda illa, quam viderat Paulus, & ad quam currebat, vt etiam cuperet dissolui, & esse cum Christo.

G Nota. Phil. 3. 1. Cor. 9. Phil. 1.

Secundo quando pauperes sciunt prãdium paratum, properant omnes ad illud.

Iud. Dominus autem parauit refectionem non ad diem vel horam, sed ad perpetuum, quæ est tãta refectio, quod Paulus ad eam semel raptus non potuit quãdo rediji eam exprimere, sicut homo qui vadit per Apothecariam, & sentit tantũ odorem quod nescit quid dicere. Cum igitur ipse verus esset pauper, non est mirabile si ad tale prandium festinans curreret. Tertio lecatores quando sciunt bonum vinum, illic tendunt, & aliquando impignorant suam vestem vel capitium. Paulus semel gustauit in raptu, & post non tantum capitium, sed etiam caput impignorauit. *Qui sunt isti qui vt nubes volant qui ad modum nubium currunt quocunque duxerit eos auster Spiritus sancti.* Sic igitur currebat Paulus, & alios ad currendum inuitabat, sciens qualis esset præda, quanta refectio, & quàm dulce vinum gloriæ cœlestis, vt alios secum socios haberet. *Esai 60.*

*H Verba prædicatorũ debent esse sicut stimuli & claui. Eccl. vl.*

Tertio excellebat Paulus in efficacia prædicationis, quod patuit à signo, quia plures cæteris conuertebat. Erant enim secundum Ecclesiast. *Verba eius sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi.* Stimuli quidem amoris in lateribus bonorum quasi nobilium animalium, quæ solent percuti in lateribus, sicut sunt equi. Stimuli vero timoris quibus à tergo stimulabantur mali quasi ignobilia animalia, vt solent asini percuti. Claui autem erant eius verba ignita in profundum cordium defixa, penetrantia vsque ad diuisionem spiritus, & animæ. Secundo ad efficaciam prædicationis faciebant vita, abstinentiæ, & labores quos sustinebat, & miracula quibus fulgebat. Sic enim plurimos acquirebat. In cuius figura cum Gedeon, & sui superare voluerunt Madiam cæperunt tubis clangere, & cõplaudere inter se lagenas. Sic Paulus, & sancti alij tubis prædicationis clangebant, & corpora confringebant abstinẽtia, & laboribus, & lampades miraculorum tenebant, quibus territi hostes dæmones effugabantur. *Iud. 7.*

## DE EODEM SERMO II. ET *in ordine nonus per thema præcedens.*

Differentia est inter exercitum mũdi, & Dei; quia exercitus mundi si sit dispersus immediate destruitur. Et ratio est, quia cor vnius fouet cor alterius. Vnde dicit philosophus, quod virtus vnita fortior est seipsa dispersa. Sed in fine dispergitur, cum miscentur ad inuicem. Sed exercitus Dei per mundum fuit dispersus, vt lucraretur mundum. Psal. *Dispersit dedit pauperibus*, scilicet spolia diaboli. In fine vero recolligit, quia Eccle. *Tempus spargendi lapides, & tempus colligendi.* Isti lapides electi dispersi sunt per mundum, vt obruerent diabolum in corpore suo, quod est cætus malorum. Euntes (inquit) in mundum vniuersum &c. Sparsit iterum, vt colligerent lapides illos de quibus Ioannes *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Hi sunt gentiles. Sed postea vt hodie, eos recolligit in vnum, vt poneret in domum suã, hodie post varios triumphos ad triumphandũ deducti sunt. Quis enim nobilior miles Paulo? Semper securus in omnibus periculis, vt in naui, & in omnibus angustijs, & tribulationibus. Quid vero dicã de triumphis ego, qui nõ sum bellator? Sed communiter viellator post triũphos suis cantilenis lætificat homines. Sic orate Dominum, vt ex viella oris mei aliquid suaue, quod cor vestrũ lætificet, exeat. Et ad hoc impetrandum recurratur ad virginem ei dicendo: Aue. *A Exercitus mundi & Dei differentia. Psal. 111. Eccl. 3. Matt. 3.*

Cum dicit Paulus se bonum certamen certasse: ostendit tempus huius vitæ esse tempus certandi, secundum illud: *Militia est vita hominis super terram.* Cursum consummauit, quia nec bonis mundi huius viscatis detineri potuit, nec malis etiam vinculis vel catenis eius cursus impeditus fuit. In vinculis enim positus à prædicatione non cessauit. Vel cursum consummauit propter martyriũ. Res enim dicitur consummata, quãdo nihil omnino deest sibi ad hoc quod possit attinge- *Iob 7.*

re fi-

re finem suum. Non enim domus carens tecto dicitur consummata, quia non potest attingere finem qui est à caumatibus tueri. Vitæ nostræ cursus finis, & terminus est domus cœlestis, ad quam tendimus, pro qua attingenda hortatur nos
1. Cor. 9 *sic currite, vt comprehendatis*. Licet autẽ sint diuersi modi currendi ad Deum, tamen sunt multi, qui non statim post mortem iunguntur ei. Ieiunare enim eleemosinam dare, & orare non statim post mortem iungunt Deo, sed quandoque his nõ obstantibus detinẽtur diu animę in purgatorio. Martyriũ vero habet istud priuilegiũ quod quantuncunque homo sit peccator sine omni purgatorio, & expectatione ducit ad Deũ. Quia igitur Paulus martyrium desiderabat adhuc viuẽs
Act. 20 secundũ illud: *Tribulationes hierosolymis me manent, sed nihil horũ vereor, nec facio animã meã preciosiorẽ quam me*, id est non plus reputo vitã meã quam meipsum, dũmodo vitã per martyriũ cõsummem, quia etiã sciebat certitudinaliter se per martyriũ migraturũ, ideo poterat dicere dũ adhuc viueret, cursum consummaui. Sed multi nõ cõsummant cursum, sed cõsummãtur à cursu, quia dignitates, & honores, quos persequũtur in cursu, magis ducũt ad defectũ quã ad perfectũ, vt possint
Esa 49. dicere illud: *In vacuũ laboraui, sine causa, & vane fortitudinẽ meã cõsumpsi*; sicut enim puer post papilionẽ currit qui sudat, & laborat, nec potest capere, & quandoque prę fatigatione cadit antequã ipsum capiat, & quãdoque credit tenere, & papilio volat ad aliũ, & puer remanet totus fatigatus, sic multi tales sunt in mũdo ad capiendũ aliquod delectabile, vt beneficiũ vel officiũ, studẽdo lõgo tempore, discurrẽdo per curias prelatorũ, & principũ in tantũ quod sæpe moriũtur per laborẽ antequã assequãtur intẽtũ. Et si nõ cadũt per mortẽ, tamẽ quãdo credũt tenere dignitatẽ, volat ad aliũ, & ipsi nõ reportãt nisi laborẽ, & cõfusionẽ. Alij currẽtes ante cursus cõsummationẽ cadũt, & frãgũt ibi collũ nec seruãt fidelitatẽ Deo.

B — *Martyrium statim iungit Deo.*

Quo contra ait Paul. *Bonum certamẽ certaui*. Postquam dictum est de amore Pauli, fide, & prædicatione eius, nunc dicendum est de eius constantia, & fortitudine. Sunt autem tres actus fortitudinis, scilicet aggredi, fugere, sustinere. Igitur Paulus habuit primo virtutem aggressiuam. Nam aggressus est totum mundum cum Principe ipsius mundi diabolo.

Sed quæres, quomodo aggressus est Paulus mundum. Respondetur quod aggressus est. Primo, cum maxima audacia & fortitudine. Quod patet ex verbo eius. *In quo quis audet, in insipientia dico. Audeo, & ego*. Vnde quando dicebatur ei quod debebat alligari in Hierusalem, dicebat. *Ego autem non solum alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum*. Non enim est audax miles, qui propter timorem sui equi, ne amittat illum, dimittit facere pulchrum ictum, de quo omnibus diebus vitæ suæ honoretur. Sic non est bonus miles Christi nec audax, qui non audet facere pœnitentiam vel Deo seruire, ne amittat equum suum vel interficiat. Caro enim est equus viri iusti, calcaria quibus vrgetur amor Christi, & timor iudiciorum Dei. Præterea valens ille reputatur, & audax, qui in corpore suo ostendere potest signa belli & vulnera multa, quæ pertulit, nec fugit de prælio. Paulus autem talis fuit, dicens: *Ego enim stigmata Domini mei Iesu in corpore meo porto*. Glos. Stigmata vocat notas pœnarum de persecutionibus quas pro Christo patiebatur. Tot enim erãt notæ, quod ipse erat liber, quasi totus notatus, secundũ illud: *In laboribus plurimis*, &c. Erant enim signa militiæ quæ ipsum cõprobabant militem Christi optimũ, cui bonum est militare, quia ei seruire regnare est. Vnde ei poterat dicere Dominus illud: *Audiuimus de te quod vir potens sis viribus, & aptus, vt amicus regis voceris, ideo misi tibi purpuram*, id est, imitationem passionis meæ, scilicet stigmata in corpore tuo, & coronam auream, spem scilicet immarcessibilis gloriæ, vt quæ nostra sunt sentias in te, hoc est ea

C — *Pauli audacia seu fortitudo.* — Cor. 11. — Act. 21 — Gal. vlt. — 2 Cor. 11 — 1. Machab. 10.

est ea

est ea quæ sunt passionis meæ. Præterea Abraham audax, & fortis ex scriptura reputatur, qui cum trecentis vernaculis quatuor reges debellauit eripiens filium fratris scilicet Loth. Paulus vero non vnum exercitum, non vnam vrbem, sed totum orbem aggressus est, & Deo lucratus est, cum de manu diaboli extorquēs, innumerabilia pericula propter hoc sustinendo, proprijs mortibus maximam securitatem alijs comparādo. Noë mundum omnem periclitantem in octo personis liberauit, & per arcam quæ postea dissoluta est, vbi nec lupi potuit mutare ferocitatem Paulus vero omnem orbem periclitātem ex medijs fluctibus eripuit, non per arcam, sed per paucas epistolas, & doctrinam, quæ adhuc vsque perseuerant, in tribulationibus Ecclesiæ clariores, & solidiores factæ, per quam doctrinam lupi deponunt feritatem, accipitres rapacitatem, & mali in bonos commutantur. Moyses contra Pharaonem pugnabat, iste contra diabolum, ille pro vna gente, iste pro vniuerso orbe, non sudore tantummodo, sed sanguine decertabat. Ioannes contra Herodem certauit, iste contra innumeros tyrannos sæuientes, & crudeliores, ita vt cum in medias inimicorum versaretur insidias, ouans tamen de omni eorum referebat impugnatione victorias, ita vt vbique scissus verberibus, affectus iniurijs atque maledictis, quasi triumphales pompas agebat, & gratias agebat, dicens illud: *Deo autem gratias, qui semper triumphat, nos in Christo Iesu.* 2. Cor. 2. Secundo, aggressus est Paulus mundū cum maxima astutia, & prudentia. D Pauli prudētia Vnde sicut exploratores terræ promissionis prudenter ingressus est domum meretricis, quæ fornicata erat cum idolis, id est gentilium, & eos conuertit ad fidem. In cuius etiam figura postquam Samson, id est Christus alienigenam vxorem assumpsit, vulpes, id est, astutos prædicatores accepit, qualis erat Paulus ipso testante. *Cum essem astutus dolo vos cepi,* 2. Cor. 12 ipsoque simul per charitatem ligauit & caudas ad caudas, id est eorū intentiones simul iunxit, & sic Philisthinorum, id est dæmonū segetes, & possessiones, infideles, & peccatores igne sancti Spiritus, & fidei inflammauit dicens: *Ignem veni mittere in terram, quid volo nisi, vt accendatur?* Luc. 12. Vnde vt homines melius caperet, se eorum conditionibus, quantum poterat accommodabat vt esset, quasi piscis natās in aquis, scilicet scripturæ, cum se infirmorum capacitati accommodans, & scientiā temperans sobrio vtebatur intellectu. Hinc dicebat siue sobrij sumus vobis. Nonnūquam vero esset, quasi piscis super aquas exiliens, quando excedens communem intellectum dicebat, siue excedimus, Deo sapientiam loquimur inter perfectos. Tertio, aggressus est cum maxima clemētia, & liberalitate. Hic enim & liberaliter admodum communicabat quę à Deo acceperat, volens omnes secum participes bonorum cælestium effici, in hoc imitatus consuetudinem bonorum pauperū, qui vbi eleemosinam acceperunt ibi alios pro eleemosina petenda transmittunt. Sic enim Paulus, quia liberaliter à Deo acceperat, alios ad ipsum pro bonis cælestibus petendis destinabat. Sic, & Psal. *Accedite ad eum, & illuminamini.* Psal. 33 Super quo Ambrosius: Accedite ad eum & satiemini, quia panis est, accedite, & potate, quia fons est, accedite, & illuminamini, quia lux est. Secundo, principaliter habuit Paulus virtutem fugitiuā. Fugiebat enim cum recta ratio dictaret ad maiorem frugem salutis animarum consequendam. Sic fugit in Damasco, & euasit. Nec mirum si euaserit. Nam anguilla oleo vncta faciliter euadit manus tenentis, etiam quandoque multum stringentis. Sic quia oleo dominici nominis vnctus erat Paulus, nil mirum si effugiebat tyrannorum manus. Inde ipse dicit: *Damasci præpositus gentis Arethæ regis voluit me comprehendere, à fratribus per murum summissus sum in sporta, & sic euasi manus eius in nomine Domini.* 2. Cor. 11 Sic postmodum pluribus vicibus fugit de vna ciuitate in aliam, vt patet in actibus Aposto-

Apostolorum, ita quod etiã sumpsit prę-sidium appellationis ad Cæsarem, ne in Hierusalẽ moreretur. Sed quæritur vtrũ licebat Paulo, & consequenter Prælatis propter persecutionẽ malorum fugere à manibus inimicorũ. Et videtur quod nõ, quia mercenarius, cuius non sunt oues propriæ videns lupum veniẽtem dimittit oues, & fugit, sed bonus pastor dat animam suam pro ouibus suis. Ad hoc respondet quidã Brixiensis super c. aduersitas. 7. q. 1. quod duplex est persecutio, extrinseca & intrinseca, extrinseca consistit in manifestis inimicis Ecclesiæ, intrinseca in eis qui non sunt adhuc præcisi. In exteriori adhuc distinguit. Aut solus Prælatus quęritur aut totus clerus. Si primũ, aut eo recedente tuta est salus Ecclesiæ, & tũc fugiet. Sic fugiebat Paulus, fultus ad hoc exemplo Christi, qui cũ quæreretur occidi, fugit in Ægyptũ, qui etiã fugiendi potestatem dedit dicens: Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Si non est tuta, tunc ponat animã suam pro ouibus suis, & hostibus se opponat ex aduerso: pro fide & veritate decertando vsque ad mortẽ. Contra quosdam de quibus: *Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis vos murum pro domo Israel, vt staretis in prælio in die Domini.* Si autem alias potest consuli Ecclesiæ, totus clerus fugiat cum Prælato. Si non potest remaneant cum Prælato vel omnes vel quidã ex eis. Circa intrinsecã etiam distinguit. Aut omnes sunt mali aut quidam. Si boni commixti sunt cum malis eos non deserat. Vnde Augu. Tu bonus tolera malum. Nam Christus Iudam cum sciret furem esse tolerauit, ad prædicandum misit, eique cum alijs Eucharistiam tradidit. Si autem omnes mali sunt, aut spes est de correctione aut non. Si non: sunt deserendi etiam corpore, ne & illorũ nequitia, semper in deterius proficiat, & iusti quidem fructum amittant, quem de aliorum profectu possent inuenire. Sic B. Benedictus deseruisse legitur, quos in necem suam vnanimiter viderat conspirasse.

E Fugere in persecutionibus an liceat prælatis.

Ezec. 13

Hinc Greg. Petro Diacono secũdo dialogorum interroganti, an liceat Prælato gregem semel susceptũ deserere, respondet dicens: Ibi adunati ęquanimiter portandi sunt mali, vbi inueniuntur aliqui, qui adiuuentur boni. Vbi namque omnimodo fructus de bonis deest, fit aliquando de malis labor superuacuus, maxime si è vicino causæ suppetant, quæ fructum Deo ferre valeant meliorem. Et satisfaciens quæstioni de fuga Pauli subdit. Cũ enim Paulus in Damasco minorem sibi fructum adesse conspiceret, & grauem laborem, ad laborem se alibi cum fructu seruauit. Fortis etenim prælíator teneri intra claustra noluit, certaminis campum quæsiuit. Hæc ille. Nam & paucus erat tunc Domini exercitus, ideo ipsum multiplicari volebat prædicando in alijs ciuitatibus, ne facile & cito extingueretur.

Tertio principaliter habuit Paulus virtutem sustinentię. Sustinuit enim fortiter multas tentationes & tribulationes. Et primo quidẽ ab intrinseco, scilicet à carne. Habuit enim stimulũ carnis, sicut ipse testatur, *Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus sathanæ, qui me colaphizet*, qui tamẽ procurabatur à dæmone dispensatione diuina. Sed quare hæc infirmitas seu tentatio data est Paulo, ita quod etiam non est exauditus ad refrigerium libidinis? Videtur enim sic quod homo frustra curat ad orationem. Respondetur primo quod illa infirmitas seu tentatio data est Paulo ad eius vtilitatem. Vnde multa in diluuio animalia immũda perierunt, sed pauca in arca reseruata sunt. Sic vbi habitat Christus plurima vitiorũ & malarum inclinationũ submersa sunt, sed pauca immunda, id est immundi motus reseruati sunt ad vtilitatem iustorum. Hoc testatur Paulus: datum esse sibi stimulũ carnis ad refrenandam superbiam. Sic leo naturaliter febricitat, quod fecit sibi natura ad refrenationem superbiæ ipsius. Vnde erat in eo vox Domini intercidentis flãmam ignis, ita vt in eo pars illius flammæ reseruaretur, ne per elationem tumeret,

2. Cor. 12.

F Stimulis carnis remanet ad vtilitatem.

meret, & pars extingueretur & abscinderetur, ne vsque ad consensum raperetur. Ita Christus filius fabri purgauit in fornace tribulationis rubiginem mētis, hoc est elationem in Paulo, seu impediuit ne esset. De hoc sic dicit Aug. super: Domine non est exaltatum. Angelus sathanæ permissus est colaphizare Paulum vnde curabatur. Sed illud quod medicus apposuerat molestū erat infirmo. Rogauit medicum vt auferret. Sicut si medicus apponeret visceribus emplastrum molestū, & ardens, inde tamen curandus esset ille, cuius viscera tumebant, cum ille cruciari cœpit medicamento, & ardere rogat medicum, vt auferat. Medicus autē consolatur, & ad patientiam monet, quia nouit, quam sit vtile quod apposuit. Vnde dixit ei: Sufficit tibi gratia mea. Noui quid apposuerim, & v[illegible] de saneris. Sic dicit idem Aug. de ver. Domini serm. 53. concludēs. Non ergo exaudiuit Dominus Paulū ad volūtatem, quia exaudiuit ad sanitatem. Dicitur secundo quod licet pro tūc fuerit ei denegatum petenti: postea tamen hoc sibi diuinitus fuit collatum. Quod patet ex illo: *Mortificate membra vestra super terrā.* (Col. 3.) Quod verbum pertractans Origines super Epist. Rom. dicit: Neque enim Paulus hoc alij imperaret, quod ipse non fecerat, & hoc iudicat de Abraham, qui secundum Apostolum ibidem habebat corpus emortuum, & Sara, quę habebat vuluam emortuam. Quod (vt dicit Orig.) nō fuit ex defectu ætatis, sed secundum illā virtutem, quam sancti experiuntur in se de ista mortificatione membrorum, sic quod non incitantur luxuria, non vtuntur libidine, sed in pace possident tabernaculum suum, vt patet in S. Martino, qui carnem spiritui seruire cogebat. Paulus enim omnia, quæ hortabatur agebat. Cum enim præcipit, *sine intermissione orate*, (1. Thess. 5) idem se professus est fecisse Rom. *Sine intermissione* (inquiens) *memoriam vestri facio in orationibus meis.* (Rom. 1.) Sic & hic fecisse creditur mortificando carnem, ita quod extingueretur omnis motus. Nisi forte specialiter permitteretur de modo excitare huiusmodi motus ex diuina dispensatione propter causam dictam. Secundo patiebatur Paulus intrinsecus compatiendo infirmis & peccatoribus, secundum quod ait: *Quis infirmatur & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* (2. Cor. 11) Et: *Quotidie morior per vestram gloriam fratres.* (1. Cor. 15) Ad huiusmodi etiam compassionem nos hortabatur. *Alter alterius onera portate*, & dicebat: (Gal. 6.) *Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur & reliqua.* (1. Cor. 12) Hæc quoque cōpassio satis exterius ostendebatur à Paulo, dum modis omnibus quibus poterat procurabat cōuersionem peccatorum. Primo verbis & prædicationibus. Ita enim Dominus mēsurat verbum suum, & liquefecerat eum, & gelu infidelitatis dissoluerat. Paulus quidem gelu erat cùm acceptis literis in Damascum iactata verbi Dei semina in cordibus fidelium, ne ad perfectionem operum surgerent, restringere quærebat. Sed gelu hoc in aquam rediit, quia quos persequendo præmere studuit, hos postmodum fluentis sacræ exhortationis infundit, vt tanto liberior electorū messis exurgeret, quanto hanc imber Dei etiam ab ore persecutoris irrigaret. Secundo scripturis, quas ad varias Ecclesias mittebat. Tertio orationibus sine intermissione orando pro conuersione peccatorum. Quarto exemplo suo, & operibus inuitabat ad conuersionem, & pœnitentiam. Erat enim sicut bonus medicus, qui vario languore defessis medicinam conferre desiderans vires medicamentorum pandit, & tenens in dextera calicē, & prębibens suo exemplo languentes prouocat ad bibendum. Sic ne timerent infideles conuerti propter tribulationes quas patiebantur Christiani, ostēdebat eis fructum ex tribulationibus consequentem, & inflictas sibi patientissime sustinebat, imo sibi ipsi propter Christum infligebat, iuxta illud: *Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes.* (2. Cor. 4) Ita creuit in eo compassio, vt plus cæteris Apostolis ad peccatores conuertendos laboraret.

borarer. Inde ait: Plus omnibus laboraui. Sed quare nō dixit, plus omnibus profui. Respōderi facile potest hoc esse, quia merces non datur profectui sed labori. Bonorum enim laborum gloriosus est fructus. Neque caret mercede mercenarius qui seminat, si inde fruges non exurgat. Laborare enim est hominis, sed incrementum & consummationem facere Dei est. Tertio sustinuit tentationes, & tribulationes multas extrinsecas, & ab extrinseco principio. Primo quidem à membris diaboli Iudæis & Gentilibus. De Iudæis ita dicit: *A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi*, &c. De Gentilibus ibidem post diuersa pericula enumerata subdit, periculis ex gentibus. Erat enim sicut equus paratus ad prælium de quo sub typo prædicatorum dicitur, in occursum pergit armatus, non solum tribulationes, quæ forte accidissent æquanimiter sustinens, sed etiam se vltro offerens ad sustinendum. Iudæi autem quandoque aperte impugnabant Paulum, sicut illi, qui concitabant seditiones in ciuitatibus contra eum. Nonnunquam vero occulte: sicut illi quos vocat falsos fratres. Periculum autem maximum est in huiusmodi falsis fratribus. Nam sicut in moneta falsa, quæ habet eandem superscriptionem cum vera, magnum latet periculum deceptionis, licet materia sit diuersa, sic quando falsus Christianus habet eandem superscriptionem cum vera, & materia hoc est, mens est diuersa. Inde Seneca teste, nulla pestis innocentior quā familiaris inimicus. Sed in omnibus his superabat Paulus, tribulationibus quidem per virtutem patientiæ, fraudibus autem per spiritum discretionis occurrens.

2. Cor. 11

G Falsitas in fratribus periculosa.

Valde promptum se ostendebat ad omnia pro Christo patienter sustinenda, qui dicebat: *Certus sum, quia neque mors neque vita poterit nos separare à Christo Iesu*, similis illi Centurioni militi Augusti, imo eo fortior, de quo narrat Valerius, quod cum in bello contra Antonium per insidias captus fuisset, ductus coram Antonio interrogatus est quid de eo fieri deberet. At ille respondit. Iugulari me iube, quia nec salutis beneficio, nec mortis supplicio adduci possum, vt Augusti miles esse desinam, & tuus esse incipiam. Sic Christianus si sit verus Christi miles, nulla tribulatione immutabitur, vt seruus Christi esse desinat, & miles diaboli esse incipiat. Poterit bene corpus diuersis pœnis agitari, & affligi, sed cor semper in Deo fixum manebit. Exemplo nauis in qua erat Paulus. Cuius prora (quæ est prima pars & principalis) fixa manebat: puppis vero soluebatur à vi maris. Sic anima boni militis Christi, quæ est præcipua eius portio, debet semper fixa & stabilis in Christo manere, licet corpus varijs supplicijs & tribulationibus agitetur. Secundo passus est tam à creaturis irrationalibus. Nam ad bestias pugnauit Ephesi. quam à creaturis insensibilibus, sicut ab aquis, ventis, tempestatibus. Inde ait: periculis fluminum, periculis in mari. Vnde & per mare, & per terrā ibat in patriam cœlestem. Ter (inquit) virgis cæsus sum semel lapidatus sum. Ecce quomodo per terram ibat, nocte ac die in profundo maris fui, Ecce per mare, periculis in ciuitate ecce per terram iter carpebat, periculis in mari. Ecce per mare ibat. Tertio passus est à plusquam irrationalibus, & insensibilibus creaturis, hoc est tyrannis Nerone, & satellitibus eius, qui ipsum occiderunt, sed propter illam causam propter quam magis debebant eum diligere scilicet propter veritatem Euangelij quam prædicabat eis vt salui fierent. Sicut enim Vrias propter literas quas portabat occisus est, sic Paulus propter nomen Domini Iesu, & veritatem quam portabat. Vbi tamen bruta congratulantur, ea bene pascentibus, & in terra insensibilis reddit fructum bene colenti eam.

Rom. 8.

Acta.

1 Cor. 15

Sed quæritur quare fuit Paulus tam fixus in veritate prædicanda, & tenēda, vt pro ea se occidi permitteret, respondetur

A Visitationis festũ multis de causis institutum est.

ad hoc inspiratos esse. Nam sol primo lucet in montibus quam in vallibus. Sic reuelationes & diuini instinctus magis in eis vigent quã in minoribus. Vnde & Arist. li. de somno, & vigilia dicit, quod qui præsunt in regimine reipublicę nobiliora habent somnia. Vrbanus autem huius nominis sextus eam instituit, & omnibus qui interessent matutinis primis & secundis vesperis & missæ, centũ dies & cæteris horis 40. dedit indulgentiæ. Sed quia durante schismate per quadraginta annos non potuit implere suũ votum. Ideo non fuit celebrata vbique nec vbique recepta. Quod Sixtus Papa videns iterum vt melius celebraretur, omnibus existentibus primis & secũdis vesperis & matutinis & missæ, quinque annos & quinque quadragenas contulit indulgentiarũ, & mediã partem illarum pro alijs horis. & per octauas mediam partem illarum. Secunda causa potuit esse dignitas tantæ virginis, quæ satis laudari non potest. Vnde Hiero. quicquid humanis laudibus dici potest, minus est à laude cæli. Hinc & Ecclesia canit: sancta & immaculata virginitas quibus te laudibus efferã nescio, & alibi, valde te nos oportet venerari, quæ tam sancta & immaculata es virgo. Et singulariter nõ decebat tantum mysteriũ absque fidelium deuotione præterire, in quo quatuor sanctarũ personarum merita recolũtur. Recolitur enim Saluatoris præsentia Ioannem sanctificantis in vtero, & ordinãtis suum præconem & replentis eum spiritu suo. Secundo beatæ Mariæ salutantis & humiliter obsequentis suæ parenti. Tertio Elisabeth prophetantis & erumpentis in Mariæ laudes. Si enim ipsa sic erupit, & nos sine laude esse non debemus. Quarto Ioannis prophetantis & officium præcursoris exercentis, & sanctificati, & exultantis in vtero. Si enim in tali die sic exultauit, & nos exultatione minime carere debemus in hac sacra die. Tertia potuit esse ratio, vtilitas nostra. Est enim hæc visitatio, visitationis, quam sæpe facit Dominus in nobis, figura & indicium. Hæc autem visitatio vtilis est nobis ad tria. Primo ad illuminandum nos, sicut magister suos scholares visitat ad eos instruendos. Inde dicitur pulchra vt luna quæ in nocte huius seculi peccatores illuminat, ad quam lucem si te tenueris, per diem sol nõ vret te, id est, in prosperitate huius mundi, neque luna per noctẽ aduersitatis deseret te. Secũdo vtilis est ad lætitiam infundendã in aduersitate, sicut cum amicus amicum visitat. Inde hodie ipsa virgine visitante Elisabeth, exultauit infans in vtero exultauit & Elisabeth, licet eius coniunx mutitate percussus esset. Tertio vtilis est ad laudandum Deum. Hinc hodie in visitatione ista cantauit Maria Domino canticum nouũ, & modo laus eius cãtatur in Ecclesia sanctorũ. Ideo vt discamus laudare Deum, lętari cum ipso, & vt instruamur in dilectione Dei, putatur vtiliter instituta hæc solemnitas. Hac ratione ponit Psal. hanc visitationẽ quærens. Visita nos domine in salutari tuo, ad videndum in bonitate electorum tuorũ, id est ad hoc quod possimus videre in bonis exemplis tuis & electorum viã vitę & salutis. Ecce primam vtilitatem, ad letandum in letitia gentis tuæ scilicet parentũ tuorum, qui hodie lætati sunt tecum, ecce secundum, vt lauderis Deus cum hæreditate tua ecce tertium. Hæc hæreditas Maria fuit, quę domus eius erat, in qua habitabat & in quã plenitudinẽ omniũ bonorum reposuit, ad quam recurramus & cætera. Notandũ quod triplici de causa solet quis amicum suum visitare. Primo ad corripiendum ipsum & demonstrandum defectus, & hoc modo Maria visitat cũ filio suo deuotos sibi delinquẽtes per flagella tribulationum, ideo virga est vigilans super sibi deuotos vt erudiãtur. Vnde dixit filius eius de filijs sibi deuotis. Si dereliquerint filij eius legem meã, visitabo in virga iniquitatis eorũ, misericordiã autem meam non dispergã ab eo, & hæc visitatio est signum magnæ dile-

B Visitatio Dei in nobis vtilis est ad tria.

C Visitatio multiplex.

pene nationum cõsuetudine & iuris sanctione, consideremus quale spectaculum de vxoris adolescentulæ pudicitia, ipse nescij huius mysterij Iudeis & parentibus prebuisset, imo nõ celasset conceptũ virginalem diabolo, nec teneram coniugis famam inuiolatam, nec sui honoris integritatem seruare visus esset. Ideo secundum ipsum existimãdum est quod iam parabat Ioseph accipere Mariam in coniugem solenniter, quando missus est Angelus ad eam, quo temporis articulo Maria petens à Ioseph licentiã simul prodidit mysterium, quo audito stupuit, & ascendit in eo cogitationũ fluctus, & tũc sequẽti nocte apparuit ei Angelus, & deinde exurgens à somno cepit eam in coniugem, & tunc factum est, quod exurgẽs Maria abijt in mõtana cum festinatione. Augustinus tamen in 2. lib. de concordia Euangeliorum, & magister hystoriarũ in scholastica hystoria vidẽtur dicere, quod Maria prius iuit in montana cum festinatione, & postea tribus mensibus ibi stans quarto mense apparuit grauida, & sic Ioseph eam in coniugiũ aut in domũ suam in familiari cõuersatione traducere dubitauit. Et quamuis hoc nullis rationibus affirment, hæc tamen videtur potissima ratio, quia Maria nunquam hoc mysterium, quod secretissimũ erat, cuidam reuelasset, iuxta illud: *Sacramentum regis abscondere bonum est*. (Tob. 12.) Inde est quod necessarium fuit aliquid manifestum indicium impregnationis. Nec iterum ei dicenti tam grande & ineffabile Sacramentum tanquam supernaturale mysterium facile credidisset, cũ & mulieres sæpe facile credant, & sæpius deludãtur. Et ideo videtur credendum quod Maria ante iuit in montana, deinde est in coniugium assumpta. Sed ad hanc rationem facile responderi posset. Primo quod Sacramentum regis abscondere bonum est ab impijs & indignis, quia Matt. (Matt 7.) *Nolite sanctum dare canibus, nec proijcere Margaritas ante porcos.* non autem sanctis & iustis, & à Deo electis. Maria autem forte cognoscere potuit per reuelationem hoc esse insinuandum ipsi Ioseph sicut & cognouit se peregrinaturam apud suam cognatam Elisabeth, vt inde fœtus eius benedictionem & gratiã susciperet. Ideo subditur, post passum allegatum, *Opera Dei reuelare & confiteri honorificum est*. Ex tempore enim abscondenda sunt, & in tempore reuelãda. Vnde & audacter S. Cecilia ad sponsum suum in tempore suo reuelauit sibi quod Angelum haberet suę virginitatis custodem. Sic & Maria virginitatis amatorem secum habere dixisse potuit, & forte, ne cum vellet eo tempore eam habere in coniugem aliquo modo tantam sanctitatem contingeret. Dicitur secundo quod hoc cognoscere potuit Ioseph ex tribus. Primo ex Mariæ reuelatione & ex hoc in dubitationem vel suspitionem potuit incidere. Secundo ex corporis sui dispositione quia secundum Glos. super illud: *Et non cognouit eam Ioseph donec peperit filium suum primogenitum*, (Matt. 1.) Maria ex quo impleta est Spiritu sancto, ita radiabat in vultu, vt Ioseph facie ad faciem eam videre non posset, nec mirum, quia solem verum habebat in ventre, ideo quid mirũ si extra radiabat in facie. Præterea Moyses ex locutione ad Dominum in personam Angeli ita lucebat in vultu, vt non possent senes Israel in eius vultum intendere. Quanto magis illam quæ & ad Angelum (Exod. 34) locuta erat, & dominum maiestatis secũ habebat, lucere ad extra miro splendore credibile est. Quod videns Ioseph protinus credidit ineffabile aliquod mysteriũ in ea esse, sed tamen adhuc trepidans & quid esset, aut quomodo id actum esset dubitans & formidans responsum accepit ab Angelo, hoc esse à Spiritu sancto quod in ea natum erat. Et si quæratur, quomodo ergo nũc celebratur visitationis festũ, cũ visitatio facta sit tẽpore verno, nũc autẽ æstiuo & post natiuitatẽ Ioãnis celebratur, illa autẽ facta est cũ esset in vtero. Respõdetur iam quod dictũ est Maria paululum expectauit post annun-

nis, quia licet Hieremias sanctificatus sit in vtero, non tamen legitur habuisse vsum illum in vtero. Tum etiã, quia pueri, qui sanctificantur per baptismum nec propter hoc vsum rationis habent. Nec plures in scriptura leguntur sanctificati, vt dicit idem doctor, quia huiusmodi priuilegia gratiæ, quę dantur aliquibus prę-ter legem communem, ordinãtur ad vtilitatem aliorum, secundum illud: *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem*, quæ nulla proueniret ex sanctificatione aliquorum in vtero, nisi Ecclesiæ innotesceret. Et licet iudiciorum Dei non posset ratio assignari, nisi voluntas eius quare scilicet huic hoc gratiæ munus conferat, & non alteri, quia Psal. hunc humiliat & hunc exaltat, quia calix in manu Domini, scilicet ad voluntatem cui vult distribuendus, conueniens tamen videtur fuisse vtrumque istorum in vtero sanctificatum secundum Thomã ad præfigurandum sanctificationem per Christũ fiendam. Primo quidem per eius passionem. *Iesus vt sanctificaret per sanguinem suum populum, extra portam passus est*. Quam passionem Hieremias verbis & mysterijs aptissime prænunciauit, & suis passionibus expressissime præfigurauit. Secundo per baptismum. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis*, ad quem quidẽ baptismum Ioãnes suo baptismo præparauit homines.

1 Cor. 12

Heb. 13.

1. Cor 6

F

Ioannis Baptistæ mirabilia in visitatione Mariæ facta.

Pro secundo puncto huius partis, dico quod Ioannes in hac sua exultatione loquendo secundum primam opinionem paulo ante recitatam sex mirabilia operatus est, vel Dominus in eo. Primo enim audiendo matrẽ Domini cognouit Dominum per spiritum sanctum commouentem. Vnde Bernar. vere ardẽs, & vehementer accensus erat Ioannes, quẽ sic preoccupauit flãma cælestis, vt iã Christi sentiret aduentum, qui nondum poterat sentire seipsum. Tunc enim intellectus auctior visu lincis fuit, quando per duos parietes, ventrem, scilicet matris & virginis cognouit Dominum, de quo: *En ipse stat post parietẽ*. Dominus enim stabat post parietem ventris virginalis, in quo latitabat puerulus. Iste est paries ad quẽ Ezechiæ exẽplo peccator in angustia positus conuertere debet faciem suã, cupiens auxilium Domini impetrare. Secundo cognoscẽdo exultauit, id est, gauisus est. Si enim Abrahã videns in spiritu, & à longe diem Domini exultauit gaudio magno, quãto magis gauisus creditur ipse Ioãnes in vtero, dũ eum præsentem habuit, qui est gaudium Angelorũ. Vnde potuit tũc dicere Maria illud: *Cum esset rex in accubitu suo nardus mea dedit odorẽ suum*. id est, cũ rex paradisi requiesceret in vtero mea, natura humana assũpta adhuc paruula, sed odorifera dedit odorẽ suum, ad cuius sensum exultauit infans Ioãnes in vtero matris, vt nõ solũ infans Domino suo famularetur intellectu, sed etiã gaudio & effectu. Et sic fuit inter omnes familiarior & specialior amicus & camerarius, quando adhuc latẽs in camera vteri materni, seruiuit ei cũ gaudio & exultatione. Tertio exultãdo salutauit quodãmodo Dominũ suũ, quasi gratias agẽdo de tãtis sibi collatis beneficijs. Vnde Gl. ibid. Cũ lingua non poterat, animi exultatione salutat. Quarto salutãdo se mutauit. Cũ enim nõ posset salutationem exprimere, totum se excussit in vtero matris ad resalutandũ virginem vel Christum. Dicũt enim aliqui quod in illa salutatione faciem, quæ secundũ Philosophum. 9. de animalibus semper stat versa ad matris dorsum seu renes, Ioannes se vertit ad Christũ in vtero clausum. Quinto se mutãdo prophetauit. Quod enim ore proprio fari nõ potuit, ore materno protulit. Inde Aug. li. 3. de mirabili sacræ scrip. c. 1. Ioãnes adhuc in matris vtero manẽs priusquã nascere-tur, cũ Mariæ matris Domini introitum in domum præsensit, per os matris Elisabeth de nascituro Christo Domino ex ea prophetauit, Licet enim esset lucerna ardens, & lucẽs testimonio Saluatoris, erat tamen adhuc sub modio, quia illo tẽpore solũ potuit illuminare modiũ suũ, & soli lucere matri. Quis enim ei indicauit

Cant. 2.

Cant. 1.

Mariam matrem esse Domini, nisi puer in vtero existens? De eo enim tunc potuit dici illud quod erat *stella matutina in medio nebulæ*, matutinā, quia præueniens, & annuncians solis ortum, sed in medio nebulæ, quia adhuc medio matris vtero circuntectus. Sexto prophetando meruit. Hūc enim actum nemo potest bene exercere habens rationis vsum, qui non mereatur. Ex quo apparet quanti meriti fuit Ioannes, qui ab vtero cæpit mereri. Bene enim contingit quod qui tardius incipit bene operari, aliquando, quia diligenter, & intense operatur, præcedit in merito eos, qui à principio semper bene egerunt, vt patuit in Paulo, & Magdalena; sicut in illo, qui antecedit in via quādo lente incedit bene præceditur ab eo, qui tardius viam incepit, sed velociter graditur.

Eccl. 50

Sed eum, qui intensissime operatur, quis præcedere potest? Huius autem quanta fuit operatio per totā vitam, non est qui possit dicere, ideo consideremus quanti sit meriti apud Dominū. Hic à principio bene operatus est, etiam existens in vtero materno, & vix quando eximus de mundo in morte vel prope mortem possumus operari. Quo ad tertiū principale de persona visitata, dicitur in textu, quod repleta est Spiritu sancto Elisabeth, & exclamauit, scilicet clamore deuotionis in laudes Mariæ, quia à Spiritu sancto est quod quis donum habet eam diligendi, & colendi. Vnde Psal. *In multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam*, quam scilicet habitasti. Hinc & ait, *Ego mater pulchræ dilectionis*, quę non potest haberi nisi cum speciali Dei auxilio. Magnificat autem eam ex sex prærogatiuis. Primo magnificat eam super omnes mulieres dicens, benedicta tu inter mulieres, quia hoc assecuta est quod aliæ nunquam potuerunt assequi, vt scilicet esset mater Dei. Secundo manificat fructum cum ait, & benedictus fructus ventris tui. Sed quærere ibi posses, quare iste fructus dicitur fructus ventris, nō oris. Scriptū est enim. *Ponam fructum labiorum pacem*, cum igitur ipse sit pax nostra, magis debet dici fructus labiorum vel oris, quam ventris, Respōdetur, quod potest dici fructus oris, quia per consensum oris Mariæ dicēdo, fiat mihi, secundum verbum tuum, factus est fructus ventris, sed tamen dicitur plus, fructus ventris, & singulariter, quia virgo ipsum concepit in vtero, causa scilicet intrinseca, non sicut aliæ quæ recipiunt ab extrinseco vnde concipiunt. Ideo Christus dicitur germen. *Erit germen Domini in magnificentia*; quia sicut granum madefactum ex propria substantia germen emittit, à quo est totus fructus sine contactu alterius grani, sic Maria madefacta gratia Spiritus sancti, sine contactu virili ex se sola germinauit Christum. Et sicut fructus ex arbore nascitur ipsa non violans, sic iste fructus ex Maria. Et sicut fructus optimus arborem commendabilem reddit ex qua nascitur, sic eo benedicta Maria in mulieribus, quia benedictus fructus ventris eius, non autem benedictus, quia illa benedicta, sed ideo illa benedicta, quia præuenit eam in benedictionibus dulcedinis. Illa benedicta inter omnes mulieres, iste benedictus super omnes. *Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*. Iste fructus sic benedictus, vt in eo benedictæ sint omnes gentes, sed Maria differentius nomen præ illis hęreditauit dignitate materna, & gratiæ plenitudine.

Psal. 5.
Eccl. 24.
Nota. quæstionem.
Esa. 57
Esa. 4
Rom. 9

Secundo, dicitur fructus ventris non oris, quia ad sensum mysticum verba prædicationis non de ore tantum voluit esse Dominus, sed maxime de ventre. *Qui sitit veniat ad me, & bibat, & flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*. Aqua viua verbum viuificās. Quia ergo non tā de ventre, quā de ore fluūt verba malorū, nō tā auditores viuificant quā delectant. Vnde & bibisse non videtur à Domino, de cuius ventre nō fluit sermo viuus, & efficax per timorem scilicet, & amorē Dei, quem generat in audientibus magis viuificās, quā aures

II Verbum prædicationis procedat de ventre.
Ioan. 7.

aures foris erudiens. Et licet benedictionem laudis foris obtineat apud homines sermo talis, non tamen simpliciter benedictus, quia non est fructus ventris, & de ore non de corde procedit. Tertio, magnificat eam super omnes matres, quando dicit, vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me. Nihil enim de ea excellentius prædicari poterat, quã vt Dei mater Maria appellaretur. Hoc enim donum Dei quod nulli alteri collatum est, vt virgo mater esset filij, & talis filij, omnibus alijs excellentius est. Hoc enim dicebat Elisabeth ex humilitate, quasi diceret, vnde hoc vt mater Dei mei meam se subijciat in ancillã, ego prius ad eam ire debui.

Sed considerabat ex spiritu quem gerebat, quæ se iam ancillam dixerat, & quæ per humilitatẽ Dominum conceperat, quod ad eam sibi ministrare spectabat, & quod qui ministrare venerat, eã ad humilitatis officia cõpellebat, cõsiderabat etiam vtilitatẽ, quæ inde puero prouenerat, & ex contactu eius prouenire debebat, ideo eam retinuit vsque ad natiuitatẽ Ioannis, in qua (vt dicunt quidam deuoti Doctores) ipsum Ioannem primũ de vtero matris accepit. Quarto, collaudat in gratitudine beneficiorũ. Tunc enim beata virgo de abundanti plenitudine quam susceperat, suis parentibus non ingrata fundebat. Nam ait, ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans præ gaudio in vtero meo. Ex tunc enim suis amicis, & deuotis non cessauit gratiarum effundere plenitudinem.

Quinto, collaudat eam de fide per quã omnia mirabilia facta sunt. Beata (inquit) quæ credidisti. Sicut enim perfecta Dei visio, & aperta est beatitudo patriæ, sic perfecta cognitio fidei est beatitudo viæ. Mat. 16. *Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis,* Rom. 4. &c. *Sed Pater meus, qui est in cælis.* Et hic, *beata quæ credidisti.* Ex quo secundũ Amb. apparet Mariam in huiusmodi rebus nõ Nota. dubitasse, sed credidisse, & apparet etiam Elisabeth verba Angeli Mariæ dicta per spiritum cognouisse. Quod si tantum cõmendatur Abraham ab Apostolo, de hoc quod contra spem naturæ credidit in spẽ gratiæ, scilicet, quod senex posset de Sara sene, & sterili generare, quanto magis Maria commendanda est, quæ ad verbũ Angeli primum credidit, quod filiũ posset generare sine viri semine, & parere manens virgo non solũ hominem, sed filium Dei. Sexto, laudat eam in magnificentia, quoniam (inquit) perficientur in te omnia quæ dicta sunt tibi à Domino per Angelum, id est, omnia in te magnifice fient, sicut magna sunt mysteria. Huius autem perfectionis causa fuit fides, vt videtur ipsa in textu innuere. Vt enim dixit Rich. de media villa in 3. senten. super textum, dist. 4. fides quodammodo fuit principium actionis Mariæ in generatione filij. Credidit enim Maria promittenti, consensit operanti. Consentire autem & credere est aliquid agere, & maxime cum res non fieret sine consensu & fide eius.

Fidei enim attribuitur maxime operatio miraculorum. Hoc autem licet verum sit, Maria tamen totum Deo attribuit, ex quo sunt omnia dicens: *Magnificat anima mea Dominum.* Luc. 1. Ac si diceret secundum Bernard. tu magnificas matrem Domini, & ego magnifico ô Elisabeth Dominum ipsius matris. Tu me magnificas de bonis quæ vides in me, sed ego magnifico Dominum à quo hæc omnia processerunt. Nam iuxta Psal. *Magnificabo eum in laude.* Psal. 68. Tu dicis quod exultauit infans in gaudio in vtero. *Sed exultauit spiritus meus, in Deo salutari meo.*

## DE EODEM FESTO SER. II. & in ordine XI. Per Thema.

Psal. 64.

*Visitasti terram & inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam.* Non sine causa gratias agit Ecclesia in spiritu de tanta visitatione facta in populo suo. Primo, quia ante incarnationem quasi

*A Visitatio Dei per carnem suscepitur cum gratiarũ actione.*

quasi morabatur ex toto cælestis Episcopus dans præbendas Paradisi, (de quo Hebr. 9. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum,*) in sua diœcesi principali, scilicet in cęlo & clamabat de prouincia mūdi ad patrē, visita nos Domine in salutari tuo, ad videndum in bonitate electorum, vt scilicet se videant mutuo electi Maria & Elisabeth. Ioannes & Christus ad lætandum in lætitia gentis tuæ, vt lauderis cū hæreditate tua, id est, cum humanitate, quæ est eius hæreditas perpetua. Cæterę habitationes eius non sunt nisi mobilia bona, vt nos qui per peccatum sæpe mouemur ab eo. Quo impetrato Zacharias ait: *Visitauit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedēt.* Propter quod missus est filius à patre quasi legatus ad visitandum mundum, & inebriauit eum sua prædicatione, multiplicauit locupletare in Spiritus sancti missione, & repleta est Ecclesia quasi flumen aquis gratiarum & donorū Dei, ideo nil mirum si gratias agit de hac visitatione. Secundo, quia dum alij Archidiaconi visitant quærunt procurationem & pastū. Si vero det Archidiaconus vtrumque, gratias agunt curati & parochiani. Cum igitur Dominus in visitatione sua nihil à nobis petierit, sed nec solum eam gratis fecit, quia *In hoc est charitas Dei, non quasi nos dilexerimus eum, sed quia ipse prior dilexit nos.* Sed etiam visitando pauerit verbo, exēplo, & cibo, quia visitasti terram & inebriasti eam, & diuitijs repleuerit, & dona sua communicauerit, potestatem suam conferendo successoribus suis, ideo nil mirum si hodie de tanta visitatione gratias agat Ecclesia. Tertio, quia sole non Oriente super terram & calefaciēte eam terra manet sterilis & infœcunda. Vnde & dixerūt antiqui Poetæ solem esse maritum terræ, eo quod sine sole infœcunda manet. Et quia ante incarnationē Christi sol non oriebatur super terram, sed populus gentium ambulabat in tenebris ignorantiæ, ideo adueniente hac solis visitatione, quam sentiebat qui dicebat, nox præcessit, dies autem appropinquauit, nil mirum si de hac visitatione gratias agimus dicentes, visitasti terram & inebriasti eam, &c. Et certe Mariam visitauit in natiuitate sua & conuersatione, inebriauit in filij Dei conceptione, multiplicauit locupletare eam in sua visitatione, quando flumen Dei Ioannes repletus est aquis benedictionis. Aqua igitur benedicta curiæ paradisi quæramus à Maria repleri, dicentes: Aue.

Hebr. 9.

1. Ioan. 4.

Primo, dicemus quomodo Maria visitauit terram Elisabeth. Secundo quomodo inebriauit eā. Tertio, quomodo multiplicauit locupletare. Circa primum secundum tenorem Euangelij dicetur vnde Maria exurrexerit & de nube festinante. Circa secundum quomodo Ioannes fuit flumen repletū aquis, & an pluries fuerit visitatus. Circa tertium quomodo Maria locupletauit Elisabet docēdo eam per canticum. Pro primo quæritur primo vnde Maria exurrexit quando abijt in montana. Nonne erat semper diligens & stans in operibus suis non otiosa? De ea enim dicitur. *Panem otiosa non comedit.* Respondetur primo quod Maria surrexit à quiete contemplationis ad laborem actionis. Non enim est bonum prælato semper esse in contemplatione, quia oportet eum descendere ad laborem pro populo suo, exemplo Moysi qui descendit de monte. Sic in canticis postquam sponsus adiurauit filias Hierusalem ne euigilarent sponsam à somno, iubet eam surgere dicens: *Surge propera amica mea, speciosa mea & veni.* Secundo, surrexit à quiete corporis ad laborē itineris. Licet enim (vt dicit Paulus) exercitatio corporalis ad pauca sit vtilis, pietas tamen ad omnia valet. Non enim ibat ad spatiandum sicut multi ad peregrinationes, vel ad exercitium vt multi vt corpore sanentur, sed ad opera pietatis circa affinem exercenda. In quo notatur sanctarum mulierum peregrinatio Deo placēs, quando fit ad visitanda loca sancta, domus enim Zachariæ erat locus sanctus.

Pro. 31.

I Prælati descendunt quandoque ad laborem actionum

Cant. 2. & 10.

Ter-

Tertio exurrexit à domo propria, vt transmigraret ad alienam. Nō enim sufficere debet nobis si cuncta sint prospera erga nos, sed etiam circa fratres & vicinos nostros consolando eos & consilium dando & iuuando. Vnde missus est Dauid ad videndum in prælio si cūcta erant bene disposita circa fratres suos, & interfecit Goliam. Ioseph similiter sed licet venditus fuerit, tamen inde consecutus est sedem regni. Maria igitur accedit non incredula de oraculo, sed pro voto ministratura suę cognatæ pregnanti. In quo discant secundum Amb. mulieres, erga prægnantes affectum & solicitudinem gerere debent, quando Maria ad hoc officium exercendum de tam longinquo venit. Et vt moraliter loquamur, qui cōcepit Saluatorem vt Maria iuuet alios qui habent bonum propositū ad id implendum opere, vt Maria ad adiuuandum Elisabeth ad Ioannem pariendum. Et ita credendum est quod sicut Maria non discessit quousque Ioannes enixus sit, sic nec Maria suos deuotos dimittet, quousque opera sancta concepta ad effectum perduxerint.

1. Re 17

C *Maria comparatur nubi*

Secundo quæritur quare Maria ascendit cum festinatione in montana. Respondetur quia primo tunc erat velut nubes quæ festinanter discurrit, & Dominus erat quasi stella matutina in medio nebulæ, quæ excitauit Ioannem cum dormiret in vtero. Vnde secundum Senecam nullius boni sine socio iucunda possessio, propter quod Maria tāti boni conscia sine socio esse non volēs, festinanter ad quærendum societatem tanti boni capacem accessit. Secundo qui vento Spiritus sancti ducebatur. Ambr. nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. Ipsam enim impellebat, trahebat circumducebat, docebat, & custodiebat spiritus sanctus. Vnde spiritus sapientæ docuit eam respondere Angelo, spiritus pietatis traxit ad Elisabeth spiritus fortitudinis ad consentiendum Angelo, spiritus intellectus deduxit eam cum filio ad templum, spiritus consilij fecit emittere virginitatis votum, spiritus timoris impulit eam & fecit cum filio descendere in Ægyptum, spiritu sciētiæ patienter portare paupertatem & aliàs miserias, quibus sciebat omnia ad profectum & meritum deducere.

Tertio quia nubes ad fructum terram habilitat & fœcundat, sic Maria adueniens Ioannem ad spirituale gaudium de Saluatore habilitauit, & spiritu prophetiæ Zachariam & Elisabeth fœcundauit. Sic illa quotidie peccatores habilitat ad omne bonū. *Speciosa est misericordia eius in tempore tribulationis, sicut nubes pluuiæ in tempore siccitatis.* Ipsa enim velut nubes misericorditer abscōdit peccatores ab ardore solis iustitiæ, & in ipsis refrigerat ardorem concupiscentiarum & fœcundat ad bene operandū. Pro secunda parte quoad primum dico quod Ioannes fuit flumen Dei repletum aquis, flumen quidē inundans per vniuersam iudæam, & hierosolimam, imo desertum irrigabat. Sed tribus aquis hodie repletum est. Primo quidem aquis gratiarum. Nec hoc est mirabile, quia prope Ioannem erat abyssus fontalis omnium bonorum, & gratiarum, nil mirum ergo si in appropinquū effluebat. Appropinquemus ergo nos illi abysso, & influet in nobis, & hoc per pœnitentiam. Inde ait Ioannes, *pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum celorum.* Similiter erat prope fontē. Ex fontis enim cursu retento generatur magnū stagnum. Sic Maria fons ortorum, id est, conscientiarum ad irrigandum, Primo quidem irrigat terram vnde oritur, sicut Maria Annam matrem suam. Hinc canit Ecclesia, cæleste beneficium introiuit in Annam, de qua nata est nobis Beata virgo Maria. Secundo, terras vicinas Ioannem & Elisabeth, deinde de plenitudine eius accipimus omnes. Secunda, repletus est aquis tribulationum. Iste aquæ eleuauerunt arcam in sublime, quando per tribulationes cognoscebatur dum vinceret, sed aquæ multæ non potuerunt extinguere

Eccl. 35.

D *Ioannes Baptista comparatur flumini pleno.*

Matt. 3.

tinguere charitatem. Tertio, aquis doctrinarum, & scripturarum. Vnde allegauit de se prophetizatum quod scriptum erat. *Ego vox clamantis in deserto*, &c. Tanta fuit eius doctrina, vt discurreret per Hierosolymam, & vniuersam Iudæam.

Esa. 40.

E Maria creditur pluries visitasse Ioannem Baptistã

Quoad secundum in quo quærebatur an Maria solum semel visitauerit Ioannem cognatum suum, & filiolũ suum an pluries. Dicitur quod verisimiliter putãdum est, & pie credendum quod pluries. Primo, quia nulla vnquam religiosior mulier quam Maria, & magis legem obseruans. In lege autem iubebatur ter in anno visitari templũ Hierusalem, in quo erat sacerdos Zacharias, satis prope manebat Elisabeth. Non est igitur credendũ, quod talis mulier suos parentes dedignaretur visitare, cum quibus talem ac tantam habuit consolationem, vt inde cantare inciperet, quod non alibi legitur factum. Secundo, quia animalia ad sibi similia conueniunt, & omne animal simili sibi coniungitur, vt patet in volatilibus eiusdem speciei. Cum igitur nullus similior esset moribus illi quam Zacharias, & Elisabeth vel Ioannes, credendum est eã sæpe illos visitasse, imo sæpe cum Ioseph, & Iesu, etiam Iesum, & Ioannem se mutuo visitasse in deserto, maxime dũ Dominus ieiunaret post baptismum. Pro tertia parte quæritur. Primo, quomodo Maria cantat in beneficio visitationis, & non in beneficio incarnationis, dum collata fuit gratia summa, vt esset mater Dei, quomodo etiam cantat in domo aliena non propria. Ad hoc respondetur quod Maria cantauit à Spiritu sancto hoc canticum. Spiritu sancto enim inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Et quia Spiritus sanctus non semper tangit Prophetas, sed iuxta beneplacitum suum, ideo nil mirum si Maria quando à Spiritu sancto tacta est exultauit, & cecinit more patris sui Dauid, qui post adepta Dei dona gratias in Canticis, & Psalmis referebat.

F Nota quæstionem.

Vnde non semper Angelus mouebat aquam piscinæ, sed secundum tempus. Potuit tamen huius ratio esse, quod tunc cecinerit, quia Deus humilibus dat gratiam. Vnde & Principes dant hystrionibus vt laudẽtur ab eis, & quia hic humiliauit se, ideo Spiritu sancto repleta prophetauit, & ei superaddita est gratia propter gratitudinem eius. Secunda ratio communiter aues excitãt altera alteram ad canendum, carbo carbonem accendit, & vna corda harmoniã non facit, & vnus alium ad deuotionẽ excitat, & sine Psalte Elyseus prophetare non potuit, ideo Maria sola non cecinit, quæ cum alijs cãtauit & exultauit. Tertia ratio, quia cum Maria in incarnatione verbum incarnatum possidebat, hoc habuit tanquam bonum propriũ sibi, eo quod nondũ mundo propalatum esset, & communicatum, nunc autem videt ipsum bonum alteri communicari. Nil mirum ergo si maius fuit gaudium in visitatione saltem extẽsiue, & sic Maria cecinit. Vidit enim tunc primos fructus illius ligni paradisi in orto suo plãtati. Inde manifeste ostenditur non esse spernendum sexum muliebrem, quem Dominus tanto fructu, & tantis donis hodie honorauit.

Quarto, quia secundum August. Euæ planctum Mariæ cantus exclusit, & quia planctus ille in omnes deuenerat, iustum fuit vt cantus ille coram pluribus audiretur, vt diceretur, vox turturis audita est in terra nostra, quæ vernum tempus annunciat. Secundo, quæritur circa canticum Mariæ, quomodo ipsa dicit: *Magnificat anima mea Dominum*. Cum magnificare sit idem quod magnum facere. Non enim potest illum facere magnum, qui infinite magnus est. Respondetur quod magnificauit eum pluribus modis, & magnum fecit. Primo, magnum fecit, eius imaginem magnam faciendo, & dilatando. Saluator noster secundum Origenem est imago Dei inuisibilis, & anima nostra imago imaginis. Cum autem illam opere, cogitatione, & sermone

G Maria pluribus modis magnificauit Dominum.

ne magnificauero, tunc magnifacio ipsum.

Sic Maria, quæ omnibus his modis magnificabat. Secundo secundum Bernard. Maria magnificabat, quia magnificentiã suam recitabat, quia nihil tale fecerat in alia creatura sicut in Maria. Ideo ait. *Magnificat anima mea*,&c.quasi dicat magnificat Dominum omnis creatura, sed anima mea super omnia. Inter omnem quippe creaturam nihil tam magnifice fecit, sicut animam meam. Tertio quia licet Deus secundum diuinitatem crescere non posit: potuit tamen qui paruus erat secundum humanitatem, magnificari secũdum eam, iuxta illud, puer autem crescebat plenus sapientia. Vult ergo dicere Maria quod magficẽtia Dei maxima fuit, quę cum non haberet vnde cresceret secundum diuinitatem, nostrã humanitatem fragilem sua magnificentia vsque ad diuinam prouexit. Propterea considerans Maria humilitatem suã, non seipsam, sed Dominum magnificat, quasi dicat, magnificat anima mea Dominum, non me ipsam. Erat enim vera

Psa. 130 filia sui patris Dauid qui ait: *Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam, sicut ablactatus super matre sua, ita retributio in anima mea*, Quarto quia magnum locũ ei præparabat. Nam per humilitatem ad nihilum se redigebat, vt ei dilatatum charitate cor ad hospitium præpararet. Magnificat enim hospes superuenientem Principem, qui totum ei suum præparat hospitium, nihil sibi retinens. Sic ergo magnum fecit Dominum, dum se paruam faciebat. Est autem canticum hoc Mariæ non vetus sed nouum: non illius Adæ per quem mentis, & carnis corrupta est integritas, sed eius in quo nõ solum sanata, sed etiam super choros Angelorum glorificata est humanitas. Non canticũ lachrymarũ, quod nos docuit vetus Adam, vetus Eua, vetus pater, vetus mater, & quod ab exordio decantamus in hac lachrymarum valle, sed canticum lætitiæ, & exultationis. Si vox lætitiæ & exultationis in tabernaculis iustorum, quanto magis in tabernaculo iusti iustorum. Inde & ipsa ait. *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*. Sic Luc. 1. enim inebriauerat eam gratia Spiritus sancti, vt pæne extra se rapta lætificaretur gaudio ineffabili.

## DE EODEM FESTO SER. III. & in ordine XII. Per Thema.

EXurgens Maria abijt in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth. Ibidem.

*A Salutatio triplex discordia triplex sedatio.*

Triplex inuenitur salutatio celebrior in Euangelio. Prima Angeli ad hominem, secunda hominis ad hominem. Tertia hominis ad Deum. Primo Angeli ad Mariam. Secunda Mariæ ad Elisabeth. Tertia Christi ad discipulos post resurrectionem. In quibus designatur triplex sedata discordia. Prima Angeli ad hominem. Discordabat enim Angelus ab homine, eo quod post ruinam Apostasiæ Angelorum, homo, qui reparare eam debuerat, corruit in peccatũ, & qui in Domini Dei sui obsequio stare debuisset, se quasi sponte Dominio diaboli subdit. Per salutationem vero Angelicam facta hæc concordia intelligitur, quando per partum Mariæ fit homo conciuis Angelorum, & domesticus Dei. Secundo discordabat homo ab homine, iudæus à gẽtili propter diuersarum legem æmulationem. Sed hæc intelligitur facta concordia in salutatione Elysabeth, quando apparuit ille lapis angularis, qui fecit vtraque vnum, quando illi duo parietes, scilicet Mariæ venter, & Elisabeth se in eandem domum inuenerunt conuenisse concorditer. Sed concordia Dei ad hominem designatur facta in resurrectione, cum dixit Dominus discipulis, pax vobis, ego sum nolite timere. Sic igitur nos salutant Angelus, Deus, & homo, sed differenter; quia Angelus nos salutat procurando salutem nostram, homo vero docendo, monendo, corripiendo,

piendo, & orando. Deus vero illam operãdo per se, ex cuius dispositione, & gratia inter salutationes seu orationes cæterarum creaturarum efficacior est salutatio, & oratio virginis Mariæ ad nostram salutem procurandam. Igitur, vt digni simus eius salutatione, prius illam salutemus, dicentes: Aue, &c.

Quæri posset cum Maria intrauerit domum Zachariæ, & salutauerit Elisabeth, cur non etiam Zachariam, vel si sic, quare non expresiit Euangelista, cum tamen secundum aliquos dicatur tũc fuisse summus sacerdos. Ad hoc dicitur quod quia nutu solo salutauerat Zachariam, verbo vero Elisabeth, ideo non loquitur Euãgelista nisi de salutatione Elisabeth. Creditur enim tempore illo quo mutus erat vacasse contemplationi, & studio scripturarum, & interiori orationi. Tempus enim tale multum conuenit contemplationi, quia per collocutiones multum temporis perdimus, per silentiũ vero lætitiæ cordis, & contemplationi vacamus. *Et lætati sunt quia siluerunt, & deduxit eos in portum voluntatis eorum.* (Psa 106) Nauis voluntatis aurorum semper est in mari desideriorum, & non est finis desideriorum eorum, nec vmquam attingunt ad portum, vel finẽ, sed semper sunt in amaritudine. (B Silentiũ pars congruit cõtemplationi.) Sed voluntas contemplatiuorum semper deducitur ad portum, id est ad considerationem finis sui, in quo delectantur sicut ille, qui dicebat: *Memor fui Dei, & delectatus sum.* (Psal. 74.) Vnde & signis solis ei loquebantur alij iuxta illud: *Innuebant patri eius*, &c. (Luc. 1.) Et ideo non curauit Euangelista huiusmodi salutationem Mariæ solis signis factam Zachariæ, exprimere, cum ait exurgens Maria abijt in Montana, &c.

Hic iuxta Thema, & Euangelium dicetur. Primo, de multiplici ascensu Mariæ. Secundo, cum qua comitiua ascenderit Maria in Montana. Tertio, quanti gaudij fuerit ascensus ille ac visitatio, & salutatio Mariæ. Pro prima parte dico quod in scripturis Euangelicis triplex inuenitur ascensus Mariæ. Primus est ascensus humilitatis, cum ascendit Maria in Montana Iudææ ad ministrandũ Elisabeth maior ad minorem. Humilitas enim ascendere facit iuxta regulam Saluatoris, qui se humiliat exaltabitur. Sicut in statera nummus, qui descendit mittitur, & exaltatur in thesaurum, qui vero ascendit, non, sed mittitur in Caldariam. Sic per defectum ponderis humilitatis superbi reprobantur, humiles vero tanquam thesaurus pretiosus in regnũ ęternum exaltantur. Sic igitur humilitas Mariæ ascendere fecit Mariam, & Deo appropinquare. Nullus enim magis Deo appropinquus est quam humilis, sicut circumferentia circuli quanto minor tãto centro propinquior, id est, Deo qui centrum est, circa quod voluitur spiritus intellectualis. Secundo, humilitas ipsa fecit eam solitariam. Quamuis enim esset regina mundi, & mater Dei, non tamen legitur quod in hac peregrinatione comitiuam habuerit aut caudã. Bene enim associatur, qui Deum secum habet, & hoc contra quasdam mulieres, quæ magnas caudas habent. Exemplum habes ex Cæsario quod eas debeat ad huiusmodi superfluitate reuocare. Nam tempore quodam apud Maguntiam contigit matronã quandam pompatice ornatam, & ad similitudinem pauonis varijs ornamentis pictam ad Ecclesiã venire. In cuius cauda vidit curatus multitudinem dæmonum residere. Erant autem parui vt glires, nigri vt æthiopes, ore cachinnantes, manibus plaudentes, & etiam sicut pisces intra sagenam conclusi saltantes. Quos vbi conspexit, cum circa Ecclesiæ ostium aquam benedictam aspergeret, dæmonũ quadrigam foris expectare fecit, plebem aduocauit, dæmones ne fugerent adiurauit. Territa illa stetit, & vt visiones populus videre mereretur, quia vir bonus, & iustus valde fuit, orationibus suis obtinuit. Intelligens mulier se ob vestimẽtorum superbiam sic à dæmonibus esse derisam, domum redijt, vestimenta mutauit,

tauit, & tã ipsi quam cæteris feminis eadem visio facta est occasio humilitatis. Contra viros etiam, qui pompas exercẽt cum caudis, & multitudine hominum. Tertio humilitas Mariæ eam portare faciebat Christum Dominũ, Vasa enim vacua replebat Helysæus. Sic Mariam se ex humilitate vacuam bonis dicentẽ replebat Christus non solum in mente, sed in ventre. Ex quo sequitur quã pulchra fuerit Mariæ humilitas. Si enim illud pulchrius est quod libentius inspicitur, humilitas eius pulcherrima fuit, quia respexit Dominus humilitatẽ ancillæ suæ potius quã castitatem. Quarto humilitas fecit eam inclinare ad salutandum minorẽ se. Quanto enim arbor magis est onerata, tanto ramos suos ad terrã magis inclinat. Sic Maria, quia onerabatur fructibus paradisi non solum in mente, sed etiã in ventre, necessario habebat se inclinare ad minores. Non igitur dedignabitur condescendere nostris necessitatibus, & nos pauperes peccatores salutare, quæ nunc Deo plenior est & per gratiã & per gloriam. De hoc ascensu dicitur: *Quæ est ista, quæ ascẽdit quasi aurora consurgẽs.* Sicut enim aurora frigida est adducẽs solem, vt illuminet terrã, sic in isto ascensu Mariæ ipsa frigida per virginitatem ab omni incendio libidinis aliena, adduxit ad Ioannẽ verum solẽ iustitiæ vt ipsum illuminaret & inflãmaret, vt esset tandem lucerna ardens, & lucens. Secundo legitur ascẽdisse Maria in Bethleem: *Ascendit autem Ioseph de Galilæa in Bethleem cum Maria vxore pregnante*, & hoc vt profiteretur. Et hic est ascensus fidei, ad quem nemo potest ascẽdere nisi primum fecerit ascensum. Nisi enim quis per humilitatẽ captiuauerit intellectum suũ in obsequium fidei; nõ potest esse vere fidelis. Sicut igitur ascensus humilitatis Mariæ fecit inclinari Dominũ de cælis ad terras, sic ascẽsus & perfectio fidei concipere fecit saluatorẽ, & eam parere virginẽ, de conceptu canit Ecclesia, concepisti per aurem Dominum nostrum Iesum Christum. Sed de partu dicit Elysabeth. Beata quæ credidisti, quoniã perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Domino. Dictum autem sibi fuerat à Domino per Angelum, ecce concipies in vtero, & paries filium. Primum iam nouerat experientia. Secundum restabat, scilicet vt pareret virgo. In hoc autem ascensu Maria non ascendit sola, sed cũ Ioseph, id est cum augmento virtutum. De hoc ascẽsu legitur: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delitijs affluens.* Vere enim tunc delitijs paradisi affluebat, quæ Dominũ in suo vtero gestabat, & innixa erat super dilectũ, qui veritati fidei eius innitens concepit, & peperit ipsum. Tertio legitur ascẽdisse in Hierusalem vbi ducebat puerum Iesum. Vnde in illo capitulo Lucæ secundo legitur quod descendit puer Iesus cũ eis. Si ergo descendit de Hierusalem, prius ascenderãt. Iste ascensus fuit ad orandũ. Post enim humilitatem, & fidem peruenitur ad orationem feruentem eleuantẽ affectum in Deũ. Iam enim per humilitatem homo se cognoscit, & seipso cognito parũ circa se afficitur, quãdo nihil se esse cognoscit, per fidẽ eleuatur intellectus in Deum, quo cognoscit eum aliquid magnum, & bonum esse, ex quo in amorem per orationem in eum ascendit, & affectus amore afficitur. De quo ascensu legitur: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto quasi virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris.* Est enim oratio feruens, & deuota quasi virgula fumi aromatici odoratissimi sursum vsque ad Deum eleuati.

Cant. 6.

Luc. 2.

Cant. 8

Cant. 3

D

Nota, quaestionem.

Pro secunda parte quæritur: vtrum Maria solitaria, & sine comitiua abierit in montana, cũ in Euangelio nullam legatur habuisse, & si habuerit, quam comitiuam sequuta est. Dicitur primo quod à Nazareth vbi facta est Christi conceptio, & nuptiæ Mariæ vsque ad Hierusalem dicuntur esse triginta quinque miliaria, & de Hierusalem vsque in domum Zachariæ per loca petrosa & difficilia circiter quatuor miliaria. Et potest dici quod non erat decens verecundiæ virginali solitariam ire, inde est quod creditur fuisse in hos

in honestissimo comitatu, non vano & pomposo & hoc verisimile est. Nam ista peregrinatio facta est circa tempora Pascalia, in quibus tenebantur omnes ire in hierusalem ad comedẽdumagnum Pascalem, & tunc potuit esse in comitatu proximorũ, vel potius ipsius Ioseph. Si enim circa.12.annũ Domini circa Pascha ipsum duxerunt in hierusalẽ, quanto magis credẽdum est quod Ioseph vir religiosus, non dimisit illam peregrinationem secundum legem facere, & Mariam quam sciebat tanti mysterij consciã conducere, & vsque in domũ Zachariæ introducere, quam quia sciebat esse domum religiosam, ibi eam dereliquit cum aliquibus forte virginibus vel puellis quas secum domi habebat, & ad vacandũ suo artificio ad domum propriam redijt. Dicitur secundo quod loquendo mystice Maria plures comites habuit. Primo quidem in sua societate habuit dominã paupertatem, quam quidã multum odio habent, licet Dominus ad terras descenderit (secundum Bernard.) ad eã amplexandam, & hanc Maria habuit. Dicit enim textus, exurgens Maria. Non potest aliquis minus de terra tangere quam surgendo & stando. Neque enim tangit terram, nisi quantum necessitatis est. Nã qui iacet, toto corpore tangit terram, qui sedet, pro media parte tangit Spiritualiter loquendo, ille iacet qui totum cor suum ponit in diuitijs, ille sedet, qui cor non ponit. Locus enim cordis terram nõ tangit. Ille enim nollet Deum offendere propter diuitias, vult tamen habere eas & licite. Sed ille surgit qui non curat de eis nec eas tangit, nisi pro quãto necessitatis est. Sic fuit Maria pauperrima. Non enim dicendũ est quod aliquid habuerit quando secuta est Christũ, cum Christus de se testetur filius hominis nõ habet vbi reclinet caput suũ. Oculus enim corporalis est tantæ virtutis quod magnã rem videre potest distantem, sicut videt medietatem cæli, tamẽ si poneretur res modica prope oculũ nihil aliud videt. Ideo vt Maria perfectius videret & contemplaretur dominum suum & amorẽ, omnia huiusmodi à se elongauit, & sic paupertatis socia fuit. Secundo fides erat in comitatu ipsius. Subditur enim, abijt in montana, ad literam ista montana erant terræ pertinentes ad tribum Iuda. *Fuitque Dominus cum Iuda*, & montana possedit. Non tamen hic accipitur iuda pro tantum, sed pro duabus tribubus iudæ scilicet & Beniamin & dimidia tribu Manasse. Quando enim aliqua persona habet facere longam viã & strictã & in breui tẽpore. Primo necessarium est vt deponat graue & ponderosum, & singulariter quando habet ascẽdere. Arcta enim est via quę ducit ad cælũ, inde est quod pauci vadunt, vnus post aliũ, non multi simul. Sed in lata via quę ducit ad perditionẽ, cum magna multitudine tendunt. Hanc autem sarcinã deponit paupertas, in cuius signum Helyas volens ascẽdere in montana cæli pallium dimisit. Sed vlterius requiritur lumen. Via enim ad eundum in montana cæli grandis est. *Grandis tibi restat via*, & cũ hoc: *Breues dies hominis sunt*, ideo lumine fidei & contemplationis indigemus. Vnde multi antiqui Philosophi habuerunt primum terrena deponendo, vt liberius possent Philosophari, sed quia lumine diuini amoris & fidei & contemplationis caruerunt, in cæli montana non ascenderunt, sed inferius descenderunt. Quia fatuę virgines non habuerunt lumen in lampadibus suis, non intrierũt cũ sponso ad nuptias, sed clausa est ianua. Maria autem in itinere erat non confabulando in turpibus verbis, sed in continua sancta meditatione & contẽplatione, & sancto amore ad Deũ, nec in itinere per ventũ vanæ gloriæ, nec in itinere huius seculi per tribulationes potuit extingui lucerna eius. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*. Nihil enim fuerũt in comparatione ad illam, sicut faber quandoque aquam in ignem mittit vt magis accendatur. *Inextinguibile est lumen illius*. Sed modo multi

*Iud. 1.* *E* *Paupertas & lumen fidei requiruntur pro via cæli peragẽda* *3. Re. 19* *Iob 14.* *Mat. 25* *Cant. 8* *Sap. 7*

multi sunt similes poto terreo vacuo, qui ad modicum ignem crepat. Quomodo autem non tota luminosa, quę sole amicta erat, imo solem in ventre habebat? Quanto directe sol est supra corpus, tanto minor vmbra. Si enim esset supra nos nullam faceret vmbram, nunc autem & supra & infra Mariam, quare tota luminosa erat. In hoc autem itinere in contéplatione didicit illas decem notulas pretiosas & melodiosas cantici sui, quas postea apud Zachariam salutando Elisabeth profudit. Tertio, fuit cum ea diligẽtia festinans & velocitás. Nam abijt cum festinatione. Primo, ne virgo moraretur diutius in publicum, & ibi multe contraheret colloquia. Periculum est multum puellis & virginibus contrahere affatus multos cum hominibus. In multiloquio enim non deest peccatum. Non sic multę quæ videntur esse sicut velum seu flabellum molédini, Gallicæ *Lesuentelle du moudin*, & quando ad peregrinationes tendũt vel de proximo, vel de luxuria, vel de auaritia sua loquuntur, vbi de lege Dei & salute sua deberent conferre, iuxta illud: *Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ*. Secundo, vt nos instrueremur ad bona opera festinare, & quicquid possumus instanter operari. Nã vt dicit Chrysost. nihil est quod ita vitam nostram valeat euertere, vt bonorũ operum actionem dissimulare, semperque differre. Sæpe enim istud nos fecit bonis omnibus excidere. Dicebat quidã quod bonum opus nunquam differendum est, ne forte aliquo casu impediatur. Malum vero vrgens semper differri debet, si forte aliquis casus superueniens impediat. Vnde legimus de Dauid, quod quando Absalon eum persequebatur, festinauit transire fluuiũ, ne eum teneret, quia nos debemus cito transire huius sæculi flumẽ virtuose operando, ne diabolus qui nos persequitur, nos comprehendat. Contra multos qui expectant de die in diem cõuerti ad Dominum, confidentes in iuuẽtute sua, nescientes quod mors periculosior sit in iuuenibus, quia senes præmonet & vident eam ad portas, iuuenibus autem est insidijs & à tergo. Quarta domina fuit sancta deuotio, cum intrauit in ciuitatem Iuda, scilicet Hierusalẽ ad laudandum Deum, & gratias agendum de tanto beneficio, & magnificando Deum. Quia enim Deus sibi dederat de meliori Paradisi & de medulla cæli, ideo Maria voluit holocaustum reddere Domino offerendo sibi deuotum cor. Deuotio enim medulla est holocausti. Inde Dauid dicebat: *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum*, contra illos qui sunt in Ecclesia non in deuotione, sed ad obloquẽdum & garrulandum sicut ranę in aqua, quæ ad sancti Martini iussum conticuerunt. Quinta Domina fuit sancta religio, quia statim post intrauit in domum Zachariæ, quæ erat domus sancta & religiosa. Locum enim salubriorem quis eligit ad habitandum, & quia locus ille salubris erat, ideo illam elegit. Hinc de ea canitur: *Maria optimam partem elegit*, contra illos qui religiones male gubernatas intrant, non propter salutem, sed vt bene pascantur & diuitijs onerentur. *Quæritis me, non quia vidistis signa*, scilicet sanctitatis, *sed quia ex panibus meis manducastis, & saturati estis*. Si vis intrare religionem, elige locum vbi religio seruetur, coniunge te illis qui salutem suam operantur. Filius videtur perditionis, qui locum pereuntium intrat. Fatuum est aliquem intrare nauem, quam conspicit perire. Seneca, non tantum corporis, sed etiam moribus salubrem locum eligere oportet. Intrantibus religionem dissolutam potest dici illud verbum Angelicum, *Quid quæritis viuentem cum mortuis*. Sexta Domina fuit sancta humilitas in salutatione Elisabeth. Venit enim ad salutandum & obsequendum & maior minori, sed iuuentus senectuti, ad denotandum quod iuuenes quantæcumq; sint dignitatis, semper in aliquibus suis parentibus senibus debent obsequia præstare & beneficia. Septima erat Dominus secum, ideo bene

Marginalia: Psal. 118. — F Diligentia in bonis operibus faciendis, adhibenda est. — Nota. Psal. 65. — Luc. 10. — G Religiones deserta ingredientes culpantur. — Ioan. 6. — Luc. 24.

H Maria salutatis multa beneficia præstitit

sociata erat. Hoc enim didicerat Angeli ministerio, hoc sentiebat in vtero, hoc gustabat dulcedine in cordis iubilo. Vnde August. Dominus tecū, in corde, tecū in mente, tecum in vtero, tecū in auxilio.

I Visitatio fuit dies gaudij.

Pro tertia parte dico quod hodie magnum gaudium fuit, quando Maria post ascensum in montana visitauit & salutauit Elysabeth. Sed illud gaudium fuit tātummodo in domo, quia adhuc ambo de quibus gaudebatur erant in vtero clausi, ideo in domo fuit illud gaudium. Sed cū natus est alter eorum, scilicet præcursor, tunc diuulgabantur omnia verba hęc super montana Iudeæ, & multi in Natiuitate eius gaudebant. Orto autem Saluatore iam non in domo tantum sed in cāpis, & generaliter in omni populo appatet gaudium. Nam vbi natus est in loco communi, statim Angelus attulit in campis gaudium pastoribus, & denunciauit illud vniuersaliter esse omni populo. Ex quo patet quod gaudium Domini semper crescit, non sic de gaudio mundi. Sed dices, de solo Ioanne dicitur: exultauit infans in vtero. Respondetur quod per hoc non negatur quin aliæ personæ hodie exultauerint & lætatæ sint, imo dicēdum quod exultabant ambo infantes in vteris, exultabant & matres de infantibus. Quod exultauerit infans Ioannes, textus Euangelij satis indicat. Inde & maximus Episcopus, nullus ignorat paruulum omnem ab vtero materno prodeuntem inter ipsa lucis exordia mæstis cōcrepare vagitibus. Solus Baptista Domini vltra legem nascentium Natiuitatem suam lætitia & exultatione præuenit, ipsumque mundi Saluatorem, quem necdum sermone poterat, prophetico gaudio reuelauit. Ioannes enim præuenit ortum suum in gaudio, quia iam se cognoscebat ordinatum ad tanti Domini seruitium. Videant igitur & considerent parentes quantum eis debet esse gaudium, si sui filij Ecclesiasticis seruitijs se mancipent, quando paruulus ita propter hoc exultauit in vtero matris. Sed quod Dominus lætatus fuerit, & si non scribatur, tamen verisimile hoc videtur. Nam scribitur: *Lætabitur Dominus in operibus suis.* Ps. 103.

Cum igitur magnum opus fuit iustificare Ioannem præcursorem suum, & mundare à contagio peccati, sequitur quod Dominus exultauit. Ideo bene dicit Psalmista: *In consilio iustorum & congregatione,* Psal. 110. scilicet Mariæ & Elysabeth, magna opera Domini.

Tertio ambæ matres exultabant. Primo dono nobilissimæ prolis, ita vt secundum Bedam, quæ prius erubescebat onus parientis, nunc se iactabat quia prophetam genuerat. In quo ostēditur gaudium parentum de educatione bonorum filiorum. Partus enim ille gaudio plenus est, in quo parit mulier partum Deo dignū. O felices matres, quæ generant bonas plantulas, quā infelices sunt quæ generant bufonem, non hominem. Adeant igitur matres honestæ beatam virginē, vt earū fructum in vtero dignetur visitare, sicut visitauit illa fructum matris sterilis. Certæ non dedignabitur eas audire, quæ fructum ad omnium medicinam sufficientem produxit. Sed oportet parentes esse bonos & rectos, quia scriptum est, generatio rectorum benedicetur. Nō enim iniquorum & raptorum generatio benedicta est, imo malis cōmuniter dantur in pœnam mali pueri, & communiter ne sequantur vitā patrū & deuorent subditos & oues Christi, sæpe cito de medio auferūtur. Videmus lupos plures fætus portare quā oues & tamen oues plus fructificant quàm lupi, ne deuorent oues. Ita videmus similiter pauperes homines & simplices nullius mali conscios abundare in prole, magnos reges & principes qui deuorant plebē sibi subditā, vix habere posse, ne forte talis proles multiplicata populum suum deuoret. Videmus enim in antiqua prosapia Imperatorū Romanorū paucissimos fuisse filios successores, quod non propter aliud videtur euenisse quam propter tyrannides eorū. Vnde & Dauid quærēs prolem dicebat: Notā

Memento

Psal. 131 *Memento domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius*, propter quod Dominus subiunxit, *iurauit Dominus Dauid veritatem*, &c. *de fructu ventris tui*, &c. Secundo exultabat pro beneficijs & sibi & suę proli collatis. Prophetauit enim Ioannes, prophetauit Elisabeth. Sed cur non aperta est lingua Zachariæ ad præsentiam Domini, sicut aperta est lingua Elisabeth ad prophetădum? Respondetur primo quod Dominus dicit, quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita. Angeli autem sunt labia Dei, qui loquitur ad nos. Dixerat autem per Angelum suum quod mutus esset vsque in diem Natiuitatis suæ, ideo sic remansit.

Dicitur secundo quod etsi Ioannes meritorie meruit apertionem linguæ patris sui, tamen Dominus Iesus qui tűc præsens erat, aperuit præcipue, quia ille est qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit.

## DE EODEM FESTO SERMO IIII. & in ordine. XIII. Per Thema.

Luc. 1. *Visitatio qua visitamur à Maria non nostris meritis ascribenda est.*

VNde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me. Si sancta illa mulier Elisabeth exclamauit se indignam aduentu tantæ sanctitatis, vt diceret. Vnde hoc &c. quomodo eam tam frequenter reclamamus, vt ad nos veniat? Dicimus enim ei & cantamus, & hora mortis suscipe. Item petimus eam esse paratam nostris necessitatibus succurrere. Respődetur primo quod non nostris meritis imputare debemus, quod Maria ad nos veniat, etiam si eam requiramus, & quod nobis subueniat. Licet enim ei seruiamus & proptrer eam ieiunemus, & demus eleemosynā, & alia bona faciamus, hoc tamen est ex dignantissima bonitate eius, quod illa dignatur acceptare esse digna tā pijssima subuětione. Luna enim illustrat nocte terrā non propter bonum quod ei faciat terra. Sic nec Maria illuminat & occurrit peccatoribus in nocte huius seculi propter bona ipsorum tamquā digna, nisi ex mera gratia eius. Quod considerans Elisabeth non suis meritis ad eam accessisse Mariam, dicebat, vnde hoc mihi. Secundo dicitur quod visitatio Marię, qua nos visitat in nostris necessitatibus, tribus imputanda est. Primo quidem imputanda est pietati suæ. *Omnium enim bonorum mater est*. Sap. 7. Quæ vero mater habet infantem vel infirmum & nő iuxta est, vel in periculo existentem, & non occurrit ei? Si enim Dominus, qui est Deus vltionum, iuxta est his qui tribulato sunt corde, quid de Maria dicemus, quæ sibi vědicauit pietatis & misericordiæ thronum? Ideo dicamus ei, monstra te esse matrem: sed videamus ne cuilibet nostrum dicat, monstra te esse filium, vt sis pudicus in matrimonio, vel in ordine tuo, & sequaris amores matris tuæ. Timendum est his qui male viuunt, ne cű irritarent patrem Deum & matrem Mariam, incurrant eorum maledictionem, licet putent ex aliquibus suis operibus benedictionem reportare.

Secundo imputanda est curię suæ auctoritatis. Est enim regina misericordiæ, ad quā pertinet sedes misericordiæ. Cű igitur videat nostros hostes nos infestantes, & periculo perditionis nos exponětes, si ad eius misericordiæ curiam reclamauerimus, quomodo nő occurret nobis non condescendet, non seruabit iura curiæ suæ, fugando inimicos nostros, & restituědo nos in possessione perditorű, aut tutando nos in possessione nostra? Inde clamamus ei, admitte pijssima Dei mater preces nostras intra sacrarium tuæ exauditionis, id est intra curiam in qua ex misericordia cősueuisti exaudire peccatores, & inde reporta nobis antidotum reconciliationis, & dicamus etiā ei illud: *Intende* (ô Maria) *ad visitandas omnes gentes* Psal. 58. *tuas* supple scilicet deuotos tuos, *& ne miserearis omnibus operantibus iniquitatem* scilicet inimicis nostris, sed ducas eos ad confusioně. Tertio ratione imitationis Christi filij sui. Dicitur cőmuniter quod filij sequűtur mores patrű & matrű. Sed hæc

sequitur mores filij sui, qui cum esset excelsus super omnes gentes Dominus, dignatus est nos visitare in hac valle miseriæ. Sic & Maria more filij sui non dedignatur nos visitare. Quæ enim iã Dei mater effecta, cum labore magno dignata est visitare sterilem, non dedignabitur sine labore suo ex sua benignitate visitare pauperem peccatorẽ omnibus bonis sterilem. Sic igitur in hac sancta visitatione eam deprecemur, vt nos dignetur visitare, & maxime in hora mortis, dicendo illud quod arguebatur in principio, & hora mortis suscipe, quasi diceremus ei. O Beata mater quæ omniũ mulierum sapientissima inuenisti thesaurum sapientiæ, & quasi sapiens mulier suscepisti Ioannem exeuntem de matris vtero, suscipe nos exeuntes de hoc seculo, & sis nobis mulier sapiens recipiens nos, cum nascemur in altero mundo. Vt igitur nobis impetret gratiam, dicamus Aue gratia plena, &c.

B *Visitatio Mariæ quã fructuosa fuerit.* Vnde hoc vt veniat mater Domini. Responderi potest quod ad tria venit scilicet ad necessitatem generis humani subleuandam, ad paupertatem, & miseriam peccati propellendam, ad lætitiam post fletum infundendã, & ad maiestatẽ diuinam magnificandam. Primo itaque venit ad subleuationem necessitatis generis humani. Fuerat enim iamdudũ fames in Ægypto, donec verus Ioseph aperiret horrea sua. Clamabat spõsa Dei Ecclesia illud: *Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie*. Cant. 1. Ideo hodie facta est quasi nauis institoris de longe portans panem suum, ita vt grano frumẽti, quod in granario vteri sui continebatur, duo horrea repleret, scilicet Ioannis, & Elisabeth, ita vt Elisabeth agnosceret vbi cubaret scilicet in vtero Marię. *Vnde* (inquit) *mihi, vt veniat mater Domini*, &c. Impleuit etiam hoc grano totã domũ illius sacerdotis, & prolẽ, & vxorẽ. In quo denotatur quantã reuerentiã debent sacerdotes ad Mariã, quãdo in visitatione sua primo repleuit sacerdotes, & sponsam eius Ecclesiã, & omnem prolem, & Ecclesiæ fructum. *Repleti prius*, id est ditiores sancti prophetæ, & Patriarchæ *pro panibus se locauerunt*, 1 Reg. 2. id est, seruituti legis se subdiderunt, vt haberent gratiam, nunc sine illa seruitute *famelici*, id est, paruuli adhuc in vtero, *saturati sunt*, tanta abundantia superuenit. Post Ioseph abundantiã superuenit penuria, ita vt omnis retro abũdantia obliuioni traderetur. Sed adueniẽte saluatore tanta bonorũ abundãtia habita est, vt etiã omnis retro penuria in memoria nõ habeatur, vt etiã sterilis Elisabeth suę sterilitatis oblita sit. Sed hic quęritur primo, quomodo scire potuit Elisabeth Mariã esse matrẽ Domini, & quod in vtero eius requiesceret saluator. Non enim à Zacharia hoc cognouit, qui tunc mutus erat; nec ei locutus legitur angelus, vt reuelaret, vnde igitur potuit percipere Elisabeth tantũ diuinitatis mysterium, quales Principes huius seculi scilicet sapientes, & philosophi cognoscere cũ suis studijs nõ potuerũt. Respondetur quod ad hoc creditur quatuor concurrisse, scilicet salutationẽ Mariæ, eius amplexũ, & osculũ, si picturis credatur, & spiritus sancti mysteriũ. Primo ad salutationẽ Marię exultauit infans in vtero sentiens occursum Domini sui, & quasi de ventre matris erũpere gestiret præ dulcedine vocis Mariæ. Adeo melliflua erat Mariæ vox: vt etiã Angelorũ, & hominũ incõparabilis esset vocibus. Si enim de filio suo dicitur, etiã testimonio aduersariorũ, *nunquã sic loquutus est homo*, Ioan. 7. credendũ est de Maria post filiũ, nunquã sic locutã fuisse mulierẽ, de qua canit Ecclesia, diffusa est gratia in labijs tuis. In hoc cognouit, & sensit Elisabeth magnũ quid in Maria esse, ad cuius aduentum sic exultaret filius eius. Secũdo ad amplexũ eius sanctificata est Elisabeth. Si enim semicinctia Pauli, & vmbra Petri sanabant infirmos, quantũ credimus Elisabeth ad illũ beatũ amplexũ sanctitatis animæ habuit, quæ sancta sanctorũ amplexabatur? Inde ad amplexum eius niti debemus. Scriptũ est enim

Glori-

Prou. 4. *Glorificaberis ab ea cum illam fueris amplexatus*, amore scilicet, & seruitio quasi duobus brachijs. Tertio, osculum eum prophetissam effecit. Petierat quondam, & orauerat humana natura osculum sanctũ
Cant. 1. incarnationis dicens illud: *Osculetur me osculo oris sui*, quo scilicet vniretur Deus naturæ humanæ, hodie per osculum Mariæ reuelatum est osculum aliud, sacramentum scilicet à sæculis absconditum, & hoc ipsi Elisabeth, vt quod absconditũ erat, postea proderet manifeste exclamãs. Exclamauit enim Elisabeth voce magna. Quarto hoc fecit Dominus prophetarũ, Dominus scientiarum, qui præsens erat
Sap. 7. huic operi, de quo: *In animas sanctas se trãsfert, & amicos Dei constituit atque Prophetas.* Vnde & Elisabeth dicitur repleta Spiritu sancto. In quo considerandum est quantum cognoscent omnes saluati à minimo vsque ad maximum, quantũ ista quæ nõ videbat, sed solum odorabat præsentiam Christi cognouit incarnationis Sacramentum, quod multi Angelorum nondum distincte cognoscebãt. Nec mirum, quia rapta est Elisabeth vsque ad tertium cælum. Nam in primo cælo scilicet Ioanne didicit exultationem: in Maria secundo cælo virginalem pudicitiam cum fœcunditate materna, in prole Mariæ tanquam in tertio cælo, vidit sacrum incarnationis mysterium, diuinitatem, scilicet cum humanitate vnitam, nõ quidẽ intuitiuè, sed vera fide. Quis enim ad præsentiam, & propinquitatem solis non illuminaretur, & videret circũquaque? Differenter autem iste sol, & sol materialis illuminant, quia iste sol materialis sic illuminat, quod solum videre facit præsentia, & adhuc non occultata, iste autem sic quod facit videre præsentia, præterita & futura, & etiam præsentia occulta, vt patuit in Elisabeth, quæ prophetauit de præterito dicens: Beata quæ credidisti, de futuro cum dicit, quoniam perficientur in te quę dicta sunt tibi à Domino, de præsenti vidit occulta cum de incarnatione benedicta prophetauit dicens. Vnde hoc mihi vt veniat, & illud benedicta tu inter mulieres, &c.

Secundo quæritur si ita est, quod cognouit adesse Dominũ, & Saluatorẽ, quare potius dixit Elisabeth, vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me, quã vnde hoc mihi, vt veniat Dominus meus ad me. Nonne maior erat Dominus matre? Imo nec mater magna erat, nisi propter Dominum magnum. Plus igitur admirari debuit aduentum Domini quam matris, & plus debuit salutare filium quã quam matrem. Respondetur quod vtrũque admirata est in aduentu, & matrẽ, & filium, dicẽs ante verba proposita, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, benedicens arborem, & fructum, sed arborem propter fructũ, & non è conuerso, expresius tamen admiratur aduentũ matris, primo quia fructus quãdiu in aluo matris (vt dicit Philos. 5. Metaph.) est vnũ per adnascentiam cum matre, sicut fructus cum arbore, imo dicunt Philosophi, quod quamdiu est in aluo matris, viuit vita sensitiua matris. Inde est quod neque egerit in ventre neque ex toto digerit, sed alitur alimento matris. Et quia tunc Dominus erat similiter in vtero matris, ideo tunc erat vnum cum ea.

Propter quod non dirigit sermonem Elisabet, nisi ad vnum illud vas, scilicet portans pretiosum dignitatis thesaurum. Porro illud vnum erat necessarium vas, scilicet ad mundo thesaurum effundendum, & thesaurus ad redimendum. Secundo, quia quamdiu homo est intra vterum matris, nondum natus est homo in mundum istum, nec cognoscuntur eius gestus, & opera, & ideo nondum communicatus est nobiscum. Tunc enim Dominus in vtero existens solius esse videbatur matris, clausus in visceribus eius, quapropter Elisabeth verbo non communicauit cum eo loquendo, sed cum matre, ita vt sicut Elisabeth matrem salutabat, ita paruulus Ioãnes nondum natus, iuxta posse suum saluta-

ret Christum nondum natum. Tertio, quia iam Elisabeth suum Dominum salutauerat, dum ipsam visitauerat. Legimus enim quod quando Sara sterilis & annosa concepit Isaac, dicitur ibi, quod Dominus visitauit Sarã sicut promiserat. Et quia ista sterilis erat & annosa, & concepit Ioannem præcursorem Domini, nõ est dubiũ quin in illo opere miraculoso, & super naturam visitauit eã Dominus, nec dubium Elisabeth ipsum Dominum salutando gratias egisse, ideo restabat vt eam primum visitantem Mariam salutaret, quod & fecit dicens: vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me, mater regis ad matrẽ militis, mater Dei ad matrem hominis, mater Domini omniũ ad matrem serui pauperis, mater saluatoris ad matrem nuncij & præcursoris, mater verbi summi ad matrẽ vocis. Sed illa respõdere poterat ad Elisabeth, quod filius ad filium, Dominus ad seruum, redemptor ad præcursorẽ. Sine, inquit, decet nos implere omnem iustitiam, id est perfectã humilitatẽ. Primus enim gradus humilitatis est subijci maiori. Secundus nõ præferri æquali, tertius subijci minori. Cum igitur facta sim mater summi regis, sicut & ille fecit, sic & nos opus implere omnem iustitiã, id est humilitatẽ. Ecce Deus maiestatis inclinauit se in vtero meo, vt serui formam acciperet, sic me decet inclinare eius exemplo, vt seruæ formã accipiam. Ille venit ministrare, decet vt ego similiter compleã. Secundo venit ad propellendam paupertatem, & miseriã peccati. Olim dicebatur repleta est terra iniquitate, mendaciũ, furtum, homicidium inundauerunt, nũc autẽ misericordia Domini plena est terra, quando scilicet misericordia Domini plena erat non solum terra corrupta, sed incorrupta terra virginis, terra inculta manu hominis, sed à cœlo sulũ, nec solum terra fertilis Mariæ, sed terra sterilis, non solum iuuenes mulieres, sed etiam senes, vt Elisabeth sed in hoc differentia est, quia fructus virginis benedictus, sed fructus Elisabeth nõdum benedictus propter originalis peccati miseriam. Alij enim ex vtero errauerunt secundum illud Psal. Errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa. Errauerunt per viã primorum parentum, & locuti sunt falsa, ore quasi signo promendo, quod suam, & parentum miseriam in hoc mundo lamentabantur. Sed falsum est, quia cũ ad ætatẽ perueniunt, ad risus & gaudia mundi se conuertunt. Sic Cayn attulit iniquitatem de materno vtero, sed misericordia super exaltat iudiciũ, quando paruulus ab vtero repletur Spiritu sancto, & tunc veritatem quodãmodo locutus est. Vnde peccatũ induxit quinque miserias, quæ hodie fuerũt expulsæ, & cõtra eas data sunt quinque bona in visitatione & salutatione Mariæ. Primo enim peccatũ fœdauit animã, sed contra hoc mater Domini attulit sanctificationẽ, quia Ioannes in ipso vtero tunc ab originali peccato mũdatus est, & tunc quodãmodo ad Mariæ verba baptizatus. Secundo peccatum euacuauit à spiritu Dei, sed mater Domini Spiritum sanctum attulit, quia tũc infans repletus est Spiritu sancto, vt impleretur quod dictum erat ab angelo, & replebitur Spiritu sancto adhuc ex vtero matris suę. Tertio ex peccato męstitia subsecuta est, sed gaudiũ cõtulit, quia exultauit infans in gaudio, non sic visitatio & salutatio Iudæ ac similium proditorũ. Quarto ignorantiam induxit peccatũ, sed hodie spiritus prophetiæ collatus est, quãdo Elisabeth prophetauit, & etiã ipse Ioannes iã præconis officium incepit, vt quod voce non poterat: iam nutu, & signis prædicaret. Marię enim visitatio & salutatio quodammodo fuit Ioannis ad illud officiũ vocatio, iuxta illam figurã: *Vocauit eum Dominus de medio rubi.* Rubus ardens & non comburẽs, virgineus vterus, asper per austeritatem vitæ, ardens amore diuino, sed non combustus calore libidineo. Ioãnes autẽ quia interpretatur in quo est gratia, istius nominis recordatus est Dominus, & vt simul res cõcordaret cũ nomine, ipsũ gratia in vtero repleuit. *De ventre matris meæ recor-*

*E Visitatione & salutatione Mariæ ablata sunt quinque miseria peccati.*

Exod. 3.

Esai. 49.

*recordatus est nominis mei*. Quinto ex peccato consecuta est inhonestas & vtilitas, sed Maria hodie omné cõtulit vitæ honestaté. Nã Elisabeth quæ quasi se occultauerat mensibus quinque, in sexto seipsam prodere non erubuit, cũ ad Mariæ salutationem infans in vtero suo exultauit. Agnoscés enim susceptæ prolis dignitaté & honestaté, quã nõ didicerat à Zacharia, cui ademptus erat vsus linguę, ne cæleste reuelaret arcanũ, non erubuit, sed in ipsa salutatione omnem amplexa est dignitaté & honestatem. Ideo optima est Marię salutatio. Felix qui ab ea salutatus & visitatus fuerit. Propterea salutemus eã sæpe, quia si sic, resalutabit nos. Tertio venit ad lætificandum & consolandum desolatos. Est enim ipsa refugium eorũ. Vnde Elisabeth cum esset sterilis desolata erat, & cũ concepit erubescebat. donec venit Maria, & tunc aperte se ostendit considerãs dignitatem fructus. Inde ipsa eius aduentu consolata exclamauit. Vnde hoc mihi, &c. sic lætificatus est, & exultauit infans in vtero, in signum quod nullum gaudium, nisi intrinsecum in mente de Deo.

P Maria vterus erat paradisus voluptatis. Sed quęritur quibus de causis exultauit infans in vtero eius. Respõdetur primo, quia Mariæ vterus locus erat voluptatis. imo paradisus voluptatis, in quo erat secundus Adã, vbi lignum vitæ, vbi omnes species aromaticę. Si enim fecerit horroris locũ voluptuosum, scilicet crucem, vt dicatur: dulce lignum, dulces clauos, &c. imo omnia loca vbi aliquando iacuit, fecit voluptatis loca, vt puta pręsepe, quod B. Paula inter omnes, & supra omnes reputabat delicias, vt omnes abieceit vt pręsepe illud visitaret & oscularetur. Vnde Andreas ad crucem properabat lætus ad dulcedinem degustandam, & sepulchrũ eius locus est voluptatis. In nullo autem loco tantam moram fecit sicut in virginis vtero. Si igitur ille locus voluptatis & paradisus, quod mirum si delectabatur, & exultabat in præsentia. Sed nos miseri cũ appropinquat paradisus, recedimus, similes scarabeis qui in stercoribus malunt habitare quã in nobilibus floribus sicut apes. Fabula est de scarabone, & vxore eius, cui dicebat quod fuerat in prandio apum, sed nihil inuenerat ita bonũ sicut stercora, in quibus habitabat. Alia fabula solet recitari de porco, quæ vulpé reuertentem de prandio communi bestiarum interrogauit, an illic fuisset furfur. Quam bonum autem habitare in loco paradisi, in paradiso voluptatis. Hoc regnum fuit paradisus voluptatis, & locus hominum. Periculum est ne sit locus bestiarũ. Multo plures enim bestiæ sunt quã homines in hoc regno. Vacuę factę sunt bestijs siluæ, sed in villis, & campis nunc habitãt, non horrentes sanguinem. Aliquando visum est hoc regnũ peccatis exigentibus, & superbia eius, habitatio deserta, nunc periculũ est ne similiter contingat, cum similes causæ videantur, & ex similibus causis similes effectus procreentur. Secũda ratio, quia viator quando est in terra deserta, inuia, & inaquosa, & nõ habet lucem nec videt quo pergat, exultat tunc si appropinquat ad lucem. Beatus vero Ioannes iam viator erat in terra huius mũdi deserta bonis, vbi nondum etiam sibi patebat via salutis.

Quia adhuc in vtero, vbi non cõmuniter infunditur gratia. Ideo inaquosa. Nil igitur mirum si appropinquãte luce exultauit, quasi dicens illud, Deus Deus meus ad te de luce vigilo, & Dominus ad eũ quod statim sub sequitur. In terra deserta, inuia, & inaquosa sic in sancto scilicet virginis vtero in sancto tabernaculo meo apparui tibi, vt viderẽ virtutẽ tuã, & gloriã tuã, id est in te virtutem, & gloriam. Secundo quæritur cũ ex textu euangelij ad auditũ salutationis Mariæ exultauit infans in vtero Elisabeth, cum etiam verba Mariæ aurea sint, & idcirco in thesauro Ecclesiæ merito reponenda, cur scriptura sacra nõ expressit verba illa salutationis. Dicitur Primo quod hoc ideo potuit esse quia modus ille salutãdi cõmunis erat, sicut nunc nos salutamus inuicẽ. Euangelista vero solũ ardua intẽ-

dit recitare, & qui in vsum minime veniebant, propter quod illud tacuit. Secũdo, quia secundum Euangelistam, verba Mariæ erant optatiua salutis. Ait enim, & salutauit Elisabeth. Salutare autem idem est quod salutem optare. Et sic in paucis verbis succinctè ostẽdit Euangelista, quid dixerit Maria, quia verba sua salutis erãt optatiua. In quo verbo instruimur, quod proximis debemus optare salutem, & cũ ipsis loqui de sua salute, & de beneficijs eis à Deo impensis congratulari, exẽplo Mariæ. Hoc enim faciunt, qui Christum spiritualiter conceperunt. Tertio hoc potuit esse, quia in verbis illis quodãmodo Maria nostrum omnium salutẽ optabat. vel saltem sunt salutis nostræ repræsentatiua, quam habet Maria in desiderio. Sed non est possibile verbis exprimere quantum Maria afficitur ad prosecutionem salutis nostrę. Ideo Euangelista forte non habuit quibus verbis exprimere posset illud. Et ne forte etiã in salutatione eius spem nostram principaliter poneremus, quasi ab ipsa esset salus, quia:
Psal. 36 *Salus iustorum à Domino.* Dicitur secundo, quod verba omnia Mariæ preciosissima & aurea fuerunt. Primo quidẽ, quia lingua eius organum erat Spiritus sancti. Si enim lingua discipulorum erat instrumẽtum Spiritus sancti iuxta illud. Nõ enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus sanctus, quanto magis lingua Mariæ? Potest

G *Maria verba preciosissima.*

Psal. 44 enim dicere illud: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*, quasi dicat, quod loquor, à me non loquor, sed à Spiritu sancto. Nam sicut manus scribæ mouet calamum, sic Spiritus sanctus linguam meã. Et ita per calamum illum velociter scripsit Spiritus sanctus in Elisabeth prophetiæ donum, & in Ioanne sanctitatem, & hoc ad vnam salutationem. Secundo verba eius sunt preciosissima, quia non nisi quæ decebat reginam cæli loquebatur.
Eccl. 8. Ait enim: *Ego os Regis obseruo*, id est os meũ quod est regium, vt nihil aliud loquar quam quod regem decet aut reginam, verba scilicet bonitatis & clementię, verba pietatis & iustitię, verba salutis & magnificentiæ. Quarto venit ad magnificationem diuinam. Vnde ipsa ait: *Magnificat anima mea Dominum*, & non solum illa, sed etiam Zacharias magnificauit Deum dicens: *Benedictus Dominus Deus Israel*, &c. Laus ad

H *Locutio debet esse breuis de terrenis.*

Quæritur circa hoc quare Maria locuta est ita longo sermone in suo Cantico, viso quod in alijs verbis tam breuiter locuta est. Respondetur primo, quia lingua desuper longior est quam de subtus, vbi quodam modo ligata est, non autem ex parte superiori, ad denotandum, quod de inferioribus siue terrenis debet esse breuis locutio, de supernis vero prolixa. Ideo Maria breuissime locuta est de terrenis, imo de necessarijs breuissime locuta est dicens, vinum non habẽt, sed copiose de diuinis. Secundo quia libenter quis loquitur de his quæ amat, & quia Maria omnia terrena contemnebat, & iam spiritualis ad cœlestia suspirabat, ideo de Deo, & cœlestibus amplissime locuta est. Tertio quia secundum philosophum, vnusquisque bene iudicat de his, quæ nouit, & horum bonus est iudex. Qui enim sunt eruditi in artibus mechanicis, bene de illis iudicãt, qui in moralibus bene. Et quia Maria in terrenis nunquam studuerat, sed in contemplatione & cœlestibus, ideo de illis parum locuta est, & de diuinis multum. Vnde legitur bis ad angelũ, bis ad hominem, & ter ad Deũ locuta. Ad Angelum verbũ castitatis, quomodo fiet istud contra impudicos, quæ non casta & pudica, sed carnalia & turpia verba in suis labijs habent. Secundũ humilitatis, quando respondit: ecce ancilla, cõtra superbos & iactantes, qui de se magna loquuntur, & verba inflationis habent contra alios. Sed ad homines duo, verbum charitatis in salutatione Elisabeth contra rãcorosos, qui non dignantur loqui. Secundo verbũ veritatis in labijs quãdo dixit ministris, quæcunque dixerit vobis, facite: contra illos qui non ad bonum, sed ad malũ instruunt. Sed ad Deum tria verba. Primum verbo quærimoniæ, quando filio per triduum

duum amisso dixit: Fili quid fecisti nobis sic, contra indeuotos qui ipsum non quærunt, etiam quando ipsum per multos dies subtractionem deuotionis amiserunt, non inde deuote apud eum conqueruntur. Secundum fuit compassionis, vinum non habent, contra immisericordes, quos aliorum defectus ad pietatem non mouent. Tertium fuit verbum gratiarum actionis, scilicet magnificat anima &c. cōtra ingratos, qui pro multis & magnis beneficijs paruas gratias agunt Deo, & quandoque per ipsa Dei beneficia insolescunt. In quo apparet quomodo Maria pluries Deo locuta est, contra illos qui per diem in nociuis rumoribus occupantur, & ad Dei gratias, & obsequium conuerti non possunt. Vnde, vt maiores & diuturniores gratiæ agerentur Deo pro incomparabili beneficio suæ visitationis, qua visitauit nos oriens ex alto, mansit Maria cum Elisabeth quasi mensibus tribus, & sic reuersa est in domum suam.

Sed hic quæritur quare Maria tamdiu mansit in illa domo Elisabeth, scilicet quasi per tres mēses. Mulieres enim culpantur, quod tamdiu stant extra domum in suis peregrinationibus, imo Paulus ait: 1. Cor. 4. *Mulieres domu sedeant*. Respondetur, quod multiplex est ratio. Prima fuit instantia Elisabeth, quæ Mariam detinuit vt Ioannem de vtero matris exeuntem reciperet, & sic ampliora gratiarum munera per eius contactum reciperet. Sciebat enim illa sancta mulier quanta dona susceperat partus eius ex sola salutatione eius quæ ad aures peruenerat, quanto magis arbitrabatur maiora esse donaturum ex contactu eius. Tunc enim verum fuit illud: Psal. 73. *Deus autem rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ*. Deus enim rex noster coronatus diademate humanitatis assumptæ, antequam in sæculo de vtero prodiret, operatus est salutem Ioannis in medio terræ, scilicet ventris Mariæ. Secundum Bedam fuit in natiuitate Ioannis ipsum suscipiens, & postea discessit ad virum suum.

Secunda causa fuit, quia eam locus religiosus in quo stabat detinebat. Erat enim domus Zachariæ locus religiosus in quo vere Deus colebatur. Maria vero religionis erat speculum, ideo quodammodo quasi in loco sibi connaturali detinebatur. In domo bene situata vbi aer bonus est & serenus permanent libentius homines, in corrupto vero & pestilente, nemo nisi cum periculo permanet. Sic in religione sancta & bene formata manet quis cum serenitate conscientiæ suæ, in deformi vero nisi cum periculo animæ. In domo enim vbi vir & vxor consentiunt libenter. Inhabitat Dominus Iesus cum matre sua. Isti autem fuerant sine querela ambulantes in iustificationibus Domini. Tertia causa vt diutius perseueraret, & continuaretur gaudium de beatissima incarnatione Christi. Gaudium enim mundi cito transit, gaudium vero bonorum permanet, nec poterat esse breue gaudium, vbi Christus erat, qui est gaudium angelorum. Gaudia mundi, puta nuptiarum vel theatrorum statim fastidiunt, non autem gaudium de Christo. Qualem putas exhibebat reuerentiam Elisabeth, cum videbat intumescentem vterum illi, quem credebat esse in vtero, qualem deuotionem, qualem cordis adorationem, quale lachrymarum profluuium. Tota in gaudio, tota in lachrymis erat, dum videbat Dominum maiestatis suam domum inhabitare. Quod si diceretur ipsam debuisse dixisse, sicut Petrus dixit: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum*, & sicut dixit Centurio: *Domine non sum dignus*. Respondetur quod & ipsa sic fecit, quæ primo dixit, vnde hoc mihi vt veniat mater, &c, sed cum sensit odorem beneficiorum suorum, in odore delectata eum detinuit. Viri enim sancti cū adhuc sunt imperfecti propter peccatorū suorū reliquias timent Domini præsentiam, ne forte ignis ille consumens inardescat ad consumendum ea, sed cū perfecti sunt, & perfecta charitate foras mittāt timorē, iā de præsentia Domini gaudēt & exultant. Luc. 5. Matt. 8.

DE

DE EODEM FESTO SER. V. & in ordine XIIII. Per Thema.

Luc. 1. A Fides multipliciter intelligitur esse causa operum Dei mirabiliũ.

BEata quæ credidisti, quoniam perficientur omnia quæ dicta sunt tibi à Domino. Quęri posset vnde valet hæc consequentia, ex quo credidisti perficientur, &c. quasi dicat, ex fide tanquam ex antecedente procedunt omnia opera perfectionis, & sic ex fide Mariæ processerint omnia opera Dei. Ad quod dicimus quod ex fide tripliciter procedunt opera perfectionis, & miraculorum. Primo, secundum Tho. 2.2.q.178. dispositiue ita quod fides est dispositio ad operationes perfectas, & naturam transcendentes. Non potest enim magnum ædificiũ consummari nisi super fundamentum stabile, oportet ergo fidem stabilem esse in eo, qui facit opera perfecta, quia: *Omnia opera eius in fide*. Psal. 32. Et quia Maria firma fuit in fide credẽdo Angelo annuncianti sibi ex parte Dei, ideo cõsequens fuit, vt in ea fierent opera mirabilia. Secundo, ex fide procedunt opera confirmatiue, sic quod propter fidem confirmandam fiunt opera, iuxta illud: *Sermonem confirmante sequentibus signis*, Mar. 16. & sic mysterium incarnationis non est factum ad confirmãdam fidem, eo quod de illo est fides, sed magis ad initiandum. Tertio, ex fide procedunt opera Dei meritorie, & sic aliquando fides multorum meruit vt Christus in eis operaretur, & exterius, & interius, vt patuit de Magdalena, cui Dominus dixit: *Fides tua te saluã fecit*, Nota. Luc. 1. & sic dixit Chananeæ. Non tamen ex fide Marię processit miraculum incarnationis, quia nemo vnquam tantũ potuit mereri beneficium, sed ex mera Dei gratia hoc factum est, licet dispositiue meruerit, iuxta illud quod canit Ecclesia, quia quem meruisti portare resurrexit, &c. Se enim mediante Dei gratia ad hoc disposuit. Vt autem nos quoque gratiam habere possimus salutemus, &c.

B Triplex fœmina imperfectio.

Fœmina naturaliter triplici imperfectione laborat. Primo, debilis est, & fragilis ad resistendum. Secundo mobilis, & mutabilis ad perseuerãdum. Tertio, parui iudicij ad consulendum. Inde 1. Polit. consilium mulieris est inualidum. Sed hunc triplicem defectum Maria in se euacuauit. Nam tantę virtutis fuit in seruãda virginitate, vt nec Angelo cederet prolẽ promittenti, sed & virilis fuit super discipulos omnes in constantia fidei ipsam integerrime seruans discipulis omnibus cedentibus. Secundo, perseuerauit à sua conceptione in eadem fide. Tertio, præualuit in iudicio, quia semper optimam partem elegit præeligens ad salutem humani generis acerbitatẽ passionis, quod autem maximę fidei fuerit patet: *Quia dicit Dominus, si habueritis fidem sicut granum sinapis, & dixeritis huic monti tolle te, & mitte te in mare*. Mat. 17. Obediet vobis, sed ad Mariæ dictum, cum ait: *Fiat mihi secundum verbum tuum*, Luc. 1. summus montium tulit se, & misit se in mare huius mundi, ergo fides eius fuit maxima. Secundo, Abraham tanquã maxime fidei ponitur in exemplũ, quia in specie credidit senex de se vetula nasciturum filium, hæc autem de virgine Deũ, ideo fides eius est maior fide Abraham, & magis prædicanda efficiensque ipsam capacem ad maternitatem Dei, secundum verbum thematis, *Beata quæ credidisti*, &c.

C Fides effectus.

Iuxta Thema, & Euangelium. Primo, videbitur de fide Mariæ secundum multiplices effectus fidei. Secundo, de his quę perfecta sunt à Domino in Maria. Pro prima parte, secundum B. Thomam in expositione primæ decretalis, fidei sunt septem effectus. Primus est vita spiritualis. *Iustus ex fide sua viuit*. Abac. 2. Sic viuebat Paulus. *Mortuus sum vt Deo viuam, Christo confixus sum cruci. Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Christus. Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo Filij Dei, qui dilexit me, & tradidit seipsum pro me*. Gal. 2. Est enim fides radix arboris, id est, hominis iusti. Sine radice autem non viuit arbor, sed arescit, & moritur. Fides enim radius est, & calor solis, cuius vigore reuiuiscunt plantæ, herbæ, & arbores. In hoc patet quod periculosa sit igno-

fit ignorantia fidei, quia est causa mortis animæ, & ariditatis, vt nulla in ea sit deuotio, sicut ignorantia Alphabeti periculosior est quã Astronomiæ, quia qui nescit Alphabetum, nescit omnem aliã scientiam, qui vero nescit Astronomiam, nihilominus alias scientias scire potest. Et quia ex fide pendet vita spiritualis, ideo Maria postquam fide concepit vitam, nõ solum sibi, sed toti mundo, immediate exurgens à terrenorum consideratione abijt in Montana cum festinatione, non tam in Montana materialia quam spiritualia. Hinc præceptum est: *Moysi ascende in montem Abarim, & contemplare ibi terram Chanaam quam ego dabo filijs Israel.* Certe in monte vitæ spiritualis ascenderat, vnde contemplabatur terram quam gerebat, vere terram fluentem lacte, & melle. Sed abijt in Montana cum festinatione, quia licet sit difficile ascendere in montẽ spiritualis vitæ, cum tamen iustus apprehẽdit bonitatem terræ, & odoratur, & contemplatur, tunc festinat: *Gustauit, & vidit, quia bona est negociatio eius, manum suam misit ad fortia.* Aliter tamen mali ascendunt ad Montana dignitatum. Primo, per superbiam eleuãdo se. Secundo, sicut passer cito vno volatu, quod suggerunt dæmones animo fideli dicentes: *Transmigra in montẽ,* scilicet dignitatis, & honoris, *sicut passer,* sed debet eis obsistere dicẽdo illud: *Deus meus adiutor meus, non emigrabo.* Maria vero nunc in montẽ, nunc in vallem ascendebat, quia humilis cũ ascendit ad Dei contemplationem, & amorẽ, statim resilit in seipsum per humilitatem considerans suam fragilitatẽm. Et ideo quia superbi cito ascendunt, cito perditur dignitas. *Hæreditas ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit.* Maria autem, & si festinauerit iter ascẽdere, de virtute tamen in virtutẽ, & de gradu in gradum processit, vt mos est iustorũ. *Ibunt de virtute in virtutẽ.* Nemo enim repẽte fit summus apud Deum, sed continuo proficit. Sic Maria fecit. Hoc autem totum fit per fidem. *Fide Moyses grandis effectus est.*

Deu 32

Pro. 31. D

Ascendunt mali aliter quã boni.

Psal 10

Psal 61

Pro. 20

Psa. 83.

Heb. 11.

Sed nihilominus circa sensũm literalẽ quæritur quomodo Maria cũ festinatione ascendebat in Mõtana, viso quod grauida esset, & immediate post conceptum vbi consueuerunt maxime mulieres esse infirmæ, & graues. Respondetur primo quod non est mirandũ, si Maria cum festinatione ascendit in Montana. Primo, quia ille, qui venerat mittere ignem in terram, incenderat eam veniens in eam. Non mirũ igitur si ad flammã illius ignis cito ascendit in Montana ad salutandum Elisabeth. Nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia. Secundo, quia cum Angelus consensum habuit virginis, discessit, & ascẽdit in cęlum, non ergo mirũ si illa, quæ virã ducebat Angelicã in terris pro modulo suo Angelũ sequeretur, vt sicut ille in cælum ascenderet, sic Maria festinanter ascẽderet in domum cælibem Zacharię. Tertio, quia secundũ Origenem, idcirco Maria post conceptum ad Elisabeth in Mõtana properauit, quia Iesus, qui in vtero suo erat, Ioannem adhuc in ventre matris positum sanctificare festinabat. Ex quo apparet quantũ Dominus desiderat nos purgare, & mundare, quando in vtero adhuc matris existens, matrem suam pregnantem ire fecit quasi per quadraginta milliaria, vt purificaret Ioannem. Secundo, dicendum est quod Maria tunc erat sine grauamine grauida. Patet secundũ Bern. quia in ipso suæ cõceptionis initio, quando cæteræ mulieres miserabilius affliguntur. Maria tota alacritate ascendit in Montana cum festinatione, vt Elisabeth ministraret quam audierat ab Angelo concepisse. Non enim lẽto gradu processit, sicut mos est aliquo onere grauatorum, & iterum Bernar. per iugũ Domini leue grauidari potuit Maria non grauari. Portabat enim Maria iugum suaue, & onus Domini leue. Quomodo enim grauaretur portare onus illud, quod omne onus disrumpit. Secundo, hoc idem patet in hoc quod ascendit in Bethleem imminente partu portans illum à quo portabatur, sub quo curuantur,

Heb. 1. tur, qui portant orbem. *Qui portant omnia verbo virtutis suæ.* qui quãdo voluit super vndas maris ambulauit.

Rom. 3. Phil. 3. Secundus effectus fidei est iustitia. *Arbitramur iustificari hominem per fidem. Nõ habens meam iustitiam quæ ex lege est, sed quæ ex fide est Christi Iesu.* Inde Moyses iubet sicut

Exod. 32 pro iustitia sic pro fide pugnare. *Ponat vir vnusquisque gladium super femur suum, & transeat per me mediũ castrorũ, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum.* Hoc enim erat ad expurgandum peccatum idololatriæ factum in adoratione vituli conflatilis. Propter fidem enim nemo indulgere debet, etiam propinquis. Et ideo zelus fidei quem habuit Phinees reputatus est ei ad iustitiam vsque in sempiternũ. Nihil enim est quod magis perpetuet dignitates, officia, & sacerdotia, & regna, quã Zelus fidei. Hãc iustitiam ex fide sua Maria habuit, cum intrauit in domũ iusto-

Luc. 1. rum, scilicet Zachariæ, & Elisabeth. *Ambo*

Psal. 17. *erant iusti, & sine querela*, quia *cum sancto sanctus eris*; contra illas quæ in domos male famatas ingrediũtur. Dico de puellis quæ famam habent velut botrum. Fama eorum leuiter perditur vel per eruginem macquerellarum, vel per ardorem tentationum, vel per gelu deuotionis, vel per malum humorem societatis. Maria intrat in domum bene famatam, iuuenis puella propter senem. Discite puellæ prope matres vestras esse, quæ plenæ sunt Spiritu sancto, vt Elisabeth.

Tertius effectus fidei est puritas cor-

Act. 15. dis: *Fide purificans corda eorum.* Ad speculũ lauantur facies, & ad speculum fidei cõ-

1 Tim 1 scientiæ. *Habens fidem & bonam conscientiã.*

Sap. 8. *Attingit à fine vsque ad finem fortiter*, id est per lumen fidei attingitur à primo vitio vsque ad extremum, & disponuntur cõ-

Matt. 9. scientiæ in suauitate & dulcedine. *Vt vidit Iesus fidem illorum dixit paralitico, dimittũtur tibi peccata tua.* Glos. ecce quantũ apud Deum valet fides propria, apud quẽ tantum valuit aliena. Inde Hierem. dicitur:

Hier. 5. *Circuite vias Hierusalẽ, & si inueneritis quærentem fidem propitius ero ei.* Sed è contra, hæresis de vitio in vitium facit ruere homines, imo & ciuitates. *Peccatum peccauit Hierusalem, propterea instabilis facta est.* Threm. 1. Hanc puritatem cordis habuit Maria ex fide, quæ & alijs hanc concedebat. Nam & in aduentu eius à peccato originali mundatus est paruulus, quod quidem gaudium conscientiæ in gaudio in vtero matris ostendit, quando salutauit redemptorem illuminatus ab ipso erat. Erat enim in vtero virginis luminare maius illuminans orbem, non sicut sol qui opaca penetrare non potest, sed ventrem virginis & sterilis penetrauit vsque ad Ioannem paruulum, quem purificans illuminauit. Luminare minus erat in vtero Elisabeth, & antequam sol ei appropinquaret, luna tota tenebrosa erat, sed ipso approximante luna perfecta est in æternũ, & testis in terra fidelis. Antea nondũ solis aspectus inciderat super eam. Hic Ioannes multum iuuenis incipiebat ad salutandum Deũ & virginem. Discite ergo vos pueri à iuuẽtute exẽplo Ioannis, & considerate quãtum profuit ei salutatio, & testimonium quod ex vtero fecit Dño Iesu. Ex hoc enim meruit vt testimoniũ haberet à Deo.

P Maria benedicta propter quam quæ.

Quartus fidei effectus est desponsatio. *Desponsabo te mihi in fide*, & est sacerdos spiritus sanctus, qui per fidem desponsabit animas nostras Domino nostro Iesu Christo. Sic desponsamur in baptismo per fidem, & si fregerimus fidem nostrã adhęrendo aduersario suo, adhuc paratus est nos suscipere. Hier. 3. tu autem fornicata es cum amatoribus multis, veruntamen reuertere, & suscipiam te, & percutit eam sæpe vt reuertatur. Exemplum habemus de tempore Constantini filij Constantini, & de peste quæ fuit ibi propter hæresim quandam. Sic Maria per fidem desponsata est Deo Patri, vt eandem cum patre haberet prolem, filium scilicet, qui in terris est sine patre, & in cœlis sine matre. Vnde clamat Elisabeth, benedicta tu in mulieribus, & hoc ideo, quia benedictus fructus ventris tui quem participas cum Deo Patre. Osee 2.

Benedicta

Benedicta dicitur mulier quinque modis. Primo quando pulchra est. Vulgo enim dicitur. Deus benedicat talem, ecce vna pulchra creatura. Maria autem fuit mulierum pulcherrima, & mente & corpore, ideo ab Angelo hoc bene cognoscente, dicitur ei Aue, &c.

Secundo quando bene famata est. Hæc autem apud omnes nationes celebris habetur, apud Christianos, quia est eorum aduocata, apud Iudæos reuerebatur viuens, quia ( vt ait Bonauentura) habebat talem in vultu gratiam, vt non solum nô prouocaret intuentes ad illicitam concupiscentiam, sed etiam eam extingueret, & ad sui reuerentiam inclinaret, apud Saracenos etiam prædicatur sancta, vt amplius dicetur sermone sequenti. Inde ait prophetando: Beatam me dicent omnes generationes, scilicet cœli & terræ, cœli vt Angeli, terræ vt Elisabeth. Tertio quando bene desponsata est. Hæc autem est desponsata Deo Patri. Vnde ait ei angelus, Dominus tecum. Cor enim Patri iûctum erat, corpus filio, ita quod dicere poterat illud Psal. quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

Quarto quando est in dignitatem aliquam exaltata, vt Regina dicitur felix. Ista vero non solum est Regina mundi, cæli, & terræ, imo & paradisi, sed etiam mater Dei appellata est. Inde cû dixisset Elisabeth, benedicta tu inter mulieres, &c. statim subdidit, vnde hoc mihi vt
Nota. veniat mater, &c. Quinto quando bonû habet fructum. Nam mali fructus matres sunt infelices. Ideo dicitur, benedictus fructus ventris tui. Nec mirum, quia gustauerant dē fructu illo quo gustato desipit omnis caro, & mater & filius, ideo nil mirum si exultat paruulus pro matre, & mater reddit gratias pro filio dicens, benedicta tu inter mulieres, &c.

Quintus fidei effectus est adoptio. Fide enim adoptamur in filios Dei: *Dedit* Ioan. 1.
*eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius.* Sic in baptismo regeneramur in filios Dei. Sic Maria per verbum salutis & fidei dum locuta est, exultauit infans in vtero factus filius Dei per diuinam præsentiâ purgatus & repletus Spiritu sancto.

Si tantum valuit vox Mariæ pro puero, vt exultaret infans in vtero matris, & purgaretur à peccato & illuminaretur à Deo, quantum putatis valeat oratio Mariæ apud Deum pro peccatoribus, vt purgentur à peccatis, illuminentur & exultent adhuc existentes in vtero matris Ecclesiæ militantis. Vnde ait Dominus illi, quasi libenter eam audiens pro peccatoribus. *Sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis.* Cant. 2. Sextus effectus fidei est accessu ad Deum. *Accessum habemus per fidem in gra-* Rom. 5.
*tiam istam*; quia: *sine fide impossibile est placere Deo.* Heb. 11. Per fidem accessum habuit Maria ad Christum, quando fide concepit eum. Ideo dicit ei Elisabeth. Beata qui credidisti. Accessit enim ad Deum fide, & Deus accessit ad eam præsentialiter in carne, imo per fidem accessum habemus per eam ad Deum. Est enim velut stella maris ad quam respiciunt nautæ naufragantes mediante acu tacta ab adamante vel tincta adamante. Sic nos ad illam per fidem tinctam & caloratam in Sanguine Christi.

Septimus effectus fidei est vita æterna. Dicitur enim: *Filij Sanctorum sumus, & hæ-* Tob 2.
*reditatem illam expectamus, quam daturus est Deus his qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* Et: *Dabitur fidei donum electum. Fide Enoch* Sap. 3.
*translatus est in Paradisum*, Heb. 11. & latroni credenti cum alij discrederent dictum est, hodie mecum eris in Paradiso. Sed hæresis claudit regnum cœlorum, & aperit infernum. *Hi errant in corde, quibus iuraui in* Psal 94.
*ira mea, si*, id est, non, *introibunt in requiem* G Hæresis
*meam*, Et: *pergat Aaron ad populos suos. Non* claudit
*enim intrabit in terram quam dedi filijs Israel,* cœlum.
*eo quod incredulus fuerit voci meæ*, Num. 20 incredulis
*pars illorum in stagno, in igne, & sulphure.* Apoc. 21. Hæc est mors secunda. Maria vero iam vnum

pedem

pedem habebat in vita æterna iam certificata de ea. Ait enim quod Beatam dicerent eam omnes generationes cæli & terræ, imo Paradisum iam habebat intra se, ideo ex hoc beatificabat, laudabat, & magnificabat Dominum dicens, magnificat anima mea Dominum, &c.

Pro secunda parte quæritur quæ sunt illa quæ dicta sunt Mariç, à Deo. Nam ab Angelo solo dicta fuerant ei aliqua in Annũciatione. Præterea, nonne hęc omnia perfecta sunt extra eam, puta regnũ Dauid, sedes Iacob, & redemptio mũdi, & vocatio nominis Iesu. Respondetur primo quod Moysi antiquitus loquebatur Angelus in persona Dei. Sic Angelus pro Deo loquutus est Mariæ. Cum enim seruus regis verba regis refert, dicitur rex loqui. Dicitur secundo quod in Maria loquebatur Deus extrinsece, sicut de seipso innuit Psalmista dicens, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* (Psal. 84.) Vnde de ea dicitur. *Oculi tui columbarum* (Cant. 4.) ad præuidẽdum caute extra, ad verbum Angeli prudenter respondendo, sed *absque eo quod intrinsecus latet*, ad videndum, scilicet oculis intellectus. Bene enim loquebatur, qui responsum dedit & assensum, qui vtero latebat omnia sciens.

Dicitur tertio quod dixit ei Angelus quinque verba quę perfecta sunt & perficientur in ea. Propterea non tam loquitur Elysabeth de præterito quam de futuro, quia plurima perficienda erant in ea. Primum verbum fuit, ecce concipies & paries filium, & hoc impletum est in annuntiatione & natiuitate. Secundum fuit, & vocabis nomen eius Iesum, quod licet extra eam completum sit, effectus nihilominus eius in ea impletus est, quãdo super salutem & omnem pulchritudinem dilecta à Domino exaltata est super choros Angelorum. Tertium fuit de regno Dauid & sede perpetua, quod in ea maxime completum est, quia licet in alijs sedeat, non tamen quandiu viuũt mortali vita ibi perpetuo regnat, quia quandoque pellitur per peccatũ quodcunque. Quartum fuit, Spiritus sanctus superueniet in te, quod fuit impletum per totam vitam eius, quando Spiritum sanctum & eius gratiam ad abundantiam & superabundantiam habuit. Quintum verbum, & virtus altissimi obumbrabit tibi, id est, vmbram corporis faciet in te, & ita factum est, & teipsam faciet vmbrã pro peccatoribus, quod etiam impletum videmus. Tres enim modi hominum libenter incolunt vmbras scilicet peregrini, homines laborantes, & habitantes in terra calida. His omnibus vmbram facit Beatissima virgo, iuxta illud: *Ecce alienigenæ*, id est qui se reputant peregrinos in hoc mundo, vt iusti, *& tyrus*, id est angustiati laboribus & afflictiombus, tyrus enim interpretatur angustia, *& populus æthiopum*, id est, vexati inordinato calore concupiscentiarum & nigri peccatis, *hi fuerunt illic* in vmbra protegendi, ab æstu tentationum, à turbine tribulationum, & à pluuia diuinorum iudiciorum Hoc certe quotidie in te perficitur o glosa mater. Patuit in Theophilo & alijs innumeris. (B Maria vmbram facit peccatoribus) (Psal. 86.)

*DE EODEM FESTO SER. VI. & in ordine XV. Per Thema.*

EX *hoc beatam me dicent omnes generationes.* (Luc. 1.) Omnes certe generationes cæli & terræ beatam dicunt virginẽ Mariam. Cæli generatio clamat in Gabriele: Aue gratia plena, terræ generatio in Elisabeth, Beata quę credidisti, vtraque simul, benedicta tu in mulieribus. Nõ immerito autem Beata prædicatur ab omnibus generationibus. (A Maria cur beata prædicatur ab omnibus.) Primo quia si Beatus populus cuius Dominus Deus eius, ad colendum videlicet & amandum, multo amplius Beata Maria cuius Dominus Deus eius, non ad colendum tantum & amandum, sed excellentissimo quodam modo ad concipiendum, pariendum, nutriendũ, tractandum, & amplexandum. Secundo ex fructu benedicitur arbor. Cum igitur omnes generationes

tiones cæli & terræ ex Mariæ fructu satientur, quis neget eam ab omnibus generationibus benedici? Quod præsentiens Elisabeth dixit Mariæ, benedicta tu in mulieribus, & rationem subdidit, & benedictus fructus ventris tui. *A fructibus eorum*, (inquit Saluator) *cognoscetis eos*. Ex fructu cognosceris, ô beatissima mater, quo gustato Reginæ & concubinæ laudauerunt te, id est iusti, & peccatores. Beata terra ex solis aspectu quæ gignit aurum, & aurum terræ illius optimum. Beata terra cuius rex nobilis, quæ gignit illam prætiosam margaritam, qua inuēta abijt homo à sæculari vita, & vendidit vniuersa, quæ habuit, & emit eam. Tertio potest dicere Maria: *Quia respexisti humilitatem meam, eruisti de necessitatibus animam meam*. Dominus enim respexerat Euæ superbiam, ideo induxerat eam in omnem necessitatem, & quia è contrario respexit in Maria humilitatem, ideo eruendo eam ab omnibus necessitatibus & miserijs non requisitis ad meritum, omni beatitudine eam repleuit. Nihil mirum ergo si eam beatam dicunt omnes generationes. Vnde & de ea in Alchorano habetur. O Maria Deus vtique elegit te, & purificauit te, & elegit te claram super mulieres sæculorum. Et apud Saracenos dicitur sancta. Hinc Antonius dicit, quod Saraceni & Turcę benedicunt eam, ipsam in templis adorantes, & thurificantes ei, & nomen eius in tali reuerentia habetur, quod eam blasphemantes graui pœna mulctantur. Fatentur enim Christum de virgine natum. Clamat igitur merito Maria. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini*, & *Memoria mea in generatione sæculorum*, ideo, & nos ad eam transeamus, & recurramus dicentes. Aue gratia plena, &c.

Matt. 7

Psal. 30.

Eccl. 24.

Benedicitur Maria ab omnibus generationibus triplici benedictione. Primo benedictionibus cæli desuper. Secundo benedictionibus abyssi iacentis deorsum. Tertio benedictionibus vberum & vuluæ.



Igitur benedicitur Maria. Primo benedictionibus cæli desuper, apportando desuper salutem mundo, fructum de cælo. Nam: *Facta est quasi nauis institoris de longe portans panem suum*. Prima mater perditionem attulit mundo, hæc salutem, prima mulier dedit ingressum diabolo in mundo, hæc Deo. Vnde salutem istam sensit Elisabeth esse in ventre Mariæ, quando Maria ipsa intrauit in domum Zacharię, & salutauit Elisabeth. Duplices autem sunt salutes. Vna est salus verborum tantum vel signorum, quæ est velut moneta desuper aurea, sed intus plumbea, quia qui sic salutant, intus vellent perditionē, vbi exterius apparet eos quærere salutem. Tales sunt salutationes diaboli, carnis, & mundi, & ideo vitandæ sunt. Vitanda est enim triplicis generis salutatio, scilicet excommunicati, hominis alterius legis, & inimici. Excommunicatus est diabolus, qui falsificauit bullam summi Pontificis, id est formam suam, quæ erat *signaculum similitudinis Dei*. Item incendiarius fuit Sanctorum locorum, illorum duorum templorum, quæ fecerat Deus, scilicet Adam, & Euæ. Omnes enim iusti templa sunt Dei. *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*. Item manus violentas iniecit in clericum, immo in ipsum Papam Christum, & quia non habet superiorem à quo petat absolutionem, & ab illo non vult quærere, ideo non potest absolui. Propter hoc dicitur: *Si peccauerit vir in virum placari ei potest Deus, si autem in Deum peccauerit, quis orabit pro eo?* Iste excommunicatus salutat nos, cum peccata suggerit, vt interficiat sicut Ioab Amasam salutando interfecit. Hunc resalutat, qui eius suggestioni consentit, & fit excommunicatus, quia: *Non solum, qui ea faciunt, sed qui consentiunt, facientibus digni sunt morte*. Non ergo salutandus est huiusmodi excommunicatus, nec eius salutatio admittenda, quia dicitur secunda canonica Ioannis. *Si quis venit ad vos & hanc doctrinam*, scilicet Christi, *non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis*.

Prou. 31

B Salutationes diaboli, carnis & mundi vitandæ

Nota.

Ezec. 28

1. Cor. 3

1. Reg. 2

Rom. 1.

Nota.

2. Ioan.

 Homo

Homo alterius legis est caro, cuius lex contraria est legi spiritus. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Horum auté qui sunt alterius legis, quidam sunt gentiles idola colentes, scilicet motus luxuriæ, qui in corde suo faciunt masculinas imagines & femineas, sicut dicitur: *Fecisti tibi imagines masculinas & femininas, & fornicata es in eis.* Alij sunt Iudæi, qui legem & sacrificia carnaliter seruant, scilicet motus gula. Alij hæretici latenter corrumpentes, &c. motus sub virtutis specie vel necessitatis ad peccatum inclinantes. Primi, id est Pagani, occidendi sunt gladio continentiæ, sicut hortatur Psal. dicens cuilibet nostrum, *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* Iudæi non sunt occidendi, sed fame & miseria cruciandi. Hæretici vero sunt comburendi. quia Spiritui sancto committendum est, vt in talibus reuelet vtrum spiritus sint ex Deo. Hic homo alterius legis salutat, dum caro voluptatem suggerit, hunc resalutat qui consentit, & excommunicatus est, & ideo dicitur: *Cum saltatrice,* scilicet carne, *ne assiduus sis, nec audias illam,* quia scilicet est excommunicata. Hostis est mundus. *Quicunque voluerit amicus esse huius sæculi, inimicus Dei constituitur.* Hic salutat, dum diuitias & honores suggerit dicens: Aue Rabbi, & osculatur hominem & prodit simul. Sed non est audiendus nec resalutandus per consensum, *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Huiusmodi autem salutes vel salutationes fraudulentas & falsas non exhibuit Maria. Est ergo alia salus tota aurea, qua quis alteri mente & ore veram salutem exoptat, & ista est qua Maria salutauit Elisabeth, quæ multum prætiosa & desiderabilis fuit. Nam Maria erat gazophilatium in quo requiescebat vera salus mundi, in quo erant omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi, hoc est Christus qui fuit thesaurus absconditus in hoc gazophilatio, iuxta illud: *Vere tu es Deus absconditus,* scilicet in vtero virginali. Hunc ergo thesaurum tunc portabat virgo secum, dum visitauit Elisabeth, sed verecundia virginalis ipsum occultabat, tamen post salutationem Mariæ Ioannes ipsum sensit & exultauit, & Elisabeth publice manifestans exclamauit. Ipsa quoque erat *vrna aurea,* continens hunc thesaurum. In qua scilicet vrna fuerũt aurũ diuinitatis. *Caput dilecti mei aurum optimũ,* & argentũ mũdissimę & cãdidissimæ humanitatis igne Spiritus sancti multipliciter examinatũ.

Rom. 7. Ezec. 16. Psal 44. Eccl. 9. Iac. 4. Psal 61. Isai. 45. Hebr. 9. Cant. 5.

Secunda benedictio fuit abyssi terræ iacentis deorsum. Ista fuit benedictio data Ioanni ad Mariæ præsentiam, propter quam benedicitur & glorificatur Maria, quando in abysso terrę iacentis deorsum abyssus abyssum inuocauit, quãdo abyssus misericordiarum cecidit super abyssum miseriarum in Ioanne, quando ablata est ei peccati originalis miseria & fons miseriæ. Est enim peccatum originale fons & radix miseriæ, & in terra iacente deorsum, scilicet in vtero matris.

Tertia benedictio vberum & vuluæ, qua benedicta est ab Elisabeth Maria propter fructum ventris & vberum, & ea quæ in ea perfici debebant, vberum quidem, quia vbere suo erat lactatura Saluatorem. Vnde primo benedixit eam propter fructum suum, benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Vbi nota quod aliter fructus temporalis se habet, aliter iste fructus spiritualis, quia fructus temporalis maledictus, fructus iste benedictus. In quo arguuntur fructus terræ amatores. Sicut enim terra nostra, id est Maria dedit fructum suum, id est sibi congruum, quia benedicta protulit benedictũ, sic maledicta terra in opere Adæ fructus protulit maledictos, & maledicti, quia fructus terrenos præferunt benedicto fructui vẽtris eius. Non reputabat fructum Mariæ super omnia benedictum diues illa, cuius vberes fructus ager attulit. Secundo, quia fructus temporales sollicitudinem, & sumptum ingerere magis videntur quã quietationẽ animi. *Diruam* (inquit diues) *horrea mea, & maiora ea faciam, & dicam animæ meæ,*

C Mariæ fructus benedictus, sed temporalis maledictus. Luc. 12.

*mæ meæ, habes multa bona in annos plurimos reposita*, in quo fefellit eum spes sua. Nec enim in materialibus horreis bona corporis in annos plurimos reponuntur, quod in ipsa nocte probatum est, qua anima eius repetita est ab eo non in annos plurimos, sed nec ad modicum habẽs aliquid ex eis, quæ ipse sibi parata dicebat. Maledicti ergo fructus, qui sic sollicitudinem habenti ingerunt, sed benedictus fructus ventris Mariæ, quem qui habuerit, dicere potest. Anima mea habes multa bona in annos, & cætera. Is enim fructus est in annos plurimos duraturus. Non enim sicut fructus temporalis animã in corporis dissolutione destituit, sed magis tunc ei redditur, & animam quocunque ierit comitatur. Hoc dicitur in

Psf. 126. Psal. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini.* Amatores cum in morte dormiunt, non eis offertur, sed aufertur hęreditas, non eis fructus suus oritur, sed

Iob 27. perit, quia: *Diues cum dormierit nihil secum aufert, aperiet oculos suos, & nihil inueniet.* Nõ ergo, cum mundus dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas, sed dissolutio. Sed cũ Christus dederit dilectis suis somnum, ecce hęreditas, quæ est merces filij, id est quam dat filijs suis hęredibus. Hęc est hæreditas, nec decessione prolis obtenta, nec successione transmittenda ad ad posteros, nec inter fratres diuidenda, nec angustior multitudine cohæredum. Stultus ergo est, qui animæ suæ fructum istum non prouidet, qui permanet in vitã æternam, magis intendens horrea vetera diruere, & noua ædificare ad repositionẽ fructuum terrenorum, stulte perituro labori incumbens, habẽs ad manũ horrea, quæ ipse Dominus fabricauit ventres pauperum, in quibus fructus temporales repositi, animæ in annos plurimos reseruantur, & sic sine labore suo parata inuenit horrea, & in ea reponit quæ habebat.

Psal. 111 De quo dicitur: *Dispersit dedit pauperibus*, nec ei perierunt, qui ea, ibi reposuit, sed annos plurimos reseruata sunt, ideo sub-

Luc. 15. ditur: *Iustitia eius manet in sæculũ sæculi.* Loquitur etiam Dominus de alio diuite, qui ad reponendos fructus suos corpus proprium horreum faciebat, qui epulabatur quotidie splendide, cui iustius quam primo dicitur, quæ parasti cuius erunt. Primus parabat successoribus quę in horreis reponebat, iste escam vermibus cũ corpus suum splendide nutriebat, illæ filijs, istæ ventri, neuter animæ suæ prouidebat. Maledicti ergo fructus, qui sic deludunt, sic transeũt, sed benedictus fructus Mariæ, qui suos possessores efficit benedictos, sicut & terrenus fructus suos facit maledictos. Illis enim dicetur, venite benedicti, his autẽ, ite maledicti, & à fructibus singulorũ cognoscetis, cum vtrique pro suo fructu quẽ de duobus elegerint benedictionẽ vel maledictionẽ sortiẽtur. Sed dicet quis. Iste fructus virginis verũ est, quod est benedictus. Sed quid nobis, fructui illi? Forsitan Maria nõ impartietur nobis illum. Sed audi quid dicat. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini.* Nobis enim Eccl. 24. attulit fructum istum non sibi soli, *terra dedit fructum suum*, dedit quidem, non sibi auare retinuit. Ex quo etiã nostra terra est, noster est fructus eius, ideo tanquã largissima omne ad eum inuitat dicens, transite ad me. Mater enim de fructu prouidere solet suo puero, & nobis id faciet, si sui fuerimus. Parẽtes enim filiorũ necessitatibus subueniunt. Primi parentes nobis prouiderũt vnde mori, nõ vnde viuere, prouiderunt de necessitatibus ad mortẽ, non ad vitã, de quibus: *De necessitatibus meis erue me.* Maria vero nobis prouidit vnde viuere, de fructu scilicet benedicto ventris sui, de quo: *Porro vnum est necessariũ.* Iste igitur fructus in fine prandij nostri vtamur ad condimentũ, & tanquam vltimo cibo, vt omnes huius sæculi amaritudines, & asperæ pœnitẽtiæ huius fructus dulcedine cõdiantur, & leniantur. Qui enim asperitates pœnitentiæ sine isto cõdimẽto in se traijciunt similes sunt catto, qui sine sale, & condimento pisces comedit, & tunc nullum,

D Maria prouidit nobis de fructu suo benedicto. Psal. 66. Psal. 24. Luc. 10.

ibi gustum accipiunt. Secundo commẽdat fidem Mariæ tanquã causam aliqualem benedictionis suæ, dicens ei. Beata quæ credidisti. Maria enim virginitatem vouerat, & parituram se Angelo docente nouerat, & tamen mirabili fide, & votum suum implendũ credidit, & diuinæ ordinationi se non subduxit. Maxima autẽ magnanimitas fidei fuit, quod in se posse fieri, & credidit, & sperauit, quod nunquam auditum fuerat nec in cælo, nec in terra. Et ideo meruit, vt in ea perficerentur, quę sibi dicta fuerant à domino. Nam (vt ait Origenes) per fidem Mariæ erigitur iacentium genus, quod per mulieris temerariam credulitatem fuerant ante deiectũ, & sic concepit per aurem. *Dilectus meus misit manum suam per foramen*, auris scilicet, *& venter meus intumuit ad tactum eius*. Non enim poterat aliter haberi nec capi incarnationis mysterium, quàm per fidem. *Nam Dominus* (teste Psal.) *posuit tenebras latibulum suum*, id est, incarnationis mysterium secretum, & obscurum quasi in latibulo, & in abscondito, vt crederetur, & ab ea, & à nobis. Beata igitur Maria quæ credidit. Solent autem aliqui doctores triplicẽ beatitudinem distinguere, vnam spei, aliam rei, & aliam mediam. Beatitudo spei est, quam habent de communi cursu viatores expectantes visionem, & aduentum gloriæ magni Dei, beatitudo rei est fruitio sanctorum in gloria, media vero quę est maior quam spei & minor quàm rei, quæ non modo soli spei innititur, vt est illa communis viatorũ, sed habet aliquã supra spẽ rentationẽ, dũ certitudo maior habetur quã solius spei, qualis creditur in Maria, quæ si viatrix esset, erat tamen plena gratia, & in ea cõfirmata, vt nec venialiter nec mortaliter peccare posset.

B *Maria fidei maxima.* — *Cant 5.* — *Nota.* — *Psal 17.*

Sed Maria magnificante eam Elisabeth magis Dominum magnificare curauit. Qui enim vere humilis est, non se ab hominibus laudare desiderat, sicut dicit Augustinus, & sicut habetur. *Deus ab humilibus honoratur*. In quo docemur Deo gratias agere de perceptis beneficijs, & ei attribuere totum, quod est humilitatis, & eius magnificare potentiam sicut Maria dicens: quia fecit mihi magna qui potens est. Vnde aliquantulum prolixe locuta est Maria in hoc Cantico, cum tamen alibi breuiter locuta sit, nec in aliquo verbo effluxit, nisi in laudibus Saluatoris, per hoc innuẽs nobis in Dei laudibus prolixe loquendum, imo nunquã tacendum, iuxta illud: *Qui reminiscimini Dominine taceatis*, contra eos, qui tacent in choro sicut statuæ, alias nullo modo cohibere linguas volentes.

*Eccl. 3.* — *Isa. 62.*

## DE SANCTO MARTIALE *Lemonicensis Episcopo, Sermo Vnicus, & in ordine XVI.*

Nimis honorati sunt amici tui Deus. Omnes enim in Christo credentes multum honorantur, secundum illud: *Gloria & honor, & incorruptio omni credenti*. Sed multo fortis illi primitiui, inter quos erat Martialis. Primo, quia dicti sunt à Christo amici sui. *Iam non dicam vos seruos, sed amicos meos*. Cuius amicitia est tam honorabilis, vt dicatur: *Beati qui te audierunt, & in amicitia tua decorati sunt*. Secundo honorati sunt à Christo per seipsum, nõ per Angelos, vt fuerunt Patriarchæ & Prophetæ. *Nouissime diebus istis locutus est nobis in filio*, reuelando eis per se diuina mysteria, secundum illud: *Omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis*. Tertio vocando eos ad Ecclesiæ principatum. Psal. *Constitues eos Principes super omnem terram*. Quod est officium valde honorabile, esse Principem & Ducem Regis æterni in tota terra. *Constituit eum super excelsam terram*. Quarto dando potestatem faciendi miracula, secundum illud: *Dedit eis potestatem spirituum immundorum, vt eicerent eos, & curarent omnẽ languorẽ*. Quinto super peccatores dicẽs: *Quæcunque solueritis super terrã, erũt soluta & in cælis*, &c. Et. *Quorũ remiseritis peccata remittũtur eis*. Sexto promittẽdo iudiciariã potestatẽ in fine sæculi. *Vos, qui reliquistis omnia sedebitis super sedes duodecim.*

*Ps 138.* — *Rom 2.* — *Ioan. 15.* — *Eccl 48.* — *Hebr. 1.* — A *Honorati sunt à christo Apostoli & Discipuli.* — *Psal. 44.* — *Deut 32.* — *Mat. 10.* — *Mat. 18.* — *Ioan. 20.* — *Mat. 19.*

Istis

Istis modis precipue honorati sunt Apostoli Domini,& quodammodo.72. discipuli,de quorum numero erat Martialis. Vt autem merita eius, quibus honorari dignus fuit declarare posimus,recurremus ad matrem nostram, & dominam Mariam,rogantes,vt det nobis intellectũ ad illud faciendum,ac dicentes.Aue.&c.

B Honor acquiritur propter quatuor quæ applicatur myslice.

Propter quatuor solet honor acquiri. Primo propter suum ministerium, vt Aarõ sacerdos Domini acquisiuit, ita vt, qui bonũ ministeriũ sciunt,&inde bono Domino seruiunt hic honorantur. Ministerium bonum est ministerium bonæ actionis. *Omne opus electũ iustificabitur, & qui operatur illud honorabitur in illo.* Bonus Dominus est Christus, cui seruiendum est Christus,cui seruiendum est de ministerio bono,quia ipse ait, *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus qui est in cælis.* Discamus ergo ministerium Christi, non mundi aut diaboli,quia ministri eorum nihil reportabunt nisi confusionem ab illis,mundus nihil retribuit nisi sudarium vel bendellum, diabolus nihil nisi torquem in collo latronis.

Eccl 14.

Ioan.12.

Secundo, quis honoratur propter suam militiam, vt dicitur. Sic qui bene militant Christo in bello tentationum. Iustum est enim,vt qui regi propinquior asistit in prælio, prope eum etiam asistat in palatio. *Communicantes Christi passionibus gaudete, vt in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultãtes.* Inde Dominus discipulis: *vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis regnum.* Tertio propter suam largitatem, vt Alexander. Hi sunt,qui per donorum temporalium aut spiritualium largitatem corda hominum attrahunt. *Victoriam, & honorem acquirit, qui dat munera, animã autem aufert accipientium.* Victoriam in hostes, honorem in ciues,quia eleemosyna hostem expugnat. *super scutum potentis & super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit.* Similiter eleemosyna mereatur regnum, *Vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurũ in cælo.* Quarto propter suã

1. Pet 4.

Luc.22.

Prou.22

Eccl 29.

Mat.19.

sapientiam, vt Ioseph. Ita homines magni consilij solent honorari. Quæ autem sit illa sapientia, quæ solet honorari, dicitur: *Vbi humilitas vbi sapientia.* An non diabolus per stulti iam elationis delectus, Christus per sapientiam humilitas exaltatus est? Ideo suadet Dominus. *Cùm inuitatus fueris ad nuptias, recumbe in nouissimo loco.* Iustũ enim est, vt qui omnes honorauit, ab omnibus honoretur, qui omnes ante se posuit, ante omnes ponatur, quia vna bonitas aliam requirit & qui omnes spreuit per superbiã, ab omnibus spernatur, secundũ illud: *Væ qui spernis, nonne & ipse sperneris?* In gloria autẽ vult Dominus omnes sanctos suos honorari, non sperni. Ideo nullus manet ibi locus superbis, qui alios consueruni spernere, sed humilibus tantũ, qui omnes consuerunt honorare. Inde dicitur humilem spiritu suscipiet gloria. Quia ergo B. Martialis continue se exercebat in ministerio bonæ operationis, viriliter militabat aduersus hostes spiritus, assidue ministrabat eleemosynã spiritualẽ circa populũ suum, ac summe humiliauit seipsum sub potẽti manu Dei, vt dicitur postea, idcirco nil mirum si multum sit honoratus à Deo cum cæteris sibi similibus, de quibus. Nimis honorati sunt amici tui, &c.

Prou 15.

Luc 14.

Esa 33.

C Honorabile est esse de familia Christi.

Dicitur quomodo beatus Martialis multũ fuerit honoratus à Deo in tribus. Primo in vocatione ad fidem. Secũdo in cõmunicatione mysteriorum & donorũ Christi. Tertio in gloria miraculorũ. Primo fuit multũ honoratus Martialis quãdo Christus eũ vocauit ad fidem, & fecit eũ baptizari à Petro dũ adhuc esset. 15. annorũ. Multũ quidẽ honoratus est tũc, quando factus est de familia regis, non cuiuscunque sed cęlestis. Quod magnum est, quia seruus regis par est comiti, ergo seruus Dei par regi. Et hoc approbat Glos. Roma. 1. inquiens seruire Deo regnare est, imo plus seruus Dei par est Angelo. Vnde non se permisit Angelus adorari à Ioãne dicẽs, *conseruus sum. Magna est gloria sequi Dominũ,* & ne sit gloria sine

Apo 22

Eccl.23

1. Pet. 2. ne fructu addit: *Longitudo dierum assumetur ab eo.* Sic latro pro seruitio vnius horæ honorari meruit in æternitate, *Vobis ergo honor credentibus*, id est, qui facti estis de familia regis. Sic factus est Martialis de familia Christi per fidem, & baptismum & à iuuentute continue ei seruiuit. Erat autem de tribu Beniamin sicut Paulus.
Gen. 49. Poterat ergo de eo dici. *Beniamin lupus rapax mane comedit prædam*, id est admodum lupi mane iuuentutis comedit, id est corporauit prædam hoc est doctrinã à Christo, & vespere diuidet spolia, quia in senectute vel post iuuentutem, quæ acceperat à Christo, legem & Prophetas, & Euangelium diuisit populo prædicando. Vnde communiter dicitur quod fuit ille paruulus, quem statuit Dominus in medio disci-
Mat. 18. pulorum, & dixit: *Nisi efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cælorum*, ergo ille humilis erat doctrina Christi de humilitate confirmans, & tandem intraturus in regnum cælorum. Seruit autem Christo non solum spiritualiter, sed etiã corporaliter, sicut in cœna seruiendo de aqua. Vere nobile seruitiũ, quia summa ingenuitas ista est, in qua seruitus Dei cõprobatur. Alij erubescunt seruire, sed nõ est erubescendũ, vbi postea maximi Imperatores seruierunt. Et ideo, quia sic seruiuit Christo meruit esse particeps illius
Ioan. 12. vocis. *Volo pater, vt vbi ego sum, illic sit & minister meus.* Secundo fuit honoratus in cõmunicatione mysteriorum & donorum
Mar. 10 Christi. Primo quando quasi familiaris Domini vocatus est ad mysteria eius cognoscenda sicut in cœna, quando vocatus est ad eius amplexus, quia forte erat de numero paruulorum, quos amplexatus est Dominus. Ita vt posset de familiari Christi notitia gaudere, de qua sola glo-
Hier. 9. riandum est. *In hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me.* Honorabile enim est esse familiarem regi. Honorantur autem tales, quando rex eos familiariter alloquitur,
Prou. 4. quando amicabiliter amplexatur. *Glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus.* Sed quæres quę mysteria vidit, aut audiuit in cœna. Respõdetur, quod audiuit, ibi pulchrum sermonem de charitate, & vidit ibi Dominum nouum testamentum condentem, & vetus infirmantem, & per cõsequens potuit esse testis illius testamenti noui. Quod & fecit postea, testificãs Antiochiæ Romæ, & apud Gallias. Secũdo, communicauit ei Christus dona sua, sicut dona Spiritus sancti, & genera linguarum in Penthecoste, deinde postquam à Hierosolymis cum Petro ad Antiochiam & consequenter Romam venisset, communicans ei quodammodo dignitatem apostolicam, iniunxit Petro, vt mitteret eum ad Gallias. Sed ibi quæritur primo, quomodo B. Martialis tantum laborẽ assumpsit, vt sic peregrinaretur de vno loco ad alium. Respondetur, quod primo amor Dei hoc fecit. Secundum enim Augustinum omnia sæua, & immana, facilia, & prope nulla facit amor. Et in hoc apparet, qui sunt, qui non diligunt Deum, qui nihil propter eum volunt facere, quia teste Gregorio, probatio dilectionis exhibitio est operis. Et non sufficit bene dicere, & bene loqui, quia: *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorũ, sed qui facit voluntatem Patris mei.* Secundo hoc fecit excellentia amoris ad proximũ. Ignis semper ardet, lucet, & mouetur. Sic semper in eo ardebat amor, vt illuminaret proximũ. Secunda quæstio, an debeat dici Apostolus. Quod nõ videtur, quia nõ est de duodecim Apostolis, & missus fuit ab Apostolis. Respondetur primo, quod quamuis non sit de numero duodecim Apostolorum, non tamen propter hoc debet ei denegari nomen Apostoli. Primo, quia Paulus & Barnabas non fuerũt de numero illorum, qui tamen Apostoli nominati sunt contra Ebionitas, qui Paulum repudiant. Et si dicatur, quod illi fuerunt à Domino separati, & missi post mortem Christi. Ita beatus Martialis Domino reuelante in Gallias missus est. Secundo in Epistola ad Philippenses vocat Paulus Apafroditum Apostolum eorum, & Iudas, & Sylas ab Apostolis, nominati

D

Amor Dei & proximi faciunt hominẽ multum laborare

Matt. 7.

minati sunt Apostoli, & Angeli vocant Aug. missum à beato Gregorio, ille merito dici potest Apostolus, qui cum Domino vixit, vidit eius mysteria, audiuit prædicationes, vidit resurrectionem, ascensionem, & gratiã Spiritus sancti percepit, cum potestate faciendi miracula, & iudicandi. Sic est de beato Martiale, vt patet ex legenda. Quarto ille merito dicendus est Apostolus, cui Dominus voluit omnes Apostolos æquari. Sic est de

Mat. 18 B. Martiale, dicente Domino: *Nisi efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cælorum*. Dicitur secundo quod tantũ sunt duodecim Apostoli à Christo viuente in terris specialiter electi, Mathia loco Iudę Scariothis postea substituto, non tamen sequitur quin multi alij possint dici apostoli, sicut dicuntur esse duodecim Patriarchæ, scilicet filii Iacob, & tamẽ fuerũt alij, scilicet, Noe, Abraham, Isaac, &c. Etiam dicuntur esse duodecim Prophetæ, præter quos multi fuerunt alij. Tertio honoratus est gratia miraculorum. Primo in via, quia Austriclianianũ suscitauit, sed tamen cum baculo Petri, quem reuersus Romã accepit pro suscitatione eius. Sed queritur primo quare redijt. An fides deficiebat, quia eum non suscitauit, cum etiam postea tot suscitauerit. Dicitur primo quod fides B. Martialis tanta erat, quod si Dominum rogasset, eum suscitasset. Sed redijt propter duo. Primo, quia satis prope Romam erat, ideo ex humilitate detulit Petro. Secundo, quia nesciebat an bonũ esset quod tunc suscitaretur, quapropter redijt consulturus Petrum.

E Tertio, quia sancti licet habeant in se diuinam virtutem, eam tamen non sentiũt semper adesse. Sancti enim antequã se dẽt operibus miraculosis sentiũt in se aliquã virtutem, quam experti non sumus, sicut Prophetæ nõ semper sentiebãt adesse spiritũ prophetiæ, vt patuit de Helyseo, qui nesciebat mortẽ filij Sunamitis, & quãdo quęsiuit Psaltes, vt excitaretur in eo spiritus prophetiæ. Et de Nathã, qui credebat esse voluntatẽ Domini, vt Dauid ædificaret templum, sed postea ei reuelauit Dominus oppositum. Secundo quæritur an debuit suscitare Austriclinianũ, cum esset in statu gratiæ & saluatus. Dicitur quod hoc licuit, vt rediens ad vitam acquireret maius meritũ. Sic B. Germanus Antissiodorensis suscitauit quendã ex Discipulis suis, qui tamen statim iussu eiusdem iterum quieuit in Domino. Et B. Gregorius similiter recitat in dial. lib. 1. c. 10. de quodam alio bono viro, Marcellino nomine, qui suscitatus est à S. Fortunato. Secundo honoratus est in sanatione dæmoniacæ, apud castrũ tullum, vbi & filium Neruæ consanguinei Neronis, Principis illius castri suscitauit, qui suscitatus narrauit quæ viderat, & conuersi sunt plurimi ad Dominũ. Ecce quantũ Dominus mirificauit Sanctũ suum, ad cuius voluntatẽ & dæmones fugabantur, & infernus suos reddebat, qui scilicet erãt digni cremari perpetuo igni inferni. Quã bonũ est obedire volũtati Dei, qui sic vice versa obedit voluntati suorũ, vt propter eos deducat ad inferos & reducat. Tertio venit ad Ægidium vicũ, & ibi sanauit paraliticũ. Sanatur paraliticus, cum ad omne bonũ opus iners, piger, & inutilis, induitur virtute ex alto, & diligens efficitur. Sed eũ prædicantem, verberauerunt Pontifices idolorũ. Poterat dicere. Hæc facta est mihi, quia iustificationes tuas exquisiui. Non tamen propter verbera illa deiectus est à constantia animi, aut fidem deseruit, sed sicut incus induratur ad malleũ, & vrsus impinguatur verbere, sic iste magis accẽdebatur ad fidei prædicationem & Dei amorem. Sicut etiam ignis qui friget in lapide & qui latet in ferro, ferri & lapidis collisione inflãmatur, sic Sanctus iste vir, qui prius latuerat, & cuius nec dum amoris perfectio claruerat, adueniente persecutione ex collisione iustorũ põtificum, qui erant sicut ferrum indomabile & duri instar lapidis, apparuit charitate maxima feruidus. Modica insuper aspersio aquæ plus accendit ignem. Sic modicum tormentum vehementer eum accẽdebat

*Prophetis non semper adsit spiritus prophetia.*

4. Reg. 4

2. Reg. 7

Inde baptizati sunt duo milia octingenti confractis idolis. Non enim proficeret baptismus adulto conuolanti ad legem Christi, nisi confringerentur idola peccatorum per veram fidem, spem, & charitatem, & cum hoc cessaret voluntas peccandi. Septimo super Garonnam in Mauritaniam deueniens, ibi nouem dæmoniacos curauit. Sic semper Martialis reportabat triumphum de inimicis. Deinde cum in Ecclesia sua Lemonicensi consisteret anno quadragesimo post resurrectionem Domini, apparuit ei Christus oranti dicens: die decimo quinto veniam ad te, & recipiam te cum Angelis meis. Quo die congregato populo, in Ecclesia, & sermone completo, Dominus venit cum luce immensa, & spiritum eius ad cælum deduxit. Sic deduxit Dominus dilectum suum in viam rectam, vt iret in ciuitatem habitationis cælestis.

## IN FESTO DIVISIONIS Apostolorum *sermo vnicus, & in ordine* XVII. *Per Thema.*

Psal. 77. *Dlu fit eis terram in funiculo distributionis.* Quæritur cur celebrat Ecclesia festum diuisionis non vnionis Apostolorum. Nonne iuxta dictum Saluatoris, omne regnum in ipsum diuisum desolabitur? Respõdetur primo, quod multiplex est diuisio. Quædam enim est diuisio ad cor, & hęc mala est, & secundum hoc dicitur de quibusdam: *Diuisum est cor eorum, nunc interibunt.* Membra enim separata diu viuere non possunt, etiam si mẽbra colubri, id est malorum, non diu durant. Amor enim est neruus corporis mystici Christi, & vena. Ruptis autem venis, & neruis corporis necesse est hominem interire. Sic rupta dilectione & amore alicuius collegij vel congregationis, facile totum dissipatur. Domus etiam in qua non est ignis cito inhabitabilis est; sic congregatio in qua non est ignis charitatis inuicem calefaciens. Istam autem diuisionem cordis per odiũ non habebant Apostoli, sed semper erat cor eorum vnum, & anima vna. Secunda diuisio est ad cerebrum, quæ est per diuisionem doctrinæ, & ista etiam est mala, quando est diuisio doctrinæ, quo ad ea quæ sunt fidei. Propter hoc enim Ecclesia aliquando diminuta fuit propter diuisiones hæreticorum diuersa docentium. Nunc etiã non paruum detrimentũ patitur ab his, qui diuiduntur à doctrina sana, & sophistica docent, contra quos Esa. *Væ vobis texentibus subtilia.* Multum etiam nocent, qui diuiduntur à simplicitate sermonis sacræ scripturæ, & eam contemnunt, gloriantes in humanæ sapientiæ verbis, totamque ætatem suam exponentes, vt linguam desertam faciant, linguã habentes longam, & pedes, ac manus breues. Non sic diuisi erant Apostoli, sed erant omnino conformes in doctrina & prædicatione veritatis fidei. Tertia diuisio est circa pedes, & ista fuit Apostolorum, qui per totum mundum progressi sunt, qui Ecclesiam repræsentabant, de qua Cantic. 7. quam pulchri gressus tui in calciamentis filia principis. Dicitur secundo quod non est mirum si Ecclesia de diuisione illorum solennizat, quia illo medio fere toti mundo prædicauerunt, & Ecclesiam ipsam construxerunt, sicut verbis, factis, miraculis, & exemplis. Pro lapidibus posuerunt membra, sanguinem pro cæmento, & sic Hierusalem ædificatur, vt ciuitas. Hæc autem ædificatio valde gloriosa est, quia de materia nobili, & à nobilibus fundatoribus secundum illud Psal: *Fundamentum eius in montibus sanctis*, pro qua multum exultatur ciuitas Ecclesiæ, & crescit nomen eius, sicut dicitur: *In bonis iustorum exaltabitur ciuitas*, Et: *Aedificatio ciuitatis confirmabit nomen.* Sunt enim duodecim Apostoli, duodecim Patriarchæ Ecclesiæ, duodecim duces populi Israel; duodecim fontes quos inuenerunt filij Israel in Helym. Duodecim gemmæ in rationali Pontificis. Duodecim exploratores missi in terram promissionis, duodecim lapides de Iordane sublati,

Marginalia: *A Diuisio multiplex ad cor, ad cerebrum, & ad pedem.* — Osee 10. — Esa. 19. — Psal. 86. — Prou. 11. — Eccl. 40. — Exo. 28. — Num. 13.

Eligit, id est, idiotas & simplices dat sapientes. Non vocauit Nathanael, qui literatus erat. Quem vidit sub ficu, id est prudentia mundi, de cuius folijs fecerunt sibi Perizomata primi parentes. Hinc dicebat Psal. *Quoniam non cognoui literaturam introibo in potentias Domini*, literaturam, id est prudentiam mundi vel per literaturam intelligitur scientia mundana, vt scientia legum, rhetorica, & huiusmodi, quas bonum est scire, sed non vt vxorem intellectus cognoscere. Vt enim vxor sæcularis scientia cognoscitur, dum fructus, & proles temporaliũ in ea quæritur. Ideo dicit quoniam non cognoui (non dixit, non habui) vt vxorem, sed sicut ancillam. Et hoc significatum est. Matth. 2. Vbi magi declinauerunt ad Herodem, sed non steterunt ibi, sed cito discesserunt, cum interim non viderent stellam, id est gratiam vel spiritualem intelligentiam. Qui enim parũ curat de scientijs mundanis, capacior est ad diuina mysteria. In cuius figura dicit Caleph. *Qui percusserit Cariasepher*, quæ interpretatur ciuitas literarum vel literæ ciuitatem per quas reguntur ciuitates, *dabo ei axam filiam meam*, id est, spiritualem intelligentiam. Vnde secundus Adã de ligno scientiæ boni, & mali non comedit, quia simplices, & non literatos assumpsit. Apparuit etiam Iudas cum tribus millibus, qui gladios, & tegumenta non habebant, & Christus cum pauperibus in mundo sine gladio scientiæ. De omni tamen ligno padisi comedit, quia de omni genere hominum assumpsit. Sed nõ de ligno scientiæ, quia scribas, & Pharisæos de sua scientia gloriantes, non sibi cõparauit. Dixissent enim. *Labia nostra à nobis sunt*, id est acquisiuimus mundũ, sed labijs nostris nõ Dei. Dicitur tertio, quod misit simplices viros apud mundũ, sed litteratos per Spiritum sanctum, secundum illud Psal. *Qui fecit cælos in intellectu, quia firmauit terram super aquas*, id est doctrinas eorum. Licet enim terra sit sub aqua, terra tamen Ecclesię super aquas eorum situatur, iuxta dictum eiusdem Psal. *Quoniam ipse super maria fundauit eum*, &c. Vnde voluit Dominus altare fieri de impolitis, & insectis lapidibus, & de terra, quia in electionibus & assumptionibus seruorum suorũ nullatenus vel attendi generis nobilitatem, sed qui sunt de terra, de infimo, scilicet genere rudes, & simplices nobilioribus anteponi. Non vult etiam quod altare habeat gradus cõsanguinitatis. Sed hodie magis placet cãtare canticũ graduum quã aliud quodcumque diuinũ officium. Apostoli ergo licet simplices essent, & vacui sciẽtia mundi, pleni tamen scientia Dei. Sicut enim flatus tintinatoris implet tibiã, sic flatus Spiritus Apostolorũ cateruam, ita quod non oportebat eos studere, sed occurrente materia ministrabat eis Spiritus sanctus quod dicendũ erat, secundũ quod scriptum est. *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini*, &c. Sic Angeli pręparauerũt scilicet vt tubis canerẽt. Et cantabãt canticũ Moysi, & canticũ agni. Sic reuelante Spiritu sancto sciebãt secreta Domini sui. Est enim duplex genus familiæ principis in sua societate. Quidã inferioris gradus qui dicuntur serui, & isti nesciũt secreta Domini. Alij superioris, & isti cognoscunt immediate à Domino, & tales erãt Apostoli. Dicitur quarto, quod dispersi sunt Apostoli per mundũ, vt exemplo Christi congregarent exercitum Christi, de quo: *Christus moriturus erat non solum pro gente, sed vt filios Dei qui dispersi erãt cõgregaret in vnũ*, secundum illud propheticum vaticiniũ. *Dispersiones Israelis congregabit*. Et mirum est, totus mundus coniurauerat aduersus eos. Cæsar abigebat eos quasi seditiosos, Iudæi quasi legis inimicos, gentiles quasi stultos, & tamen superare non potuerunt duodecim homines inermes sub humili rege Christo. Vt enim exploratores ingressi sunt domum meretricis gentilitatis, sed cum potestate magna vt verificetur illud Psal. *In potentatibus salus dexteræ eius*. Habebant enim Dei potestatẽ calcãdi super serpẽtes, & scorpiones in qua portabant salutem, non sinistræ temporaliũ, sed dexteræ, id est, æternæ beatitudinis.

Ioan 1. Gen. 3. Psal. 70. Matt. 2. Iosu. 15. 1. Mac. 4. Psa. 11. Psal. 135. Psal. 22. Nota. Mat. 10. Apoc. 8. Ioan. 11. Psal. 146. Nota. Psa. 19.

Erant

ritur prudentia, & consilium de medijs, vt prudentiæ medio perueniatur ad finem. Et quia vnusquisque nostrum rem grandem,& magni ponderis, (Gallice *de grande entreprinse)* incepit scilicet de acquirendo regnum cęlorum, quod est arduū, & difficile. Negotium etiam nostrum est volandi in cælum, quemadmodum sollicitabatur ille qui dicebat. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo*. Ideo vnusquisque nostrum habet sibi prouidere de medijs ad finem istum. Et quia beatissimus Victor sua vita, & exemplo maxime docuit media, quibus acquiritur regnum cælorum. Ideo huc accessimus, vt per vitam ipsius cognitam & ad effectum per nos perductam dirigatur nostrum vnusquisque ad excelsum opus istud peragendum, dicētes super excelsa mea deducet, &c. Sed quia in opere arduo communiter inueniuntur resistentiæ magnę, ideo necesse est robur, & fortitudinē habere ad opus illud exequendum. *Regnum autem cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Nam dæmones nos tentando obijciendo scandala in via (iuxta illud, in via hac qua ambulabam absconderunt superbi laqueum mihi) resistunt nobis, ideo opus est fortitudine cuiusdam probi militis nos adiuuantis. Talis est B. Victor non solum miles, sed Princeps in cęlis, à victoria sic nominatus. Certe beatissime Victor, secundum nomen tuum sic, & laus tua in fines terræ. Ideo virtute sua, & ope super excelsa mea deducet me Victor. Tertio, quia in opere arduo perficiendo aliquando non sufficimus ex nobis, recurrendum est ad amicos potentes iuuare. Et quis eo potentior, qui solus in campo Romanos Imperatores vicit, qui amicus est Christi, qui regna cęlorum tribuit? Donatio autem superioris quandoque exigit amicos ad supplicandū pro exequenda collatione. Ideo Victorem venimus hodie interpellare, vt nobis sit intercessor apud Dominum in præsentibus periculis, & ad consequendum vitam æternam, sperantes nos per eum assequi posse quod petimus. Si enim potens fuit in terris, quanto magis in cælis, & cum miserias nostras cognoscat, & iugiter assistat fonti misericordiæ, & beatæ illius patriæ calor charitatem non refrigerauit, consequens est vt fiducialiter expectandum sit medio eius desideratum subsidium. Propter hoc enim celebramus sanctorum festa, vt eorum sequamur exempla, & vt eorum sequendo vitam, meritis & exemplis eorum perueniamus ad vitam ęternam. Vt autem collationem gratiæ habeamus quæ ad hoc regnum consequendum necessaria est, ad illam, quæ thesauraria est recurramus, dicentes: Aue gratia, &c.

Psal. 54.

Mat. 11.

Sed quæri posset quomodo deducet nos B. Victor super huiusmodi excelsa, cum in scripturis sacris multum vituperentur reges Iuda, de eo quod excelsa nō abstulerunt. Item: *Dominus humilia respicit, & alta à longe cognoscit*. Non est ergo bonū ad illa alta perduci. Respondetur quod triplicia sunt excelsa, vnum elationis, aliud tribulationis, aliud dilectionis, & boni operis ex dilectione procedētis. Ad excelsa elationis nō deducit Victor, imo per suam humilitatem ea docet auferre. Multi tamen ambulant in istis excelsis. Videbis hominem castum in Matrimonio, frequentabit Ecclesiam, nihil alterius occupabit, sed proximum pati non poterit, omnes despiciet. Iste multa idola deiecit, verum tamen excelsa non abstulit. Ecce mulierem deuotam valde, eleemosynariam visitantem pauperes, & sic de alijs, sed tamen in ornatu, & apparatu excedit statum suum, ista multa idola deiecit, verumtamen excelsa non abstulit. Ecce clericum literatum, & doctum, non pigrum, non auarum, non lubricum, sed aliorum contemptorem, aut propter ingenium aut scientiam, vel propter genus & nobilitatem, (Gallicæ *vng hault à la main, vn haussaire*) iste multa idola deiecit, veruntamen excelsa, &c. Ecce religiosum non proprietarium, non lubricum, non vagabundum, sed propter sanctitatem suam

Psal. 137. 6

*Excelsa triplicia elationis tribulationis & dilectionis.*

Erant etiam arcus ad emittendas sagittas omnipotentis. Inde dicti sunt filij excussorum. Excusserunt enim quod erat in sacco scripturarum veteris Testamenti obscuratum, vt eas intelligere possemus, & ita dicti sunt: *Filij excussorum*, id est Prophetarum, quorum doctrinæ per eos excussæ sunt, & declaratæ. Ps. 126.

Secundo quæritur quando fuerunt Apostoli dispersi. Videtur quod anno eodem quo passus est Christus, quia *Facta est persecutio magna in Hierosolymis, & dispersi sunt per regiones*. Similiter & Iacobus fuit in Hispania statim post passionem, & sic videtur quod non fuerint simul diuisi. Barnabas etiam, & Paulus fuerunt diuisi cito post. Item dicit Apost. *Neque veni Hierosolymã ad antecessores meos Apostolos, sed abij in Arabiam, & iterum reuersus sum Damascum, deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim. Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini.* Respondetur quod Barnabas, & Paulus cito post vocationem Pauli à consortio corporali Apostolorum fuerunt separati per ordinationẽ Spiritus sancti, vt patet & fuit circa annum nonũ post passionẽ. Attamen ante Paulus & Barnabas. Antiochiam conuerterant ad fidem. Dicitur secundo quod duodecim Apostoli erant apud Hierosolymam vel in circumuicinis partibus, & quod Paulus non viderat alios Apostolos hoc fuit, ne propter visionem eorum retardaretur ab Euangelizando, & ne videretur ab hominibus Euangelium accepisse, & non per reuelationem Christi. Nec in persecutione facta sub Stephano recesserunt Apostoli ab Hierosolymis vt dicitur expresse in textu. Dicitur tertio quod secundum communiorem opinionem anno duodecimo post Christi passionem recesserunt Apostoli ab Hierosolymis dempto Iacobo. Petrus perrexit in Antiochiam, Andreas in Græciam, Philippus in Scithiam, Thomas & Bartholomæus in Indiam, Simon & Thadæus in Persas, & Assyrios, Ioannes in Asiam, Matthæus in Æthiopiam, Iacobus antea in Hispaniam, quia anno nono post passionem Christi occisus est ab Herode.

Act. 8. Gal. 1. Act. 13 Act. 8.

D *Diuisio Apostolorũ quo tempore facta.*

Tertio quæritur, & mouetur quæstio ex solutione præcedentis, quomodo Apostoli cum habuissent præceptum in die ascensionis vt irent in vniuersum mundũ prædicare Euãgelium, quomodo, inquã, tamdiu distulerunt? Respondetur, quod secundum præceptum Domini prius habebant prædicare in Iudæa. Præceperat enim eis Dominus. *Eritis mihi testes in omni Iudæa, & Hierusalem, & vsque ad extremum terræ.* Vnde hoc erat rationabile, vt sic inciperet prædicatio, & hoc patet exemplo naturali. Dicitur enim in Ps. *Quod anni nostri sicut aranea meditabuntur*. Aranea autem incipit texere telam vel rete suum à centro. Deinde venit ad circumferentiam. Anni vero nostri sunt anni salutis. Congruum ergo fuit quod anni salutis sic inciperent quod Apostoli in centro terræ habitabilis inciperent tendere rete prædicationis, licet grossi burdones, vt Herodes, & Cayphas non caperentur. Ita enim Dominus operatus est salutem in medio terræ. Postmodum vero extenderunt rete suum vsque ad extremum circumferentiæ. *Quia in omnem terram exiuit sonus eorum*. In synagoga à principio erãt tubæ argenteæ ad conuocandum populum, & non multum longe audiebantur. Sed successerunt campanæ, id est Apostoli, quorum sonus auditus est ab extremis terræ.

Act. 1. Psal. 89. Psal. 18.

## DE S. VICTORE IN PROcessione generali, Serm. vnicus, & in ordine XVIII.

Abac. 3.

A *Regnum cælorum quæritur prudentia fortitudine, & ope sanctorum.*

SVper excelsa mea deducet me Victor. Ad subeundum excelsum onus, & dignum opera, necesse est multa habere ad hoc quod vsque ad finem perueniatur. Nam ardua opera licet incipere quãdoque sit facile, tamen terminum attingere est difficillimũ. Primo, enim requiritur

ritur prudentia, & consilium de medijs, vt prudentiæ medio perueniatur ad finem. Et quia vnusquisque nostrum rem grandem, & magni ponderis, (Gallice *de grande entreprinse)* incepit scilicet de acquirendo regnum cęlorum, quod est arduũ, & difficile. Negotium etiam nostrum est volandi in cælum, quemadmodum sollicitabatur ille qui dicebat. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo*. Ideo vnusquisque nostrum habet sibi prouidere de medijs ad finem istum. Et quia beatissimus Victor sua vita, & exemplo maxime docuit media, quibus acquiritur regnum cælorum. Ideo huc accessimus, vt per vitam ipsius cognitam & ad effectum per nos perductam dirigatur nostrum vnusquisque ad excelsum opus istud peragendum, dicẽtes super excelsa mea deducet, &c. Sed quia in opere arduo communiter inueniuntur resistentiæ magnę, ideo necesse est robur, & fortitudinẽ habere ad opus illud exequendum. *Regnum autem cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Nam dæmones nos tentando obijciendo scandala in via (iuxta illud, in via hac qua ambulabam absconderunt superbi laqueum mihi) resistunt nobis, ideo opus est fortitudine cuiusdam probi militis nos adiuuantis. Talis est B. Victor non solum miles, sed Princeps in cęlis, à victoria sic nominatus. Certe beatissime Victor, secundum nomen tuum sic, & laus tua in fines terræ. Ideo virtute sua, & ope super excelsa mea deducet me Victor. Tertio, quia in opere arduo perficiendo aliquando non sufficimus ex nobis, recurrendum est ad amicos potentes iuuare. Et quis eo potentior, qui solus in campo Romanos Imperatores vicit, qui amicus est Christi, qui regna cęlorum tribuit? Donatio autem superioris quandoque exigit amicos ad supplicandũ pro exequenda collatione. Ideo Victorem venimus hodie interpellare, vt nobis sit intercessor apud Dominum in præsentibus periculis, & ad consequendum vitam æternam, sperantes nos per eum assequi posse quod petimus. Si enim potens fuit in terris, quanto magis in cælis, & cum miserias nostras cognoscat, & iugiter assistat fonti misericordiæ, & beatæ illius patriæ calor charitatem non refrigerauit, consequens est vt fiducialiter expectandum sit medio eius desideratum subsidium. Propter hoc enim celebramus sanctorum festa, vt eorum sequamur exempla, & vt eorum sequendo vitam, meritis & exemplis eorum perueniamus ad vitam ęternam. Vt autem collationem gratiæ habeamus quæ ad hoc regnum consequendum necessaria est, ad illam, quæ thesauraria est recurramus, dicentes: Aue gratia, &c.

*Psal. 54.* (margin, beside "citabatur ille qui dicebat")

*Mat. 11.* (margin, beside "bere ad opus illud exequendum")

Sed quæri posset quomodo deducet nos B. Victor super huiusmodi excelsa, cum in scripturis sacris multum vituperentur reges Iuda, de eo quod excelsa nõ abstulerunt. Item: *Dominus humilia respicit, & alta à longe cognoscit*. Non est ergo bonũ ad illa alta perduci. Respondetur quod triplicia sunt excelsa, vnum elationis, aliud tribulationis, aliud dilectionis, & boni operis ex dilectione procedẽtis. Ad excelsa elationis nõ deducit Victor, imo per suam humilitatem ea docet auferre. Multi tamen ambulant in istis excelsis. Videbis hominem castum in Matrimonio, frequentabit Ecclesiam, nihil alterius occupabit, sed proximum pati non poterit, omnes despiciet. Iste multa idola deiecit, verum tamen excelsa non abstulit. Ecce mulierem deuotam valde, eleemosynariam visitantem pauperes, & sic de alijs, sed tamen in ornatu, & apparatu excedit statum suum, ista multa idola deiecit, verumtamen excelsa non abstulit. Ecce clericum literatum, & doctum, non pigrum, non auarum, non lubricum, sed aliorum contemptorem, aut propter ingenium aut scientiam, vel propter genus & nobilitatem, (Gallicæ *vng hault à la main, vn haussaire)* iste multa idola deiecit, veruntamen excelsa, &c. Ecce religiosum non proprietarium, non lubricum, non vagabundum, sed propter sanctitatem suam

*Ps. 137. 6* (margin)

*Excelsa triplicia elationis tribulationis & dilectionis.* (margin)

suam in altitudinem se extollentem super alios, iste multa idola deiecit, veruntamen, &c. Ista excelsa fugienda sunt, quemadmodum fugiebat ille, qui dicebat. *Domine non est exaltatum cor meum*, &c. *neque ambulaui in magnis*, &c. Secunda sunt excelsa tribulationis, & ista sunt patienter sustinenda. Sunt paruæ, & magnę tribulationes. Sunt parua, & magna flumina, parua tamen facilius transeuntur quã magna. Sic paruæ tribulationes quam magnæ. Sed magna flumina plus vtilitatis afferunt quam parua, vt patet de fluuio sequanæ respectu fluuij sancti Marcelli, ideo ista patienter ferenda, & transeunda. Sed ad hoc indigemus auxilio sanctorũ, vt beati Victoris. *Abyssus abyssum inuocat*, id est, abyssus miseriarum inuocat abissum misericordiarum, sed *in voce*, id est, in prece *catharactarum tuarum*, id est sanctorum tuorum, quia catharactæ propriæ sunt fenestræ per quas cum tonitruo descendit aqua in abundantia. Sic sancti apud Deũ precibus sunt ostia, quibus ad nos deriuantur gratiæ Dei, & subdit rationem, *Omnia excelsa tua*, id est, tribulationes magnæ, *& fluctus tui*, id est, tribulationes paruæ *super me transierunt*. Tertio sunt excelsa dilectionis, & boni operis, quod Dei amore procedit, & hoc modo indigemus Victore, vt nos ducat quasi spaciando de gradu in gradum, de bono in bonum, de virtute in virtutem, vt tandem ad excelsa cæli pertingamus, & de hoc dicit thema, deducet me Victor. Si velimus cũ Victore ad deductionem eius ascendere in montem Domini, debemus sicut ille ambulauit, & nos ambulare. Per viam auté tribulationis transiuit, ideo, & nos oportet illum per eam sequi: *Omnes enim* (vt dicitur Iud.) *quotquot Deo placuerunt, per multas tribulationes transierunt fideles*. Septem autem tribulationes pertulit beatus Victor, qui sunt septem gradus virtutum, quibus Victor nos deducet per nostra excelsa vsque ad excelsa cæli. Primo enim afflictus est, cũ iudici est præsentatus, & ligatus tanquam malefactor. Victor enim nobilis erat miles, per Romanos ad custodiam Massiliæ ciuitatis deputatus. Sed quæritur vtrum nobiles tunc erat tantæ virtutis, vt pro fide decertarent. Nonne moderni, ita faciunt? Nõne aurũ nostrũ est ita bonum sicut aurum illius temporis? Nonne, ita bonos nobiles habemus, sicut tunc? Sed vereor ne, ita sit nunc sicut dicitur Thren. *Obscuratum est aurum, mutatus est color optimus*. Tunc enim in terra Franciæ crescebat aurum optimum, (quemadmodum in terra illa de qua Gen. 2. dicitur quod *inuenitur in ea aurum, & aurum terræ illius optimum est*) aurũ quidem militum qui erant probati in fide, & qui pro fide decertabant, & moriebãtur. Inde regnum dicebatur christianissimum. Nũc verterunt gladios in seipsos, seipsos detruncando. Aurum nõ est plus tale sicut solebat. Valebat enim nobile duo scuta, scilicet scutũ Ecclesiæ, & scutũ populi, nũc nobiles Ecclesiã persequuntur & vorant, & populum comedũt sicut escam panis. Nunc non sunt boni ponderis duorum scutorum, ideo nõ est mirabile si sunt per magistros monetarum declamati. Si velimus nunc inuenire nobilia, sunt in thesauris Ecclesię. Bonũ nobile erat beatus Martinus, qui dedit partem chlamidis pauperi. Modo nõ tantum auferunt partem, sed totum. Bonum nobile erat sanctus Victor. Ista Ecclesia præsens in qua sumus modo pauper est diuitijs, sed adhuc in ea vnum bonum nobile. De alijs nobilibus si ponderentur, nihil ponderant. Maximianus venit Massiliam ad Christianos contemendos, latitant Christiani, prodit in publicum Victor. Sed cur se illi exposuit periculo, vt contra imperatorem, & imperatoris vota audeat contradicere? Respondetur quod magnum dedecus est militi cum paupere nudo confligere, sicut faciunt sagittarij nostri terribiles pauperibus & inermibus, sed magnus est honor cum magnis confligere, & ipsos vincere. Et quia Maximianus erat magnus

Marginal notes: Psal. 130 — Psal. 41. — Ibidem. — Iud. 8. — Nota de nobilibus — Thren. 4 — Gen. 2.

magnus tyrannus, ideo magnus honor fuit Victori cum eo pugnare, & vincere. Sancti enim viri cũ magnis hostibus cupiebant dimicare, vt Dauid cum Goliath. Num. 3. Iosuæ & Caleph cũ Gigantibus habitatoribus terræ promissionis. Alexander & Iulius Cæsar prælia magnorum virorũ appetebãt, vt cum eis cõfligerent, & humilium conflictus declinabant. Inde Iulius Cæsar cuidã vili, qui sibi se opponebat dicens, quod non intraret ærariũ publicum, nisi super ventrẽ suum, fertur dixisse, dignũ te Cæsaris ira nullus honos faciet. Sic multi pauperes arguũt, impugnant, sed magnos, & magna crimina prætereũt. Ideo non est mirũ si B. Victor audacter cũ talibus dimicare voluit. Interrogatur Victor an Christianus sit, respondet constanter, & suam fidẽ profitetur. Quilibet est miles Christianus in fide, & tenetur fidẽ defendere, quæ modo valde periclitatur, quondã per tyrannos, nunc in falsis frãtribus malam doctrinam seminantibus, per incãtationes, per diuinationes, per libros malos impressos, qui publice venduntur & nihil inde curatur, differentes contra bonos mores, & ad luxuriam incitantes, ita vt nunc luxuria licita reputetur, & quasi nullũ aut modicum malum. In villa enim Paris. peccatũ suum sicut Sodoma prædicauerunt, & nullam punitionẽ fecerunt. Imo, qui de doctrinis aut lubricis faciant punitionẽ, altercantur curiæ, & interdũ miluus rapit pullos, & serpens venenum effundit. Vtinam vnusquisq; haberet reuerentiam ad fidem, & ad mores fidei, & ageret ad abusus corrigendos, quia si non corrigamus, Deus non dormiet. Tunc cũ renuit sacrificare ligatur. Sic nos ligamine mãdatorum Dei debemus in hoc mundo ligari. Vnde differentia est inter iumentũ, & hominem. Pullus enim iumenti non ligatur, sed liber discurrere permittitur in sua tenera ætate, cum vero iam grãde factum fuerit, tunc ligatur. E cõtra est de homine, quia puer ligatur in cunabulis, vir autem non. Sumus in hoc mundo tã-

E Ligãtur differenter homo & iumentum.

quam pueri pauca cognoscentes, futuri in alio sæculo tanquã viri. Si ergo voluerimus hic sequi modũ iumentorũ, & viuere sicut iumenta, & quasi pulli iumentorũ esse in hoc mundo sine vinculis mãdatorũ Dei, quæ sunt leuia, & facilia vincula, necesse erit nos in alio sæculo vinciri fortioribus ligaminibus in inferno. Si vero hic vixerimus sicut homines, ligati more puerorũ mandatis Dei cum B. Victore, nec ea transgredientes, nec vincula illa confringentes, in futura vita cum venerit, quod perfectũ est, erimus sicut viri absque iugo libere fruentes omnibus bonis. Secundo trahitur Victor per plateas 3. Re. 10 ciuitatis, & cum ignominia populi clamantis laceratur, & rumpitur, & in hoc completa est figura, quod præbuit Rex Salomon argentum, & aurum sicut lapides, & cedros sicut sicomoros, quia rex cæli bonos dedit conculcandos, & tribulationibus exponendos, vt lapides, & vt qui erant eminentis vitæ, sint à mundo velut fatui reputati. Victor autem talia passus tacebat. Vnde Augustinus. Si probare vis, qui in Ecclesia Dei sunt granum vel palea, adhibeas iudicium, id est, perfla aliqua conuitia. Si steterit, granum est, si recedat in altum, tanto magis in altum tendit, quanto minor, & leuior, id est magis superbe respondet.

F Aduersitate probãtur qui sint digni Christo.

Hic autem tacens stabat firmus ad vẽtum eorum non commotus. Ideo dicent semel isti, & alij qui sanctos deriserunt, & eis detraxerunt. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam. Ideo ad exemplum B. Victoris patienter feramus opprobria. Sic ea portauit Dominus Iesus. Per ea enim probat si quis sit dignus se Christo, & si illum sequatur. Virtus enim perfecta in aduersitate cognoscitur. Mali enim in aduersitate ad examen libræ ponderãtur, sed ad sinistrã malitiæ declinant, boni vero ad dexteram. Nos vero qui viuimus nondum fuimus examinati. Si autem fuerimus, declinemus ad dexteram illam, vt simus sicut sanctus Victor, de quo potest dici illud:

Sicut

2. Re. 14 *Sicut Angelus Dei, sic est Dominus meus rex, vt nec benedictione nec maledictione moueatur.*

Stat Victor coram iudice, interrogatur de fide, equaminiter respondet, & constanter. Sed vnde tanta processit cõstantia. Nos parati sumus modo negare fidem nostram pro re modica, imo inter Christianos non est modo lex neque fides & isti erant vsque ad mortem constantes pro Christo. Respondetur quod hoc faciebat amor Christi. Serpens enim morti, & incisioni omnia membra exponit pro capite defendẽdo. Sic pro defendendo Christo tantus debet esset amor, vt omnia membra nostra exponamus pro eo sicut Victor. Vnde sicut piscis quidam ex historia transmarina sic adhæret naui, quod eam reddit immobilẽ, sic amor Christi ita ei inhærebat, quod immobilis in fide stabat, vt posset de eo dici illud Psal. *Dilectus quemadmodum filius vnicornium.* Vnicornis (vt dicit Richar. tãtum diligit fetum suum, quod prædiligit mori quam ipsum perdere. Sic Beatus Victor & alij sancti martyres maluerunt mori quam Christum perdere. Sancti autem martyres dicti sunt vnicornes (vt dicit ille doctor) quia vno cornu tantum feriebant. Ab initio creauit Dominus hominem cum duobus cornibus, vnũ fuit integritas corporis, aliud integritas mentis, primum contra miseriam, secundum contra maliciam, accepit primum contra eum mortalitatem, secundum contra iniquitatem. Congressus cum diabolo, quia per negligẽtiam cecidit vnum cornu excussit diabolus scilicet integritatẽ corporis, alterum inclinauit. Quia enim homo nulla ratione mortem euitare potest, altero cornu penitus nudatus est. Quia vero libero arbitrio priuari nõ potuit, alterum cornu non ex toto perdidit, sed tamen quantum infirmatum tãtum inclinatum gerit. Et ideo facile ante aduentum Christi aduersarius vincebat, sed cum visitauit nos oriens ex alto, *Tunc erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui.* Et ita nunc, qui vnum cornu erectum portant facile de hoste triumphant dicentes. In te inimicos nostros ventilabimus cornu. Tunc veniet cum duo cornua habebimus, scilicet in paradiso, & tunc exaltabuntur cornua iusti. Post hæc tertio suspenditur in patibulo. Vbi torquetur vsque ad defectum militum. Sic nos propter peccata nostra iustum est sequi Victorem, vt victores simus, & simus affixi in patibulo pœnitentiæ. Dominus aliquando nostri miseretur, sicut faciunt quandoque iudices de latronibus, qui suspendunt eos ad bursam. Sic Dominus noster ad paruam crucem pœnitentiæ nos suspendit. Sed multi sunt similes illi latroni, qui cum in siluis non inueniret arborem in qua vellet suspẽdi, id est aliquam pœnitentiã in egressu siluæ id est mundi suspensus est ad patibulum inferni. Adest Dominus suo militi confortans eum, & dicens. Noli timere ego sum. Quia primo clamauit, ideo Dominus affuit exaudiens eum, secundum illum. *Clamauit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione.* Psal. 90 *Mors* inquiunt filij prophetarum *mors in olla.* Olla cum pulmento amaro est mundus cum tribulationibus suis, quod quando sanctis viris apponitur, sæpe fit quod per tribulationum amaritudinẽ ad Deum clamare coguntur. *Mors* inquiunt *in olla.* Sed verus Helyseus farinam, id est, consolationem interiorem adhibet, & sic quod videbatur eis amarum dulce & delectabile redditur. Deinde in carcerem retruditur tribus militibus custodiendus. Sic religiosi huius monasterij in vno carcere, imo in tribus recluduntur. In carcere corporis, quærentes qualiter & quomodo possunt exire per supra muros eius. Secundus est mundi, de quo quotidie ascensiones in cordibus suis disponunt, vt liberentur à mundo. Vallis enim lachrymarum est carcer. Ideo debet homo diligenter videre qualiter illam fossam exibit, ne ponatur in fossa profunda inferni. Tertius est claustri qui diligenter obseruatur intus tribus militibus scilicet con-

Margin notes: G Martyres faciebat constantes amor Christi, & quomodo dicebantur vnicornes. — Psal. 21. — Luc. 1. — Nota. — 4. Reg. 4 — H Carcer triplex corporis mũdi & claustri.

continentia, obedientia, & paupertate. Non enim sunt intus multæ diuitiæ, in cuius signum busardi commendatarij rõ steterunt hic ad cadauer ad abbatiam habendam.

Nota. Hoc enim signum est boni regiminis. Si alij religiosi bene se regerent, Deus liberaret eos à manibus busardorum. Lego ante bella huius regni, & vastationem defectum iustitiæ, sicut nunc, rapinas militum, diuinationes & inuocationes dęmonum, sed non ita passim erat Ecclesiæ persecutio per busardos istos sicut nunc. Apparuit etiam Victori Angelus cum luce magna confortans eum, ita vt visionem viderent custodes carceris, & conuerterentur, & ad mare venientes baptizati sunt.

1 Tribulationibus profecit Ecclesia. Quanto magis tyranni in cordibus credentium fidem extinguere molliebantur, tanto magis inflammabãt, & animabant martyres ad patiendũ pro Christo. Psal. 9. *Dum superbit impius, persequendo incenditur pauper in patiendo pro Christo.* Exẽplum de Alexandro Imperatore, quia postquam Callepodium presbyterũ gladio occidit, & in tyberim per vrbem trahi, & proijci fecit, multi de maioribus vrbis, vt Palmatius consul cum vxore, & filijs, & alijs quadraginta duobus, & Simplicius senator exemplo martyris succensi palam confessi Christum decapitati sunt, & per diuersas portas vrbis capita suspensa ad terrorem Christianorum, sed inde magis animabantur & crescebant. Pharao quanto magis opprimebat filios Israel, tanto magis multiplicabantur, & ideo sapiens: Prou. 21 *Non est sapientia, non est scientia, non est consilium contra Dominum.* Propter quod (vt in historia tripartita legitur) Iulianus Apostata volens Christi sectam destruere, & sciens quod consueuerat tribulationibus proficere, decreuit non tribulationibus, sed oblectationibus Sanctorum animos immutare.

2 Sic enim erat Ecclesia ad modum vineæ, quę dum putatur melius fructificat. Tempore tamen illo quo putabatur vinea, & florebat, vix poterat inueniri, qui regeret Ecclesiam. Qui enim appropinquabat arcæ, vt Oza occidebatur. Sed postquam benedictionem attulit Obed Edon, tunc Dauid tulit eam in domum suam, imo quilibet vult modo habere illam benedictionem, & diuitias. 2. Reg. 6 Nota. Tunc enim dimittebatur Obed Edon, id est sanctis martyribus. Nunc autem quia benedixit Dominus Obed propter Arcam quilibet vult habere illam, & sicut busardi illi fugiunt onera, & pericula, sed bene persequuntur lucra, & emolumenta. Deinde milites custodes ducti ad statuam Iouis nolentes sacrificare decollantur. Ecce beatissimi Victoris fructus primos, & nouellos quos offert Domino suo, & hoc postquã eos consolatus est. Quarto post hæc ad forũ adductus, & in eculeo leuatus neruis taureis verberatur, vsquequo victis tortoribus in carcerem detruditur. Certe multæ tribulationes iustorum. Nec enim nouum illud. A principio enim Ecclesiæ non defuit iniquitas præmens, & iustitia patiens, patet in Cayn, & Abel, in Thobia, in Christo capite & membris eius: *Omnes qui pie volunt viuere in Christo Iesu persecutionem patiuntur.* 2. Tim. 3 Nec propter hoc debent fideles minus de Domino sentire in bonitate, quia *Iustorum animæ in manu Dei sunt*, Sap. 3. quamuis corpora sunt in manibus tortorum, quia de eis non multum curabant martyres. Sicut mercatores inuoluunt merces aliquo grosso panno, quem pluuiæ, & vento exponunt, de quo si rumpatur non multum curant, dummodo ipsę merces, quæ sunt interius custodiantur.

K Corpus parum curandũ est dummodo anima conseruetur. Sic caro vilis animam prætiosam continens, vt à vitijs conseruetur laboribus & pœnis debet supponi, dicitur in persona Christi, Esa. 50. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus*, & parum debet reputari si rumpatur aut lanietur, cum parum valeat, dummodo anima possit conseruari. Inde hortatur Dominus. Mat. 10 *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possit occidere*, contra multos, qui de corpore plusquam de anima curant, plus de ventre quam de mẽte, similes corporibus elementaribus, &

non cœlestibus, quæ plus habent de materia quam de forma, plus de corpore quam de anima, in quãtum plus student corpus quam animam procurare. Et hoc est quartum quod pati debemus, vt ascendamus in montem Domini cum Victore, scilicet tribulationes, & percussiones à domino. Quinto iussu Maximiani furentis, similis Hely, qui non poterat videre lucernam donec extingueretur, id est sanctos martyres donec interficerentur, ara deorum adducitur cũ sacerdote. Sed ille ictu pedis omnia trusit in terram, quo facto iubetur abscindi pes eius. Si sic fecit paganus, & infidelis pro Deo suo falso: quid dicendum est de illis qui vident Ecclesiam persequi, & nihil inde curant, vident blasphemias Domini nec curant? Iste Maximianus in die iudicij adducetur in testimonium, quod religiosior erat Deo suo quã Christiani. Per huius pedis abscisionem docet Victor, vt malarum affectionum abscindatur pes, aliter ad cælum non euolabimus. *Melius enim est* (vt dicit saluator) *Cum vno pede intrare in cœlum, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis*. Tollenda est igitur inordinata affectio ad seculum, & ad parentes, & ad honores, & delicias, vt simus sicut iusti, de quorum quolibet Psal. *Iustus vt palma florebit*. Palma ab alijs arboribus differt, quia in radice vel trũco gracilior, & sursum grossior est, quia iusti versus superiora sunt magis intẽsiores, & versus terrã minus. Nos autẽ per oppositũ minus intendimus ad cœlestia, & si intendimus, statim diuertimur. Sexto in mola ponitur, & rotatur, & ossa cõfringuntur. Terribile sane martyrium, vt fieret frumentum Domini. Sic dicebat Beatus Ignatius ad bestias ductus, qui desiderabat moli, & esse frumentum Dei. Et consequenter omnia bona sua confiscata sunt & data malis hominibus. Hæc omnia patienter sustinuit, vt similiter sustineamus patienter bonorum nostrorum dissipationẽ dicentes illud Loth. *Habeo duas filias, quæ necdũ cognouerunt viros*, carnem scilicet & substantiam, *accipite eas priusquam in legem Dei mei aliquod peccatum faciam*. Sed de omnibus his tormentis liberauit eum Dominus, quia per Angelum rota confracta est. *Immittit Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.*

I Affectionis malæ pes abscindendus

Mat. 18.

Psal. 91.

Gen. 19

Psal. 33.

Septimo decapitatus est, vt deficeret in tormento illo. Martyres autem sancti se morti reddunt vita salua. Mors enim nos obsidet, misitque exercitum suum circumquaque nos, vt si quis euadat famem, incidat in sitim, si calorem, in frigus, & è contra. Munitiones ex aduerso facimus scilicet frumenta, vina, ligna, &c. Sed *super omnem munitionem ridebit*. Tunc enim cum diuites multa istorum congregauerint, irridet, & sæuit in eos. Melius est vt cum martyribus reddamus nos illi salua vita, iuxta dictum saluatoris, qui odit seu perdit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Reddunt enim se ad mortem corporis, vt anima salua fiat.

M Martyres se reddiderunt morti vita salua.

Abac. 1

Sed quæritur cum nihil sit amarius morte iuxta illud: *O mors quam amara est memoria tua*. quomodo Victori, & sanctis martyribus hæc mors ita dulcis visa est, & reputata. Respondetur quod sicut inter fructiceta inueniuntur dulcia fraga, sic inter tribulationes, & amaritudines martyrum inuenta est in martyribus dulcedo conscientiæ, & cordis. Nihil est autem ita amarum, quod amor mixtus dulce non faciat, quia *Fortis est vt mors dilectio*, quia dulcedo amoris trahit amaritudinẽ mortis, & absorbet. Aquæ enim multæ non potuerunt extinguere charitatem. Præterea cognoscebãt mortem esse ianuam vitæ, ideo sponte currebant ad mortem. Sciebant enim martyres, quod tribulatio est porta paradisi. Nam per multas tribulationes oportet intrare in regnum Dei. *Hæc porta Domini iusti intrabunt in eam*, ideo anhelabãt ad tribulationem & mortẽ. Quod sit angusta patet, quia diuersi martyres diuersa amiserunt in hac pressura, alius dimisit pellem,

N Nota. Eccl. 41.

Cant. 8.

Psal. 117.

lem, vt Bartholomæus, alius pedem, vt Victor, alius capitium, vt ille idem in capitis sui obtruncatione, & plurimi alij, &c. Hic est turbo per quem ascendit Helias in cælum. Tunc autem non tetigit eum horribile tormentum mortis, quia *iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis, sed sepulta sunt in pace corpora eorum.* Licet enim deiectum sit corpus B. Victoris in mari profundo, nihilominus enatauit & à Christianis raptum sepultum est. Licet enim occisi sint martyres, tribulatio tamen temporalis non aufert pacem, imo est virga Assueri porrecta in signum clementiæ, quam si cui rex porrexerit, potest licite intrare ad regem. Quantis autem miraculis claruerit, non est nostrum enarrare. Fracto quippe alabastro corporis eius tota domus Ecclesiæ repleta est ex odore vnguenti, quod quanto magis atteritur tanto plus redolet. Sic virtutes B. Victoris. Quod ostendit Dominus in odore fragrantissimo ex eiusdem corpore manante, quem sæpe in huiusmodi corporibus sanctorum solitus est ostēdere. Legitur li. Iud. quod fractis laguncularis apparuerunt lucernæ ardentes, scilicet miraculorum claritas, quæ apparet fractis per mortem sanctorum corporibus. Speculum fractum plures repræsentat imagines quam integrum. Sic sancti per martyrium fracti, & mortui, multo plures virtutum, & miraculorum imagines repræsentauerunt quā integri, & viuentes.

Sap. 3.

Nota.

Esther 5

Iud. 7.

## DE S. MARIA MAGDALENA, *Ser. I. & in ordine XIX. Per Thema.*

Luc. 7.

A Via duplici peruenitur ad Deū.

DImissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cum Angelo sit vnica via concessa ad acquirendum gloriam æternam, via, scilicet innocentię, homo duplici via eam acquirit, scilicet via innocentiæ, & via pœnitentiæ, iuxta illud, *Vniuersæ viæ Domini*, id est, per quas peruenit homo ad Dominum, *misericordia & veritas*, veritas vitæ, quo ad innocentiam, & misericordia quo ad pœnitentiæ viam. In vtraque autem via indiget homo directione, mare huius sæculi trāseundo. Ideo diuina sapientia duplicem Mariam, videlicet Mariam innocentem stellam maris pro via innocentiæ, & Mariam sanctam peccatricem, scilicet Magdalenam pro via pœnitentię proposuit in exemplum, quod est magnæ efficaciæ ad emolliendum cor peccatorum. Vnde Gregorius. Quod vel saxeum pectus ille huius peccatricis lachrymæ ad exemplum pœnitendi non emolliant? Secundo, proponitur in spem erigendi peccatores. Veniens enim Filius Dei in mundum propter peccatores, vt spem peccatoribus daret, maximos peccatores in maximos sanctos elegit, vt Matthæum in spem virorum, Magdalenam in spem mulierum. Hinc Haymon. Dominus maximos peccatores elegit in sanctos, & quibus Ecclesia maxime vtitur in diuino seruitio. Dauid enim magnus peccator fuit, vtpote homicida, proditor, lubricus, & adulter, & tamen suo Psalterio maxime vtitur Ecclesia, Paulus Ecclesiæ persecutor, & blasphemus fuit, cuius doctrina hodie fulget Ecclesia. Matthæus vsurarius, qui inter Euangelistas primus scripsit, & maxime eius Euangelium legitur Ecclesia. Sic Mariæ Magdalenæ vitam maxime legāt peccatores, vt in ea spem veniæ recipiāt. Vt ergo de Maria peccatrice aliquid ad Dei, & eius laudem dicere valeamus, ad Mariam innocentem recurramus, dicētes: Aue gratia, &c.

Psal. 24.

Loquendo de conuersione sanctæ huius peccatricis ludemus tria personagia. Primum, erit Mariæ sanctæ peccatricis. Secundū, Pharisæi superbiētis. Tertium, Domini Iesu peccatricē iustificantis. Ludendo primū personagiū dicemus. Primo, de qualitate culpæ huius peccatricis. Secūdo, quomodo ad Christū accessit ad fontem misericordiæ pro lauan dis peccatis. Culpa huius peccatricis in quatuor aggrauatur. Primo, fuit valde vilis, quia

B Culpa peccatorum aggrauatur ex quatuor. peccata huius fuerunt carnalia, quæ secundum Gregor. maioris sunt infamiæ, quia concupiscentia oculorum, quæ est auaritia, & superbia vitæ solum polluũt spiritum, concupiscentia vero carnis corpus, & spiritum. Secundo culpa eius, & peccata fuerunt publica. Vnde dicitur, quæ erat in ciuitate peccatrix. Peccatum vero notorium non solum Deum offendit, sed etiam Ecclesiam, & proximos scandalizat, ideo grauius. Tertio, quia peccata eius fuerunt multa. Patet ex themate. *Dimissa sunt ei peccata multa.* Multitudo, & reiteratio peccatorum frequẽs inducit ad contemptum & profundum malorum. *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Quarto, quia omni generi peccatorum subiecta: *Surgens Iesus mane prima sabbati aparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem dæmonia.* Gregorius. Quia septem diebus omne tempus comprehenditur, recte septenario numero vitiorum vniuersitas designatur, & sic omnibus vitijs plena fuit & infecta.

Luc 7. Prou. 18 Mar. 16

C Nota de Magdalena. Circa quod quæritur, vtrum licitum sit prædicare de hac beatissima muliere, quod fuerit peccatrix publica, sicut mulieres quæ sunt in bordello. Et videtur quod non, quia nõ est credibile tam sanctam mulierem & tam Dei amicam, & tantam peccatorum congeriem & vtilitatem deuenisse. Responsio. Prima veritas. Hæc mulier de qua sermo, quod erat peccatrix publica, erat soror Marthæ & Lazari, probatur quia Ioan. dicitur, quod Lazarus erat de castello Mariæ & Marthæ sororum eius. Maria autem erat quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes capillis suis, cuius frater Lazarus infirmabatur. Ante vero hunc Euangelij passum nullibi inuenitur aliqua mulier vnxisse Dominum vnguento, & capillis suis extersisse pedes, nisi Luc. vbi recitatur conuersio huius peccatricis, ergo. Hoc etiam testatur Augustin. lib. de con sensu Euangelistarum, & Gregor. homil. & in legenda sua dicitur, quod cuidam sacerdoti ad se venienti in spelunca in qua latitabat dixit, quod erat illa peccatrix Euangelica. Secunda veritas. Maria Magdalena non solum vitijs carnis mẽte peccauit, sed etiam corpore fuit prostituta. Probatur primo, quia Ecclesia vtitur nominibus, secundum communem modum vtendi, iuxta illud Phil. 2. Thopi. res diuerso nomine distinguantur, sed in Euangelio dicitur mulier peccatrix. Non autẽ dicitur mulier peccatrix nisi corpore prostituta, ergo. Non enim si caput vel capillos ornet vel induatur habitu lasciuo, propterea dicitur peccatrix. Secundo quia si non fuisset corpore corrupta, sed solum mente, & virgo corpore, tunc debuit Ecclesia de ea facere officium virginum, sicut fit de Martha sorore sua, cum post corruptionem solum mentalem per contritionem virginitas integra recuperetur. Tertio Ecclesia non iudicat de occultis peccatis, sed manifestis & opere perpetratis. Cum ergo Euangelista nominet illam peccatricem, & in ciuitate notam, sequitur quod de eius peccatis manifestis scripserit. Vnde & Marcus dicit Dominum de ea septem dæmonia eiecisse, id est vniuersa vitia, ergo & luxuriam. Chrysostomus in homil. de latrone. Tunc illa mulier prostituta lupanar exiuit, quando discipulus gehennam intrauit. Cap. 16

Ioan 11 Luc 7.

Tertia veritas. Hæc sancta peccatrix non perpetrauit crimina sua in prostibulo publico, sed de domo sua prostibulum fecit. Absurdum enim esse videretur, dicere quod illa mulier nobilissimis orta Natalibus, & diuitijs abundans, loca illa spurcissima inhabitasset, sed bene in sua domo, vbi omne tempus, ocio & voluptatibus expendebat caput poliendo, crines ornando, faciem vngendo, vestes componendo, cantando & loquendo lasciuia, conuersando cum iuuenibus, & ex consequenti turpia perpetrando, quæ non licet honeste eloqui, vbi multo plus peccauit quam meretrices quæ ad bordellum vadunt, quia

quia illa suis sumptibus lenones in malum fouebat & prouocabat. Quæ vero ad bordellum vadunt, magis à lenonibus prouocantur, nutriuntur, & accenduntur. Ista nutriebat suos lenones, ibi vero lenones nutriũt meretrices. Quarta veritas. Prædicare quod hæc sancta peccatrix fuerit sic ignominiose prostituta, est prædicare ad honorẽ Dei, ad laudem ipsius peccatricis, & ad vtilitatẽ nostrã. Quod ad honorẽ Dei patet, quia quanto ægrotus periculosius laborat, tanto est medici honor, si de infirmitate illa cito ad plenam sanitatem ipsum restituat. Cum ergo videatur infirmitas illa meretricũ esse quasi desperata & vix sanabilis, videtur quod Dominus magnificetur in sanitate tali ac tanta, vt postea digna fuerit conuersari cũ Angelis, cum filio Dei, & illum in Resurrectione prima videre. Propter quod Lucas medicus in primo lib. suę artis medicinæ sent. septima, posuit istud recipe tanquam pretiosissimũ & medicis summe collaudatiuũ. Quod ad laudem ipsius peccatricis patet, quia laudabilius est, hominem de basso genere ad regiam dignitatem aut consulatum suis virtutibus vel gestis ascẽdere, quam hominem de statu nobili ad parum nobiliorem ascendere. Inde laudat se Tullius contra Salustium, quod de inquilino factus est cõsul Romanus. Cũ ergo hæc peccatrix de tã vili statu ad dignitatem Angelorũ peruenerit, ita vt triginta annis cum eis conuersata fuerit, sequitur quod hoc prædicare sit laudis eius consummatio. Fit enim hæc peccatrix ex cinere vitrum, ex lebete phiala, ex lapide metallũ, quæ licet vilia sint, nobilissima tamẽ sunt quæ ex eis gignũtur. Quod ad nostrã vtilitatẽ patet, quia si tã vilis peccatrix ad tãtũ vitæ sanctimoniã peruenerit, nõ debet quicunq; peccator de misericordia Dei desperare, quãdo videt tale sibi speculũ positum ante oculos suos in exemplum & in miraculum. Sicut enim nobis profuit incredulitas Thomæ ad robur fidei nostræ, sic omnibus peccatoribus prodest Mariæ peccatũ, vt de misericordia Dei fiduciam accipiant. Venenum enim peccati mixtum cũ lachrymis pœnitentium sanat apostema cordium.

Accessit autẽ hæc sancta peccatrix ad Dominũ, nõ sola, sed septem dominabus vel domicellis, id est virtutibus circundata. Prima fuit domina diligentia. Nam (vt inquit Euãgelista) vt cognouit quod Iesus accubuisset in domo Simonis leprosi attulit alabastrũ vnguenti. Videbatur enim habere rationabilem causam dilationis, quia nec tẽpus nec locus tunc videbatur plorandi peccatũ. Non enim est tempus molestandi homines dũ prãdent. *Sicut musica in luctu importuna est narratio.* Sic luctus importunus videtur in conuiuio. Vnde ipsa super conuiuantes ingressa est, vt inquit Greg. nõ iussa venit inter epulas lachrimas obtulit. Afferebat enim ibi suum munusculum, *son present*, Gallicè. Locus etiam non videbatur coueniens, cũ ipsa esset publica peccatrix, & Dominus domus esset phariseus. Pharisei vero peccatoribus indignabantur. Vidẽs enim domum suam ardentẽ sulphure luxuriæ, cucurrit ad fontem vitæ, vt illic extingueretur. Nec morã fecit, cõtra vitiũ dilationis, quo fere laborat omne genus humanũ. Seneca. Multi nil boni habent nisi futurum, & id non habent cum nondum sit. Alij sunt qui nec futurum habent, nullum bonum propositũ habentes, non curantes nisi quod vnus dies post aliũ transeant. Isti sunt animalia sine cauda id est directione. Cauda enim auis dirigit auem, & cauda nauis nauem. Sunt etiam velut nauis dimisso gubernaculo ventis exposita. Non ergo differat homo conuerti ad Dominum, exemplo huius peccatricis. Bernar. Abscondi ignem in sinu meo, & exusto iam latere, nudatis iam visceribus, iam sanie effluente, adhuc consulendum est an excutiam eum. Sicut quando carbo in sinũ alicuius exilit, statim excutitur, sic peccatũ mortale quã cito perpenditur, amouẽdum est. Bona enim hominis cõsumit.

D *Magdalena septem virtutibus ornata venit ad Christũ medicũ.*

*Eccl. 22.*

Iob 31. Est enim *ignis vsque ad consumptionem animæ deuorans, & omnia eradicans gemmina.* Vnde semper dicitur, Deus in adutoriũ, in principio horarum, nunquam in fine, quia diligenter & cito ad auxilium Dei recurrendum est huius peccatricis exẽplo. Sed inquirendum est vnde processit hæc tam subita mutatio. Respondetur primoquod ex diuinainspiratione. Prius enim venerat Dominus ad Mariam, quã Maria ad ipsum, imo non venisset, nisi Dominus prius ad eam venisset. Pedibus autem misericordiæ & veritatis venit, iuxta illud Psal. *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas*. Via veritatis venit, quando veniens de venia non desperauit. Secundo, hoc forte fuit à suis complicibus & criminum consortibus, quorum alter potuit dicere. O domina est hic vnus prædicator pulcherrimus homo & eloquentissimus, nullus eo speciosior inueniri posset. Illa vero delectata iuxta carnalem concupiscentiam desiderans eum videre, dum accessit ad sermonem eius, illico medicus summus lanceola linguæ cor eius ita percussit, quod fæx eius cum sanguine lachrymarum per oculos eius exciret. Exinde autem sermone finito absq; mora domum in qua recumbebat intrauit, & dolore cordis intrinsecus tacta, omnes fœtus iniquitatis ibi peperit. Iuxta illud Psal. *Concepit dolorem & peperit iniquitatem*. Hoc est contra multos quibus Iesus non accubuit, sed occubuit, & tunc quærũt ab eo adiuuari, cum sit tarde nimium. Vnde cuidã diuiti morienti & dicenti, Deus adiuua me. Respondit diabolus tarde nimiũ est, cum iam sol occiderit tibi. Secunda fuit domina verecundia, Hinc subditur, *stans retro*. Non enim ausa erat in Dominum vultum leuare. Bern. Tantũ Deo displicet impudẽtia peccatoris, quantũ pœnitentis verecundia placet. Sicut enim ea quę ceciderat in latrinã peccatorũ erubescebat videri, donec peccaret. Et sic nuditas & omnia alia, non nisi propter peccatum sunt erubescibilia. Tertia domina fuit humilitas, inde sequitur, *secus pedes eius*. Non enim ad osculum oris aut ad amplexum corporis accurrit, sed ad pedes eius humiliata iacuit. *Cum esset rex in accubitu suo*, id est in conuiuio, *Nardus mea dedit odorem suum* Nardus parua herba & odorifera, humilitas est, quæ multum placuit Christo. Et certe iustum est nos offerre Deo sacrificium illud, qui pro nobis se exinaniuit formam serui accipiens vsque ad mortẽ, dans pedes suos clauis perfodiendos. In nobis semper est aliquid vnde humiliemur coram Deo.

Psal. 7. · Cant. 1.

Quia in nobis sunt satis miseriæ & satis peccata. Ideo nosipsos tales quales Deo, & si non corpore, saltem mente prostratos humiliemus, neque Magdalenæ vnguentum effusum domino placuisset, nisi prius seipsam obtulisset. Respexit enim Dominus ad Abel prius, deinde ad munera eius. Sex autem vicibus legimus Magdalenam prostratam ad pedes Domini. Primo hic Lucæ septimo, *stans retro secus pedes eius*, in signum contritionis de peccatis suis. Secũdo, *sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius*. Et hoc ideo, quia post contritionem de peccatis, summum remedium contra recidiuum est verbum Dei. *Misit verbum suum & sanauit eos*. In huius signum adhuc mulieres illud obtinent priuilegium, quod in prædicatione stant secus pedes prædicatorum propinquiores viris. Tertio. *Videns Iesum cecidit ad pedes eius rogans pro fratre suo Lazaro mortuo*. In quo debemus compati aliorum miserijs, & eis subuenire exemplo Magdalenæ. Quarto Ioannis duodecimo. In cęna Domini Sabbato ante dominicam in ramispalmarum vnxit pedes Domini, & hoc vnguentum fuit deuotionis, quia tũc vnxit caput & pedes, id est ad incarnationem, quæ est caput & initium nostræ salutis, & ad pedes, id est passionẽ vnguentum deuotionis habuit. Quinto in die Resurrectionis, quãdo primo apparuit ei Dominus. Tũc enim cecidit ad pedes

Genes. 4 · Luc. 7 · Luc. 10 · Ps. 106 · Ioan. 11 · Ioan. 12 · Ioan. 20

pedes eius, sed non est permissa ipsum tangere. In quo ostenditur desiderium Sanctorum qui cupiunt amplecti Christum in hoc mundo, sed hic non permittuntur. Sexto, in illo die Resurrectionis illa cum alijs mulieribus occurrens Christo cecidit ad pedes eius, & tenuerunt pedes eius, in quo designatur quod post Resurrectionem Dominum tenebimus & amabimus nec ab eo separabimur. *Mat. vl.*

Quarta Domina est contritio, vnde sequitur, lachrymis cœpit rigare pedes eius, lachrymæ enim ostendunt dolorem contritionis. Gregor. Dicite quo dolore ardeat, quæ inter epulas flere non erubescit. Vulgo dicitur, parua pluuia magnum ventum extinguit. Sic paruus riuulus lachrymarum eius ventum magnum superbiæ in ea intinxit. Venit enim inter conuiuas ad ludendum personagium lugentis, contra eos qui in nuptijs ludunt personagia crassa dissoluta & luxurię incitatiua. Mira res secundum Petrum Rauennatem, quoniam hic ordo rerum mutatur. Nam cælum dat terræ pluuiam, ecce nunc terra rigat cælum, imo super omnes cælos vsque ad ipsum Dominum cælorum imber humanarum prosilijt lachrymarum, vt iuxta Psal. de illis aquis cantetur. *Et aquæ quæ super celos sunt, laudent nomen Domini*. Vnde legitur Maria vicibus in Euangelio lamentata fuisse. Primo, hic pro peccatis. Secundo, pro morte fratris. Tertio, in die Resurrectionis. Maria stabat ad monumentum foris plorans. Et hoc pro desiderio cõiunctionis eius cum Christo sponso. Mystice loquendo pedes Domini sunt pauperes, quia pedes sunt infirmi & viles licet sint necessariores. Homo enim ponit pedem in luto, vbi non poneret dentem, & tamen plus amat pedem quam dentem. Sed Deus in vilibus operibus ponit pauperes, quos tamen chariores habet quã diuites, alios per rapinam opprimentes. Inde est quod pes dum infirmatur tunc ante ignem ponitur & vngitur, ligatur & optime conseruatur, & manus & caput se inclinant ad consolandum eum. Deus vero dum infirmatur quasi rabiem causat, & statim euellitur, & tunc vel super fimum projicitur, vel in paruo patibulo euulsoris dentium suspenditur postquam comedit multam substantiam, & clamat euulsor, *à la male dent*. Sic Dominus agricolam in paupertate consolatur, & suos amicos ad consolandum inuitat & in ęternum consolabitur, pedes Sanctorum suorum seruabit. Sed raptores qui comedunt substantiam pauperum, & in eis magnã causant angustiam. Vel super fimum inferni vel in patibulo eius suspendentur cum morientur. Rigant ergo pedes Domini qui pauperes agricolas & mercatores cõsolantur, qui sunt magis necessarij reipublicæ, quam raptores vel etiam qui pauperibus dant eleemosynam. Eleemosyna enim est aqua munda, dummodo nõ fiat de rapina vel male acquisitis. Vnde Dominus. *Date eleemosynam & ecce omnia mũda sunt vobis*. Quinta domina est liberalitas seu largitas, quando de capillis suis (quos mulieres inter cætera membra in precio & ornatu magno habent) fecit tersorium pedum. Vnde sequitur & capillis capitis sui tergebat. Solent enim mulieres diligenter obseruare os suum & crines suos. Ipsa vero Christo placere desiderans omnia ei exponit. Capilli vero diuitiarum superfluitates intelliguntur. Nam multitudo capillorũ grauat caput, & si longi sint & aures aggrauant, ne audiant, & visum impediunt. Sic superfluitas temporaliũ grauat hominẽ & impedit nec videat finem suũ aut audiat. Et sicut in multitudine capillorũ inueniũtur vermes & pediculi comedentes, sic (vt dicitur Eccles.) *Vbi multæ sunt opes, ibi & multi qui comedunt eas*. Vbi fuerit cadauer, ibi cõgregabuntur aquilæ. Vbi lac fructus aut mel ibi muscæ. Sed custodiant se, qui talibus abundant ne eis cõtingat sicut Absalon, cuius tãta fuit Cæsaries, quod propter eam pependit in quercu. Sic isti in pati-

Marginalia: *Psal. 148*; *Ioan. 11*; *Ioan. 12.*; E; *Pedes Christi pauperes sunt.*; *Luc. 11.*; *Eccl. 5.*; *2. Re. 18*

F Per capillos diuitiæ significantur.

patibulo infernali propter diuitiarum abundantiam quibus abutuntur. Istud est tamen apud mundum, quod deridentur homines sine capillis, & subsannantur. Isti sunt pauperes rustici & egeni, qui pro nihilo reputantur, & maxime à raptoribus & malis dominis deprædantur, quorum capillos, id est bona subtiliter, id est dolis & minis radunt, de istis dicitur, *Il ont fourbi leur baßinet*. Timeant isti quod de ipsis scriptum est. *Sicut nouacula acuta*, &c. Et sequitur: *Propterea Deus destruet te in finem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium*. Sicut nouacula acuta, quæ subtiliter & cito & sine dolore aufert pilos, sic isti dolum in subditos suos inueniunt, vnde destruant eos, & propterea destruentur domus eorum in finem neque subsistent, quia sicut scribitur: *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur*. Sexta domina est amor seu charitas, quæ tantum feruebat, vt etiam proprio ore puluerosos pedes Domini oscularetur, & vnguento pretioso vngeret, nihil existimans se aut sua præ nimio Domini amore, adeo vt Dominus amorem eius ad Pharisæi sententiam expressserit dicens: Intraui in domum tuam, osculũ mihi non dedisti, &c. Ista enim prostituta fuerat toto corpore sacrificium offerens Deo. Vnguentarios autẽ suos habet diabolus, & suos habet Deus. Vnguẽtarij diaboli sunt adulatores lenę seu maquerellæ & meretrices, aut fatuæ mulieres. Adulatores & lenę alios vngunt, meretrices seipsas. Adulatores & lenæ illos dicuntur vngere, quos ad peccandũ pertrahunt blanda persuasione. Alia vnguẽta conficiuntur ex herbis, ista ex verbis. *Lingua tua concinnabat dolos*. Hæc autem vnguenta componuntur cum diuersa verba ad decipiendum componuntur. Quibus respondendum est iuxta responsionem quæ facta est Sanabalach. *Non est secundum verba quæ loqueris, de corde enim tuo componis hæc*, verba itaque adulatoria dicta principibus sunt vnguenta, quia nihil est quod credere de se non possit dijs æqua potestas, vt dicit Lucanus & Iuuenalis. Si dixerit, æstuo, sudat. *In malitia sua lætificauerunt Regem*. Similiter lenæ decipiunt puellas & virgines, quibus faciendum est, sicut quædam optima puella cui cum à fratre suo paruulo offerretur ex parte corruptoris cuiusdam capellus de rosis. Illa indignans in præsentia fratris proiecit illum in latrinas, dicens fratri suo, vt diceret corruptori quod de suo munusculo fecerat. Vnguentariæ enim diaboli sunt meretrices, & mulieres se fardantes, vt pulchriores appareant addentes super faciem opificium diaboli. Illæ sunt veteres pelles pellipario diaboli, in quibus vbi non est pilus ponit pellipariuss cretam, gallicæ *de lacraye*. Istæ sunt similes Iesabel, quæ se pinxit stibio, & canes comederunt illam. Sic illæ quæ se sic pingunt deuorabuntur à canibus inferni. Istę sunt rete diaboli, quibus capit incautos homines. Sed beata peccatrix prius vnguentaria diaboli, facta est vnguentaria Christi, & quæ peccauerat se vngendo, attulit vnguentum, vt peccatum eius per contrariam vnctionem purgaretur. Vngebat enim exterius Saluatorem, & ipsa interius à Saluatore vngebatur. Secundo venit personagium Pharisæi, & potest accipi pro septima domina & patientia, quæ libenter sustinuit furorem & indignationem Pharisæi contra se. Pharisæus autem ex falsa sua doctrina indignabatur dicens. Hic si esset Propheta, sciret vtique quæ & qualis est hæc mulier, quia peccatrix est Gregorius vera rustica compassionem habet, falsa indignationem. Ex qua falsa iustitia quadruplex falsum iudicium processit. Primũ quod mulierem per veram pœnitentiam mũdatam immundam, iudicauit. Purgata enim erat igne amoris, & aqua lachrymarum. His duobus modis immundus purgatur à Deo aqua in diluuio, igne in iudicio. Secundum iudicium, quod Dominum non esse Prophetam iudicauit, qui ei post modum ostendit interiora cordis sui. Tertium iudicium, quod se superbum

Psal. 51.

Sap. 11.

G Vnguentarij diaboli sunt adulatores lenæ & meretrices.

Psal. 49.

2. Esd. 6

Osee 7.

bum non reputauit indignum accedere ad Saluatorem, mulierem vero indignam ad hoc reputauit, cum tamen humilitas Deo familiaris sit, superbia vero ab eo sit extranea. *Humilia respicit, & alta à longe cognoscit.* Quartum quod se Domino iustiorem credidit, qui mulierem à se repulisset, quam Dominus non repellebat. *Qui dicunt recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es. Isti fumus erunt in furore meo ignis ardens tota die.* Huic Pharisæo similes sunt multi, qui superbiunt eo quod habeant aliqua de genere bonorum, quæ per aliquod peccatum mortale redduntur inutilia, illi lucent in nocte præsentis vitæ similia lignis putridis, in futuro vero apparebit quod tenebræ sint, vnde saluator: *Vide ne lumen quod in te est, tenebræ sint*, illi etenim sunt velut poma pulchra exterius, vermem habentia interius, & quemadmodum moneta falsa imaginem falsam repræsentat, vel rem falsam, sic isti sunt bonorum imagines, non vere boni. Tertio accedit tertium personagium scilicet Saluatoris. Hæc misericordia Saluatoris peccatricem protegentis, vbi quatuor facit Dominus. Primo benigne Pharisæum instruit, qui eum iudicauerat non esse Prophetam, cui tamen respondendo non solum Prophetam, sed etiam Deum se ostendit, cuius solius est cogitationes agnoscere, solus enim scrutatur renes & corda. Secundo ostendit eam non esse vt peccatricem repellendam, sed familiariter recipiendam vt valde amantem. Non enim est iniquitas amare amantem se. *Ego diligentes me diligo*, ostendit autem magnum amorem peccatricis. Primo per causam, secundo per effectum. Per causam, dicens Symon habeo tibi aliquid dicere, respondit Pharisæus. Magister dic, ait Iesus, duo debitores erant, &c. quis eum plus diligit, respondit: æstimo is cui plus donauit. Conclusit ex hoc Dominus quod ipsa plus eum diligebat, ideo minus repellenda, quam ipse, quia illi plura delicta donauerat, quam Pharisæo, Deus est fœnerator qui plus recipit quam committat. Quia quando committit & infundit animam homini, non est iusta, sed peccato originali obnoxia, & nihilominus requirit eam iustam. *Reddite quæ sunt Dei Deo*, id est animam (quæ Dei est) Lumine gratiæ insignitam, contra eas quæ suos infantes opprimunt, & per gratiam baptismalem non insigniunt. Secundo, quia committit talenta verbi sui, & postmodum exigit & recipit ea multiplicata, quia exigit vt prædicator se & alios lucretur per illa. *Domine quinque talenta tradidisti mihi.* Vnde & comminatur eis. *Nonne oportuit te pecuniam meam dare nummulariis ad vsuram, vt ego veniens reciperem eam vtique cum vsuris.* Peccata autem dicuntur debita. Primo quia sunt debita æternæ mortis, cui actores suos obligāt & astringunt. Secundo, quia vsuræ diabolo obligant. Nam pro illis peccatis exactissimus fœnerator diabolus alia exigere non cessat. Peccatum enim (vt inquit Gregorius) quod non statim per pœnitentiam diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit. Tertio sunt debita damnorum irrecuperabilium, neque numerum neque mensuram (vt videtur,) habentia, vt patet in numero fornicationis mulieris. Non enim est numerus fornicationum & perditionis animarum, quæ quotidie auferuntur Deo & dantur diabolo. Secundo arguit magnam eius dilectionem ab effectu. Quia intraui in domum tuam, osculum mihi non dedisti, hæc autem, &c. Ex quo sequitur quod multa mihi ostendit dilectionis signa, plusquam tu feceris, quare illa magis diligit quam tu, ideo dimittuntur ei peccata multa. Vnde beneficia peccatricis integræ recolit Cato. Exiguum munus cum det tibi pauper amicus, Accipito placide. Fecit enim Christus valere merces eius. Cui multū dissimilis est multorum peruersitas, beneficia obliuiscentium, & iniurias memoriter tenentium, in hoc etiam quod peccatricem Dominus defendit, notantur multi, qui tempore aduersitatis homines persequuntur, & volunt eos cadentes

Marginalia: Ps. 112. — Esai. 65 — Luc. 11. — Prou. 8. — Mat. 22. H Quomodo Deus fœneratur nobis — Mat. 25 — I Peccata sunt debita.

dentes conculcare, quos debuerunt subleuare, similes canibus qui canem in luto positum persequuntur. Tertio absoluit eam Dominus dicens: dimissa sunt ei peccata, &c. Si pro vno peccato dimisso seruiret aliquis Deo mille annis, non esset nimis, cum pro eo debitor sit mortis æternę. Ibi autem amor vicit Dominum, & solo amore quasi sine labore triumphum meruit de Domino & suorũ peccatorum veniam obtinuit. Petrus Rauennensis teneræ militiæ & delicati conflictus est, amore solo de cunctis criminibus victoriam reportare. Quarto tutatur eam. Nam conuersus ad mulierem dicit, remittuntur tibi peccata tua, quidam autem de astantibus dixerunt: Quis est iste
Psal 50. qui etiam peccata dimittit? Ps. *Iustificeris in sermonibus tuis*, cum dicis remittuntur tibi peccata tua, *& vincas eos cum iudicaris*, ab eis. Inebriatus enim indifferẽter condonat omnibus. Dominus autem deuotis lachrymis peccatricis inebriatus erat,
Esal.16. ideo omnia remisit. *Inebriabo te lachryma mea*. Bernard. lachrymæ peccatorum vinum sunt Angelorum, quæ si ex corde bono procedant, dignæ sunt vt Deo offerantur ad potandum. Propter quod di-
Psal.55. cere potest peccator illud Psal. *Posuisti lachrymas meas*, &c. Vnde subdit, *Fides tua te saluam fecit, vade in pace*, vnde opera fortia placent Deo, & ipsum placant, etiam dato quod ante fuerint aduersarij Dei, vt Magdalena, quæ ante conuersionem suam ita fortiter Deũ impugnauit, quod de se munitionem septem principalibus dæmonibus, id est, omnibus vitijs munitam contra Deum fecit. Sed quia ita fortiter fleuit, pœnituit & lachrymis pedes Domini lauit, ita sibi placuit quod in pace redierit cum Deo, & cum seipsa pacata, omnibus vitijs dimissis. Nulla enim pax est, vbi conscientia peccatis plena est.
Esal.48. *Non est pax impiis dicit Dominus*, vnde de
Prou. 31 ista dicitur: *Manum suam misit ad fortia*, & sic *digiti eius apprehenderunt fusum*, id est donum à Deo effusum.

## DE EADEM SANCTA MARIA Magdalena, Serm. II. & in ordine XX. Per Thema.

*Lachrymis cœpit rigare pedes eius*. Ex multiplici origine manat fluuius lachrymarum. Primo ex proprio peccato, vt lachrymæ Petri. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei*. &c. Secundo ex compassione alienorum peccatorum, qualis erat fletus Domini in cruce, & qualis Helysæi, qui flebat mala, quæ facturus erat Azael. Ps. *Vidi præuaricantes*, &c. Tertio ex aliena miseria. *Flebam super eo qui afflictus erat, & anima mea compatiebatur pauperi*. Sic Dominus fleuit super ciuitatem Hierusalem, sic super Lazarum. Quarto ex consideratione passionis Christi. Ber. Omnis sermo de passione Christi arctior est ad flendum, amarior ad commouendũ. Sic lugebant mulieres ad sepulchrum. Quinto ex absentia & elongatione patriæ, vt Maria flebat ad monumentum. Sic ille qui dicebat, fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Psal. *Heu mihi quia incolatus*, &c. Sexto ex consideratione suscepti beneficij. Sic flebat August. considerans beneficia Dei, quæ contulit humano generi. Septimo ex inflammatione regni cœlestis, sic flebat Maria dicens: *Nunciate dilecto quia amore langueo*, ad quam recurremus dicentes, Aue gratia, &c.

Luc. 7. A Lachrymæ ex multiplici origine manant. Ps 118. 4. Reg 8 Psal. 118 Iob 30. Psal. 119 Cant. 5.

Primo dicetur quomodo Maria lachrymas fudit, vnde lauetur. Secundo qualiter ex ipsis emplastrum elicit medicus, vt sanetur. Circa primum dicendũ est quomodo tria motiua fuerunt Mariæ Magdalenæ ad sic lachrymandum. Primum fuit inhabitatio Christi in mentem Mariæ venientis. Prius enim venit Christus ad Mariam, quam Maria ad Christũ. Nisi enim Dominus conuersus ad illam fuisset, nusquam Maria ad eum conuersa. *Deus tu conuersus viuificabis nos*, vidit enim illa quod cũ Pharisæo superbo & leproso accubuit, vt manducaret panẽ, propterea sperauit quod mulierẽ nõ despiceret, qui cũ tali peccatore conuiuere non distulit.

B Magdalena ad flendum tria motiua. Psal. 119

Signum

C Signum autem inhabitationis Christi in mentibus est quadruplex. Vnum est mundanæ sollicitudinis exclusio. Sicut enim sol quando ingreditur expellit tenebras, sic gratia Dei in suo ingressu expellit terrenam cupiditatem. *Ingressus in templum cæpit eiicere vendentes & ementes.* Deus enim & cupiditas in eodem corde habitare non possunt. Hæc autem solicitudinem propriæ domus dimittens, in alienam domum ingressa est, vt Deū habere posset. *Obliuiscere populum tuum*, &c.

*Inhabitationis spiritualis Christi in cordibus signa quatuor.*
Luc. 19.
Psal. 44.

Secundum signum est vita decens, & honesta conuersatio. Mundius enim & decentius seruatur domus in præsentia Domini, quā in absentia eius. Vnde hæc mulier in Domini absentia fœdauit, & se, & domum suam, quando vero accessit ad eum honestauit eam. Accessit ergo ad eū mulier habens alabastrum vnguenti, &c. Quando princeps est in aula, omnes faciliter possunt habere accessum ad eum, & qui male induti, & qui bene, sed quando in camera vbi quiescit, soli qui induti sunt robis suis, & de sua familia ingrediuntur. Sic quamdiu rex Christus fuit in aula mundi, omnes peccatores & publicani poterant ad eum accedere, quia pro peccatoribus venerat in mundum. Sic venit ad eum Magdalena, sic prodigus, sic publicanus. Sed postquam ascēdit ad cameram paradisi, nullus potuit accedere ad eum, nisi indutus puritate & innocentia. Tertium signum est quædam spiritualis per feruorem cordis calefactio. Peccator enim qui sine Deo est totus mortuus, & frigidus est. Deus autem noster ignis consumens est, qui ita potum cordis huius mulieris feruescere fecit, vt omnem spumam peccati ex eo eiecerit. Quartum signum est spiritualis, & interna directio. Vnde Philosophus 2. Ethic. Signum virtutis est delectabiliter operari. Hęc autem mulier ex quo intrauit domum Pharisæi, non cessauit osculari pedes Domini, vt patet ex testimonio Christi, Secundum motiuum erat consideratio circa peccata propria, quæ quadruplex fuit. Primo considerabat, quæ, & qualia, & quā enormia peccata fecerat, quomodo per suam negligentiam omisit quæ facere debuit, & in quanta mala per peccatum suum deuenit, & quantum, & quomodo, & quibus vitijs, & dæmonibus, & pro quo præmio seruiuit. Nō erat mirabile si sic lachrymaretur, qui parturiebat tot fœtus diabolicos, quot peccata commiserat. *Mulier quæ parit tristitiā habet.* Ioan. 16.
Secundo considerabat, quæ & qualia, & quam magna sunt quæ per peccatū suum amisit, scilicet regnum æternum, Deum, seipsam, Ecclesiæ participationem, Sanctorum consortium, bona meritoria, quę ante fecerat, tempus suum, opus, & laborem suū. Si diuites inutili fletu pro parui damni incursione tantum lugeant, quid debemus pro talium amissione facere? Tertio cogitabat quos offenderat, Deum scilicet & Angelos, & Sāctos omnes, quos peccādo magis videtur læsisse, quā Francorum Regem, si ei regnum suum abstulisset. Cum de eius gloria quis gaudeant in cælo, quam aliquis rex de suo regno. Quarto cogitabat, quæ mala ex suis peccatis promeruit scilicet exhæredationē, spoliationem, fugistationem, æternam damnationem, Dei iudicium, æternum supplicium. Si orbatus patre, & matre multū dolere cogitur, quomodo non ille, qui orbatus est patre Deo: matre Ecclesia. Puella gentilis in matrimonium assumenda debebat vno mense flere, patrē & matrem quos per captiuitatē amiserat. Ad mortē enim iudicati flent, & eiulant postulantes veniam, & promittentes emendā, qui nos docent flere hic, ne futurum iudiciū terribile subeamus, vbi lachrymæ nihil proderunt. Tertio mouebat ad flendum lachrymarū quadruplex vtilitas. Prima erat absolutio sui. Sic Naamam ab Helyseo à quo mundatus est à lepra: *Lauabo per singulas noctes lectum meum*, id est peccata conscientiæ meæ. Inde venit ad fontem vitæ. *Vt cognouit*, (inquit Euangelista) *quod Iesus accubuisset, accessit ad eum.*

Deus ve...
Psalm. 6.

Sed

Sed quæritur quis ita audacem fecit illam mulierem, quod in domum Pharisæi sic sine erubescentia, & tempore prãdij non vocata cõfidens accessit? Responsio. Primo, vt per illud in quo Deum offenderat, Deum lucraretur. Inuerecunda peccauerat, & inuerecunda ad maculas detergendas accessit, cõtra illos, qui non erubescunt peccare, & erubescunt confiteri. Secundo, quia plagam cordis sensit apertam, parata effundere per venas illius sanguinem malum. Non mirum si cito ad locum in quo erat medicus ad auxilium inuerecunda cucurrit. Secundum Chrysostomũ in quodam sermone. Lepra res est abominabilis, & quia vidit leprosum sanatum corpore Symonem, scilicet vehementer sperauit sordes animæ suæ facile posse à Christo detergi, & cum cæteræ, scilicet Cananea, Samaritana, & quæ fluxum sanguinis patiebatur in via ad eum accesserint subuentionis intuitu. Hæc sola domum confidenter ingressa est, non corporeæ curationis gratia, sed animæ, aliquid in eo maius homine existimans, qui non solum corpora, sed & animas tergere debebat. Secunda vtilitas erat sanctificatio sui. Pantheon enim tẽplum omnium dæmoniorum, postea factum est templum omnium bonorum, vt
Rom. 5. *vbi abundauit peccatũ, superabundaret & gratia*. Nam non delictum sicut & donum. Nam delictum eius solum diffamatũ erat in ciuitate Hierusalem, donum vero eius,
Mar. 14. & gratiæ in toto orbe terrarum. *Amen dico vobis vbicunque prædicatum fuerit Euangelium in toto mundo, dicetur quia hæc fecerit in memoriam eius.* In illo enim contactu Christi fugata sunt omnia dæmonia. Vnde per lachrymas matris Augustini sanctificatus est Augustinus, & de hæretico factus est sanctus. Erat enim Christus fons aquarum viuentium, & tamen de suo fonticulo ad fontem asportabat aquam, vt contactu nobilissimæ illius humanitatis sanctificaretur. Veniebat enim ad terram illam promissionis, quam noluerũt Iudæi, cuius nimirum ascensus incipit à summitate maris salsissimi, scilicet contritionis. Tertia vtilitas erat illuminatio sui. Ex præcedentibus enim meditationibus iam agitabat quantum à vero sole iustitiæ distabat, in qua nox peccati omnem mentem obfuscabat. *Nox illuminatio mea in delicijs meis*, & ideo ex præcedentibus meditationibus iam ad fletum commota erat, & lachrymando cognouit bonitatem eius, quem ante per malam vitã despexerat. Maria enim post resurrectionem vsq; post fletum non cognouit Dominum. Quarta vtilitas est inflammatio sui. Illic enim lachrymę extinguunt ignẽ inferni, & accendunt ignem charitatis, similes cuidam fonti in Epyro. In quo faces ardentes extinguuntur, & extinctæ accenduntur. Quia enim appropinquauerat Deo, qui est ignis consumens, ex fumo eius lachrymare cœpit, in vitis patrum sancta Sincletica dicit in his qui ad Dominum conuertuntur, labor est primum, & post ineffabile gaudium. Sicut qui accendunt ignem primo fumantur, & ex fumi molestia lachrymantur. Vnde Helias super altare, & ligna quatuor Hydrias aquæ proiecit, istę sunt quatuor vtilitates lachrymas continentes vel effundentes, vnde magnus ignis accensus est, vel sunt quatuor ex quibus lachrymæ procedunt, scilicet timor iudiciorum diuinorum, pudor commissorum, dolor bonorum amissorum, & recordatio diuinorum beneficiorum. In secunda parte ponitur emplastrum quod ex lachrymis beatæ mulieris elicuit medicus, vt sanaretur. Quod quidem emplastrum ex quatuor constituitur. Est enim quoddam vnguentum, quod vulgo dicitur gratia Dei. Vnde osculabatur pedes Domini, & vnguento vngebat. Nisi enim abundasset vnguento, vnguentum non effudisset, & nisi fuisset vnguentum illud gratiæ Dei, tot & tanta peccata non euasisset.

Psal. 138 · 3. Re. 18

Quæritur autem, quæ fuerunt causæ peccati eius. Respondeo, quod tres. Primo, pulchritudo eius. Erat enim formosa valde, cuius pulchritudinẽ ampliabat vanus,

D Magdalena peccati quæ fuerint causæ.

vanus & inhonestus decor meretricius, vnde quidam philosophus, difficile est custodire quod multi amant. Prou. no no. Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra, & fatua. Quia sicut sus si haberet circulum aureum in naribus, ipsum volueret in luto, sic meretrix pul-
Pro. 31. chritudinem suam in luto luxurię *Fallax gratia, & vana est pulchritudo.* Quercus procera est arbor, & pulchra, sed solū glandes gignit porcis. Vitis vero turpe lignū est, sed producit bonum vinum: nō ergo quærat mulier pulchra fieri, sed si nigra sit, gaudeat, quoniam nigrę mulieres, vt dicit Philosophus fæcundiores sunt, sicut, & nigræ gallinæ. Secunda causa peccati eius vbertas, & abundantia bonorū temporalium per quā satisfaciebat corpori in omnibus delicijs, pascens illud splendide, bene comedens, bibēs, & dormiens, & omnes labores refugiens, quod quanti sit periculi ostendit Dominus per
Ezec. 16 Ezec. *Hæc fuit iniquitas sororis tuæ Sodomæ superbia, saturitas panis, & abūdantia, & ocium ipsius, & filiarum eius.* Tertia fuit libertas. Aug. lib. de decem cordis. Quatuor sunt mulieris custodiæ quibus adiuuatur, vt honeste viuat. Prima est timor Dei. Secunda est timor legum adulteras puniētium. Tertia societas viri. Quarta verecūdia mundi. Hierony. ad Furiam. Tenera res in fœminis fama pudicitię est, & quasi flos pulcherrimus, ad leuem marcescit auram, maxime vbi ætas consentit ad vitium, & maritalis deest auctoritas, cuius vmbra tutamen est vxoris. Cum ergo hæc sancta peccatrix nec Deum nec leges timeret, essetque absque viro in libertate sua fungēs optimo patrimonio, nil mirum si fecerit frontem meretricis. Secundo constituitur ex tormentina id est afflictione, & contritione spiritus, & pœnitentia. Tribulatio enim curat à fre-
Esai. 28 nesi, quia: *Sola vexatio dabit intellectum.* Secundo curat à cæcitate aperiens oculos
Thren. 3 cordis. *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis meæ.* Sic Thobias cæcatus, & in oculis felle linitus illuminatus est, & Nabuchodonosor in prosperitatis superbia sensum amiserat, qui post septem annos tribulationis ad cælū oculos leuans, sensum recuperauit. Hæc autem interius tribulata sacrificiū domino offerebat, iuxta illud: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, exterius vero à Pharisæo Psal. 50
fuisset repulsa. Aiebat enim intra se, hic si esset propheta sciret vtique quæ, & qualis est hæc mulier, quia peccatrix est, calce enim pedum repulisset eam. Sed iam Dominus emplastro patientiæ in tribulatione sua sanauerat eam. Ideo male iudicabat Pharisæus. Quidam francorum rex, cum apud eum quis quærimoniam faceret, nihil aliud latini sciens, semper proferebat, audi partem, Deus contra peccatorem pars est. *Arguam te, & statuā contra faciem tuam;* peccatori autem Deus Psal. 49
pacificatur, nec plus est pars cum pœnitet. Iste autem Deum iudicabat aduersarium huius mulieris, & volebat condēnare, vbi nulla pars erat aduersa. Multi enim loquuntur de morbis, & medicina, qui eam penitus ignorant, iste ante medicum de medicina, loquebatur, qui tamen infirmior erat, & eam damnabat ad mortem, cum tamen medicus quod ex oculis eius effluebat iudicabat aquam vitæ.

Sed quæritur quare nec Euangelista nec Pharisæus hanc proprio nomine appellat, sed nomine peccatricis. Respon. Prima veritas, quia ita se peccato fœdauit, quod propriū nomē perdidit, & peccatrix vocata est; res enim nomina communiter ex effectibus earū sortiūtur, sicut securis à secādo, auis ab auiditate, & sic de alijs. Quia ergo in omni opere suo peccato vacabat, est appellata peccatrix. Secunda ratio quia secundum morem scripturæ in statu peccati peccatores non sunt Deo cogniti per approbationem, vnde & stultis virginibus dictum est. *Nescio vos;* & diuitis nomen tacetur, Mat. 25
vbi pauperis Lazari nominatur, ideo quia magna peccatrix erat, nil mirum, si in illo statu nomen eius ignoratur,

delen-

delentur enim hæc nomina de libro vitę. Inde est, quod post conuersionem huius peccatricis in principio sequentis capituli, cum alijs deuotis mulieribus occupatis ad ministrandum Domino nominatur, primum Maria Magdalena. Tertia causa potuit esse propter nomē, quod sæpius nominauerat Euangelista in principio Euangelij, quando Mariam innocentem sæpe nominauit, ne fœdaretur tantæ dignitatis nomen. Tertium emplastrum fuit perseuerantiæ. Nam quamdiu Dominus disputauit cum Pharisæo: illa non cessauit lachrymas fundere, osculari pedes, vngere, & tergere. Vt autē confunderet Pharisæum parabolam edidit Dominus de duobus debitoribus, quorum vni plus, alteri minus donauit, deinde Dominus quęsiuit, quem debitorum creditor plus amauit. Respondit, Æstimo quod is cui plus donauit. Sed contra. Mariæ Magdalenæ plus donauit quam Mariæ virgini, quia primę donauit peccata, secundæ nihil. Responsio. Mariæ virgini plus donauit dupliciter. Primo eam à peccato præseruando. Secundo ei liberaliter maiorem gratiam & dona conferendo. Tunc dixit ei Dominus: Symon vides hanc mulierem, oculo vides toruo, lusco, & ex transuerso, ego oculo pio.
Esai. 18 *Oculi Domini super iustos*. Prouocatur enim
Luc. 7. Dominus lachrymis Mariæ. Ait enim:
Ioan. 11 *Intraui in domum tuam aquam pedibus meis*. &c. Ad fletum Ezechiæ sanauit eum. Ad fletum viduæ suscitauit eius vnigenitū. Ad fletum sororum cucurrit suscitare Lazarum. Dimissa sunt ei peccata multa. In ea erat piscina illa, quam magni consilij Angelus commouebat, vnde sequuta est
Psal. 59. sanitas eius. *Sana contritiones eius, quia commota est*. Erant enim illæ lachrymæ medicina purgatiua. Ex eodem enim serpente venenum, & tyriaca sumitur, ex eodem corde peccatum, & lachrymæ. Quartum emplastrum est pacificæ conscientiæ, vn-
Tob. 3. de ait: *Remittuntur tibi peccata tua*. Ex la-
Psal. 29. chrymis sequitur consolatio. *Post lachrymationem & fletum, exultationem infundis. Conuertisti planctum meum in gaudium mihi*. Psal. 29. Ideo subdit Dominus: *Vade in pace*. Inebriauerat enim Magdalena Dominum lachrymis suis. *Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo*. Esa. *Inebriabo te lachryma mea*. Esai. 16 Obtulit enim Domino oculos lachrymis plenos quasi duos vtres vini, quibus inebriatus Dominus, omnia quæ ei debebat quietauit dicens: *Vade in pace*, in pace cum Deo. In pace animæ à tentatione. Postquam tres pueri dixerunt in spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipiamur à te Domine, *Fecit Dominus medium* Dan. 3. *fornacis quasi flantem roris ventum*. Inde fœcundata recessit à fonte diuinę sapientię. *Postquam fecit congregationes aquarum, aquas* Genes. 1 *appellauit maria, dixit: germinet terram herbam virentem*. Vnde Maria parit Christum. Abbas pastor dixit cuidam fratri quærenti quid ageret. Quid fecit Abraham quando venit in terram promissionis? nonne fodit puteos ad quærendam aquam? sic tu ad salutem lachrymas funde pro peccatis.

## DE SANCTO IACOBO MAIORE, *Serm. I. & in ordine XXI. Per Thema.*

*Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum*. Mat. 20 A bonis potatoribus posset Christo propinanti calicem formari duplex quæstio, an scilicet vinum propinatum sit bonum, & secundo an propinet melius vinum in principio vel in fine. Ad primum faciliter posset dici quod illud vinum, scilicet afflictionis ab eo propinatum est bonum his qui gustum habent bene dispositum. Non enim à bona vite nisi bonum vinum nasci potest. Christus autem est vera vitis, ideo vinum quod ab illa procedit, & nobis datur, est bonū vinum. Sed de secunda quæstione est controuersia inter mundum & Deum. Mundus enim vult ponere primo bonum vinum, & primo ipsum ministrare, deinde post ebrietatem peius, iuxta illud: *Omnis* Ioan. 2. *homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati*

A *Vinum afflictionis bonū est.*

Nota

*bricti fuerint, tunc id quod deterius est*. Ponit enim mundus delicias in principio, & in fine seruit de tristitia mortis, & afflictione morbi. Sed è contra vult Dominus facere. Vult enim minus bonum ministrare in principio, scilicet vinum afflictionis & pœnitentiæ, & postea in fine vinum optimum gloriæ, sicut fecit in nuptijs, quando contra opinionem Architriclini posuit melius vltimū. Et quia Maria fuit de opinione Christi non mundi, ideo potauit cū Christo de minus bono in principio, & postea bibit de meliori. Ad eam igitur recurramus, vt nobis propinet vinum bonum doctrinæ, dicentes Aue, &c.

Primo sermone dicetur quomodo B. Iacobus euacuauit calicem dæmoniorū.

Secundo autem quomodo mundi, bibit in calice Christi.

Pro huius sermonis prosecutione nota sicut refert legenda beati Iacobi, quod cum prædicaret in Hierusalem, & circa partes illas, audita fama prædicationis eius misit quidam famosus magus Hermogenes nomine discipulum suum Philetum, vt sibi magicis artibus B. Iacobū adduceret. Sed Philetus audita prędicatione Iacobi redijt conuersus, narrās quæ per Iacobum faciebat Deus mirabilia. Vnde iratus Hermogenes in discipulum suum, arte sua ita fixit eum, vt non posset se mouere, volens se vindicare de discipulo suo conuerso. Sed quæritur vtrum magi sua arte possint aliquem facere immobilem. Et videtur quod sic, quia hoc fecit Hermogenes in Phileto. Secundo in libris eorum cauentur modi quibus ignis additus stupæ non cōburit stupam, & modus quo ligātur latrones, ne in aliqua patria furari possint, & motus quo detinetur rota molendini, vt nō moueatur, etiam quocunque aquæ fluxu decurrente in aquam, & modus quo impeditur ne quis possit haurire aquam in puteo vel fonte quin vas quantuncūque fortissimum frangatur, & modus etiam detinendi naues ne quocunque modo à portu exeât, & modus quo arcētur fulgura, & tempestates, ne certis locis noceant, similiter modus quo serpentes, & ratos, & alia animalia venenosa sciūt fugare de patria aliqua, & multa alia talia. Si igitur possunt ista facere, quare nō poterunt hominem facere immobilem? Ad hanc quæstionem. Dicitur primo quod diabolus ex permissione diuina omnia ista prædicta mirabilia facere potest, & detinere hominem ne moueatur. Sed hoc non facit tanquam aliqua arte coactus, sed vt magum decipiat tanquam sua arte illusum, & in punitionem aliorū quos Deus permittit sic illudi. Et quia iste Hermogenes ex sua arte deludi meruerat, & Philetus etiam, quia nondum perfecta fide formatus erat, ideo meruit vt detineretur à diabolo ad voluntatem magi.

B *Magi an sua arte possint aliquem facere immobilem.*

Vnde etiam recitat Heraclides libro de paradiso exemplū aliud, scilicet quod cum Ægyptius quidam insano amore alienæ vxoris arderet, nec ad effectum cōcupiscentiæ peruenire posset, eo quod illa virginitatis suæ coniugem nimis amaret, maleficum præcatus est vt ab ea se amari faceret, aut à marito proprio repudiari. Qui multis illectus muneribus, suę artis ingenio fecit illam equam videri. Itaque vir eius turbatus, quod equam in lectulo suo iacentem videret, ingemiscēs flebat, eo quod illam alloquens nullum responsū audire poterat. Adductis præsbyteris, quid illa pateretur ostendit, & nec sic causam calamitatis agnouit. Ligatam igitur eam in morē iumenti ad desertū deduxit. Cumque iam cellæ sancti Macharij appropinquaret, monachi arguebant eum cur ad monasteriū cū equa veniret, quia non erat ibi nutrimentum pro ea. Vxor (inquit) mea fuit hæc, sed in equam conuersa iam tertia dies est, ex quo cibum non sumpsit. Quod cum sancto Machario, cui iam Deus hoc notum fecerat, retulissent. Vos inquit equi estis, & oculos equorum habetis. Illa namque mulier est, nec in illam naturam transfigurata videtur, nisi in eorum oculis, qui præsti-

præsti-

præſtigij vanitate falluntur. Mox ei aquã benedictam infundens, oratione completa ſubito eam omnibus videri fœminam fecit, & eam refici iuſsit, & cum viro ſuo reuerti dicens. Nunquam à communione ſanctorum, nec ab Eccleſiæ oratione diſcedat. Hæc enim idcirco perpeſſa eſt, quia per quinque ſeptimanas myſteria diuina non attigerat. Hæc ergo illuſio ei cõtigit quia meruerat, & alij non percipiebant illuſionem, quia non erant firmi in fide. Dicitur ſecundo, quod magus per ſuam artem non quotieſcumque vult detinet hominem. Probat hoc Guiliel. Pariſ. lib. de vniuerſo, quia tunc ſequeretur, quod maxima imperia, & principatus terrarũ eſſent in poteſtate vnius miſerrimi hominis, & omnes diuitiæ eorum, cum per huiuſmodi artem poſſet homines facere quos vellet immobiles, & per conſequẽs occidere cum ſuis complicibus, quos ad hoc ſatis inueniret promptos. Secundo, cum iſta ars maxime apud Arabes, Chaldæos & Ægyptios viguerit, abſque viribus, & armis debuiſſent totum mũdum ſubiugaſſe, & inimicos ſuos exterminaſſe, cum tamen pugnauerint contra Romanos, & Græcos, igne, gladio, & omni genere bellãdi, & demum ab eis ſint turpiter ſubiugati. Reges enim ſi ſcirent tales in neceſsitate ſua ſe talibus protegerent, & haberent eos in amicitia ſiue per pecuniam, ſiue aliter. Exemplum de Balaam, qui multum fuit honoratus à Rege Balach propter diuinationem ſuam, vt malediceret filijs Iſrael, & ſic deinceps poſſet eos exterminare. Tertio, hoc idem patet. Nam ratione ſuæ magicæ artis, nec minima eius animalia obediunt, vt pediculi, & pulices. Imo perſequuntur eos, ergo à fortiori, & minus homines cogent ſibi obedire in vi ſuæ artis.

Nu. 22. Dicitur tertio, quod in hominibus, & circa ea, quæ concernunt hominem raro permittit Deus magos agere quæ volũt, & hoc (vt dicit Guiliel. Pariſ. loco allegato) propter tres hominum vtilitates. Prima eſt declinatio ab erroribus, & ſeductionibus dæmonum. Cum enim homines ſint cupidi facere ardua, & mirabilia, & iſta magica opera à principio nominata appareant hominibus mirabilia, totus mundus, & principaliter homines curioſi, ad iſta maleficia dicenda concurrent. Secunda eſt declinatio nefariorum operũ, ad quæ multi ſunt paratiſsimi ſi opportunitatem vel facultatem faciendi dęmones eis ad nutum ſuum procurarent, quia nulla mulier ſpecioſa incorrupta remaneret, nullus principum vel diuitum vel magnatum incolumis perſiſteret, ſi dæmones malis hominũ voluntatibus adeſſe, & ſatisfacere permitterentur. Ex quo patet quam ſolicite interrogandi ſunt iſti ſortiarij, vel ſortilegi, qui dicunt ſua ſuggeſtione perdidiſſe bona vnius regionis vel interemiſſe aliquem. Hæc enim licet quandoque eueniant, tamen ſæpe fiunt naturaliter, & tamen diabolus hoc cognoſcens decipit eos dicẽdo eis, quod hoc fecit ad voluntatem eorum. Permittit tamen Dominus aliquando fieri, quam volunt ad magorum illuſionem, deceptionem, & damnationem, & ad talia patiẽtium correctionem, ſicut quod fixa imagine principis, Princeps lædatur, quod ſubmerſa naui cerea, nauis in medio mari ſubmergatur, quæ tamen non ſunt ante populum prædicanda. Tertia cauſa eſt vt honor proprius, & gloria debita creatori ſeruetur, quæ huiuſmodi operibus multum læditur, & minuitur vltra modum, dum ea, quæ ipſius ſolius dona ſunt, ab eius inimicis capitalibus petuntur, & ea quę ſolius Dei ſunt, dęmonibus attribuũtur. Hominibus tamen magicis in paruis animalibus conceditur ſatis operandi facultas, vt ea poſsint ligare, vt ratos ex vna ciuitate pellere poſſe, & etiam ſerpentes ab aliqua patria fugare. Dæmones enim libenter obtemperant decipere homines in inſtrumento, quo primum hominem, & primam mulierem deceperunt.

C *Fides perfecta maxime impedit illuſiones magicas*

Dicitur quarto, quod fides perfecta maxime impedit iſtas illuſiones fieri, quia tales illuſiones raro fiunt, niſi homini-

hominibus modicæ fidei. Vnde recitat Gregor.2.dial.cap.10. Cum religiosi B.Benedicti in quodam loco ędificarent apta habitacula ad monasterium, & terram fodissent, inuenerūt illic idolum, quo proiecto in coquinam, repēte ignis exire visus est in cunctorum monachorum oculis,&quasi omne coquinæ officium consumeretur, ostendit. Cumque ad iaciendum aquam pro igne extinguendo perstreperent, B.Benedictus aduenit qui eundem ignem in oculis fratrum esse considerans,& non in suis,caput protinus ad orationem flexit, & deinde monuit fratres, vt oculos suos signarent signo crucis, & statim sanum ædificium coquinæ viderunt. In quo apparet quomodo illa illusio non præualuit fide illius sancti viri. Et propter hoc hominibus modicæ fidei,& singulariter mulieribus aliquando apparuerunt dæmones in specie mulierum, quarum quædam dicebantur fatales quæ, vt dicebant,& fatebantur, multa bona tribuebant, & bonum omen natis, & liberis earum,& hoc faciebant dęmones, vt eas orarent, desiderarent,& in eis spem ponerent pro talibus beneficijs obtinendis, vt dicit Guilielmus Parisiensis. In quo damnari debent isti Romantij de merlusine, & de arturo, in quibus fit quasi per totū mentio de deabus fatalibus, & puto illum fuisse damnatissimum virum,& pessimæ fidei, qui talia confinxit, in quibus nec aliqua veritas continetur. Aliæ dicebātur striges quæ Deo permittente interficiebāt pueros noctu, quia forte eorum parentes nimis, & plus, quā Deum illos diligebant. Et propterea huiusmodi dæmones apparebant, vt adorarentur ab illis modicæ fidei mulieribus, ne tale malum in liberos suos perpetrarent. Deo gratias, quia nulla talia modo audiuntur. Aliquibus etiam apparent per modum faunorum, id est fatuorum. Vnde & Porphyrius reputabat quosdā dæmones fatuos. Sed in rei veritate illi non sunt fatui, sed se fatuos fingunt, vt miseros illudant, & sua astutia eos capiant. Communiter enim dicitur, quod aliqui sunt fatui, qui fatuis seruiunt, sed comedunt panem stultiorem ipsis.

D

*Deæ fatales striges & fauni.*

Dicitur quinto, quod non solum non illudit diabolus homines Sanctos, sed etiam eos valde timet, quia vt dicit Guil. maligni spiritus vilificari timent, & mirabiliter erubescunt, cum ab hominibus Sanctis turpiter repelluntur. Aliquando enim visum est, & ipsi viri sancti spuentes in eos in contumeliam eorū, eos plerunque à se profugabāt. Non enim libēter frequentant homines, à quibus contumeliam patiuntur, cū sint superbia inflatissimi, iracundia indignantissimi, atque contumeliæ impatientissimi. Hæc Guil. Vnde Greg.3.dial.cap.4. recitat de Dacio Mediol. Episcopo, quod cū causa fidei Constantinopolim pergeret, deuenit Corinthū. Qui cum largam domū ad hospitandum quæreret, quæ comitatum illius ferre potuisset, & vix inueniret, aspexit eminus domum congruentis magnitudinis, & eam sibi præparari iussit. Cumque eiusdem loci incolæ dicerēt eū in ea manere non posse, quia eam multis annis diabolus habitabat, & ideo vacua erat, respōdit Dacius, imo hospitari idem in ea debemus, si hanc malignus spiritus inuasit, & ab ea hominum habitationem reppulit. Itaque intempestæ noctis silentio cū vir Dei quiesceret, antiquus hostis immēsis vocibus magnisque clamoribus cœpit imitari rugitus leonū, balatus pecorum, ruditus asinorum, sibilos serpentum, porcorū stridores, & soricū. Tunc repente Dacius tot bestiarū vocibus excitatus surrexit vehementer iratus,& cōtra antiquum hostē magnis cępit vocibus clamare. Bene tibi contigit miser. Tu ille es, qui dixisti: ponam sedem meam ad aquilonē,& ero similis altissimo. Ecce per superbiam tuā porcis,& soricibus similis factus es, & qui imitari Deum noluisti, ecce vt dignus es, bestias imitaris. Ad quā vocem deiectionem suam malignus spiritus erubuit, ita vt eandem domum ad exhibēda monstra quę consueuerat vlterius

rius non intraret, & facta est postmodum illa domus habitaculum fidelium. Hæc Gregor. Philetus autem immobilis permanens Iacobo nunciauit, & rogauit, vt dignaretur eum ab illo vinculo, & illusione absoluere. Quo audito misit ad eum Iacobus baculum suum, vel sudariũ suũ, quo accepto cessauit omnis illa illusio.

Sic circa hoc quæritur vtrum sudarium datum Phileto à beato Iacobo, & baculus ipsius datus Hermogeni habuerint aliquam virtutem arcendi dæmones à sua mala voluntate, & ab operibus magicis. Et videtur, quod non, quia in sudario, vel in baculo, nulla erit virtus data sem impressa, quia iam illa fuisset diuina, & sic credendum esset à fortiori, quod imaginibus hominum esset aliqua virtus diuina, sicut crediderunt idololatræ, hoc autem est falsum, igitur. ad hoc dicendum quod in istis sudario, & baculo non erat impressa aliqua virtus, qua mediante hæc fierent, sicut dicit Guilielm. Parisiensis libro de fide & legibus, de agno cereo, quem benedicit summus Pontifex, & campanis quæ dicuntur arcere dæmones, & de aqua etiam benedicta, & candelis benedictis in festo purificationis, quæ dantur morientibus, in signum fidei, & ad fugandos dæmones, istis tamen præsentibus assistit diuina virtus. Sicut enim regale sigillũ siue aliud quodlibet signũ ducatus, tuetur deferentes, & securos efficit, ne eis noceatur ab his, qui regi subsunt, & hęc omnia non sua virtute, sed potestate & voluntate regia, sic huiusmodi res, vel signa non virtute aliqua, quæ ex eis sit, quia Iob dicitur de dæmonibus. *Non est potestas super terram, quæ eis valeat comparari*, sed omnipotenti virtute, & beneplacito creatoris illos à prænominatis nocumentis protegunt se portantes. Hæc Guillelmus Parisiens. Vnde cum Dominus sanauit Emoroyssam tangentem fimbriam vestimenti sui, non dixit: sensi de tunica mea exijsse virtutem, sed dixit: sensi de me virtutem exijsse. Ideo licet aliquando ex deuotione aliqui

*B Aqua benedicta non est impressa virtus spiritualis.*

*Iob 41.*

encenijs, vel panis, vel alijs rebus tangant sanctas reliquias, in rebus tamen tangentibus non est aliqua virtus acquisita ex contactu, licet forte ex deuotione peregrinorum, & ex meritis Sanctorum, quorum sunt reliquiæ rebus tangentibus assistat diuina virtus custodiens & præseruans. Et similiter diceretur de vestibus Sanctorum, & instrumentis, quibus occisi sunt martyres, vel detenti in carceribus, quæ in aliquibus Ecclesijs reseruantur. Sunt enim talia repræsentatiua signa eorum, qui hic sanctissime vixerunt, & in talibus victoriam habuerunt de malignis spiritibus, & coram satellitibus. Inde est, quod his visis terrentur dæmones, propter assistentem Dei virtutem, & Sanctorum. Vnde tribus communiter arceri solent dæmones, & eorum malignationes vel illusiones. Primo per ista signa iam enumerata, & hoc data super ea Prælati benedictione. Secundo per Sanctorum reliquias, & vestes, non per virtutem quæ sit in eis, sed per assistentem. Hinc & dæmones fatebantur se non audere tãgere formicam, quæ esset in lectulo beati Iacobi. Tertio per orationes Sanctorum, vt patuit de illusione mulieris prædictæ sanatæ per orationem Macharij. Philetus autem liberatus magum dimisit, & beato Iacobo adhæsit. Quo facto insaniens magus, & quasi se delusum putans, dæmones mittit ad adducendum sibi Iacobum, & Philetum. Qui appropinquantes loco vbi beatus Iacobus habitabat, clamant se ardere, & torqueri vehementer dicentes: Cur nos incendis S. Iacobe ante tempus nostrum. Ecce Angeli Dei nos ligatos tenent & torquent.

*F Dæmones per tria arcentur.*

Circa hoc quæritur vtrum dæmones existentes in hoc aere ante diem iudicij puniantur. Et arguitur quod non, quia clamabant, quod ad præsentiam sancti Iacobi cruciabantur per Angelos. Non ergo antea cruciebantur. Item hoc habetur Luc. *Iesu fili Dei cur venisti ante tempus torquere nos*. Ad hoc dicitur per tres propositiones

*G Dæmones sunt in aere secũ ferentes tormenta gehennæ. Luc. 4.*

positiones. Prima est, dæmones ibi in hoc aere caliginoso deiecti sunt post peccatum suum quasi in carcerem propriũ, tanquam perpetuo damnati, incarcerati, & exules à regno cęlesti, nunquam in ipsum reuersuri. Probatur primo per Augustinum super Genesim dicentem. Caliginosa aeris tantum tenere permissi sunt, qui eis quasi carcer est vsque ad diẽ iudicij. Et hoc fecit conuenienter diuina prouidentia, vt dicit Bonauentura secũdo sentent. dist. 7. in expositione textus, quod scilicet sint in aeris caligine incarcerati, & hoc vt putat probabile in media regione aeris. Tum quia, ibi est turbulentia vexatio, & varietas impressionum, & hinc est quod frequenter commouent ventos, & fulgura, & pluuias, & mala multa, his inferioribus faciunt. Tum secundo, vt non nimis acriter nos infestẽt & tentent, & etiam ne ita longe sint à nobis, vt non possint nos exercitare, ita vt quod habitent in illa caligine diuinę sententiæ sit, & quod ad nos veniant permissionis diuinæ. Vnde hoc habetur expresse in canonica Iudæ. Angelos vero, qui non seruauerunt suum principatum, id est suæ conditionis nobilem statum, sed dereliquerunt suum domicilium, id est cælum empireum, in iudicium magni Dei vinculis æternis sub caligine, scilicet aeris reseruauit. Et si arguatur, quia de Sathana dicitur Iob: cum quadam die essent filij Dei coram Domino, affuit & Sathan. Si enim filij Dei, id est Angeli sint in cælo mansione perpetua, & Sathan perpetuo exilio damnatus absque spe reuersionis, quomodo affuit Sathan cum filijs Dei coram Domino, vtrum oportuerit Creatorem descendisse de illo excelso cælorum habitaculo, & gloriam omnis exercitus sui adduxisse, vt loqueretur illi spiritui mendaci. Similiter idem argueretur de illo, quod scribitur: De spiritu mendacij qui egressus est, & stetit coram Domino, vbi erant filij Dei. Respondet ad hoc Guiliel. Parisien. libro de vniuerso, quod omnia sunt clarissima in oculis Dei, cum sit vbique, & ideo nihil distat ab eo, nec Filij Dei cum sunt in cælo, nec Sathan cum est in aere caliginoso, & se ostendit ei, & sic propter ista non oportuit filios Dei, & Sathan in aliquo vno loco congregari. Secunda propositio. Carcer ille aereus est eis multum pœnalis. Primo propter eorum superbiam. Comparatis enim mãsionibus in quibus fuerunt sicut in palatio regis, & in qua sunt tanquã in loco caliginis, & mutabilitatis & tẽpestatis, spiritus illi superbi cũ se videãt ibi detineri maxime cruciantur, & adhuc plus cũ magis arctatur eis locus ad nocendũ, sicut patet de Raphaele qui relegauit Asmodeũ in deserto superioris Ægypti. Tunc erat enim carcer strictior. Secũdo est eis pænalis propter inuidiã. Quia enim ibi detinentur contra voluntatem suam, & vident homines, qui sunt substantiæ inferioris gradus, ibidem suo potiri arbitrio, ideo ex inuidia maxime cruciantur. Tertio ex crudelitate, quia non tantum sæuire possunt in homines tentando eos, & nocendo eis quantum vellent, sicut leo catenis astrictus rugit, & dentibus frendit, quia mordere & lacerare non potest. Tertia propositio, dæmones in illo aere existentes cruciantur igne gehennæ, licet non tantum sicut cum damnabuntur in inferno. Probatur prima pars. Primo per Gloss. super illud Iacob. inflammata à gehenna. Sicut enim gehenna semper ardet, sic diabolus vbicunq; sit, vel in aëre, vel sub terra semper fert secum tormenta flammarum. Vnde dicit Beda quod sicut febricitans vbicunque vadat, suum defert incendium, sic isti dæmones suum ignem. Nec valet dicere, quod tunc comburerent omnia, & etiam videretur ignis, quem secum gestant, quia (vt dictum est) febricitans portat secum ignem suum, nec videtur, licet sentiatur, nec proximos comburit. Sic isti dæmones secum portant ignem, nec tamen ab alijs videtur, nec alia comburit. Secundo hoc patet, quia animæ damnatæ, (vt creditur) dum decedũt, statim

Iud. 2. · 3. Reg. 22 · Tob. 8. · Iacob. 3.

tim puniuntur pœna ignis, igitur & dæmones quorum peccatum grauius est. Sed quod non tantum crucientur patet illud allegatum. *Iesu fili Dei*, &c. Et ideo quod hic dicunt dæmones, quod catenis ignis ab Angelis dei religantur, intelligitur, vel quod magis incenduntur quam ante, vel quod impediuntur ne tam noceant, & tentent quam ante. Clamabant itaque dęmones per aera, vt Iacobus daret eis potestatẽ super magum Hęrmogenem, & vt se in eum vindicarẽt de ardoribus suis passis propter eum.

*Luc. 4.*

*H Dæmones maxime tristantur de cõuersione maximi peccatorum.*

Circa hoc quæritur quare diaboli magis insaniebant de conuersione Hermogenis quam Phileti discipuli eius. Dicitur quod multiplex est ratio. Prima est, quia ille Hermogenes magus erat causa seductionis plurium, cũ esset magister in arte seductoria. Nõ enim oporn isi vnũ talem hominem ad intoxicandum suo veneno vnam ciuitatem, imo vnum regnum. Non autem adhuc poterat hoc facere discipulus eius, ideo plus dolebant de perditione magistri quam discipuli. Secunda ratio multum tum dolet seruus cum scit se frustrari mercede sua, sed dæmones isti multis temporibus seruierant huic Hermogeni, illudendo ei, & multa mala faciendo, fere in omnibus obtemperando voluntati suæ, ideo cum pro mercede expectarent animam eius dolebant, multum se esse frustratos, propterea quæsiuit baculum contra eorum furorem. Tertia ratio est, quia videbatur eis, quod sicut iste Hermogenes fuerat speculum & exemplar totius malitiæ, & perditionis populi, ita postmodum esset futurum exemplum bonæ vitæ, & ad vtilitatem populi, vt vbi superabundauerat delictum, superabundaret & gratia. Vnde (vt dicit Calixtus in historia sua) iste Hermogenes postea factus est & ordinatus Episcopus ab Apostolis, & Philetus Archidiaconus, qui postmodum ambo quieuerunt apud Anthiochiam. Et quia diaboli præuidebant hoc, maxime dolebant de perditione eorum. Quarta ratio, nullus est quem diabolus magis odiat, quam illum, qui scit detegere fraudes suas, & de facto detegit, & annullat, & prodit eum, sicut inter omnes peccatores proditor est semper odiosus. Sed iste Hermogenes cum esset incantator & maleficus, inter cæteros amplius cognoscebat fraudes, dolos, astutias, & maleficia dæmonum, & eas detecturus erat in futurum, proditurus, & annullaturus, imo de facto immediate post hoc fecit comburendo libros maleficos. Ideo non est mirandum si eum multum odio habebant.

Beatus autem Iacobus præcepit dæmonibus missis ad se capiendum, vt adducerent ei Hermogenẽ, sed tamen prohibuit, ne quid mali in eum facerent, quod & fecerunt. Nam & vinctum Hermogenem, adduxerunt maxime quærẽtes in eum vindicari, quod nihilominus prohibuit Apostolus, & postmodum quæsiuit Hermogenes propter eorum furorem baculum sancti Iacobi, & deinde combussit libros suos, & ad fidem conuersus est. Circa hoc quæritur vtrum licitum sit vti officio, & ministerio dæmonum ad aliquod opus faciendum. Et videtur, quod sic, quia beatus Iacobus eorum ministerio vsus est ad adducendum Hermogenem. Quare ergo illius exemplo non possumus vti eorum adiutorio, cum etiam adductio illa non esset necessaria? Similiter Apostolus: Vsus est ministerio Sathanæ, dando fornicatorem cruciandum diabolo.

*I Nota quæstionem.*

*1. Cor. 5*

Similiter si indigeo eleemosina non tantum à bono, sed etiam ab impio, & peccatore possum accipere, & petere, igitur si indigeo pane, & vino possum petere à diabolo, vt mihi procuret, si non sit alius, qui mihi tribuat. Similiter si amiserim librum meum, non esset peccatum, si requirerem à quocunque qu sciret vbi esset, igitur si aliquis amisit capam, & ego scio bene quod diabolus potest nosse, videtur quod illud saltem sine peccato potest fieri, cum hoc

nulli

nulli derogare videatur, & multis vergat in vtilitatem. Ad hoc respondetur secundum Bonauen. secunda sententia distinctione septima, articulo duodecimo, quod aliquis potest vti consilio, auxilio, & ministerio dæmonum dupliciter. Vno modo voluntario commertio tacito vel expresso facto cum dæmone. Alio modo imperio, & auctoritate, vbi forte Deus diabolum subijceret homini suo iusto iudicio, vt de viris sanctis sepius legitur factum. Tunc sit prima propositio. Illicitum est, & peccatum mortale grauissimum vti auxilio dæmonum cum voluntario commertio. Ratio est, quia secundum Bona hoc faciendo alterum terium peccatorum cōmittit, scilicet aut peccatum infidelitatis, si credendo attribuat ei aliquod diuinum, puta cum fiūt in talibus orationes ad Deū directe. Aut peccatum idololatrię, puta si fiant in eis inuocationes, & oblationes, & sacrificia: aut saltem peccatum inobedientiæ, quia fiat contra prohibitionem Dei, & Ecclesiæ. Et ideo si dicas mihi, ego in talibus non credo nisi Deo, neque aliquod pactum intendo habere cū dæmone, neque volo, imo abrenuncio. Dicitur quod difficile est, imo sicut dicit idem doctor, nunquā in talibus miser homo diabolo satisfacit, nisi sit aliqua infidelitas vel idololatria. Sicut enim ad diuina miracula plurimum facit fides recta, vt sonant euangelia, sic ad dęmonū miracula multum facit fides peruersa. Dicitur secūdo, quod etsi tales non peccēt illis peccatis, saltē sunt inobedientes Deo, & Ecclesiæ præcipienti. Ratio prohibitionis (vt dicit ille doctor) est triplex. Prima, quia talis peccat in seipsum dum se committit discrimini, id est regimini diaboli, cuius auxilio, consilio, & officio regitur, qui tamen mendax est & pater eius, scilicet mendacij. Secunda quia talis peccat in Ecclesiam, dum habet commertium cum illo, qui est omnino præcisus, & Ecclesiæ aduersarius. Tertia, quia peccat in maiestatem diuinam, dum recurrit ad diabolum in necessitate sua, quasi non sit Deus omnipotens, aut aut non sufficienter prouiderit hominibus. Et si dicas, quod hoc vergit in magnam alicuius vtilitatē. Dicitur quod nulla est vtilitas, pro quā sit faciēdum, quod in Dei vergat iniuriā. Nam talis in diuinam maiestatem offendit, quoniam ea quæ sunt supra humanā facultatem, à solo Deo requirenda sunt: Ideo sicut grauiter peccat, vt dicit Thomas distinctione septima, secundo sentētiarum, qui illud quod est Dei, creaturæ impendit per idololatrię cultū, sic grauiter peccat, qui ea quæ à solo Deo expectanda sunt, per auxilum dęmonum implorat. Vnde Esaiæ. *Cum dixerint ad vos quærite à phitonibus, & à diuinis qui stridūt incantationibus suis, nunquid nō populus suus à deo suo requiret visionem pro viuis, & mortuis, ad legē magis, & ad testimonium*, puta si quis, quærat de re perdita vbi poterit inuenire, de sanitate quomodo poterit recuperare, de domo quomodo incipiet eā ædificare, de matrimonio quādo cōsummabitur, vt ad inuicem bene pacifice, & lōgius possint conuiuere, de eundo ad curiā qua hora oportet iter aripere, vt rex inueniatur in bono proposito, & res quęsita ad effectum perueniat, & sic de alijs futuris euentibus. Et aliquando istę subuentiones fiūt per breueta vbi sunt omina diabolorum, vel circuitus, vel signa quæ signāt pacta dæmonū, vel sunt nomina incognita. Et dato, quod nulla taliū signorū sint in tali subuētione, tamen periculum est propter inobedientiā, etiā si sint nomina Dei, vel orationes ad Deū directe, puta Pater noster, vel Credo, quia adhuc est periculum in istis, nisi homo declaret fidem suam, & protestetur prius se hoc facere ad laudē Dei & gloriā & confusionē diaboli, & pro sanitate sua, quia diabolus his vult honorari, & coli quibus Deus colitur. Et secundū Thob. dato, quod in illis nulla sit inuocatio verbo, vel etiā facto, si sacrificia desint, nihilominus tamen in his seruiūt diabolo. Nemo enim potest duobus Dominis seruire.

Nota. Nota. Esai. 8.

*Nota.* uire. Secūda propositio, quãuis indigens possit petere à peccatore, & impio, vt suppleat suam indigentiã, & det ei eleemosynam, & possit ab eo accipere, non tamen hoc potest cum dęmone facere, & hoc propter duo, vt in loco allegato dicit Bonauen. Primo quia peccator homo licet non sit actualiter vnitus membris Ecclesiæ, & Christo capiti suo, tamẽ non est omnino præcisus sicut dæmonium, ideo possunt sibi impendi pietatis officia, & si impendi ei igitur, & ab eo recipi. Diabolus autem omnino præcisus est, cui nec etiã possunt impendi charitatis beneficia, igitur nec ab eo debent recipi. Potest enim pauper homo doctrinã impendere peccatori, & vna bonitas aliam requirit, ideo potest ille peccator, & tenetur sibi dare, si habeat temporalia: hoc autẽ fieri non potest dæmoni, nec etiam dæmon vnquam eis subueniret nisi pręcedente eorum peccato, & offensa Dei idololatrãdo vel dubitando in fide quod pro quacunque necessitate nũquam faciendum est. Secũda ratio, quia eleemosyna quam habet impius tẽpore necessitatis est viri iusti, licet possessio sit actualiter ipsius viri impij, & ideo de modo distribuendi habet ordinare rector reipublicæ, ne omnia sint confusa in republica. Ideo cum ille pauper recipit eleemosynam modo debito cum ęquitate, & iustitia ambulat recipiendo eam tanquã suam. Sed nunquam diabolicis pręsidijs indigemus, quia aut Dominus subuenit per se, aut per Angelũ sum, vel per proximum suum, aut etiam tribuit patientiæ meritũ. Tertia propositio. Licitũ est sanctis viris quibus Dominus subiecit dæmonia, aliquibus certis de causis imperare dæmonibus, & vti eorum auxilio, officio, & ministerio. Hoc autẽ contingit multis modis, aut propter correctionem faciendam, vt Paulus qui dedit adulterũ Sathanæ cruciandum, vt spiritus saluus fiat in die iudicij, aut propter aliquam Ecclesiæ necessitatẽ, vt patet de Authidio Bisuntinensi, qui fecit se portari Roman à dæmone propter Ecclesię necessitatem, aut propter Dei gloriam, vt Beatus Iacobus hic ostendit, quando misit dæmones ad adducendum magum. Volebat enim Iacobus ostendere diuinam potentiam, quam Deus dat sanctis super malos spiritus & eorum satellites. Aut etiam propter populi vtilitatem, vt cum exorcistæ præcipiunt dæmonibus, vt exeant à corporibus obsessorum. Ratio autẽ huius propositionis potest esse, quia licitũ est alicui vti potestate sibi data, sed dedit Dominus discipulis potestate calcandi supra serpẽtes & scorpiones, & supra omnem potestatem inimici, sicut officium cælestiũ virtutũ est arcere dęmones ne noceant. Licitũ igitur est homini vti illa potestate sibi data. Secunda ratio, quia à malo seruo potest quis exigere seruitiũ & recipere, ergo si aliquis sanctus diabolũ superauit, & per cõsequens ex hoc sit seruus eius, sequitur quod imperando ei licite potest vti seruitio eius. *Luc. 10.*

*DE EODEM FESTO SERMO II. & in ordine XXII, Per Thema præcedens.*

VVlgo dicitur, quod forum non tenet donec de eo bibatur. Ideo mercãtibus regnũ reducit Dominus in memoriam potum dicens. Potestis bibere calicem. Per calicẽ enim (vt ait Greg.) pertingitur ad maiestatẽ. Si igitur mens vestra appetit quod demulcet, prius (inquit) bibite quod dolet, non quicquid redolet. Sunt enim qui fortes sunt ad bibẽdum vinũ & ad sectandã ebrietatẽ. Isti quiqem possunt bibere calicem, sed non illum, de quo dicit Dominus, potestis bibere calicem. Vnde propter quatuor solet quis inuitari ad bibendum. Primo enim bibitur causa reconcilationis. Homines enim reconciliati bibunt simul in signum pacis. Hinc canit Ecclesia, calicem Domini biberunt, & amici Dei facti sunt. Vnde Dominus non est sicut ribaldus in taberna, vt irascatur cum eo qui bibit *A Bibidur est calix pœnitentia & passionis*

bibit

bibit secum, sed magis lætatur cum eo, & amicitiam contrahit cum illo. Bibe ergo vt remittatur tibi actio iniuriarũ Dei. Secundo bibitur causa societatis. Ecce enim omnes Barones regni cælestis biberunt calicem passionis, & rogant te, vt bibat cum illis. Omnes enim te hortantur ad assumptionem pœnitentiæ & ad tolerantiam passionis. Dominus enim tenet calicem in manu & rogat te. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto*, & generaliter omnia sanctorũ agmina. Bibe ergo cũ illis, si vis esse de illis, quia *ecce quibus non erat iudicium vt biberent, biberunt*. Si enim non bibas cum Baronibus cæli, bibes cũ latronibus inferni. Tertio, bibitur causa sanitatis. Pœnitentia enim est potus sanatiuus, quem primo bibit Dominus, ne abhorreas illum. Ideo dicebat Dauid, *Calicem salutaris accipiam, &* quia me grauat eius amaritudo, vt bibere valeam *nomen Domini inuocabo*. Vnde & sancti biberunt istum calicem iuxta illud: *Inundationes maris quasi lac sugent*, ita quod bibebant totum calicem ad sanitatem suam dulciter sicut lac. Quarto bibitur causa mercatus confirmandi, cuius causa hodie mercãtibus regnum cælorum dicitur, potestis bibere calicem, &c. quasi diceret. Si potestis bibere calicem meum mecum, potestis facere de regno cælesti forũ, & non aliter. Et quia Beatissima virgo inter cæteras maxime bibit in suo calice in hora passionis eius sacratissimæ, ideo maxime mercata est regnum eius, ideo etiã facta est eius specialis amica, propter quã amicitiam vt nos reconciliet Deo, & imploret gratiam, ad eam reuertamus, dicentes: Aue gratia, &c.

Psal. 74.

Hier. 49

Psal. 115

Deut. 33

B Taberna multiplex inferni, cæli, & mundi.

Triplex taberna inuenitur in qua multiplex vinorum differentia inuenitur. Vna est taberna in inferno & ibi potus est pessimus. *Ignis*, ecce potus ardens, *sulphur*, ecce potus fœtens, *& spiritus procellarum*, ecce potus torsiones generans. *Hæc est pars calicis eorum*, quasi dicat, nec possem dicere totum. Vnde ille potus spectat ad latrones, *quorum vua fellis & botrus amarissimus*. Secunda taberna est in cælo, cuius potus dulcissimus est, quia Deus est potus eius. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei*, pars hæreditatis, ideo locuples pars, & pars calicis, ideo delectabilis. Hic est potus de quo Psal. *Inebriabũtur ab vbertate domus tuæ*, &c. Iste est potus qui non potest fastidire, quia *qui bibunt me adhuc sitient*. De isto bibit Petrus solum aliquas stillulas & guttulas, gallicè *les esgouteuxes*, & dixit, bonum est nos hîc esse, ideo Psal. *Calix meus inebrians quã præclarus est*. Tertia est taberna mundi & hęc duplex. Vna est cõcupiscentiæ cuius potus malus est, & deducit ad gehennã vel ad potum gehennæ, de quo Hier. *Calix aureus Babylonis in manu Domini inebriãs omnem terram*. Vere aureus exterius & interius luteus. Hic inebriat vniuersam terrã, quia infatuat omnes qui sequuntur hanc tabernam, de illo biberunt gentes & cõmotæ sunt. Propter hanc enim ebrietatẽ sunt lites & bella in hac taberna scilicet mundi, & feruor & ardor interius habẽdi & congregandi & honores & delicias. Sed Dominus è conuerso suum ignem accendit in corporibus nostris ex febre pestilentiali currente, vt per quæ pius peccat per hæc & torqueatur. Et sequitur: *Subito cecidit Babylon & confracta est, sicut ebrius cadit nunc in lutum nunc in ignem*. Sicut autem tabernarius quandoque inebriat hominem, vt eum spoliet & cõfundat, ita etiam diabolus infatuat & denudat quãdoque & detegit latrones, & adulteros, Simoniacos, vsurarios, &c. Et ideo particeps est illius maledictionis. *Væ qui potum dat amico suo mittens fel, vt videant nuditatem eius*. Exemplum hic potes adducere ad literam de Sedechia qui bibit potum laxatiuum in Babylone, vt recitat magister historiarum. Secunda est taberna mundi cuius bonus est potus, sed aliquantulum amarus, scilicet taberna pœnitentiæ, ad quam inuitat Dominus dicens verba proposita, potestis bibere. Et dat Dominus rationem quare non est refutandus potus ille, quia prior bibit illum,

Psal. 10.

Deut. 32

Psal. 15.

Psal. 35.

Eccl. 24.

Hier. 51

Abac. 2

lum, quem ego (inquit) bibiturus sum. Debet enim sufficere militi vel seruo vinum regis quod habet ad os suum. Sic igitur sitientibus nobis vitam illam, conuenienter nobis illum potum propinat dicens: potestis bibere, &c.

Priori sermone dictum est quomodo B. Iacobus euacuauit calicem dæmonis, & destruit. Nunc oportet ostendere quomodo bibit calicem Domini, & diuidetur iste sermo in duas partes. Prima erit de dispositione ad epotandum hunc calicem per prædicationem suam, & miracula, & peregrinationes eius. Secunda pars erit quo modo bibit illum in obtruncatione capitis sui.

Postquam Dominus assumptus est in cælum cęperunt Apostoli prædicare verbum Dei in Hierusalē, & in vicinas partes, quo tempore B. Iacobus secessit in partes Galicianas ad prædicandum verbū Domini Galicianis. Sed circa hoc quęritur, quomodo iuit statim post Ascensionem ad illas partes cum tunc alij Apostoli non sint dispersi extra Iudæam & Galilæam vsque post occisionem eius, vt expresse videtur Act. in concilio celebrato, vbi Iacobus minor protulit sententiā diffinitiuam post mortem huius. Dicitur quod potuit esse altera duarum causarū. Aut quia videbat quod operarij erant multi in Iudæa & Hierusalem, & vicinis partibus & messis multa in alijs regionibus, ideo sequens doctrinam Christi, vbi opus erat doctrina iuit ad seminandum. Aut potuit esse occasio, quod forte sub persecutione facta sub Stephano propter excellentiā prædicationis suæ, sicut fuit Stephanus primo occisus, sic Iacobus primo captus & in nauibus positus, sicut tunc tēporis creditur Magdalena cū alijs in nauibus sine gubernaculis mari exposita, & sicut illa tunc peruenit Massiliam, sic iste Compostellam. Tertio potuit esse occasio vt compleret suā peregrinationē, sicut & alij Apostoli. Nisi enim tūc iuisset, nunquā exiuisset Iudæā aut Galilæam, & tunc fuisset sicut isti Episcopi portatiui, qui sunt Episcopi & nullius diœcesis Episcopi. Iacobus enim Minor fuit Episcopus Hierosolymorum, & sic nō habuisset sedem nisi venisset in Hispaniam ad accipiendum ibi saisinam & possessionē, vbi habuit discipulos suos successores, quos postmodum instituerunt Episcopos Petrus & Paulus apud Romam, vt scribit B. Hieronymus in Martyrologio se didicisse à Cromacio, & mittuntur iterum ad Hispanias, ad prædicandum verbum Dei, qui in diuersis partibus quieuerunt. Et sic B. Iacobus legitur habuisse duodecim discipulos, nouem in Hispania, tres Hierosolymis. Cum autem esset B. Iacobus apud Hispaniam nouem tantum discipulos potuit conuertere, ob quam causam iterum reuersus est in Iudæam.

Act. 15

Sed quæritur vnde processit ista duricies in populo Hispanorū. Dicitur quod ex duobus potuit contingere. Primo ex demeritis eorum subtrahente eis diuina misericordia auxilium. Vnde & Apostoli Paulus & Barnabas vetiti sunt prædicare verbum Domini in Asia, & hoc fit occulto Dei iudicio, qui ait: *Miserebor cuius voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit.* Secundo quia gens illa ex sua conditione est multum plena sua opinione, ita quod multum radicatur in suis opinionibus, siue in bonum siue in malum. Hoc patuit in Laurentio & Vincentio, qui in illa terra procreati ita audacter & constanter tyrannis restiterunt. Sic igitur & ista duricies procedere potuit, & ex eorum mala dispositione & ex diuina gratia subtracta. Terra enim deserta ab aspectu solis est tota sterilis.

D Duritia potest procedere à duobus.

Act. 16 Exod. 34

Sed quæritur iterum quare vocatur in ordine ad aliū Iacobum. Iacobus Maior. Dicitur quod causa potuit esse duplex. Prima est, quia iste Iacobus Maior fuit vocatione primus, sicut solent dici Episcopi maiores & primi, qui sunt primo ad Episcopatum vocati. Secūdo quia familiarior fuit Christo, vt patuit in suscitatione filiæ Archisynagogi, in transfiguratione, & in orto. Vnde fuerunt inter duodecim

Nota.

duodecim tres familiares Christo. Petrus, Ioannes, & Iacobus. Petrus habuit Ecclesiam. Ioannes matrem, restabat autem aliquid dare tertio, nihil autem amplius habebat Christus dare præter suam crucem, quam prius amplexatus erat, & in vita sua noluerat dimittere. Illam autem primo dedit Iacobo inter Apostolos suos. Erat enim calix regis, in quo primo rex biberat. In quo apparet Iacobum fuisse magnæ nobilitatis & reputationis apud Christum, quia primus fuit dignus bibere in calice Dei & regis Paradisi, & hoc inter Apostolos. Vnde in hoc retardatus est Ioannes frater eius. Consuetudo enim est quod quando princeps vnus vel Prælatus aliquem de vna domo præmiat vel beneficiat, quod alij de eadem domo retardantur, & oportet quod expectent. Sic fecit Ioannes. Nam propter primam prouisionem Paradisi datam fratri suo expectauit vltimus prouisionem suam. Inde propter familiaritatē & amicitiam ad Christum credunt aliqualiter obtinuisse petitionem, quam per matrem Christum præsentauerūt. Nam sicut Carolus Magnus Regnum Franciç subiecit B. Dionysio, sic etiam ille subiecit regnum Hispanorum, postquam liberauit eos à Saracenis B. Iacobo, ita vt omnes Hispaniæ Reges ab eo teneant regnum suum, sicut & creditur Grçcorum Imperium à dextris, & in parte Orientali teneri à B. Ioanne Euangelista, ita vt vnus præsideat à dextris, alius à sinistris.

Sequitur secunda pars quomodo bibit Iacobus calicem Domini. Postquam enim reuersus B. Iacobus in Iudęam prędicatione sua florente, & prodigijs suis commoti sunt aduersus eū principes Sacerdotum plusquam contra alios, quia prædicatio eius multū erat feruens, propter quod suaserunt Herodi, vt traderet eum in mortem, & ita occidit eū gladio. Tunc enim nouus venerat de ciuitate Romana. Alij enim principes in suo aduentu liberant captiuos & malefactores. Iste autem in suo iucundo aduētu incarcerat Sanctos, & occidit Innocentes. Nec mirum si hoc fecit Herodes. Nā totus inhiabat effundendo sanguini humano. Dū enim à Roma discessit senatorū magnam partem sua industria maligna interfecit. Nam Gayo interfecto dedit intelligere quod senatores debebant reducere Imperiū in statū pristinū, & postea Claudio electo dicebat oppositū, & postmodū suasit senatui vt cōsentirēt in Imperiū Claudij. Quo facto sua intercessione multos qui consenserāt morti Gaij fecit interfici.

Sed quæritur cur non Herodes correctus signis & prodigijs discipulorum, vt non faceret hoc malum in B. Iacobū. Dicitur quod nemo corrigit quem Deus despexerit. Iste enim sua malignitate deiectus erat à Domino, vel dicitur quod hoc erat propter adulatores qui eū à via veritatis diuertebant. Pharao forte correctus fuisset à Moyse, nisi fuissent incantatores qui dicebant ei, nos similia faciemus. Sic multi principes se corrigerent, nisi essent aliqui pessimi laterales, qui eos dulcibus verbis & adulationibus incantant. Vel dicitur, quod nullum est malū, nulla est crudelitas, quam non pariat libido dominandi. Et quia iste Herodes multū cupiebat dominari, propter quod & illum, qui in necessitate famis & paupertate succurrerat ei, sua astutia in exilium destinari fecit. Ideo non est mirum si videns quia illud placeret Iudæis, occidit Iacobum & comprehendit Petrum.

*E Principes multi quare non conuertuntur.*

*Act. 12.*

Conuertit itaque Iacobus suum custodem, vel secundum alios dapiferum Herodis, & post goc ambo insimul decollati sunt, & post mortem eius derelicta est Iudæa ab Apostolis, & dispersi sunt Apostoli per vniuersum orbem, ibi remanente Iacobo minore, ad ostēdendum, quod cum colliguntur viri Sancti signum est magni mali futuri, iuxta illud: *A facie mali collectus est iustus*. Sed ex illo magno malo scit Deus elicere vnum magnum bonum, sicut ex ista occisione & derelictione Iudææ consequuta est conuersio gentium per vniuersum mundum.

*Nota. Esai. 57.*

Hanc autem occisionem statim sequuta est diuina persecutio. Nam cum iste Herodes esset in carcere Tiberij tempore, venit ad eum quidam incarceratus dicens per augurium à dijs habuisse, quod multas dignitates haberet, ita vt sui amici ęmularentur ei & inuiderét. Sed quod sciret se esse moriturum post diem quintam, cum super se videret buboné. Cum autem hanc occisionem in Iacobum perpetrasset, Petrum vinculatum perdidisset, commotus contra tyrios & sydonios secessit in Cæsaream, & pace facta cum illis sedebat in throno regali concionans apud eos, & statim populus acclamauit voces non hominis sed Dei, vocando eum Deum immortalem, vt dicit Iosephus. Quæ verba audiens non compescuit, ideo statim percussus est ab Angelo, secundum aliquos expositores, id est à nuncio suę mortis, & cum se percussum sensisset leuauit caput, & supra se vidit bubonem de quo augur loquutus fuerat & statim clamauit. En ego Deus vester morior, & post quinque dies scaturiens vermibus in maxima miseria expirauit. Vnde recitat Helynandus quod cum Philippus Peluacen. Episcopus apud frigidum montem hospitaretur causa deuotionis, præcepit dicto Helynando, vt sibi faceret missam matutinalem audire. Ad quem cum iam prima cantata crastina die venisset, inuenit adhuc eum dormientem, quem nemo de sua familia excitare audębat. Ipse vero proprius accedens excitauit eum dicens. Iam diu est, quod passeres surrexerunt, ad benedicendũ Domino, & adhuc nostri pontifices stertunt in cubili suo. Ad quam vocem expergefactus & confusus indignatus aduersus eum, quod tam libere ipsum arguisset, substomachans ait. Vade hinc miser, & interfice pediculos tuos. Ipse autem motum illius conuertens in iocum respondit. Vide tu pater ne interficiant te vermes tui, ego enim iam vermes meos interfeci. Scito igitur hanc esse differentiam inter vermes diuitum & vermes pauperum, quod vermes diuitum occidunt diuites, & vermes pauperum à pauperibus occiduntur. Lege Machabeorum & Iosephi & actuum apostolorum hystorias; & inuenies reges potentissimos Antiochum & Herodem Agrippam à vermibus consumptos. Qua ratione simul & auctoritate oppressus ille statim obmutuit. Sed quæritur cum diabolus in specie bubonis credatur percussisse Herodem & etiam quæsiuisset potestatem super Hermogenem magum magis quam supra Iacobum vel Philetum, vtrum diabolus æqualem habeat potestatem super bonos & malos. Et arguitur quod sic, quia tantam habuit potestatem in Iob, quod etiam nedum super res eius, sed etiam super corpus proprium habuit potestatem, nec maiorem videtur habere potuisse, quia super rationalem animam non habet ex natura sua potestatem, igitur. Ad hoc respondet de Halis secunda parte summæ, quod diabolus in bonis & in malis habet potestatem, sed differenter. Nam in bonis habet potestatem ad probandum, non ad perdendum. Ideo sibi dictum est. *Ecce omnia illius in manu tua sunt, veruntamen animam illius serua*, id est, non do tibi animam ad perdendum, neque ad transmutandum per frenesim, aut aliam passionem. Sed in malis potestatem habet ad seducendum, & ad perdendum, nisi prohibeatur à Domino. Est enim peccator seruus diaboli, quia ab eo superatus & victus, secundæ Petri secundo, à quo quis superatus est eius & seruus est. Vnde Gloss. super illo Psalmo. *Immissiones per angelos malos*, sic ait: In malis hominibus potest diabolus, vt in suo pecore, nisi prohibeatur à maiore, in bonis autem non potest, nisi permittatur ad probandum, ad perdendum sicut homo, vt de pecore alieno faciat, quod vult potestatem sibi expetit dari ab eo cuius est, vt patet in sancto Iob. Boni enim dominátur eis ratione suæ sanctitatis, non igitur non è conuerso. Vnde nec habuerũt virtutem

*Nota. Exemplum.*

*Iob 2.*

*P Dæmon in bonis & malis differenter habet potestat.*

*Psal. 77.*

tutem adducendi beatū Iacobum adHermogenem, neque supra Philetum postquam adhæsit Apostolo, sed libenter habuissent super Hermogenem si permisisset Apostolus. Inde & Paulus vocat eos *rectores tenebrarum*, id est peccatorum, qui per tenebras signantur. Dicitur secundo quod licet diabolus hanc potestatem habeat super peccatorem, non tamen meruit eam sibi dari, sed hoc est quia peccator meruit ei subiici tanquam tortori nō tanquam domino. Et ideo peccator iuste & sanĉte ab illa potestate periculosa se potest per pœnitentiam eximere. Si enim latro dum est in manu tortoris posset per pœnitentiam solam effugere absque dubio id faceret, peccatores autem omnes sunt in manu tortoris diaboli, & vt se per pœnitentiam eximant, prædicatur quotidie eis, & tamen non curant. *Ephes 6.*

Dicitur tertio quod dominium quod habēt dæmones super peccatores est magna pœna & magna tortura dæmonibus. Vnde Aug. super Gen Pœna est diabolo, vt in potestate habeat eos, qui Dei præcepta contēnunt, sicut esset de aliquo, qui prius esset de familiaribus regis, & postea factus esset carcerarius, & tortor ad custodiendū & puniendū malefactores, & vt in fine cū illis malefactoribus puniretur.

## DE S. IACOBO MAIORE
### Ser. III. & in ord. XXIII. Per Thema.

*Esa. 128* *A Amicus Dei dicitur quis propter multa.*

N*Imis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Apostoli & maxime Iacobus propter quatuor dictus est amicus Dei. Primo quia voluntatem suā diuinæ conformauit, ideo coniunĉtus est societati Christi. Qui enim socij sunt, vnius debēt esse voluntatis, alioquin statim diuideretur societas, contra illos qui bonorum societatem fugiunt. Sicut enim videmus in mechanicis artibus quod homines frequentant artis illius operatores, quam intendunt discere, sic in informandis moribus debet esse. Qui enim desiderant sanĉtitatem, frequentare debent potius ecclesiam quam tabernam. Secundo præcepta eius *Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis.* Mira benignitas Saluatoris. Nam cum præcipere pertineat ad Dominū, & exequi ad seruū, non tamē Dominus vt exequamur mandata eius vocat nos seruos, sed amicos, quia non vult nos ea exequi ex timore, qui pertinet ad seruum, sed ex amore qui pertinet ad filium. Sicut aliquando contingit, quod benignus Dominus seruientem suum amicum vocat, vt alacrior & diligentior sit ad faciendum, quod præcipit. Sic Christus, vt faciamus, quod præcipit blanditur nobis, sicut cōsueuit mater blandiri suis filijs, & ita ipsa debemus cum alacritate implere, licet illa faciamus cum murmure & tristitia similes rotæ cari male vnĉtæ quæ semper strident, de quibus verificatur illud vulgare, quod peior rota carri semper clamat, quia: *Præcordia fatui quasi rota carri.* Tertio perseuerando in Christi charitate & dileĉtione. *Omni tempore diligit qui amicus est.* Ideo cum eo manserunt in necessitatibus suis & tentationibus. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Modo sunt solennitates malorum, & vigilię, & abstinentiæ bonorum, [illegible] d ē contrario fiet in alio sæculo. *Serui mei comedent, & vos esurietis.* Ideo voluit Dominus delitias suas esse cum eis. *Delitiæ meæ esse cum filiis hominum.* Faciunt enim homines delitias non de animalibus domesticis sed siluestribus. Sic Dominus non ostendit delitias esse cum Angelis, qui sunt domestici, sed cū hominibus, qui siluestres sunt per peccatum, capti aucupio crucis, & venatione, & latratu prædicationis. Quarto animas ponendo pro Christo. *Maiorem hac dileĉtionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Magnum signum dileĉtionis est quando homo pro amico exponit pecuniā, maius quando hæreditatem propriam, maximum quādo propriam vitam. Hoc fecit B. Iacobus, omnia pro Christo exponēs, ideo nil mirū si honorati sunt amici tui Deus. Talibus enim amicis debetur honor, & officia Regis. *Ioan. 15* *Eccl 33* *Prou. 17* *Luc. 22* *Esai. 65.* *Prou. 8* *Ioan. 15*

Vt

Vt autem Iacobum, & alios conuenienter honoremus recurramus ad Mariam, &c. In primo sermone dicetur secundum primam partem thematis de honore quẽ exhibuit Deus amico suo Iacobo. Secundo, sermone secundum alteram partem dicetur quomodo confortatus est, & cõsolidatus Apostolatus eius.

B *Iacobi Maioris prærogatiua.* Quantum ad primum honorauit Dominus B. Iacobum specialiter in quatuor prærogatiuis. Prima quidem prærogatiua fuit, quod propinquus fuit carne Christo, & non tam carne quin etiam spiritui. Proximitas enim carnis, nisi cum hoc sit proximitas spiritus, nociua est homini, quia proximitas carnis est causa falsorum iudiciorum pluribus modis. *Nota.* Primo, iudicando eos esse meliores quam sint, & digniores. Res enim visa de prope apparet maior quam visa de longe. Nos autẽ videmus, & iudicamus parentes nostros de prope, quia prope nos sunt, ideo dicimus eos esse sapientiores & meliores, quã qui non sunt nobis propinqui, & tamen non est ita. Exemplum habemus in luna, quæ quia prope nos est, iudicatur maior, & pulchrior, cum in rei veritate non ita sit. Vulgo dicitur, vnusquisque facit valere suas reliquias, & inde cõtingit quod consanguinei ad dignitates, & officia sublimantur dimissis melioribus, cõtra quos dicitur: *Mich. 3.* *Væ vobis, qui ædificatis Sion in sanguinibus.* Vnde noluit Dominus quod ad altare suum ascenderetur per gradus. Sic non vult, quod prælatus habeat facere per gradus consanguineitatis, & nobilitatis ad altare ascendere. Sed hodie placet cantare canticum graduum. Secundo, erratur falsè iudicando pro consanguineis in rebus exterioribus. Amor enim inordinatus est causa peruertendi iudicium. Caro enim vel aliquid aliud supra oculum positum impedit ne res aliæ videantur, & recte iudicentur. Sic amor inordinatus ad parentes, & propinquos eorum, impedit rectum iudicium nisi cum hoc sit propinquitas spiritualis. Sunt enim parentes patres carnales filiorum, qui non sunt animarum eorum patres, diligunt satis corpus, sed de anima an sit bona, an bene seruiat Deo, non curãt, sed eos onerant officijs & beneficijs. Dominus autem non solum fuit B. Iacobo carne propinquus, sed etiam spiritu, ideo eũ in Apostolum elegit. Sed dices, videtur, quod Dominus malum exemplum dedit, illos de parentela sua appellando ad dignitatem Apostolatus. Videtur enim quod hoc fecerit carnaliter, sicut multi præsules nunc faciunt, suos nepotes paruulos Archidiaconos faciendo, vel saltẽ dedit alijs exemplum sic faciendi. Respondetur quod vbi parentes essent boni vel quasi æque boni sicut alij, & æque vtiles, licite eos præferre. Gratia enim non tollit naturam. Est quoque ad tales inclinatio naturæ & gratiæ. Sed tamen periculum est in iudicio propter causam dictam, periculum est ne cum iudicatur quis homo, inueniatur bestia, & sic male regantur oues, quia primo politicæ, melius est bestijs regi ab hominibus, quam bestijs, & maxime periculum est ne decipiantur in iudicio hi qui non vident secreta cordis, sicut Christus videbat. Videbat enim eos Christus esse bene natos, & aptos ad doctrinam suscipiendam, & bonæ vitæ, & habentes desiderium salutis suæ, ideo qui scrutatur renes, & corda eos elegit, non autem ita est de nobis. Ideo Moyses non ordinauit quemcumque de suo genere sibi successorem, quãquam haberet plures, nec Iosue similiter, & multi alij. C *Parentes æque idonei posse sunt alijs præferri in beneficijs.* Secunda prærogatiua, qua priuilegiatus est B. Iacobus, est quia Deus eum elegit in Apostolum sibi. Principes enim ad ardua negotia eligunt solemnes nũcios & famosos. Ideo ad Apostolatum, & ad arduum negotium non vocauit Iacobum, nisi sciret eum tali Apostolatu esse dignum vel fecisset dignum. D *Piscatio animarũ est difficilis.* Grande autem negotium, & difficile est piscatio animarum propter multa. Primo, quia quando fluuius inundat difficile est piscari, quia tunc est profundior, in cuius profundo pisces abscondũtur.

Ose 4. tur. Nunc autem dicitur: *Furtum & adulterium, & homicidiũ mundauerunt super terrã.* Alueus carnis transcendit ripas diuini præcepti, & homines infixi sunt in limo profundi sicut anguilla, id est in profundo peccatorũ. Nil mirum ergo si verũ est quod dicitur Eccles. id est, peruersi difficile corriguntur, & mittẽtes rete per totam noctem laborantes nihil capiũt. Secundo, quia quãdiu piscis est infra aquã, licet intrauerit rete, non tamen reputatur captus, quia adhuc potest rumpere rete & exire, maxime de piscibus magnis. Sed postquam extractus est ad littus, & in sicco positus, ex tunc non potest euadere, maxime si est longe. Ita quãdiu homines manent in fluxibili statu sęculi, non possunt reti prædicationis perfecte capi. Nunc enim intrant, nunc exeunt & in tempore tentationis recedunt. Magni vero diuitijs & honoribus & genere rete rumpunt, quia dicit Dominus de eis: sermo meus non capit in vobis. Hij enim tardius conuertũtur, exemplo illius qui Matt.19. erat multas possessiones habens. Quamdiu enim vita mortali viuitur, nullus perfecte capitur. Sed postquã Angeli educentes bonos in vasa sua eos tulerunt, tunc tutum est de re, & similiter oportet semper piscari à dextris, numquã à sinistris, quia propter honorẽ Dei, quod melius est, non propter lucrũ. Sic Apostoli Luc.5. à sinistris nihil prendiderunt. Sed multi non piscãtur animas, sed ad alia se applicant, & alia piscantur. Aliqui piscãtur denarium, & turbant aquam, sicut isti procuratores, & aduocati, facientes de bona causa per turbationẽ alicuius defectus, & sic piscãtur, & habẽt officinas suas, vulgo bouticlas suas plenas huiusmodi piscibus. Alij bene vadunt ad piscandum animas sed diabolo, sicut isti luxuriosi qui sensum turbãt puellarũ solicitando, promittendo, & dãdo munuscula per manibus. Isti plus faciunt in hoc casu pro diabolo quã facerent discipuli pro Christo, quia illi licet sollicitarẽt, non tamẽ dabãt munera, & tales sunt apostoli diaboli.

Sed dices, quomodo elegit Dominus B. Iacobum, & fratrẽ eius cum ipsi essent pauperes, & piscatores, & non nobiles, modo tales non eligerentur in prælatos. Respondetur primo, quia B. Iacobus & Ioannes erãt nobiles, & ex nobili progenie. Patet quia erant parentes Christi ex parte matris. Mater enim eorũ erat soror Mariæ matris Christi, & filia B. Annæ. Beata autẽ Anna erat ex sacerdotali genenere descendẽs. Alioquin quom[odo] fuisset Maria cognata Elisabeth, quæ erat de filiabus Aaron. Lucę primo, nisi ex parte Annæ fuisset de tribu sacerdotali, quæ nobilis erat. Ioachim enim (vt dicit Damascenus) ex genere regali descenderat. Dico secundo, quod ipsi nobiles nobilem vitam ducebant non tamen mundanam. Mundani enim nobiles nullos reputant nobiliter viuere, nisi cũ magnis apparatibus, pompis, & equis pompatice incedãt nihil operantes. Sed hæc non est nobilis vita, imo potius est ostẽdere bonum exẽplum vitæ, & esse speculũ bonorum operum, & semper aliquid boni operis facere. Non enim est vile operari, patet de sanctis Crispino & Crispiniano, de beato Paulo operante in vilibus pellibus, patet etiam de Augusto, qui filias suas artẽ lanificij fecit addiscere, vt dicit Policratius. Isti autem antequã vocarentur à Christo iusti erant, animo nobiles, & suam salutẽ desiderantes, & non pigri, licet à mundo viles essent reputati. Dico tertio quod ideo tales elegit Dominus, vt ostendat in electionibus non esse eligendos nec præferendos mundanos. In signũ cuius voluit Dominus altare fieri de terra, & si de lapidibus saltem de insectis & impolitis. Quia Deus in electionibus & assumptionibus seruorum suorum generis nobilitatem aut curiositatem nullatenus vult attendi. Illos enim qui sunt de terra, id est, de infimo statu & paupere, qui sunt impolliti, id est, rudes & simplices quandoq; ad altaria sua vult eligi, & nobilioribus & astutioribus antẽponi, sicut apparuit in Apostolis & fundamẽtio Eccle-

E Eligens non atte[n]dat ad nobilitatem vel mundanitatem Exo. 20.

Ecclesiæ primitiuis. Sed iterum oritur dubitatio, cum synagoga tantummodo super vnam fraternitatẽ sit fundata, quare Ecclesiam suam super triplicem fraternitatẽ voluit Dominus ędificare. Fuit enim synagoga initiata per Moysen & Aaron fratres, Ecclesia vero per duodecim Apostolos, iuxta illud: *Aedificati super fundamentum Apostorum*, inter quos triplex fuit fraternitas. Vocauit enim Dominus ad Apostolatum Petrum & Andream fratres, Iacobum & Ioannẽ fratres, Iacobum minorem, Symonem, & Iudam fratres, sed cur tam varie? Respondetur ad hoc quod propter multa. Primo ratione cognitionis amplioris. Nam vbi ædificatur maior Ecclesia, necesse est maiora esse fundamenta & plura & plures columnas & maiores. Sed Ecclesia magis dilatata est quam synagoga, quia notus tantum in Iudea Deus. Nunc autem à solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen Domini, ideo propter dilatationem necesse fuit habere plures columnas ad Ecclesiæ ædificiũ. Et quia fundamentũ est amor, necesse fuit habere latius fundamentum, fraternitas autem amortis est perfectum signum, igitur. Secundo, ratione prædicationis. Nam à principio populus rudis ignorabat vnitatem diuinę bonitatis, ponendo pluralitatem deorum, ideo vt populo rudi congrue prædicaretur diuina bonitas vnam ad hoc fratrum coniunctionem elegit. Sed postmodum populo magis erudito, quia prædicanda erat trinitas personarum, congruum fuit, vt trinitas fraternitatum illam prædicaret, sicut a principio vnitas fratrum vnitatem prædicauit diuinã. Tertio ratione amoris. Maior enim amor nunc exigitur à Christiano quàm tunc à Iudæo propter maiorum beneficiorum exhibitionem & plurium. Nam tunc solum beneficium creationis & gubernationis exhibuerat, nunc autem superaddit beneficium redemptionis, & etiam glorificationis, cum vna pars Ecclesiæ catholicæ sit glorificata. Ideo conuenienter Ecclesiam fundauit super maioris amoris signum, ordinans tres fraternitates esse de numero suorum Apostolorum. In hoc fundari possunt tres fraternitates existentes in Ecclesia, scilicet fraternitas carnalis eorũ qui se bene diligunt, fraternitas spiritualis qua diligimus omnes, & fraternitas particularis qua in diuino cultu singulari & sanctorum quidam propter particulares causas specialius coniunguntur.

Ephes. 2

Nota.

Tertia prærogatiua est in nominis priuilegio. Sicut enim inter cæteros discipulos Petrus, qui prius Symon appellabatur, postea cæphas vel Petrus appellatus est à Christo nomine mutato, sic & Dominus istis duobus, scilicet Iacobo & Ioanni nomina noua imposuit. Nam imposuit eis nomen Boanerges, quod est filij tonitrui. Vnde illi in sacra scritura vocantur filij Zebedæi, filij excussorum, & filij tonitrui. Primo filij Zebedęi, quod interpretatur donatus, qui fuerunt per gratiam specialẽ filij eius, qui à Deo donatus est nobis, vel forte quia fuerũt filij precũ donati propter preces. Secũdo filij excussorum. Excussi enim (gallice *escoux*) dicũtur prophetę viri docti veteris testamenti, qui in sacco scripturę sacræ multa pręciosa & hominibus occulta recluserãt dereliquenda filijs suis pro thesauro. Isti vero excusserũt saccũ illum, vt nihil in Moyse & prophetis inueniatur inclusum, quod ab eis nõ sit aut stylo digestũ aut publice prædicatũ & prænunciatũ, saltẽ in generali. Inde dicũtur quasi colũbæ ad fenestras suas, quia oculo simplici nõ fallici in modũ colũbæ ad fenestras sacrę scripturæ, & ad murũ fractũ, quem fecit Dominus, cũ aperuit illis sensum vt intelligerẽt scripturas steterunt, vt alios inde ædificarẽt. Vnde dicebat Philetus de beato Iacobo quod omnes scripturas memoriter tenebat, ex quibus manifeste ostẽdebat Dñm Iesum esse verũ Dei filiũ & Messiã in lege promissum. Tertio dicũtur filij tonitrui propter tria. Primo secundũ Glos. ordinariã, quia erãt filij tonãtis in excelsis, audituri tonitruũ magnitudinis

Mar. 3

Ps. 2

Nota.

Esai. 60

tudinis eius, sicut audierunt in transfiguratione dicentem. *Hic est Filius meus dilectus.* Secundo, quia isti ita alte tonuerunt, vt si Ioannes (teste Hieronymo) altius intonasset, totus mundus eum capere nõ potuisset. Similiter Iacobus ita alte intonuit, quod ad similitudinem Ioseph audierunt eũ Ægyptij, omnis domus Pharaonis, id est, Iudæi & domus Herodis, adeo vt statim cõprehensus ab Herode, & à Iudæis sit occisus. Vox enim synagogæ non ita longe audiebatur, ideo tubis ductilibus vtebantur ad vocandum populũ. Nunc vero campanis vtimur (vt dicit Richar. de media villa in quadã textus expositione) quæ à longius audiuntur, imo per totum orbem. Inde dicitur: *In omnem terram exiuit sonus eorũ.* Tertio dicuntur filij tonitrui, quia secuti sunt modũ tonitrui, quia sicut tonitruũ cum aqua abundanti, & coruscatione & fulgure procedit, sic isti cum coruscatione miraculorũ, & terrore minarum Dei, & abundantia gratiæ nouum testamentũ intrepide vbique prædicauerunt, tonãtes minis, & coruscãtes miraculis. Et aliquãdo adeo voluerunt tonare, quod Dominus non permisit. Cum enim transiret ipse Dominus per Samaritanos, & nollẽt eum recipere, tunc voluerunt, vt ignis de cælo descenderet ad comburendũ eos, sed nõ permisit Dominus. Quarta prærogatiua quod inter domesticos Apostolos iste fuit maxime Domino familiaris, & cui thesaurũ suum in transfiguratione ostendit. Maioris enim erat capacitatis ad cõpræhendẽdum tantum mysteriũ, maioris industriæ ad bene eo vtendum, maioris amoris ad degustandũ, & maioris sanctitatis ad participandũ, bibit & ipse, & frater eius in calice regio, dum dedit eis auctoritatem dicendo, calicem quidem meum bibetis. Fuit, & secretarius eius in passione sua quando seorsum ipsum cum alijs duobus duxit ad ortũ, reuelans sibi mentis arcanum, tristitiã videlicet intensam, quã non nisi amicis, & familiaribus solemus ostẽdere, & amicis in tribulatione, vt portẽt

F *Ioannes & Iacobus quare dicantur filij tonitrui.*

*Psal. 18.*

cum amico tristia, dicere. Si igitur talis ac tantus Apostolus fuit ita Deo amicus, quod fuit eius consanguineus, eius prælatus, & Apostolus eius filiolus cui nomẽ imposuit eius domesticus, familiaris, & secretarius, non possumus deficere, & preces & orationes in necessitatibus nostris porrigentes. Ille enim Deo eas offeret, & ipse Dominus exaudiet. Ait enim Psal. *Scitote quia mirificauit Dominus sanctum suum: Dominus exaudiet me cum clamauero ad eũ.* Et quod ita sit patet exẽplo. Vir enim quidam nomine Bernardus de Episcopatu Mutinen. (vt ait Calixtus Papa) dum captus, & cathenatus in profundũ turris positus fuisset, & semper B. Iacobum inuocaret, apparuit ei B. Iacobus dicens, Veni sequere me in Galliciam. Et fractis cathenis cũ disparuisset, vinculis ad collum suspensis ad summitatem turris cõscendit, & inde sine aliqua læsione vnicũ saltum fecit, cum tamen turris sexaginta cubitorum altitudinem possideret.

*Psal. 4.*

## DE EODEM SERM. IIII. ET *in ord. XXIIII. Per Thema præcedens.*

SEd quomodo honorati sunt isti amici à Deo vel à mũdo, nam à Deo permissi sunt aliqui suspendi, alij decapitari, alij excoriari. Qualis honor est iste? Nõ videtur nimius, credo quod pauci vellent tali honore honorari. Præterea quomodo honorati sunt à mundo, quos vituperauit mũdus, & in quorum morte tristati sunt iusti? Quomodo ergo hodie gaudet Ecclesia iustorum? Legitur enim quod post mortẽ Iacobi dispersa est Ecclesia extra Hierosolymam, & quod soli Apostoli remanserunt in Hierusalẽ. Respondetur primo quod & si corã hominibus tormenta passi sunt, spes illorũ erat immortalis. Inde enim habuerũt spẽ immortalis honoris.

A *Honorabile est pro Christo pati.*

Videbat enim Petrus cũ esset in cruce quod erat super equum qui de sella regis est, ideo iudicabat se honoratum. Videbat Iacobus, quod erat Christi miles ad recipiendum ictum ensis, ideo audacter sicut

sicut bonus miles præbuit collum, videbat etiam angustam portam, per quam oportebat transire, & propter hoc fuit paratus dimittere caput, sicut Bartholomeus pellem. Volebat enim Dominus eos erudire ad ostendendum quanta necessarium est pati pro iustitia. *Vsque ad mortem certa pro iustitia*: voluit propterea suos decertre vsque ad mortem, vt veritas semper integra maneret, vt nec blandicijs nec laudibus mundi nec vituperijs quisquam dimoueretur ab ea, quia laus mundi nihil est sicut nec opprobriũ. Seneca, tam turpe est laudari à turpibus quam laudari ob turpia. Sed spes illorũ erat immortalis ex tribus. Primo ex honore tunc sibi exhibito à Deo. Secundo ex præparatione ad intrãdum in regnũ. Tertio ex eruditione qua tũc erudiebat eos quantum oporteret pati pro iustitia. Et licet pro tempore defleuerit eorum mortem Ecclesia, non tamen nũc deflet, sed laudat. Et ratio huius est, quia mulier pro tempore, quo parit, tristatur & dolet, sed nato homine in mundum tunc lætatur, & gaudet. Sic dum nasceretur Iacobus homo in alterum seculum tristabatur Ecclesia, sed dum natus est, tunc gaudet, & gaudebit Ecclesia. Vt igitur gaudeamus in hac sacra solemnitate ad matrem gaudij recurramus dicẽtes Aue.

Eccl. 4.

Priori sermone dictum est de honore quem exhibuit Dominus amico suo Iacobo, nunc dicendum est quomodo cõfortatus est & consolidatus Apostolatus eius. Primo itaque confortatus est, & cõfirmatus Apostolatus Iacobi à Christo tanquam à summo pontifice. Sed quomodo, soluit ne vacantiam? dicitur quod sic, & quid dedit? totũ quod habuit. Vnde ait Petrus pro discipulis. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis. ait. Amen dico vobis quod vos, qui secuti estis me, sedebitis*, id est habebitis sedẽ Episcopalẽ, *super sedes duodecim* Episcopales *ad iudicandum duodecim tribus Israel*, id est omnes populorũ nationes. Nõne sufficiẽter per assertionem Christi est hoc cõfirmatum? Modo non sufficit ad præsulatum dare hoc quod homo habet, sed etiam carior est, quia oportet dare, & quod homo habet, & quod non habet, & se vsuris subijcere. Sed vbi erat principatus Beati Iacobi. Respondetur, quod quidã habent principatum suum sub pedibus, qui non curant de suis ouibus, sed sufficit, quod faciant sicut bubo, qui nocte venit ad Ecclesiam pro sugendo oleo lãpadis, & immediate recedit. Sic isti veniunt tempore messis, & de nullo alio curant. Vnde quidem præsul erat ad visitandum quandam magnam curam, & visitasset eam, & fuisset persolutus, & cũ magna diligentia parasset ei sacerdos mane, & sero, cum de nullo spirituali se intromisisset, nec in mane recedens quicquam reliquisset nisi stercora equorum, quædam nobiles mulieres ibi conuenerant, & cum finita missa vellet festinanter ascendere equum, dicit ei quædam mulier Domine nos ibi conuer eramus, vt audiremus à vobis verbũ salutis. Cui ille, nos de hoc non intromittimus nos. Cui mulier, parum curauit de nobis, qui vobis nostri curam commisit. Ecce in visitatione vestra nihil nobis relinquitis nisi stercora vestra. Alij habent in manibus ad opprimendum, & rapiendũ, cum tamen boni pastoris nõ sit deglutire pecus, sed tondere tamen. Hi sunt qui peccata subditorum puniunt per bursam, nec curant de eorum salute, dummodo habuerint pecuniam, cum tamen secundum Ciprianum nõ timetur quod emitur, cum etiam secundum naturam nulla animalia cornuta viuant de rapina. Sic præsules cornuti minime debent rapere super oues suas, sed debẽt magis eas pascere verbo, & exemplo. Alij portãt principatum super humerũ, qui debiles exẽplo Christi portant ad ouile Christi, de quo Esa. *Agnos in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit*, & *Principatus eius super humerum eius*. Secundo vt sentiant se oneratos. Qui enim habet pondus super humeros, melius sentit quam habens sub pedibus vel tenens

Mat. 19

B Principatum habere sub pedibus in manibus & super humerũ differunt.

Exemplum.

Esa. 40

Esa. 9.

tenens partem in manibus. Sic debēt, qui sunt in Ecclesia vel officijs sentire pondus suum formidabile angelicis humeris. Ad exemplum illius de quo liber de bonis, qui erat Episcopus cuiusdam insulæ Christianæ, ad quem cum declinasset Archiepiscopus Lugdunensis, vento cōtraria illuc cum cum socijs præter spem impellente, inuenit eum in libro legentem, & cum interrogasset si esset Episcopus illius loci, & quid legeret, respondit quod erat Episcopus, & quod legebat nomina suorum parochianorum, inter quos erant aliqui, de quorum directione erat multum sollicitus. Et cum multum miraretur Archiepiscopus, interrogauit alius si etiam ipse esset insignitus dignitati pontificali. Respondit quod sic, sed de parochianis vel diocœsanis habebat pene innumerabiles, quorum paucos admodum nouerat. Tunc ille Episcopus, quomodo ergo potes saluus fieri, qui nec oues tuas cognoscis. Est igitur maximum onus, sed opus maxime meritorium, si homo fecerit debitum suum, laborando pro acquisitione animarū Domino. Vnde in vitis patrum beato Or apparuit angelus monens eum, vt iret prædicare dicens, quot in præsenti vita conuerteris, super tot in futuro principatum habebis, sicut mulier quæ ad portam regis plures adducit filios ad eleemosynam, pro se, & pro quolibet accipit eleemosynam. Sic pro se, & pro his quos adducit quis ad portam paradisi accipiet coronam. *Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni sunt*, scilicet pro se & pro subditis, *Maxime qui laborant verbo & doctrina*. Sed è conuerso nunc. Vnde in vita Mariæ de Oegnes dicitur, quod circa finem apparuit ei dæmon in forma pastoris dicens: *Ego sum pastor bonus*. At illa, quomodo audes hoc dicere, & ille, quia vestri pastores paucos congregant, quos ducant ad Christum, ego vero multos congrego ad ducendum in infernum. Sed beatus Iacobus cum bonis Prælatis habuit principatum super humerum suum, & onus fuit sibi non ad carnales delicias. Quod patet. Nam cum prædicaret Hierosolymis mota persecutione quadam captus est (vt dicunt quidam) & positus in naui sine remis, & gubernaculo, & similiter ex alia parte Maria Magdalena, Martha, & Lazarus, & aliæ Mariæ vt submergerentur. Tunc enim sensit, quę sunt pericula habere onus ouium, quæ sciunt loqui, & habent manus. Sed & sensit postea quāta difficultas in reducendo ad ouile Christi. Est enim ouis stultū animal. Nam cum vritur stabulū, & vult quis eam retrahere vix potest retineri, quin currat ad stabulum ad ignē, vbi permittit se cōburi. Et cum semel accepta est à lupo, si dimiserit eam lupus, adhuc sequitur eum. Ita cognouit beatus Iacobus, cum postea applicuit ad Hispanias ex Dei voluntate quàm difficile erat reportare ad ouile Christi oues eius, quoniam non potuit conuertere nisi septem, quos secum iterum reduxit.

1. Tim. 5

Secundo principaliter ad ostendendum confirmationem huius principatus esse multum solidam, accipiendum est illud: *Descendit pluuia, flauerunt venti, venerunt flumina, & non cecidit*. Bene enim fundata erat supra firmam petram. Descendit pluuia, & in Iacobo inuenit cursum suū per humilitatem complanantem terrā eius, & profundantem, flauerunt venti, sed appodiatus fuit principatus veritate, & salutari doctrina, venerunt flumina, sed patientia fundatus erat principatus humani cadunt aliquando descendente pluuia diuinæ vindictæ, quæ aliquando perdit reges, regna, & principatus, sicut patet de multis regibus occisis, & multis regnis destructis, aliquando per flumina, & inundationes guerrarum cito reges ejiciūtur, & si non eijciantur, saltem per mortem cessat eorum principatus. Hic autem aliter. Descendit primo pluuia Spiritus sancti, flauerunt venti, id est dæmones, & venerunt flumina tribulationum contra hunc principatum, & tamen non cecidit, sed adhuc permanet. Primo itaque descendit pluuia Spiritus sancti corroborans,

Matt. 7.

C

Principatus Ecclesiæ stabilitas declaratur

rans, & confirmans hunc principatum in die Pentecostes. A Christo enim in cęna omnes facti sunt sacerdotes, & Episcopi, & in die Pentecostes eos cōfirmauit gratia Spiritus sancti, mittēs eos prædicare per vniuersum mundum, & lupos conuertere in oues, & contra eos clamare. Sed modo non clamatur ad lupos, nisi forte in curia parlamenti. Modo enim ita intricantur pręlati in temporalibus, quod non curant de spiritualibus, nec contra malos clamant, nisi forte contra bursam. Exemplum de vetula quam cum gallus excitaret cantando, & obseruando vigilias noctis, misit eum in aquam frigidam & totiés quotiens cantabat, adeo quod dimisit cantū. Sic diabolus immergit eos in tot negocijs temporalibus & plebiscitis, quod de prædicatione & doctrina salutis ad quam tenentur non curant. Non sic Iacobus qui cum non haberet à populis emolumentum quodcunque: eis tamē ex toto cordis affectu prædicabat verbum Dei, & attrahebat ad Chistum, imo ex tanta affectione: quod etiam vsque in Hispanias per transiuit, & prælati & sacerdotes modo habent emolumentum ab ouibus & nihil agunt. Videte modo quanta sit differentia inter Ecclesiam primitiuam & modernam. Merito certe flet populus
1. Esd. 3. exemplo Neemiæ & Esdræ videntium secundum templum in conparatione ad primum. Nec est mirum si adhuc fiat festum de tanto doctore & pastore: qui tam ardens erat pro salute populi sui. Secundo contra eum principatum flauerūt venti dæmonum, argutiæ scilicet malæ dæmonum & artes magicæ. Nam Hermogenes misit Philetum, vt sibi magicis artibus B. Iacobum adduceret. Sed inter hæc oritur dubitatio quare Apostoli in principio Ecclesiæ fuerunt ita persecuti per istos magos. Petrus & Paulus per Simonem Magum. Andreas, Simon, Matthæus & Iudas per Zaroem & Arphazach. Bartholomæus per Beruch & Astaroch & eorum magos, & Iacobus per Hermogenem. Respondetur quod multiplex potuit esse ratio. Prima ad ostendendum clarius veritatem doctrinæ Euangelicæ. Nunquam enim fuit illa veritas sine impugnatione, sed nec clare apparet veritas, nisi impugnetur & disputetur contra eam. In principio enim mendaciū impugnauit veritatem in paradiso, & Cain Abel viuentē in veritate, & idololatrę veros Dei cultores, & oportet autem in disputatione quod sit opponens & respondens. Ideo quia fidei contradicit diabolus & contrariatur, nō quia non credat, quia dæmones credunt & contremiscunt, sed quia vult impedire credituros ne credant & credentes salui fiant, propterea à principio suos scholares suscitauit, vt cōtradicerent ei, & Deus permisit vt veritas clarius appareret. *D Fidem quare permisit Deus impugnare per magos.*

Secundo ad ostendendum virtutem Christi semper superare virtutē diaboli. Multi enim in istis magicis experientijs mirabantur dæmonis virtutem, sed mirabilior apparuit virtus Christi in miraculis suis, atque potentior in militibus suis. Impugnant enim huiusmodi falsa miracula falsæ prophetiæ, falsæ sanitates, miracula Christi, & fidem velut argumenta Sophistica. *Mirabiles elationes maris, sed mirabilis in altis Dominus,* id est in perfectis viris. Quia enim magistri clari erant iudicio populi, ideo voluit Dominus per eos milites suos fieri clariores. Nisi enim esset pugna, non inde fieret victoria, & si Hermogenes Iacobo non obstitisset, Iacobus non ita clarus euasisset, & si diabolus Iob non percussisset, patientia eius, & virtus eius non ita clara fuisset. Inde Corinth. *Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt manifesti fiant in vobis.* Tertio, vt exemplū capiant prælati exterminandi illam plātam & vigilandi, ne in orto Ecclesiæ inueniatur. Psal. 92. 1 Cor. 11

Sponte homo ad hoc tendit, vt sciat futura, & faciat huiusmodi, quæ videntur mirabilia, & sic facile labitur in talibus; contra quæ pugnandum est, non solum

lum verbo sed igne, & gladio. Ideo exẽplo priorum prælatorum, qui ita vigilauerunt ad expugnandas, & exterminandas hæreses, vigilent nunc superiores. Philetus vero accedens ad Iacobum statim conuersus est ad prædicationẽ eius, huius subitæ cõuersionis potuit esse verbum Iacobi velut facula ardens succendens domum Phileti sibi appropinquã-tem. Habet enim aliquid latentis energiæ viuæ vocis actus, quæ transfusa in aures discipuli fortius sonat. Sed Philetum ita fixit Hermogenes, vt se mouere non posset. Multi enim qui ad tales vadunt postquam ierunt, ita sunt verecundi de confitendo peccato vel timore pœnitentiæ, quod non audent illud reuelare, & sic fixi permanent in peccato suo, non à virtute magi, sed dæmonis astutia. Iacobus autem tunc misit Phileto baculum suum. Sed vnde baculus Iacobo? Nonne habebat ensem vel hallebardam? Respondetur, quod non est mirabile si B. Iacobus habuit ensem, cum fuerit vnus de duodecim Capitaneis, qui totum mundum acquisierunt Christo. Ensis eius fuit lingua eius, quæ fuit exacuta ex vtroque latere à Spiritu sancto, vt à dexteris, & à sinistris feriret bonos consolando, & malos conuertendo. Vnde & lingua figuratur in modum ensis, quæ quidem vno ictu mille vel decem millia percutit. Sed quia B. Iacobus peregrinus erat per mundum, (in mundo enim toto nihil habebat, nec terram, nec herbam) ideo bene in figuram peregrini pingitur, & opus erat ei baculo materiali. Baculus autẽ materialis alicuius peregrini ad tria valet. Primo ad fugãdum canes, & se defendendum, & sic Iacobus contra canes diabolos misit Phileto baculum. Secundo valet ad transeundum pericula, sicut ad transeundum fossata, & similia. Tertio ad se sustentandũ. Baculus enim portatur ab homine, & tamen hominẽ portat, & hoc modo potest intelligi labor peregrini, quem portat peregrinus propter amorẽ S. Iacobi, quo labore portatur in

E

Lingua boni prædicatoris ensi gius est.

Nota.

cælum. Et propter hoc consueuerunt in signum huius peregrini accipere baculum in manu sua contra dæmones, ad sustentationem corporalem, & in signum spiritualis sustentationis, & ad transeundum pericula, quia per meritum, & sustentationem S. Iacobi transeunt multi multa pericula, & singulariter pericula mortis, vt patet per multa exempla in legenda eius. Post hæc autem misit Hermogenes dæmones ad adducendum vtrumque ad ipsum.

Vbi quæritur vtrum dæmones per artem magicam cogãtur obedire magis. Et videtur quod sic, quia per exorcizationes & maledictiones eos cogunt ista facere. Respondetur quod non coguntur, sed ita faciunt, vt miseros decipiant, & honorem ab eis habeant, & fiduciã suam in eis miseri homines ponant. Sicut pater aliquando se permittit ligari à puero irridendo puerum, & faciendo voluntatem eius, sed statim dum vult frangit omnia cito, nec vinculis illis tenetur. Sic est de diabolo, & filijs eius per imitationem. Dicunt enim se per nomẽ Domini inuocare eos, & ad se venire, & obedire, & per eos facere miracula, sed hoc non est verum. Primo, quia dæmones inuocati non ita cito veniunt, neque succurrunt, vt plures oblationes, & supplicationes, & homagia habeant, vt patet. Vbi sacerdotes Baal quando non statim affuit Baal inciderunt, se lanceis, & cultris, vt sanguine perfunderentur, quia dæmones secundum magistrum in Hystoria scolastica super locum illum, multum oblectantur oblatione sanguinis humani, quasi eis offeratur propria substantia, & sint martyres pro diabolo. Secundo, quia malis coniurantibus diabolos per nomen Dei non obediunt dæmones, vt patet. Vbi quidam exorcistæ leguntur dæmonem adiurasse per Iesum quem Paulus prædicabat, vt exiret ab homine obsesso, quibus ille respondit Iesum noui, & Paulum scio, vos autem qui estis? & insiliens in eos ver-

F

Magi nõ cogunt dæmones

3 Re. 18

Act. 19.

berauit eos egregie, & incussus est timor omnibus exorcistis, vt nō auderent amplius dæmones in hunc modum adiurare. Dicitur secundo, quod isti carminatores sunt medici diaboli. Nam habet anima medicos spirituales viros, natura suos, Deus suos, scilicet sanctos, & diabolus suos medicos, & Prophetas à quo salariū accipiunt. Volunt enim isti cum primis parentibus diuinitatis iura sibi attribuere, cuius est solius sanitatem cito dare, & futura præscire, & cui voluerit Deus reuelare vel dare, dedit autem hanc potestatem sanctis suis. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Tales autem non sunt Sancti, quia si essent sancti, virtus sanatiua specialiter cum ossibus illorum, & reliquijs remaneret post mortem, sicut de alijs sanctis communiter leguntur multa miracula facta post mortem per reliquias eorum, & plures sanasse leguntur mortui quam viui, quod nunquam de istis legitur. Sed tamen vetulæ potius talibus credent quam Theologis, qui per totam vitam suam studuerūt ad ista respondere, in quo tantum errarent sicut Eua errauit, quæ credidit serpenti, & sicut errarent tempore Antichristi. Ostendunt enim fidem opere præcedenti. Nam citius crederent Antichristo, qui maiora faciet miracula, quam istis quibus de facili credunt.

G Magi & carminatores sunt medici diaboli

Mar. 16

Nota

Venientes autem dæmones missi ab Hermogene ad Iacobum in aëre vlulare cæperunt dicentes: Iacobe Apostole Dei miserere nobis, quia antequam tempus nostrum adueniat iam ardemus. Sed nōne ardebant priusquam venirent ad Iacobum? Respondetur quod vbicunque est dæmon præsentialiter cruciatur, quia eius pœna spiritui infixa est, sicut lepra leproso, & sicut scabies scabioso. Et sicut rusticus, iumentum vel asinus non releuatur ex aula regia si pondus ferat, sic dæmon vbicunque sit, sua pœna, non releuatur, pœna quidem essentialis qua punitur pro peccatis, quæ commisit ante lapsum suū à paradiso, & in statu viæ semper manet æqualis, sed de accidentali nō est inconueniēs, quod augeatur sicut hic, ex eo quod præsumpserant isti venire ad capiendum B. Iacobum, sicut etiam sentit Augustin. de pœna Arrij accidentali, quod non sit terminata adhuc, quia nondum est finis eorum, qui damnandi sunt propter illam hæresim. Tertio venerunt flumina tribulationum contra hūc principatū Iacobi, imo cōtra ipsummet Iacobum, & non cecidit propterea. Cōuerso enim Hermogene immisit manus in Iacobū Abiathar summus sacerdos, & iniecit in carcerē, & ex cōsensu Herodis iussit eū gladio puniri in ciuitate Hierusalē in die annūciationis dominicę. Ratio autē erat quod gladio puniretur, quia qui gladio percutit gladio perimetur: sed ille gladio verbi inter cæteros feruētius percutiebat, ideo non est mirū si gladio peremptus est. Non tamen ex hoc aliquod nocumentum habuit, sed potius magnū fructum. Credunt enim tyranni nocere sanctis, cum tamen eis maxime benefaciant, scilicet interēdo mortem. Nā sanctis, melius est mori quam viuere: *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Vnde de Iacobo potest dici illud: *Iustus de angustia liberatus est*, & de Herode, quod sequitur: *& tradetur impius pro eo.* Nam statim ab Angelo expirauit. Poterant enim dicere inimici illud: *Sperauit in Domino, eripiat eum*, & ipse poterit respondere illud: *Ab inimicis meis saluus ero.* quia liberauit eū Dominus ab omnibus inimicis suis, & insuper eum glorificauit. Nā dum duceretur ad mortem corda in collo eius, quæsiuit paralyticus sanitatē, & obtinuit. Quando enim caro infirma est, spiritus est fortior, Ideo carne existēte in manibus impiorū spiritus dabat sanitatē mētis & corporis. Nam sanauit illū paralyticū corpore, & eum qui illū ducebat mente, scilicet scribā. Si enim possunt sancti teneri corpore, mens tamen teneri non potest, quin cum Deo versetur. Tertio maxime confortatus est, & confirmatus principatus beati Iacobi

H Martyribus non nocuerūt tyranni.

Phil. 1.

Psal. 115

Prou. 11

Psal. 21.

Psal. 17.

Iacobi in gloria cælesti, vbi est locus tutus ab insidijs inimicorum omnium, & periculorum, & ruinarũ, vbi qui sedit à sinistris tribulationis, & aduersitatis in hoc mundo, nunc sedet ad dexteram totius prosperitatis, illic in æternum sessurus tanquam vnus de principibus Ecclesiæ triumphantis, de quibus Psalm.
Psal. 46. *Principes populorũ cõgregati sunt cũ Deo Abraham.* Hoc enim iustum est, vt qui in hoc mundo sedet à sinistris, in alio cum Deo sedeat à dexteris. Consuetudo namque est, vt qui sunt ad ignem ante prandium, postea vadunt versus ventum, & cõtra.
Nota. Exemplum habemus de diuite malo, &
Luc. 16. Lazaro. Nutrix enim puerum suum in sinistra, vt ipsum nutriat & pascat cum dextera. Sic modo Deus pueros suos in sinistra aduersitatis tenet & portat, vt tandem cum dextera suæ fœlicitatis eos
Cant. 2. nutriat. *Leua eius sub capite meo*. Supponitur enim capiti, vt sustineat, & tollat in altum, & leuet sursum, & dextera gloriæ amplexabitur me. Aries si in æstate dormiat in dextero latere in hyeme dormiet in sinistro. Figura huius habetur. Vbi
Gen. 48. primogenitus positus est à dextris, & secundo genitus à sinistris, sed tandẽ concellauit Iacob pater manus, & posuit sinistram super primogenitum, qui erat à dexteris, & dextrã super alium, qui à sinistris fuerat collocatus. Sic erit de pauperibus, & diuitibus, quia Deus finaliter concellabit manus, id est, mutabit manus distributionis suæ, & erunt nouissimi
Apo. 10 primi & primi nouissimi. Vnde & Apoc. Angelus posuit pedem dextrum super mare, id est, amaros per pœnitentiam, & sinistrum super terram, id est terrena di-
Cant. 5. ligentes. *Manus Domini tornatiles*, id est versatiles, & mutabiles. Sed vultis scire
I Sedent hic differenter boni & mali. quomodo differenter boni, & mali sedent in hoc mũdo, & quomodo mũdus collocat eos. Hoc apparet in duobus personagijs magnis. Herode scilicet cuius fœtor, & mala vita vsque hodie in memorijs hominũ manet, & Iacobo cuius vita sancta, & victoria præconizatur vsque hodie. Herodes hic collocatus est in dextera, Iacobus in sinistra. Dextera mũdi pars secundum philosophos est meridionalis clara, & calida, quia semper ibi est sol, sed sinistra est septẽtrionalis frigida, & obscura, quia sol ad illas partes nunquã totaliter se cõuertit. Sic sol mũdanæ claritatis calefacit magnos, incitat ad bella, & ad superbam nobilitatẽ, quæ ita excæcat eos, vt non videant se, & cognoscant, & nigros nõ exterius, sed interius facit. Sed pars opposita gignit homines albos, frigidos, & pacem quærentes. Nota.
Vnde Ezech. *Facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quatuor, & facies bouis à sinistris ipsorum quatuor*. Homo animal blandiens significat adulatores, & leo seuiẽs raptores, & exactores, bos animal oneris patientes agricolas, & mercatores, & tribulationum toleratores. Et certe videntur facere, quod præcepit Dominus scilicet nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, quia isti cauent ne inferiores, & subditi sciant, & percipiant cautelas, & malitias, quę dextera consulit, & machinatur, & tractat. Sic ergo Iacobus fuit in sinistra collocatus in mundo, & Herodes in dextera. Sed modo ergo Herodes in sinistra collocatus, quia male perijt vermibus scaturiens, ex plaga sibi diuinitus inflicta. Eo quod sibi diuinos honores attribui passus fuisset. Iacobus autem in cælestibus in dextera, de qua Psalmi. *Delectationes dextera tua vsque in finem*, quia delectationes mundi nõ vsque in finem, sed terminantur saltẽ morte, nõ autem delectationes paradisi. Et ibi est pulchritudo, quia *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato*. Sed multi sunt sicut vulpes, quæ (vt de ea dicitur) Dexteram tibiam breuiorem habet quã sinistrã, ideo semper claudicat dum incedit. Sic multis desideria, & affectus bonorum æternorum sunt valde breues, quia parum de eis cogitant, sed terrenorum sinistrę valde lõge, ideo in moralibus communiter tales claudicant. Sic autem beatus Iacobus est in dextera gloriæ collocatus, illic

Ezech. 1. Psal. 44.

stabilem habens suum principatum, vt etiã virtus principatus eius sentiatur in hoc mundo, taliter, quod ex omni fere orbe ad locũ vbi requiescit corpus eius confluunt fideles: possimus quoque dicere confidenter per medium eius Christo, quod Iob. *Operi manuum tuarum porriges dexteram*, non autem sinistram vbi stabunt hædi. Iob 14

### DE EODEM SERMO V. ET IN *ordine. XXV. factus in quadam processione generali Per Thema.*

Mat 20 A Matres duæ significã- tes duas Ecclesias

ACcessit ad Iesum mater filiorum Zebedei cum filijs suis adorans, & petens aliquid ab eo. Duplicem legimus matrem ad Deum accessisse, vna scilicet præsentem, quæ tamen dilationem accepit, sed tandem quod petijt obtinuit. Nam à dextris Iannes à sinistris Iacobus sedet, & hæc significat nostram matrem Ecclesiam militantem, quæ quotidie pro necessitatibus filiorum orat Dominũ. Quasi differat audire, in fine tamen exaudit. Exaudiuit enim Dominus Noe in Arca, sed post diluuium; exaudiuit Annã matrem Samuelis pro liberis habendis, sed post multum fletum, & opprobria multa. Secunda mater quæ ad Christũ accessit, fuit Maria mater Dei, quæ pro his qui in nuptijs erãt inuitati petijt vinum dicens, vinum non habent, & ista fuit statim exaudita, & significat matrem nostram Ecclesiam triumphantẽ, quæ semper à deo auditur, & exauditur. Ideo venimus hodie processionaliter cũ reliquijs ciuium huius ciutatis, & in die memoriali eorũ, vt ipsi obtineant apud patrem medio matris dilectæ quod petunt, quia in seruis suis Dominus miserebitur. Ad eam igitur quæ mater est, & repræsentatio ipsius Ecclesiæ, cõuertamus orationem dicentes. Aue gratia plena, &c.

Nota. Per matrem filiorum Zebedei intelligere possumus mystice Ecclesiam matrem nostram, in qua regenerati sumus in Christo propter multa. Primo quia licet filij eius repellantur à petitione sua, ipsa tamen non repellitur, quia licet filij Ecclesiæ aliquando indigni sint accipere quod petunt, ipsa tamẽ Ecclesia Christi sponsa dilecta numquàm à sponso suo repellitur, quin habeat quod petit. Quomodo enim posset dominus repellere eam, quam tanto opere dilexit, vt pote quam redemit sanguine suo, de qua dixit, *vna est columba mea, formosa mea, immaculata mea*, licet quondoque differat exaudire, vt melius exaudiat, vt ponit exemplum Augustinus libro confes. de matre sua, quæ orabat ne discederet Augustinus ab ea, & tamen non audiebat eã Deus, vt postmodum exaudiret eam, & conuerteret filium suum. Secundo quia ista dicitur mater filiorum Zebedei. Qui interpretatur donatus vel dotatus scilicet virtutibus. Sic Ecclesia dicitur proprie mater filiorum Deo deditorum, & virtute dotatorũ, nõ malorũ, sicut Deus dedignatur appellari Deus malorum. Licet enim mali sint de Ecclesia numero, non tamen merito. Sicut tamen ista mater petit pro his qui nondum erãt digni regno, sic Ecclesia pro peccatoribus, qui indigni sunt Deo, figurata per Rachelẽ quæ dixit, da mihi liberos alioquin moriar. Tertio quia sicut ista mater non accedit ad Christum nisi cũ filijs suis, sic nec mater Ecclesia hodie ad Christũ accedit, nisi cum multitudine filiorum clamantiũ ad Dominum in necessitatibus suis. Scit enim quod in concilio, & cõgregatione iustorũ magna opera Domini. scit insuper, quod impossibile est multorũ preces nõ exaudiri, scit etiam clamores multorũ filiorũ à patre & pio quidẽ patre misericordiarum, & cõsolationis audiri. scit denique, quod miseris filijs accurrit pater, vt misereatur, vbi ad vindictam deambulat ad auram, & refrigerium, & temperamentum, ideo bene hodie accessit mater filiorum Zebedei adorans, &c. Cant. 6. Heb. 11. Gen. 30.

B Petentiũ multiplex genus.

Quia quidã petunt indiscrete qui aliquãdo non exaudiũtur, ad salutẽ eorum,

Deus

Psal. 21. *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies & nocte, & non ad insipientiam mihi*, vtpote qui in aduersitate, aut prosperitate petunt, & non audit Deus, ad salutem eorũ differens, exemplo pij patris differentis audire puerum infirmum nolentem bibere potionem amaram. Alij indiscrete petunt, vt mali quibus omnia concedit, sicut medicus ægris desperatis, sicut mater filijs importunis, & malis. Alij discrete petunt, & isti audiuntur, etiam plus quam petant, vt habemus exemplum in Zacharia patre Ioannis Baptistæ, qui orabat simpliciter pro habendo filio, & Dominus dedit ei præcursorem suum.

Psal. 103. *Omnia à te expectant vt des illis escam, sed tempore oportuno*. Ideo vt petamus discrete sequamur consilium Domini dicentis. Matt. 6. *Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius*, & sic petemus tria, Primo regnũ Dei, quod est bonum æternum. Secundo iustitiam eius, & pacem, quæ est bonum temporale, licet spirituale. Tertio bona corporalia & temporalia.

C

Regnum Dei cur primo quærendum est.

Primo igitur quærite regnum Dei, & hoc primo, quia ad magis necessariũ magis est currendum, sed licet temporalia, & terrena bona sint nobis necessaria, tamen magis æterna, ideo primũ quærite, &c. Secundo durabilius bonũ sollicitius custoditur, & curiosius possidetur, sicut vlna panni magis durabilis quam minus, & vnum incorporale quam quod pulsari potest, & vinea quæ deprædari non potest, quam quæ latronibus est exposita. Nota. Vnde hedera Ionæ, quæ vna nocte floruit, & vna aruit, parui erat momenti, & Iona 4. paruæ reputationis, quare, &c. Tertio ad quærendum regnum Dei nos mouere debet nobilitas regni, quę consistit in tribus. Primo in dignitate dominantium.

Et quis dignior quam creator omnis creaturæ, à quo omnis magnificentia, & dignitas deriuatur in cœlo & in terra? Hest. 5. Magnus & largus qui exemplo Assueri promisit Ecclesiæ medietatem regni sui, imo totum regnum cuilibet fideli amico. Felix, qui fideliter ei seruit. Hinc hortatur Apostolus: *Ambuletis digne Deo, qui vos vocauit in regnum suum, & gloriã*, quemadmodum Apostolus eius Iacobus, cuius hodie ingressus in regnum celebratur. 1. Thes. 2.

Non sic ingressus regum annuatim celebratur. Quanto ardore seruiuit Deo, qui primus inter Apostolos meruit martyrio coronari, primus reddere Deo quod pro eo fecerat. Tantus erat eius feruor, vt Iudæi incenderentur inuidia contra eum, & primum necarent, quia Psal. *Dum superbit impius*, scilicet Abiathar Psal. 9. summus Pontifex Iudæorum, *incenditur pauper*, scilicet Iacobus. Sed dices, de humili plebe sum debilis & pauper, & magni valoris est regnum istud, quomodo ergo possidebo? Respondet vobis Dominus. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit ex sua charitate patri vestro dare vobis regnum impreciabile*, inde & latroni dedit, & Hierusalem superna ædificatur, vt ciuitas, vt sint in ea multi habitantes diuersi generis. Cum ergo insertum sit seu insitum humano cordi honorem appetere, quanto desiderio & deuotionis incessu debet ad culmen veri honoris aspirare.

Ideo dicit Dominus, primum quærite regnum Dei meditando, desiderando, terrenis omnibus præferendo, orando, loquendo, inquirendo & fideliter operando. Secundo, consistit in multitudine habitantium ineffabiliter regnantium. *In multitudine populi dignitas regis*. Prou. 14. Deus, vt magnificentiam suam ostenderet ab initio creauit innumerabiles sanctos Angelos tanquam ministros, milites, & principes nobilissimos, non quia eis indigeret, aut aliquid perfectionis ab eis acciperet, aut per eos acquireret, sed vt eos participes faceret bonitatis & gloriæ regni sui, de quo Dan. *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei*. Dan. 7. Et: *Numquid est numerus militũ eius*, Iob 25. deinde ad gloriam suam ostendendã & communicandam fecit hominũ innumerabilẽ multitudinẽ & refecit, sicut alt.

Psal. 11. *Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum*, & iure redemptionis acquisitos fecit participes regni sui. Apoc. 7. *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus*. Sed multitudo qualiumcunque personarum nobilitatem non efficit, sed solum personarum laudabilium. Nõ enim est regnum nobile iudicandũ propter multitudinem ribaldorum, ignobilium personarum, aut impiorum hominum, sed quando habent excellentiam in dignitate, moribus & vita. Omnes autem in regno cælorum sunt reges Dei manibus coronati. Iob 36. *Reges in solio collocat in perpetuum*, Et: Sap. 5. *Iusti in perpetuum viuent*, sequitur, *Ideo accipient regnum decoris*, & *diadema speciei*. Nec mirari debes si omnes sunt Reges, quia secundum Ambrosium, seruire Deo regnare est. Vnde qui in hoc mundo seruiunt, iam regnare incipiunt, ideo beati Domino seruientes, quia in perpetuum regnabunt. Apoc. 22 *Serui eius seruient ei, & regnabunt in sæcula sæculorum*. Tales sunt quorum hodie reliquias portamus, quorum solennia celebramus, qui per victorias nobiles intrauerunt in regnum cælorum. Mat. 11. *Regnum* (enim) *cælorum vim patitur*, & ideo non nisi per vim habebis. Peccator autem per vim intrat, dum cui debebatur pœna æterna & infernus, per pœnitentiam quasi in locum alienum intrat in patriam cæli. (Nota.) Grandis est violentia in terra nasci, & cælum rapere, & acquirere per virtutem, quod per naturam nõ possumus, & violẽti rapiunt illud, id est pœnitentes contra legem carnis sibi violentiam inferentes. Vim namque factura est sibi anima, vt regnum cælorum, quod multis aduersantibus inimicis & proprijs actibus subtrahi sibi sentit, viribus contendat acquirere. Non enim sine violentia fieri potest, vt de abundantia & delitijs ad famem & sitim, ad abstinentias & crucem transeat, & amicam prius somno & otio carnem deditam, labore & vigilijs conficiat. Non enim sine violentia est, vt homo dimissis consuetudinibus suis, subito in virum perfectũ transformetur. Tertio propter vbertatem & bonorum abundantiam. Quærimus hic abundantiam bonorum quæ cito transeunt, & miseria nostra non quærit ea quę permanent, cum tamen dicat Dominus, Ioan. 6. *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*. similes illis qui despiciunt rem, quia parum constat, quia dicit: Psal. 55. *Pro nihilo saluos faciet illos*. Exemplũ est de quadam meretrice sorore cuiusdam senioris in vitis patrum, quæ propter vnam solam pœnitentiam & displicentiam sui peccati, ex cuius vehementia mortua est, ingressa est regnum. Exemplum etiam hic habes de Hermogene & Phileto, & similiter de Iosia Scriba, qui cum Iacobo decollatus est. Multi autem refugiunt intrare, quos compellit Dominus ærumnis & calamitatibus & miserijs, iuxta illud: Luc. 14. *Compelle intrare*, quemadmodum Iacobus, qui in Hispaniam iuit nec conuertit nisi paucos, quia non erat aduersitas per quem compellerentur intrare, sed post imminentibus bellis & aduersitatibus ad Deum conuersi sunt. Psal 82. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine*. Secundo quæramus iustitiam eius, & in primis iustitiam ad se, id est bona opera facere. Iustum est, vt si tibi Deus det regnum, quod in te primo habeat regnum. Vide ergo si regnet in te, quomodo obeditur ei, quomodo ibi fit iustitia de latronibus terræ tuæ. Hæc iustitia est via in Paradisum. Si quis vadat ad sanctum Iacobum, oportet vt teneat viam assuetã. Sic in Paradisum nullus ingreditur, nisi per vias quibus antiqui patres ingressi sunt, non per diuitias male acquisitas, non per delitias indebite procuratas, non per dignitates vsurpatas. Hier. 16 *Interrogate de semitis antiquis*, quæ sit via per quam ierunt in cælum patres antiqui & Christus, & ambulate in ea. Sed nunc eliguntur viæ modernorum, scilicet rancor, inuidia, fraus, &c. Psal. 94. Psal. *Ipsi vero non cognouerunt vias meas*. Tertio quærere possumus temporalia bona, & hoc ad tria. Primo ad necessitatem, Pabulum enim

D enim iumentorum non quærimus, nisi
*Temporalia bona ad sua quæri possunt.* propter iumentum & eius necessitatem.
Secundo ad vtilitatem, vt actus virtutum
exerceamus, & proximo subueniamus.
*1. Ethic.* Diuitiæ enim sunt organa felicitatis. Tertio ad decentiam, vt homo melius seruiat
*Prou. 30* Deo, propter hoc dicebat Salomon: *Diuitias & paupertates ne dederis mihi, sed tantum tribue victui meo necessaria, ne egestate compulsus furer*, sed non principaliter quæri
*Psal. 33.* debent, quia Psal. *Inquirentes Dominum non deficient omni bono.* Sed videamus ne forte simus causa subtractionis pluuiæ. Pluuia enim propter quinque non datur. Primo quia populus non est hæreditas Dei. Nam pluuiam voluntariam segregabit Deus hæreditati suæ. Ortulanus enim non libenter irrigat terras nisi suas.
*Leu 26.* Inde: *Si in mandatis meis ambulaueritis, dabo vobis pluuiam congruentem temporibus suis.*
*Eccl 24* Et: *Rigabo ortum plantationum mearum, non*
*Mala.* *alienarum*. Secundo propter defectum
*Hier. 3.* pluuiæ spiritualis. *Polluisti terram fornicationibus & malitijs tuis, idcirco prohibitæ sunt illæ stillæ pluuiarum*. Siccitas in lingua infirmi indicat calorem inordinatum & interiorem siccitatem; sic siccitas temporalis ex spirituali siccitate frequenter procedit. Vbi enim non sunt dona Dei, non sunt communiter bona temporalia, imo homines mali abundantes in bonis, non abundarent illis, nisi haberent industriã, vel ingenium, quod est donum Dei, quod tamen male applicant. Sic carentia fidei in populo tempore Achab fecit claudere cælum, ideo Moyses dicebat:
*3. Re. 17* *Concrescat in pluuiam doctrina mea*, quæ erat
*Deut. 32* doctrina spiritualis. Tertio propter su-
*Psa. 103* perbiam. Ps. *Per medium montium pertran-*
*2. Reg. 1* *sibunt aquæ*, Et: *Montes Gelboe nec vos nec plu-*
*Hest. 10* *uia veniant super vos*, sed Hest. *Paruus fons creuit in fluuium magnum*, quia humilitas populi meretur abũdantiam pluuiarum.

Quarto propter tyrannides & defectum iustitiæ. Sic de Ægyptijs dicitur:
*Ps 104* *Posuit pluuias eorum in grandinẽ*, &, facta est
*2. Re. 21* fames in diebus Dauid tribus annis iugiter, propter tyrannidem, quam exercuerat Saul contra Gabaonitas, occidendo multos contra iuramentum eis aliàs factum, nec quieuit quousque facta est iustitia per suspensionem septem filiorum Saul in patibulis, sed pietas oppositum facit. Facit enim pluere pluuia oculorum & impletur illud, fulgura in pluuiam fecit. Exemplum de beata Scolastica quæ impetrauit pluuiam à Domino, vt detineretur cum ea beatus Benedictus, & liceret ei diutius pijs verbis & doctrinis cum eodem Benedicto insistere. Quinto propter ingratitudinẽ quæ meretur fluenta gratiarum siccari. Nunc enim sunt multæ blasphemiæ creatoris, qui omnibus dat affluenter. *Quid est quod* *Esai. 5.*
*debui facere vineæ meæ, & non feci ei? expectaui quod faceret vuas, & fecit labruscas*, &
sequitur: *Nubibus mandabo ne pluant super* *3. Reg. 8*
*eam imbrem, ideo conuertamur à peccatis nostris, & Deus exaudiet nos*. Vnde orabat Salomon: *Si clausum fuerit cælum, & non pluerit propter peccata populi, & orantes in loco isto pænitentiam egerint nomini tuo, & à peccatis suis conuersi fuerint propter afflictionem suam, exaudi eos in cælo & dimitte peccata seruorum tuorum & populi tui Israel, & ostende eis viam bonam per quam ambulent, & da pluuiam tuam super terram quam dedisti populo tuo in possessionem.*

## DE SANCTA MARTHA SER. I. & in ordine. XXVI. Per Thema.

MArtha Martha solicita es & turbarũ *Luc. 10.*
erga plurima. Quæstio posset esse *A*
an Mariæ vita eligibilior esset *Actiua*
quam, Marthæ. Et videtur quod sic, quia *an sit eligibilior*
iudicio Saluatoris Maria optimam par- *contemplatiua*
tem elegit, Martha vero turbabatur circa *vel e conuersa.*
plurima, igitur vita Mariæ eligibilior est vita Marthæ & per consequens sequi vitam Mariæ est eligibilius quam sequi vitam Marthæ. Respõdetur primo quod pro statu Innocentiæ vita contemplatiua erat simpliciter melior quam actiua. Probatur quia per actiuam intendebatur ad proximum, per contemplatiuam libere

bere ferebatur homo in Deum, amoto quocunque impedimẽto. Tunc enim homo liber erat à labore, viuens de his quæ sponte terra germinabat, ideo tunc ferebantur in Deum vir & mulier ita, vt non cognoscerent se esse nudos. Dicitur secũdo quod vita mixta ex actiua & contemplatiua est pro nunc simpliciter melior & excellentior. Non enim possumus nũc incessanter vacare Deo, sed oportet intendere necessarijs vitæ & suorum subditorum, vt patet in Episcopis, quorum status est in summo perfectionis. Cum autem vacatur Deo sola est contemplatiua, cum vero proximo propter Deum est actiua appropinquans contẽplatiuæ. Dico tertio quod vita Mariæ erat simpliciter melior pro tunc testimonio Saluatoris. Martha enim tunc regebat prædia & possessiones, ideo turbationes habebat plurimas. Sed post passionem Christi cum omnia reiecit ad pedes Apostolorũ, tunc omnem solicitudinem illam deposuit, & sic Martha & hospitalitati, & Christo deseruiebat absque solicitudine. Ex quo sequitur quod religiose huius domus videntur esse in statu perfectissimo, quæ omnia reijcientes iam omnem mundi solicitudinem deposuerunt, & iã membra sui sponsi amplexantur complexando infirma membra Christi, iam non nisi circa Christum vacant. Quid autem pulchrius quam videre in matrimonio sponsam cum sancto amore amplexantem sponsum? Quid dulcius quam videre religiosum quotidie ad libitum amplexantem Christum qui dicet eis, quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, de quo gloriabatur sancta Martha, cum esset in suis necessitatibus aduocans suum hospitem. Quid maius potest fieri Christo quam quod agitis? Pascitis eum, potum datis, vestitis, infirmum non solũ visitatis, sed & curatis, & portatis ac consolamini. Si hæc feceritis ex corde & animo sicut Martha, magnum vos meritum manet. Vt autem in vita beatæ Marthæ tanquam in speculo videre possitis quid agere debeatis, & illud exequamini, auxilium Dei implorandum est, quod facilius obtinebitur medio Mariæ virginis, cui Martha deuotissima erat, igitur dicatur ei, Aue gratia, &c.

Primo dicemus de beata Martha, quomodo erat bona hospita & solicita. Secundo quomodo turbata est circa plurima, seu multipliciter tribulata.

Quantum ad primum dicitur quod quinque sunt conditiones bonæ hospite, quas habuit Martha. Prima est quod sit munda, & munde tractet hospites. Non enim vellent homines hospitari in loco immundo. E contra allicitur quis manere in domo munda, & in aëre mundo, sicut allicitur apis morari in loco mundo & in arbore concaua, & in loco florido. Pulchrum etiam ortum & bene clausum conserit prudens Ortulanus diuersis & pretiosis generibus herbarum & arborũ. Sic cœlestis Ortulanus. *Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.* Sic Martha præparauit mundum hospitiũ Deo, quia virgo. Sic debemus omnes præparare, si velimus tandem in hospitio Domini recipi in cælis, quod est munditsimum. *Ciuitas illa aurum mundum simile vitro mundo, & nihil coinquinatum intrabit in eã.* Propterea (vt fabulose dicitur) taxum eiecit vulpes, quia fœdauerat foueam in qua abscõditur. Sic taxum illum qui taxat merita & demerita, præmia & supplicia, à nobis ejicimus, cum foueam conscientiæ nostræ, in qua abscondi deberet, peccatis fædamus.

*8 Hospita bona quinque conditiones.*

*Psal. 100.*

*Apo. 21*

Secunda conditio, quod sit bona prouisio in domo. Erat autem ad literam bona prouisio in domo Marthæ, quia diues in temporalibus, quæ sicut vere nobilis distribuebat pauperibus. Quia ergo videbat Christum pauperem, ideo libenter ei sua bona communicabat. Nobilium enim est sua dare, non aliena rapere. Sic si vis Christum hospitari tecum, debes in domo animæ tuæ habere bonam prouisionem virtutum, & maxime pietatis in pauperes eius.

Tertia

Tertia conditio quod fiat iucundè & sine murmure. *Hospitales inuicem sine murmuratione*, ita quod ex charitate procedat. Qui enim murmurat cum hospitem suscipit, totam gratiam perdit. Hilariter autem suscipit hospitem, qui omnia ponit in manus suas, sicut Martha quæ omnia Christo dedit, & posuit pretium omniũ suorum bonorum ante pedes Apostolorum. Multi dicunt, omnia sunt ad beneplacitum vestrum, sed sunt verba honestatis, quia nihil inde faciunt. Exemplum de paupere, qui tempestate coactus promisit dare cereum Deo ita grandem, sicut erat malus nauis. Cui cum diceretur quod non posset exsoluere votum propter inopiam suam, respondit quod sufficiebat sibi esse extra periculum, & postea videret quid ipse esset acturus.

1. Pet. 4.

Nota.

C

Hospitalitas in religione maxime seruanda est.

Quarta conditio, quod ministret cum consolatione, quia bona hospita debet cõsolari hospites, maxime cum sunt pauperes. Ista hospitalitas maxime debet obseruari in religione, quia bona religionis sunt bona pauperum, & ideo dicitur de religione: *Erit fons patens domui Dauid, & omnibus habitantibus in Hierusalem*. id est, omnibus pauperibus. Sed hodie porta clausa est eis in multis religionibus. Magna esset crudelitas, si rex denegaret ne biberent pauperes de Sequana, totus mundus clamaret post eum. Quanto magis contra religiones, vbi porta clauditur pauperibus, & tamen bona sunt eorum, vt dici posit illud: *In propria venit, & sui eũ non receperunt*, quia Psal. *Conuertit aquas eorum in sanguinem*, quia pietas in crudelitatem conuersa est, & non solum in lacubus & paludibus, sed etiam in riuis & fluminibus, id est ecclesiasticis & regularibus, ita, vt nihil pietatis inueniatur, & sic pisces qui erant in flumine, id est deuoti in religione mortui sunt, & iam flumen religionis factum est putridum ita, vt Ægyptij, id est pauperes, quocunque se vertãt, nihil nisi sanguinem, id est crudelitatem inueniant, nec habent quod bibere possint, hoc est nihil refrigerij inueniunt. Quinta conditio, ministret cum diligentia exemplo patrum antiquorum, ad quos nos remitit Apostolus: *Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatis nolite obliuisci*. Per hanc quidem Loth & Abraham Deo placuerunt, qui credebant hospitari homines, & hospitabantur Deum & Angelos. Et propterea Martha satagebat circa frequens ministerium, & arguebat suam sororem quod non erat suæ diligentiæ conformis, dicens: Domine non est tibi curæ, &c. Sed quia soror solicita erat circa spiritualia, quorum solicitudo præponenda est temporalibus. ideo Dominus respondit: Martha Martha solicita es, &c. porro vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit, &c.

Zach. 13

Ioan. 1

Psal. 77.

Heb. 13.

Hic quæritur primo quare Dominus nomen Marthæ geminauit. Respondetur primo quod hoc fecit ad maiorem explicationem effectus solicitudinis temporalis, qui est turbatio & tristitia, quod innuebat Dominus, cum dixit primo Martha solicita es, & subiunxit effectum, turbaris erga plurima. Ad istas autem solicitudines libenter currunt homines, non capientes quanta mala ex eis oriuntur, ideo vt vehementius hoc menti Marthæ imprimeret, bis nominauit Martham. Secundo hoc fecit, vt sciant qui laborant in actiua, propterea si multis vexentur angustijs & multis distractionibus lacerentur, vnde se sentiant minus deuotos, non propterea delendos esse de libro vitæ, cum & ipse liber vitæ Martham sic solicitudinibus implicatam bina vice expresserit, cum dicat de iniustis & malis, nec memor ero eorum per labia mea. Tertio, vt duplici nomini correspondeat duplex meritum. Quia enim hospitales sicut fuit Martha & corpore & anima Deo laborant, ideo & corpore & anima præmiantur hic, scilicet in præsenti. Propter quod in fundatione religionum quia laborabant Deo, & membris eius scilicet pauperibus, ideo data est eis abundantia spiritualis in deuotione

D

Actiua vita turbatio nõ excludit salutem.

deuotione & temporalis in bonorum temporalium affluentia. Sed modo auferuntur eis & non sine causa.

Secundo quærit August. quomodo reprehendebatur quæ tanto hospite lætabatur. Quod si verum est, dimittant homines ministrare egentibus, eligant sibi partem meliorem, quæ non auferatur ab eis, vacent verbo, inhient dulcedini doctrinæ occupentur circa scientiam salutarem, nihil eis curæ sit, quisquis peregrinus in vico sit, quisquis egeat pane, quis indumento, quis visitandus, quis redimendus, quis sepeliendus, vacent opera misericordiæ, vni instetur scientiæ. Si melior pars est, cur non omnes id faciũt, quando ipsum Dominũ in hac causa patronum habemus? Non enim timemus in hac re ne offendamus eius iustitiam, cũ patronam teneamus eius sententiã. Respondet: Maria meliorem partem elegit, non tamen Martha malam. Sed ideo melior quia circa vnum, illa circa plura. Vnum vero multis præponitur, quia nõ à multis vnum, sed ab vno multa. Multa quidem facta sunt, vnus qui fecit. Bona illa valde fecit, sed melior qui hæc fecit. In hoc sæculo multis indigemus, & multa sunt mala miseriæ, quæ in futuro sęculo non erunt. Maria autem se voluit occupari circa vnum quod est necessarium & semper manebit. Vnde ait, mihi adhærere Deo bonum est. Transit labor multitudinis, & remanet vnitas charitatis. Hoc non auferetur ab ea, sed à Martha bono suo auferetur quod elegit, vt quod melius est detur, auferetur labor, vt detur requies. Tertio quæri posset an solicitudo sit mala & disconueniens homini. Quod sic videtur, quia prohibet Dominus solicitudinem dicẽs: *Nolite solliciti esse.* Matt. 6. In oppositum est, quia Martha erat mulier, & tamen erat solicita secundum dictum Domini. Respondetur quod duplex est solicitudo. Vna est spiritualis qua quis solicitatur vt placeat Deo, & istam sancti viri habuerunt, & sanctæ virgines, vt Martha. *Qui sine vxore est solicitus est quomodo placeat Deo.* Cor. 7. Alia est temporalis siue circa temporalia, quæ si sit moderata est solicitudo prouidentiæ nec reprobanda. Contingit tamẽ tripliciter peccare in solicitudine temporalium secundum Tho. 2.2. qu. 55. art. 6. de quo vide in Dominica quarta Aduentus. Serm. 2. eiusdẽm Dominicæ circa finem. In secunda parte videndum est primo quotuplex est turbatio. Secundo quod multipliciter turbata sit Martha seu tribulata.

F Solicitud. dupl.

Pro primo dicitur, quod in scripturis & naturalibus quadruplex inuenitur turbatio. Vna quæ opponitur claritati sicut quando videmus fontem turbatum, & sic ex peccato turbatur cõscientia peccatoris, dum species rerũ quæ illicite appetuntur se immiscẽt cogitationibus nostris, & implent fontem conscientię aqua turbida cogitationum. *Torrentes iniquitatis conturbauerunt me.* Psal. 17. Tali aqua potatus diabolus. Philos. 1. de animalibus, equus diligit aquam turbidam, & ideo si inuenerit aquam puram vel claram turbat eam. Sic diabolus cogitationes nostras si claræ sint quemadmodum aquæ fluxibiles cõtinue turbare nititur, & lutosas eas facere, quia non diligit aquas claras, sed bibit de flumine turbido Ægypti cum populo Israel, de quo Propheta conqueritur. *Et nunc quid tibi vis in via Aegypti, vt bibas aquã turbidam.* Hier. 2. Secundo, turbatio opponitur ordini, vt dicitur exercitus turbatus quando soluit ordinem debitũ. Sic quando soluitur ordo debitus virium animæ, & sensualitas præponitur rationi, & quilibet sensus & pars animæ peruertit ordinem suum tanquam destituta regimine, tunc peccatrix anima non est terribilis dæmonibus, vt castrorum acies ordinata, sed magis sicut castrorum acies dissipata, non quidem ad resistendũ sed fugiendum. Vegetius libr. 1. Periculum ab hostibus semper grauissimum sustinuit diuisus & inordinatus exercitus. *Omnia itaque castra turbata sunt, & vociferantes vlulantesque fugerunt.* Iud. 7. Tertio turbatio opponitur lætitiæ. Hæc enim turbatio angustia

F Turbatio multiplex.

est

Psal. 5. est animæ. *Anima mea turbata est valde*, scilicet pro peccatis & solicitudinibus. Pro peccatis quidem, quia quamdiu placent homini fæces peccatorum, & anima delectatur in ipsis, tamdiu fæces illi resident in fundo conscientiæ quasi immobiliter. Sed quando incipit reuoluere iniquitatem & turpitudinem peccatorum, tunc quasi de profundo incipiunt fæces moueri & tota conscientia agitari & turbari. Ps. 142. *Anxiatus est me spiritus meus, & turbatum est cor meum*, & hoc quandoque fit ex sonitu prædicationis vel tonitrui iudiciorum Dei, secundum illud Psal. Psal. 45. *Sonuerunt & turbatæ sunt aquæ eorum*. Sed multi sunt quorum aquæ conscientiæ non propter hoc turbantur, quia faciliter remedium expectant. Vnde difficultatem remedij exprimit anima dicens, sed tu Domine vsquequo differs auxiliari. Sed isti nolunt, qui prouocant sensualitatem suam ad peccandum, quia facile habent remedium, sicut corizantes hodie, similes his qui portant tyriacam ad vendendum & portant serpentem in pixide, qui quia sciunt facile se habere remedium, prouocant serpentem ad mordendum. Habent enim remedium, vel in bursa vel per indulgentias, & sic prouocant sensualitatem ad tentationem & ad peccatum. Vide ne puella de illa tyriaca emat, quia venenosa est tyriaca eorum. Quarto, turbatio opponitur quieti. Non enim dormit homo turbatus sensu, nec quiescere potest. Sic qui in terrenis sollicitudinibus occupantur nullam habent requiem, secundum illud: Eccl. 5. *Satietas diuitis non sinit eum dormire*. Psal. 30. Psalmist. Talis erat qui dicebat. *Turbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus*. Sicut in Martha turbatus erat oculus rationis, vt non videret meliorem esse partem Mariæ quam suam, deinde anima, id est voluntas qua volebat sororem relinquere contemplationem & venire ad solicitudinem terrenorum, sed & venter, id est, memoria eius turbata erat nesciens vnū esse necessarium, quod aliquando confessa fuerat, quod erat Filius Dei præ solicitudinibus oblita. Sic multi terrenis occupati Dei obliuiscūtur. Pro secundo puncto dicitur quod septem inueniuntur turbationes seu tribulationes ipsius Marthæ, vt de ea dici possit: Iob 5. *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum*. Prima fuit circa solicitudines temporalium, quod testatur Dominus per verba proposita. Bona enim temporalia secum ferunt suas inopias & penurias & lites & diuisiones. De penuria patet, quia qui multa habet grana, oportet quod faciat magna horrea, & vbi multæ sunt opes, multi qui comedunt eas, vbi multum lactis vel mellis ibi multitudo muscarum: & si perdantur aggenerant tristitiam & dolorem in corde, imo videntur esse ipsum cor, sicut dicit Guiliel. Paris. Quando enim habet aliquis vineam congelatam vulgo dicit, ego sum congelatus, vel domum combustam vulgo dicit ego sum combustus, vel quando perdidit omnia bona sua, ego sum destructus, ego sum perditus, vel cum perdidit aliquam bonam hæreditatem dicit, ego perdidi melius membrum quod haberem. De litibus patet, quia dicitur vulgariter, qui habet terram habet guerram, & videmus illud experimentaliter. Sed ab ista tribulatione liberauit Martham Dominus per verbum prædicationis suæ. Sequuta est enim Dominum Iesum vendens omnia & dans pauperibus, existens de numero illorum, de quibus Act. Act. 4. *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat*. Secunda tribulatio fuit Passione Domini nostri Iesu Christi. Si enim mulieres quæ sequutæ fuerant eum à Galilæa ministrantes et affuerunt passioni Christi, credendum est magis Martham continuam Christi hospitam affuisse cum sorore sua, quamuis scriptura hoc non dicat. Si enim diligebat Dominus Iesus Martham & Mariam & Lazarum, vt testimonio scripturæ habetur, consequens erat, vt Martha

6 Bona temporalia secum ferūt suas inopias.

summe

summe diligeret eum. Vnde Seneca: Mõstrabo tibi artis medicamentum sine herbis, sine veneni carmine. Si vis amari, ama. Igitur Martha multum doluit in passione, & lamentata est Dominum. Sed ab hac tribulatione liberata est in die resurrectionis Domini, quando cum cæteris mulieribus creditur vidisse Dominum, licet scriptura hoc taceat. Ioannes enim non nominat nisi vnam mulierem, cui apparuit, Matthæus duas. Marcus tres Lucas multo plures, inter quas creditur fuisse Martha.

Tertia tribulatio fuit in tribulatione quæ facta est sub Stephano, quando cognouit Stephanum pro lege Dei occisum, & persecutionem Iudæorum sæuientem in Christianos. Durum enim est bonis & iustis, & Deo dilectis videre Sanctos viros, viros iustos, in tormentis, & iniusta pati, ideo nil mirum si dolebat in huiusmodi persequutionibus. Sed ab hac liberata est per constantiam suæ fidei & Apostolorum, quia vidit quod gloriosum
Eccl. 23. erat mori pro Christo, quia: *Gloria magna est sequi Dominum.* Ideo constans effecta in tribulatione non trepidauit.

Quarta tribulatio fuit in persecutione facta sub Iacobo Maiore, quæ fuit circa decimum annum post mortem Christi, post quam persecutionem non multum post dispersi sunt Apostoli, & hæc fuit secunda persecutio in Iudæa, & à Iudęis,
Act. 12 de qua Act. *Misit Herodes rex manus, vt affligeret quosdam de Ecclesia,* &c. In qua decollatus est Iacobus Maior in Hierusalē, & Petrus clausus in carcere. Tunc enim cum sorore sua & fratre suo Lazaro & alijs in fiscella sine gubernaculo exposita est mari. Deus enim semper suis immittit pericula, vt mundum odiant & ipsum di-
Ioan. 14 ligant, iuxta quod prædixit eis: *In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem.* Et liberata fuit, quia applicuit Massiliam, Domino dirigente, vbi prædicauit verbum Dei, &c.

Quinta tribulatio fuit in vexatione & tribulatione populi Massiliensis quam suam reputabat. Vnde draco immitis & immanis in nemore super Rhodanum inter Arelatum & Auinionem residebat, qui latens in flumine transeuntes perimebat & naues submergebat. Sed Martha crucē Domini producta ipsum aqua benedicta aspersit, & Zona sua alligatum occidi fecit. Per Zonam intelligimus iustitiam, quæ sicut cingulum diuidit hominem in duas partes, sic secundū æqualitatem diuidit ius vnicuique Et ideo dicitur de Christo *Erit iustitia cingulum lumborum eius.* Sed periculum est ne in cingulo isto pendat bursa, sicut in Zonis puellarum. Trahit enim aliquando bursa cingulum vltra medietatem, ita quod non æqualiter diuidit corpus, & maxime quando est onerata auro & argento, est enim iustitia sicut linea piscatoris, quæ antequam aliquid capiat recta est, postquam vero cepit paruos pisces modicum tortificatur, sed capiendo magnos pisces frangitur. Aqua benedicta est duplex. Vna est Marthæ, & hæc est misericordia quæ extinxit draconem, hoc est venenū iræ. Misericordia enim suffocat iras. Inde dicitur *si esurierit inimicus tuus ciba illum, Hoc enim faciens carbones congeres super caput eius.* Vel per aquam benedictam Marthæ intelligitur veritas, quam pauci diligunt, licet videantur appetere & diligere, sicut multi vultum ostendunt ad aquam benedictam, sed nolunt nisi parum de ea habere, & si multum habeant, cachinum faciunt, & citius vultum retrahunt. Sic enim est de veritate quod multi eam odiunt, quia secundum dictum Terentij, veritas odium parit, licet dicant multa bona de illa & dicant se illam diligere. Sed est alia aqua benedicta curiæ, quæ est fallitas, mendacium, adulatio & huiusmodi. Ad quod asperges continue tendunt vultum reges, principes, & prælati, quia secundum Psal. *Laudatur peccator in desiderijs animæ suæ.* Et sic ab ista tribulatione liberata est Martha, quando liberauit populum ab illo dracone.

D

Iustitia comparatur Zonæ

Esai. 11.

Nota.

Prou. 25

Psal. 9.

Sexta tribulatio, fuit in doloribus mortis.

mortis, quia per annum ante obitum suum ei Dominus reuelauit, in quo toto febribus laborauit. Sed liberata est ab hac tribulatione seu consolata, quando ante octo dies suæ mortis conspexit Angelicos choros sororis suæ animam in cælum deducentes. Septima & vltima tribulatio fuit circa mortem, quando apparuit ei hostis antiquus, qui extinxit omnia luminaria, quæ circa eam accensa erant. Forte Martha aliquid debebat hospiti suo Christo, quod tunc in illo terrore solutum est. Non enim est, ita bonum aurum, quod non remaneat in eo aliquid affinandum vel purgandũ, sed in tribulatione ista non tetigit eam malũ, quia aduenit hospes Dominus Iesus, qui ipsam ad cælestia inuitauit, & deduxit.

E — *Diabolus an appareat in morte*

Circa hoc quæritur vtrum diabolus appareat visibiliter in fine homini. Et videtur, quod sic, quia apparuit Marthæ vel in figura vel in opere, quæ tamen erat virgo sanctissima, quãto magis nobis miseris repletis peccatis. Ad hoc respondetur per tres propositiones. Prima est. Nõ est verisimile, quod regulariter appareat diabolus visibili forma in morte cuiuslibet hominis ante exitum animæ à corpore. Probatur, quia secundum Augustinum, sexto de ciuitate Dei, aliqui homines tam subita morte moriuntur, quod vix percipitur mors. Non est autem credendum, quod in tam imperceptibili tempore dæmon videatur, nec est verisimile, quod in statu tam periculoso in quo homo est moriens, quod Deus sibi immittat tam horrendam tribulationem. Secunda propositio, quãdoque ad malorum damnationẽ, & bonorũ purgationem, & nostri, qui viuimus vtilitatẽ diabolus in specie visibili apparet homini morienti antequam spiritus exeat. Hoc enim non est ad vtilitatem malorum, sed magis ad confusionem eorũ, & ad nostrã vtilitatẽ vt terreamur ab operibus malis Similiter & bonis apparet aliquando ad purgationem aliquorum venialium, sicut forte fuit in beata Martha, vbi terrore illo si quæ erant, purgata sunt venialia. De malis recitat Beda duo exempla lib. 5. historiæ suæ. Primum est de quodam monacho Girouago, qui antequam moreretur vidit in inferno luciferum, Caypham, & Pilatũ, & locum prope eos sibi deputatum. Secundum est de quodam milite dilecto à Rege Angliæ, qui noluit confiteri, & vidit duos dæmones extrahentes animam suam. Et B. Gregor. 4. dialog. recitat de monacho guloso, qui moriendo vidit draconem absorbentem spiritum eius. Tertia propositio. Postquã anima exiuit à corpore immediate se inuenit circundatam dæmonibus. Expectant enim eam in porta mortis, sicut catus expectat murem in foramine, vt eam rapiant. Sed iusti debent confidere in morte, qui desiderium suum impleuerunt amore Dei. *Non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.* Ber. Quis ille pauor o anima mea, cum dimissis omnibus quorum tibi est præsentia tam iucunda, tam gratus aspectus, cohabitatio ipsa tamen familiaris, sola ingrediens incognitam pœnitus regionem, occurrentia tibi cateruatim ruere illa teterrima monstra videbis? Quis tibi in die tantæ necessitatis occurret, quis tuebitur à rugientibus præparatis ad escam, quis consolabitur? quis deducet? *Psa. 126*

## DE EODEM FESTO SER. II. & in ordine XXVII. Per Thema.

A — *Religiosorum an mundanorũ vita vtra est eligibilior.*

Martha satagebat circa frequẽs mysterium. Iamdudum controuersia fuit maxima inter mundanos & mundi contemptores, quorum vita esset eligibilior. Mundani partem suam confirmant ex adepta libertate. Non enim bene pro toto libertas venditur auro. Liberi sunt mundani non religiosi, qui nec voluntatem propriam habent, imo corpus domo vel claustro clauditur quasi carcere. Præterea mundani tenent timpanum & citharam, gaudent & rident, vbi secundum Hiero. & Bern. monachus lugentis habet officium. Quis autem non



atem m:m

sed mille mortibus moritur; Vnde cum quidam exsputum corpus Christi ab infirmo cũ multa sanie & fœditate desumpsisset. Petrus Clun. reputabat illam sumptionem quasi alteram craticulã B. Laurentij ob nimium fœtorem illius saniei, ergo illorum vita est meritoria magis quam quæcumque alia, ideo summopere diligenda. Dicet enim cuilibet vestrum Dominus illud, quod Marthæ amicę suæ & hospitæ. Veni amica mea in necessitate, columba mea per dulcedinem quam ad me habuisti, immaculata mea per pudicitiam, sponsa mea per amorem, tu locasti me, & ego in altissimis, vbi non est miseria, collocabo te. Quod vt dignæ sitis audire, facite secundũ exemplar quod vobis in Martha monstratum est, de qua loqui têtemus quod sugesserit Dominus medio virginis Mariæ, cui dicemus, Aue.

Primo dicemus de beata Martha, quomodo ministerium corporale egit circa Christum, & membra eius. Secũdo quomodo ministerium spirituale.

Pro primo dicit Euangelium, quod intrauit Dominus Iesus in quoddã castellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam, & subditur. Martha autẽ satagebat circa frequens ministeriũ, scilicet corporale, & non dubium, quin etiam seruiebat pauperibus Christi, quod est opus magnæ virtutis, sicut dicit Aug. de verbis Domini super Matt. inquiens: Bona sunt ministeria Dei circa pauperes, maxime circa sanctos Dei obsequia, religiosa. Reddũtur enim non dantur dicente Apostolo: *Si nos vobis spiritualia seminamus, non est magnũ si temporalia metamus.* Aliquando enim nescientes suscipiendo sanctos Angelos susceperũt. Ministrabant Angeli Christo in eremo, & ei ministrat Martha in domo, credit hominem & Deum suscipit, vult ministrare & ad suam voluntatẽ non potest, quęrit adiutoriũ sororis, nec vult dimittere, quia intenta erat cibo superno, de quo Dominus ait: Amen dico vobis quia faciet eos discũbere, & transiens ministrabit illis.

*B Ministrare pauperibus Christi est magna virtutis.*

*1. Cor. 9*

Recumbere nihil nisi vacare & requiescere, de quo Matt. *Multi venient ab Oriente & ab Occidente, & recũbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob.* Vnde quia bene ministrabatur Domino in domo Marthæ, libẽter ibi hospitabatur. Legimus autẽ Dominũ septies hospitatum fuisse in prædicta domo. Primo quando Martha accusauit sororem de negligentia ministerij. Secũdo per quindecim dies ante passionem suã, quando venit in Bethaniam vt suscitaret Lazarum. Tertio in Sabbato ante diẽ in ramispalmarum, quando fecit ei Martha cœnam, & Lazarus erat vnus de discumbentibus, in qua cœna factus est Lazarus proditor inferni reuelando tormẽta quæ illis reprobis inferebantur, secundũ August. in serm. de verb. Domini in monte. Quarto in die ramispalmarum postquam Dominus ingressus est Hierusalem cum gloria, & eiecit vendentes & ementes de templo, & fecit miracula. Sed quia non inuenit qui eum inuitaret ad prandium, redijt noctu in Bethaniam in domũ Marthæ. Quinto, Sexto, & Septimo in ferijs, secunda, tertia, & quarta sequentibus, ita quod hospitium Marthæ fuit vltimum hospitium Domini Iesu, in quo corporaliter requieuit & dormiuit temporaliter. Ecce quomodo B. Martha mater vestra docuit vos libẽter suscipere mẽbra Christi, & eis deuote obsequi. Secundũ enim naturam mater libentius docet filiam & informat in arte propria quam aliena, & maxime quando ars eius est vtilis & lucrosa. Sic docuit vos Martha exerceri in arte operum misericordiæ, quæ est multum vtilis ad vitam ęternam, immo sicut dicit Apostolus: *Pietas ad omnia valet, promissionem habens vitæ quæ nunc & futuræ.*

*Matt. 8.* *Ioan. 12.* *1. Tim. 4.*

Et si quæratur qui hospites sunt recipiendi, & quibus ministrandũ sit. Respõdetur primo quod maxime recipiendi sunt sancti viri & religiosi. Hæc docuit mulier illa Sunamitis quę pręparauit hospitiũ Helisæo dicẽs: *Animaduerto quod vir Dei sanctus sit iste, qui transit per nos frequẽter, faciamus ei cœnaculum paruum, vt cum venerit*

*C Hospitalitas sanctis maxime exhibeatur*

*4. Reg. 4*

Rom. 12 maneat ibi. Et dicit Apostolus, *necessitatibus Sanctorū communicantes*, gl. cōmunia facite & recipite Sanctos in hospitio, & subditur, hospitalitatem sectantes, vbi per verbum illud frequentatiuū, notat frequentiam, quasi dicens, nō sufficit semel in die recepisse hospites, sed quotidie cum indigēs aliquis occurrerit. Sed quod religiosi magis recipiendi sint quā laici, præsertim in religionibus dicit quidam glosando illud regulę B. Benedicti, hospiti omnis adhibeatur humanitas, sic inquiens. Credo quod hęc verba aliquid humanitatis pręcipiāt magis exhiberi hospiti quam ciui, aduenæ quā indigenæ, peregrino quā colono. Dicit enim non solū quod humanitas sed omnis humanitas, omnē intelligo non superfluā sed necessariam, non illam quæ quotidiano more impeditur proprijs, sed illam quę præter solitum maior iure hospitij impenditur alienis, & magis Monachis impendenda est quā clericis & laicis superueniētibus. Si enim iure præceptum est, bonum operemur ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei, ergo maxime ad domesticos monastici ordinis hoc faciendū est, vt quod Apostolus Iudæis & Ethnicis pertulit Christianos, & alijs Christianis nos præferamus monachos. Hæc ille. Secundo recipiēdi sunt peregrini, & de hoc laudat Ioannes Gaium in sua canonica dicens: Charissime fideliter agis, quicquid operaris in fratres, id est in peregrinos. Vnde Appelles vir quidam sanctus dicebat adorari debere aduentantes fratres peregrinos, quasi certū sit in aduentu eorū aduentū Domini nostri haberi, qui dixit, hospes fui & collegistis me, dicebatque eos cogi debere ad corporalē requiē, Loth in exemplū ponēs, qui Angelos vi compulsos ad hospitiū suū duxit. Potest etiā ad hoc adduci exemplū duorū discipulorū euntium in Emaus, qui Dominū nostrum sub specie peregrini latitantē non solū inuitauerūt dicentes mane nobiscum Domine, sed etiam coegerunt illum, Tertio recipiēdi sunt pauperes & infirmi. *Egenos vagosque induc in domum tuā*, & ad huiusmodi pauperū, saltem infirmorum receptionē instituta est, præcipue hæc domus hospitalis. Sed multi non curant de recipiendis hospitibus, aut si recipiāt bonos hospites male tractant, sicut illi de quibus. *Alij quidem ignotos non recipiebant aduenas, alij bonos hospites in seruitutem redigebant*. Et ita nunc videtur quod tabernacula Iacob facta sunt tabernacula Idumeorū & Hismaelitæ. Esau enim & Hismael fuerūt homines feri: Iacob autē lenis. Sic tabernacula eorum, qui prius fuerunt hospitales & pauperibus misericordes, facta sunt tabernacula crudelium, qui pauperibus retinent quod suum est. Ideo nunc male famātur multæ religiones, vbi prius ab omnibus propter opera misericordiæ benedicebātur, secundum illud, beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Pro secunda parte, quæ est de ministratione spirituali, dico quod Martha ministrauit Christo spiritualiter. Primo firma fide ei adhærēdo. Inde dixit: *Credo Domine, quia tu es Christus Filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti*. Secundo ex charitate omnia relinquēdo quando scilicet omnia sua exposuit ante pedes Apostolorum. Tertio quia cū esset Hierosolymis Christum sanctis mulieribus & fœminis prędicabat, vt in eum crederent tanquam in verum Messiam.

Sed quæritur, si hospes iste Christus soluerit simbolū suū pro hospitio & seruitijs sibi factis. Respondetur quod sic. Et primo quidē soluit seu concessit Marthæ aliqua quæ generaliter meretur hospitalitas. Primum est largitio hæreditatis seu bonorum immobiliū. Erat enim ditissima in terris & possessionibus. Sic Abraham propter suam hospitalitatē habuit terram promissionis in hęreditatem. Et ad hoc est exemplum in legenda sancti Germani, vbi dicitur quod cum rex Britanniæ noluisset S. Germanum hospitio suscipere, penes eius subulcū hospitatus est. Post cœnam vero vitulo subulci, quē comederat cum suis collectis prius ossibus suscitato, ac demū rege deposito, ex diuina

Margin notes: Gen. 19. — Esai. 58 — Notand. — Sap. 19. — Ioan. 11. — De Hospitalitas quid mereatur.

diuina voluntate subulcum in regē constituit,& ex tunc reges ex subulci genere prodeuntes dominantur regno Britanorum. Secundo hospitalitas obseruata multiplicat temporalia & subtracta subtrahit.

2. Reg. 6 De primo habetur exemplū. De Obed Edom, qui augebatur in benedictione temporalium ex eo quod suscepisset Ar-
3. Re. 19 cham Dei in hospitio suo: Nec farina viduæ Sareptanæ, nec Lechitus olei propter liberale impendium imminuta sunt,
Exod. 16 sed potius creuerunt. De secūdo vero habetur figura. In manna quod reseruatum corrupuit. Sic temporalia si non distribuuntur, cito perduntur & decrescunt. Exēplum etiam vtrumque simul comprehēdens narrat Cęsarius dicens, quod Abbas quidam in ordine nigro hospitalis & misericors erga pauperes habebat etiā tales officiales,& quanto plures hospitio recipiebat aut plura conferebat, tanto magis Deus domui eius benedicebat. Post cuius mortem successor suus auaritia stimulatus pietatis officiales amouit,& tenaces instituit,& defunctū in discretū asserens, hospitalitatem & beneficia consueta pauperibus exclusit. Sed subtracta charitate subtraxit Deus manum suam ita, vt in breui vix haberent quod manducarent. Die vero quadā petijt vir quidam hospitium, quem portarius clanculū recipiēs & cum timore, pauca quæ habebat ei ministrauit,& dū quęreretur de penuria domus respondit peregrinus. Duo fratres expulsi sunt de monasterio isto, vnus vocatur dare,& alter dabitur, nisi redierit primus nec secundus,& sic nunquam prosperabitur monasteriū, & hoc dicto euanuit ab oculis eius. Quod cum portarius abbati retulisset resumpsit hospitalitatem, & Deus eis vt prius benedixit. Ista non considerāt multi religiosi, qui faciunt de religione speluncam latronum, quia thesauros recondūt, qui debe-
Psal. 78. rent esse pauperum, de quibus Psal. *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam*, id est pauperum, *polluerunt templum sanctum tuum* abominationibus & peruersis moribus, *Posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam*, id est in custodiam suorum temporaliū, quę cito sicut pompa putrescunt, quę prius debuit esse custodia pauperum. Solebant dici volucres cæli, qui debebāt volare ad cælum, sed non sunt plus nisi pulli, qui fouent se in nido. Sed vnum est mirum, quia pullis irrationalibus sufficit vnus nidus, isti vero quærunt plures nidos, plures scilicet Prioratus & Abbatias.

Tertio hospitalitas suscitat à morte peccati. In cuius signum suscitatus est filius mulieris, quę hospitiū prębebat Helyseo, sic suscitatus est Lazarus ad preces Marthæ & Martha suscitata est à morte peccati infidelitatis, qua videbatur dubitare Ios. 11. de potentia Christi. Quarto libera à periculo mortis tēporalis. Inde ait Hiero. Nō memini me legisse morte defunctum, qui libenter opera pietatis exercuerit. Sic Raab meretrix, quia exploratores filiorum Israel recepit hospitio, liberata est à morte temporali, & adiuncta populo Dei. Exemplum Sigeberti de quodam intento hospitalitati, qui non solum se liberauit à morte temporali, sed etiam partem vrbis Antiochenæ à subuersione. Cum enim ille vna die vrbem vsque ad vesperum circuisset vt pauperem vel hospitem inueniret, vidit virum seniorem in veste alba, cum duobus socijs stantem in medio ciuitatis, & inuitans eum ad hospitium, hoc responsum accepit ab eo. Non poteras ô homo Dei cum nostro Symeone (qui scilicet erat monachus Antiochiæ) hanc vrbem saluare ne subuerteretur, Et hoc dicto sudarium quod in manu tenebat excussit super vnā medietatem vrbis statimque ipsa medietas cum omnibus habitaculis,& habitatoribus est subuersa, & volens adhuc excutere super aliā medietatem sudarium, vix à socijs est flexus vt parceret alteri medietati. Sic talis ex saluatione sui, domus suę,& alterius medietatis Antiochiæ, cōsolatus discessit. E cō-

Nota. Exemplum.

tra crudeles, immisericordes, & inhospitales male moriũtur, sicut quadã nõ imitatus vestigia antecessoris, qui pro viribus hospitalitatem seruans scripserat in ostio domus suę: porta patẽs esto, nulli claudaris honesto, sed negligens opera pietatis punctuauerat sic, porta patens esto nulli, claudaris honesto, qui turpiter in auaritia sua mortuis est. Quinto hospitalitas

Psal. 47 Deum meretur suscipere. *Deus in domibus eius*, scilicet misericordis & hospitalis cognoscetur, sicut patuit in Martha & in duobus discipulis eũtibus in Emaus dicit

Mat. 10 Dominus: *Qui vos recipit me recipit*. Gregor. in Hom. Pensate fratres quãta sit virtus hospitalitatis. Ad mẽsas vestras Christũ recipite, vt vos ab eo suscipi ad æterna cõuiuia valeatis. Præbete modo Christo peregrino hospitiũ, vt vos in iudicio quasi non peregrinos nesciat, sed vt proprios ad se recipiat. Exemplũ de illa, quę loco pauperis, quem posuerat in lecto sui viri, inuenit Christum, qui suo marito credenti quod esset adulter apparuit in ea forma, qua pependit in cruce dicens: quid me persequeris, qui pro te hæc passus sum. Sexto augmentũ gratiæ, & gloriam æternam meretur. Primũ patet per

Heb. 13. illud: *Hospitalitatem nolite obliuisci*, per hãc quidem Loth, & Abraham Deo placuerunt, & sic consequuti sunt gratiam Dei, & augmẽtum eius. De secundo patet per illud, quod dicet Dominus in iudicio.

Mat. 25 *Hospes fui, & collegistis me*, ideo *venite benedicti*, quæ duo cõsequuta est Martha propter suam hospitalitatẽ, gratiã scilicet in præsenti, & gloriã in futuro. Secũdo soluit Dñs symbolũ Marthæ, dãdo ei aliqua specialiter. Primo donum curationũ, &c Primo corporis quando per impositionẽ manus super ægros sanabat eos, & quando suscitauit quendã iuuenẽ submersum. Secundo animæ per verbum Dei. Prędicabat enim & disseminabat verbum Domini, quousque Paulus prohibuit mulieres prædicare. Tertio vtriusque, quod ostensum est in potestate data super draconem, quem ligauit, sicut patuulus auem, ex quo liberatus est populus ab interfectione corporali, & deinde spirituali credendo in Christum, ita quod in loco illo miraculi ad preces nobilium remansit septem annis, ieiunijs, orationibus vacans, & radicibus, ac pomis Syluestribus contenta. Sed vtrum Martha sic in hoc imitanda. Respondetur, quod Martha istas abstinentias, ita graues non fecit dum hospitio vacaret, sed dum contemplationi. Et ideo mulieres clausæ, quæ non vacant hospitio, loco huius asperitati vacare debent, sed non sic illæ quæ se, & corpus suum habent ex officio seruire membris Christi, vt sint fortes, & paratæ ad onera, neque orationes multæ neque pœnitentiæ graues sunt eis iniungendę. Nõ enim oportet ita asinũ onerare, vt ad molendinũ amplius ire nõ possit. Vnde charitas erga pauperes supplet cætera. Non ergo debent religiosæ hospitariæ esse nimis longæ in suis orationibus, ne impediãtur ab obsequio pauperum. Dilectus enim discolor est secundũ illud: *Dilectus meus candidus & rubicundus*, & ideo non sufficit talibus candor puræ orationis, nisi etiã adsit rubedo ardoris dilectionis circa mẽbra Christi obsequẽdo eis. Sed postmodũ Martha ædificato monasterio virginum in honorẽ virginis Mariæ, illæ cũ sororibus virginibus habitauit, vbi & mira se pœnitẽtia afflixit. Secundo dedit ei videre in terris secreta cælestia. Vidit enim sororis suę animã cũ tripudio Angelorum in cælum deduci. In iuuentute sollicita erat de terrenis, tunc de cœlestibus, ideo nil mirum si ei reserabantur. Nunc ẽ conuerso iuuenes sunt ad cœlestia magis intententi, senes vero minus deuoti, & hoc quia deprimit terrena inhabitatio corporis sensum multa cogitantem, quod quidem corpus non cogunt seruire spiritui sicut Martha. Tertio concessit Marthæ priuilegiũ speciale, quod ipsemet cũ B. Frontone Episcopo petragorice, (quẽ miraculose duxit ad Tharaconũ ipso remanente in Ecclesia Petragoricensi) sepeliuit corpus eiusdem.

Sancti non necessario sunt imitandi in magnis abstinẽtijs

Cant. 5.

IN VINCVLIS S. PETRI SER. *vnicus & in ord. XXVIII. Per Thema.*

Act. 12. A Vinculorum Petri solemnitas quare. *NVnc scio vere, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis.* Quæritur quare est quod celebratur hodie festum de vinculis Petri, maxime cum circa Pascha, & diebus Azymorum fuerit liberatus à carcere. & vinculis Herodis. Respondetur quod multiplex est ratio. Prima est in memoriam illius liberationis factæ Hierosolimis de qua: Act. & in epistola hodierna. (Act. 12.) Quæ vsque in hodiernum diem reseruatur, nec fit tempore quo facta fuerit, quia tunc Ecclesia est nimis occupata in celebrandis mysterijs passionis, & resurrectionis Domini. Secũda causa est in memoriã inuentionis catenæ, qua fuerat Petrus Romæ ligatus. Nam Alexander Papa, & martyr cum sanasset Balbinã filiã Quirini tribuni, eandem volentem suas catenas osculari, & conseruare, hortatus est vt magis catenas Beati Petri quæreret, & conseruaret, quæ quia inuẽtę sunt calẽdis Augusti, ideo festũ Petri ad vincula illo die celebrandũ instituit, & Ecclesiã fabricauit, ibidẽ catenã illam reponens. Tertia causa est ad tollendum prauum ritum populi, qui tunc celebrabat solemniter diem in memoriam Octauiani Augusti eo quod tunc deuicerat Antoniũ, & Cleopatrã, qui durauit vsque ad tempora Theodosij Imperatoris, qui regnauit anno Domini 387. Tũc enim Eudoxia filia ipsius Theodosij vxor Valẽtiani, catenã Petri qua Hierosolimis catenatus fuerat Romam detulit, qui altari coniuncta est, sicut dicit Beda, & habetur in quadam veteri historia reperta in Ecclesia S. Iusti Lugduneñ. Et tũc mutata est memoria Augusti in memoriam Principis apostolorũ per Pelagiũ Papã. Secundũ tamen Hieronymum, durauit solũ memoriã Octauiani vsque ad Constantini magni imperiũ, qui Baptizatus voluit illã mutari in honorẽ Beati Petri per Siluestrũ Papam, & carcerẽ in quo Petrus ipse conclusus fuerat, in Ecclesiã dedicari. Quarta ratio celebrationis huius festi est, vt dignetur Beatus Petrus impetrare nobis liberationem à vinculis peccatorũ, quibus obligati tenemur. Potens enim est nunc maxime nos liberare suis precibus à peccatis, qui tam potens erat in terris, vt secundũ Bernard. præcederet sententiam cæli sententia Petri. Et hãc fuisse causam satis patet ex hoc quod Ecclesia commemorat liberationẽ Petri factã à vinculis, & Euangeliũ memorat potestatẽ sibi datam absoluendi, & oratio postulat absolutionem fieri. Quinta causa est vt ostẽdatur quod cuilibet magna solennitas est facienda, cum à peccatorum vinculis absoluitur, gratias agere debet Deo cum Petro dicente. *Nunc scio vere*, &c. & cũ Psal. *Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* (Ps. 115.) Vnde qui vinculantur peccato, & captiuantur in carcere peccati debẽt facere sicut auis capta in caueola, quæ licet habeat copiã cibi, & potus, non tamen quiescit, nec cessat quærere foramem, per quod possit euolare, vt libertate plena vtatur. Sic homo peccatis ligatus quãtumcunque abũdet in temporalibus, nõ tamẽ debet cessare quousque soluatur & reducatur in libertatem filiorum Dei, vt sic gaudeat in Domino, & gaudium faciat ciuibus cælestibus, qui gaudent super vno peccatore pænitentiam agente. Huiusmodi autem liberatio fit mediante gratia Dei, quam requiremus medio virginis gloriosæ dicentes Aue gratia, &c.

In hoc sermone duo dicẽda sunt. Primum est de incarceratione Petri, quæ gerit typum incarcerationis spiritualis peccatoris. Secundum est de liberatione eiusdẽ signante liberationem peccatoris. (B Diaboli manus duplex trahens & flagellans.)

Pro prima parte. Primo declaratur in Epistola quis miserit Petrum in carcerẽ, quia Herodes. Dicitur autem sic. Misit Herodes rex manus, &c. Herodes, qui interpretatur glorians in pellibus diabolum signat, qui in decore suo gloriãs superbiuit, & similis fieri voluit altissimo, qui

qui habet duplices manus dextram scilicet & sinistram, & sicut Victor captiuum hostem cum sinistra trahit, cũ dextra colaphizat, vt expeditius eat. Et hoc maxime faciebat ante aduentum Christi, quia tũc humanum genus secum captiuum trahebat, & ad libitum flagellabat, quia etiam quosdã viuos legitur in infernum rapuisset. Eripuit autem nos Christus de manu trahente, non flagellante. Adhuc enim supra dorsum Ecclesiæ fabricant peccatores, adhuc iustus est inter malleũ, & incudem, adhuc impugnant demones Ecclesiam Dei. Et in euidens argumentum huius Herodes minister diaboli occidit Iacobum fratrẽ Ioãnis gladio. Iacobus interpretatur luctator. Ioãnes in quo est gratia. Quos enim dæmon videt fortiores, & magis inniti gratiæ Dei, illos amplius infestat. Sed cũ credit nocere sanctis, magis eis proficit, & gloriosiores facit, quia sanctis melius est mori quã viuere, sicut ille qui dicebat. *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* (Phil. 1.) *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* (Psal. 115.) Secundo describitur capi, & incarcerari, cum subditur de Petro. Quem cum apprehendisset misit in carcerẽ. Sic miser peccator capitur per consensum peccati, & incarceratur per actum commissum, Incarceratur autem in carcere tenebroso propter peccatum suũ, quia Eth. (Ethic. 3.) omnis malus ignorans, ita quod ibi quasi excæcatur vtroque oculo, quia nec gaudia paradisi considerat, nec pænas inferni metuit. In cuius figura dicitur Iud. (Iud. 16.) quod philistei eruerũt Sansoni vtrũque oculũ, quia dæmones tollunt à peccatore consideratioñe salutis, & timorẽ dãnationis.

C Pœnitentiam impediunt multa.

Tertio dicitur custodieri quatuor quaternionibus militũ. Isti quatuor quaterniones sunt quatuor, quæ impediunt ne peccator confugiat ad pœnitentię remedium, & sic euadat peccatum. Primũ est timor recidiuandi, qui sibi suggerit, quod frustra cõfiteretur, quia etiã statim recidiuaret. Sed stultus est qui se permittit detineri ab hoc timore, sicut stultus esset, qui grauiter infirmus aut vulneratus nollet quærere Medicũ aut Chirurgum, timens ne post sanitatem statim relaberetur. Secundum est spes in fine pœnitendi, quæ multos decipit & detinet in peccatis. Multæ enim stultæ volunt expectare vsque ad finem vitæ vel senectutem, vt faciant pœnitentiam, similes illi, qui habens iuuenem equum pulchrum, nolebat eum onerare quousque fuit senex, & tunc portare pondera non potuit: & sic semper sibi inutilis fuit. De ista spe, quæ potius est præsumptio, dicitur: *Præsumptio nequissima multos perdidit.* (Eccl. 37.) Nam plurimi sunt qui ista vana confidentia decepti fuerunt, & quotidie decipiuntur, in cuius figuram. Quod Samuel cum adhuc iuuenis esset, & à Deo vocaretur non currebat ad Deum, sed ad Hely, qui dixit ei, *vade, & dormi*, (1. Reg. 3.) Hely interpretatur fortis. Multi enim cum vocantur à Deo per internam inspirationem aut prędicationem currunt ad Hely, id est ad fortitudinẽ suam, dicentes intra se. Adhuc iuuenis, & fortis es, vade & dormi, id est adhuc quiesce à labore seruitij Dei, à ieiunijs, & alia pœnitentia. Tertiũ est amor delectationis culpæ. Suggerit enim dæmon peccatori, quomodo cessare posses à delectatione illa quam habes in re tali vel tali? & sic detinet hominem. Tertium est timor pœnitentiæ iniungendæ, suggeritur enim sibi quod si confiteretur, forte nimia sibi imponeretur pœnitentia. Sed: *Qui timet pruinam, irruet super eum nix.* (Iob 6.) Nam qui noluerit sustinere pœnitentiam in hoc mundo, multo maiorem habebit sustinere in alio. Quarto describitur dormiens inter duos milites, isti duo milites sunt vitia carnalia & spiritualia, quæ ideo milites dicuntur, quia militant aduersus animã, detinentes eã in delectatione peccati, inter hos ergo milites peccator dormit, cũ ex peruersa delectatione peccato insistit, hec autẽ vitia maxime incurrũtur in diebus festiuis & feriatis, ad quod innuẽdũ incarceratio Petri facta est in diebus azymorũ, id est in festo Paschæ, quia tunc

tũc homines amplius vacãt otijs & iocis, lasciuijs, & maioribus apparatibus in cõuiuijs & ornamentis. Quod bene signatũ est in parabola, vbi dicitur quod immũdus spiritus reuertẽs domum, eam inuenit, de qua exiuit vacantẽ, scilicet otijs & à virtuosis exercitijs, quãrum ad primũ, scopis mundatam quantum ad secundũ, & ornatam quantũ ad tertiũ. In his enim tribus Christus tangit tria, quę dant locũ diabolo in ipsa anima, videlicet otiositatẽ, quæ inuenitur in vacatione, sanctitatis præsumptionẽ, quæ notatur in mundatione, & virtutum simulatione, quæ notatur in ornatione, & tunc vadit, & assumit septẽ alios spiritus nequiores se, vbi per numerũ septenariũ intelligitur vniuersitas vitiorum, de quibus hominẽ tentat vt ipsum citius deijciat, quæ bene figurantur per illas septem gentes pugnãtes contra filios Israel, cũ vellent ingredi terram promissionis, vt patet: Hæc tamẽ omnes tentationes vinci debent per septem dona Spiritus sancti, quibus Samson roboratus septem funes fortissimos, quibus ligatus erat: rupit facilime, ac si essent tela araneæ, vt patet Iud. signanter autem dicit quod assumit septem spiritus nequiores se, quia illos ad quos redit, facit nequiores propter peccati magnitudinem, & recidiuationis ingratudinem, propter quod etiam ibi subditur, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Quinto describitur vinctus catenis duabus, istæ duæ catenæ possunt signare multa. Primo duo genera peccatorũ, scilicet peccatum commissionis & peccatũ omissionis, quibus ligari solet peccator, vnde peccatum catena est, quia sicut in catena multi sunt annuli infixi sibi mutuo, sic in peccato, saltem commissionis, multa sunt, primo cogitatio, secundo cõplacentia, & consensus, tertio executio operis, quarto consuetudo, ista quatuor sibi inuicem connexa, & infixa faciunt catenam, qua peccator vinctus ducitur ad confusionem inferni. Hinc dicitur: *Princeps & exercitus Regis Assiriorum cepetunt Manassem, & vinctum catenis duxerunt in Babylonem.* Sed nota, quod primus annulus per se non facit catenam, nec tertius per se, sed quando primus, & tertius coniunguntur mediante secundo. Vnde catena non potest melius destrui quam subtrahendo secundum annulũ, & separando à primo, & tertio, sic cogitatio per se non facit peccatum, nec operatio cum est sine consensu, & complacentia. Ideo dicebat Lucia: Si me inuitam violari feceris, castitas mihi duplicabitur ad coronam, sed quando cogitationem sequitur complacentia, & consensus, & inde operatio, tunc fit catena peccati, ideo destruendo catenam peccati primo currendum est ad destruendam complacentiam & consensum, quia hoc amoto, omnia alia illa non possunt facere catenam peccati. *Si abstuleris de medio tui catenam, & desieris extendere digitum,* &c. sequitur: *Implebit splendoribus animam tuam Dominus, & ossa tua liberabit.* Secundo istę duę catenæ possunt dici carnis delectatio, quæ fortiter stringit, quia Prouerb. dicitur de muliere vaga & garrula, quæ adolescenti insidiatur, per quam delectatio carnalis exprimitur, *vincula sunt manus eius,* per manum intelligendo contactum, & experientiam delectationis carnalis, quæ dicitur vinculum, quia talis experientia magis hominem stringit, & detinet in peccato. Alia catena diceretur consuetudo peccati, quæ etiam fortiter ligat, quia Prou: *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab eã.* De his catenis August. 7. confes. Ligatus eram non ferro, sed mea ferrea voluntate, velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate peruersa, facta est libido, & dum seruitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas, quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis, vnde catenam eam appellaui, tenebat me vi obstrictum dura seruitus. Tertio potest dici, quod homo specialiter vinculatur per peccatum

Margin notes: Mat. 12 — D Ocium præsumptio sanctitatis & simulatio dãt locum diabolo. — Iosue 9. — Iud. 16. — E Peccatũ quomodo est cathena. — 2. Paral. 33. — Esai 58. — Prou. 7. — Prou. 22 — F Auaritia fortiter stringit hominẽ.

ctum auaritiæ, tunc catenæ quibus ligatur, sunt amor nimius temporalium, & timor defectus, istæ catenæ sunt ferreæ, quia sicut catena ferrea fortius stringit inter vincula, sic homo fortius stringitur
Iud. 16. in auaritia, in figuram huius. Sanson ligatus neruis humentibus, & nouis funibus semper rupit vincula, vltimo ligatus catenis, & clausus in carcere numquam rupit, imo tunc Philistijm pro libito fecerunt eum molere. Sic inter cætera hominem fortius auaritia constringit, ita quod vix soluitur ab ea. Nam Seneca teste, alijs vicis in homine senescētibus, sola auaritia iuuenescit. Sexto dicitur, quod erat duplex custodia pertranseunda, & porta ferrea quæ ducit ad ciuitatem. Prima custodia est dæmonum, qui hominē detinent in peccato, impedientes modis omnibus quibus possunt, ne peccator exeat à peccato, & ne ponat manū ad ostiū carceris, & inueniat clauē, ne scilicet referet peccatum per confessionem. Isti custodiunt peccatorem in peccatis suis, &
Apo. 18 custodiuntur ab eo: *Cecidit Babylon, & facta est custodia omnis spiritus immundi.* Secunda custodia est malæ societatis, & carnalium hominum, qui plurimos custodiunt in peccatis decipientes eos, & dicentes
Sap. 2. eis, illud Sap. *Venite fruamur bonis quæ sunt, coronemus nos rosis antequam marcescant, non sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra.*
Prou. 1. Quos caueri vult sapientia dicens: *Fili mi si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint, veni insidiemur sanguini, ne ambules cum eis.* Porta ferrea est species veritatis, & boni, quæ difficile pertransitur, quando malum induit speciem boni, & quod vitiosū est, se occultat sub pallio virtutis.

In secunda parte dicendum est de liberatione Petri, quæ erat figura liberationis peccatoris. Noluit enim Dominus, quod inimicus Petri scilicet Herodes, letaretur de nece eius, vt dicere posset Pe-
Psal. 40. trus. *In hoc cognoui quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me.* Et
Psal. 19. alibi: *Saluum me fecit, quoniam voluit me.* Exprobare enim videbantur inimici dicentes: *Sperauit in Domino, eripiat eum, saluum faciat eum, quoniam vult eum.* Et sic fa- Psal. 21.
ctum est, vt compleretur de eo illud: *Iustus de angustia liberatus est*, & de Herode Prou. 11.
quod sequitur, *& tradetur impius pro eo.* Nam paulo post Herodes percussus ab Angelo expirauit. Vnde ad liberationem Petri multa concurrebant. Primum erat oratio communis Ecclesiæ, quæ fiebat sine intermissione ad Deum pro eo. Erat autem digna exaudiri propter multa. Primo, quia fiebat à multis, & à Sanctis. Quorum preces impossibile est non exaudiri, quia fiebat communiter à tota Ecclesia, in qua erant sancti Apostoli, & discipuli Christi, quibus promiserat Dominus. *Si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis.* Ecclesia enim est sponsa Christi, cuius charitate & humilitate adeo vulneratus est, iuxta illud: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, in vno oculorū tuorum, & in vno crine colli tui*, vt ei quicquam negare non possit. Secundo, quia fiebat cum magna deuotione & instantia. Fiebat enim sine intermissione. Perseuerantia autem in oratione impetrat iuxta parabolam de amico potente, tres panes media nocte, & perseuerante in pulsando ostium alterius amici sui.

[Margin: G Oratio exauditur tribus seruatis. — Ioan. 16. — Cant. 4. — Luc. 11.]

Tertio, quia fiebat pro re vtili & honesta, quia pro Petri liberatione, qui erat pater, & pastor Ecclesiæ. Et ideo merito pro ipso fuit oratio Ecclesiæ audita. Per quod datur intelligi, quod pia mater Ecclesia tam militans quam triumphans continue pro peccatoribus orat, & nisi obicem posuerimus nostram conuersationem indubitanter impetrat.

[Margin: H Gratiæ effectus multiplices.]

Secundum occurrens fuit ministerium Angeli, de quo dicitur: *Angelus Domini astitit.* Per Angelum significatur gratia, sicut alibi dicitur: quod Angelus Domini descendebat in piscinam, & mouebatur aqua, quia gratia Domini descendente in mentem, mouetur conscientia, ex quo motu sanatur vnus peccator, videlicet, qui in motu gratiæ redit ad vnitatem fidei, & charitatis, Angelus autem primo Ioan. 5.
astitit.

assistit, quia sine assistentia gratiæ non liberantur homines à peccato. Inde Psal. Qui assistit à dextris pauperis. Longe enim est à peccatoribus salus. Figura est de filio prodigo, qui profectus est in regionem longinquam. Hinc August. deplorat statũ sui peccati dicens: Longe eram à te Domine in regione dissimilitudinis. Et ideo oportet Dominum per gratiã appropinquare peccatori, vt liberetur. In cuius signum Christus se appropinquauit Petro, cum vellet eum liberare à periculo submersionis. Et inde subditur in Psal. *Vt saluum faceret à persequentibus*, scilicet *dæmonibus animam meam*. Secundo lumen refulsit in habitaculo carceris. Per peccatũ enim excæcatur homo secundum intellectiuã, & perdit verum lumen intelligentiæ. Dicunt enim reprobi in inferno. *Sol intelligentiæ non est ortus nobis*. Sed per gratiam illuminatur peccator, ita quod verificatur illud. *Habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis*. Figura est de Tobia, qui excæcatur stercoribus calidis hirundinum, illuminatus est liniendo oculos felle piscis. Sic peccator excæcatus stercoribus vilium delectationum peccati, illuminatur felle piscis exenterati, quando scilicet non solum considerat peccati delectationem exterius, sed etiam fel amaritudinis pœnæ æternæ ad quam ducit, sed hæc illuminatio fit medio Angeli, id est gratiæ Dei. Sic Christus Angelus magni consilij exspuens in terram lutum fecit ex sputo, & liniuit oculos cæci, & vidit. Quia ex consideratione vilitatis & breuitatis vitę humanæ, quam inspirat gratia Dei, illuminatur peccator ad cognoscendum miseriam sui status. Tertio percussit Angelus Petrum dormientem in latere, & excitauit eum dicens: surge velociter. Sic Helyas dormiens sub vmbra iuniperi, id est peccator sub delectatione peccati, excitatur ab Angelo. Sed aduerte, quod inter dormiẽtes in peccatis fortius obdormiunt, & difficilius excitantur prudentiores. Sicut enim corporaliter quidam sunt leuis somni, qui excitantur sola vocatione, alij fortiores quos oportet trudere & impellere, quidã fortissimi quos oportet percutere, & trahere per capillos, sicut litargici. Sic simplices dormientes leuiter ad vocem prædicationis statim excitantur. Alij dormiunt fortius, quos oportet impellere increpando & vituperando. Alij nimis fortiter, quos oportet percutere tribulationibus & infirmitatibus. Percutitur autem peccator in latere, quod quia est prope cor, ideo hæc persecutio melius sentitur, quam in pede vel in alia parte remota. Percutitur enim in persona existente prope cor scilicet in fratre, in filio, & huiusmodi, quia cor eius nimis obdormiuit in amore illius, vt dicere possit illud: *Tulit filium meũ de latere meo ancillæ tuæ dormientis*. Et dixit Angelus: *Surge velociter*. Auis residens super ramũ glutinosum, si inde surgat velociter, parum aut nihil relinquit ibi de plumis nec perdit volatũ. Si diu stet, ibi voluendo & voluptando, quandoque tot plumas, ibi dimittit, quod omnino perdit volatum, & capitur. Sic anima residẽs super glutinum voluptatis, si mox inde surgat & fugiat, parum aut nihil perdit de plumis virtutũ, sed statim volat ad Deũ. Si uero non surgat, sed immoretur voluendo, & voluptãdo, perdit ibi plumas virtutum, & capitur, propter quod Magdalena, cũ dixit ei soror, magister adest, & vocat te, surrexit cito, & venit ad eũ. Quarto, soluit catenas quibus ligabatur Petrus. Parum enim esset stimulare, & excitare dormientem, nisi soluerẽtur eius vincula. Sic per gratiam Dei non solum stimulatur, & excitatur peccator, sed etiam soluuntur vincula peccatorum. Hinc August. dicit. Gratiæ tuæ deputo, & misericordiæ tuæ Domine, quod peccata mea tãquam glaciem soluisti, gratiæ tuæ deputo, quod quæcunque mala non feci. Propterea dicebat Dominus Esaiæ: *Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me.* Sic ergo præuenit primo gratia peccatorem, deinde illuminat ad recognitionem suæ miseriæ, postea excitat & stimulat

Psal. 102. Luc. 15. Matt. 4. Psa. 108. Sap. 5. Esai 9. Ioan 9. 3. Reg. 19. Dormientium in peccatis multiplex differentia. 3. Reg. 3. Act. 12. Esa 43.

ad surgendum à peccato, cui stimulationi si obtemperare voluerit, surgendo per contritionem, & propositū emendandi, tūc sequitur absolutio à peccatis. Quinto præcepit Angelus Petro, vt se præpararet ad eum sequēdum dicens: præcingere, & calcia te caligas tuas quæ designant satisfactionem quam debet facere peccator post absolutionem à peccato. Debet enim primo se præcingere cingulo castitatis refrenando concupiscentias carnis, secundum mandatum Domini. *Sint lumbi vestri præcincti.* Super quo Gre. Lumbos præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus. In quo præsupponitur mortificatio carnis per abstinentiam sine qua periclitaretur castitas. Sicut enim olla quanto plenior est carnibus, & bullit, tanto maiorē spumam reddit, sic venter cibis, & mero æstuans facile despumat in libidinem. Et ideo Eccle. *Qui dissipat sepem mordebit eum coluber*, quia qui sepem abstinentiæ dissipat, qua morsus bestiales arcentur, morsibus diaboli subijcit. Secundo pœnitens debet contēnere res mundanas, & mortificare affectus terrenos, quod signatur cum dicitur calcia te caligas tuas, hoc est exemplo sanctorum debes terrena despicere. Calciamentum enim fit de pellibus animalium mortuorum, & ideo designat mortificationem omnium terrenorum, exemplo sanctorum, qui ea contempserunt, quia pes, id est affectus animæ, qui talibus calciamentis munitur, absque dubio præseruatur ne per amorem inordinatum terrenorū inquinetur. Ideo dicitur: *Prohibe pedē tuū à nuditate.* De talibus calciamētis animæ dicitur: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calciamentis filia principis*, id est quam decora sunt opera in mortificationibus voluptatum. Sed quia non sufficiunt mortificatio carnis, & cōtemptus terrenorum, Multi enim philosophi casti fuerunt, & mundi contemptores. Sexto præcepit Angelus Petro, vt eum sequeretur dicēs, & sequere me, per quod denotatur, quod pœnitens debet sequi instinctū diuinę gratiæ seu exēplū vitę Angeli magni cōsilij, id est Christi iuxta exhortationē *Christus passus est pro nobis, vobis relinquēs exemplum, vt sequamini vestigia eius.* In Christi autē imitatione cōsistit perfectio vitæ humanæ, quā Philosophi non sunt assecuti: quoniā vero sequens Christū facile superat omnia impedientia à bono, ideo consequenter subditur, quod Petrus trāsiuit primam, & secūdam custodiam, & quod porta ferrea quę ducit ad ciuitatem, vltro aperta est.

Luc. 12. — K Castitas periclitatur sine abstinentia. — Eccl. 10. — Hier. 2. — Cant. 7. — 1. Pet. 2.

## DE INVENT. S. STEPHANI Protomar. Ser. I. & in or. XXIX. Per Th.

DAbo thesauros absconditos, & archana secretorum. Quæritur cur in inuentione Stephani canit Ecclesia Euāgelium de thesauro inuento, quem dum inuenit homo abscondit. Videtur enim quod illud non sit ad propositum, quia hodie inuento illo nobili thesauro nihil est absconditum, sed omnibus est propalatum, & manifestatum quod latuerat. Dicitur ad hoc quod in inuentione iustorum sanctorum tria simul inuenta sunt. Primo corpora illorum sanctorum, quæ licet inuenta in terra, & pro tempore modico publice populo ostensa sunt; tamen statim recondita, & abscondita in loculo tanquam res præciosæ. Secundo, ibi inuenta sunt Dei adiutoria, & virtus diuina in miraculis, & sanatione infirmorum, & ista non sunt obscondita, à populo sed publicata & adhuc quotidie publicantur. Tertio ibi inuenta sunt quæ imitanda sunt à populo, scilicet eorum virtutes, & vita, quod signatum est in odore qui exijt ex eorum loculis. Et ista sunt in nobis abscondenda propter periculum vanitatis, ne latrones inferni hunc thesaurum à nobis auferant. Esto occultator virtutū sicut alij viciorū, exemplo S. Stephani. *Stephanus plenus gratia & fortitudine.* Si enim plenus hoc erat interius, & non exterius in apparentia tantum. Sic legitur de beata virgine, quæ omne bonū suum Iesum Christum filiū suum

Esa. 45. — A In Stephani inuentione tria sunt reperta. — Act. 6.

sum abscondit in vtero suo nouem mésibus, quousq; non potuit amplius continere, & omnia sacramenta fidei nostræ, quæ Angelo narrante didicerat, recondebat in pectore suo, quousque Apostoli, & præcipue Lucas inuenerunt illum thesaurum gratiæ & doctrinæ in ea. Ad hanc igitur recurrentes vt in hac beata inuentione det nobis inuentionem congruam saluti nostræ, dicamus: Aue.

Secundum Thema, quod habet duas partes de inuentione thesaurorũ absconditorum dicetur post prandium. Mane vero dicetur de reuelatione Arcanorum, quomodo ista corpora sunt reuelata, & hic sermo matutinus erit tripartitus secundum triplicem reuelationem factam Luciano à S. Gamaliele. Circa primum punctum notandum, quod fuit hæc reuelatio facta circa annum Domini quadringentesimum decimũ septimum, anno 7. Honorij Imperatoris tunc Episcopatum tenente in Africa B. Augustino. Facta est autem hæc reuelatio tali modo, quia Luciano quodam sacerdote dormiente in territorio Hierosolymitano in Capharga mala apparuit ei Gamaliel mirabiles habens qualitates in vestitu, & ornatu, & proceritate, quæ quodammodo designant statum felicem beatorum. Prima conditio, quod erat senex in quo denotatur excellentia prudentiæ, & sapientiæ, quæ est in sanctis. Senes enim debent acquirere ex processu temporis sapientiam & prudentiam. Inde Arist. dicit, quod nemo eligit iuuenes in duces, quia non constat eos esse prudentes. Hinc Cassianus secunda collatione patrum, diuitiæ senum non sunt canicies capitis, sed gratia Dei, & industria iuuentutis ac præteritorum laborem stipendijs metienda. Non est autem possibile in hoc mundo tantam habere sapientiam ex acquisitione, quantam habebit in cælo ex infusione, imo dico, quod si quis viueret ita sicut Mathusalem, & quotidie disceret, nó tot, & tanta sciret, sicut qui minor est in paradiso. Ideo sicut non est sapientia, neque scientia apud inferos, quo tu properas, vt dicitur Eccles. sic maxima per oppositum est sapientia, & prudentia in his, qui habitant in cœlestibus. Sicut enim habent sub pedibus cęlum quod calcant, sic istarum humanarum scientiarum notitiam ad eam quam habēt nihil reputāt, ideo propter hoc in Apoc. *Saluati de hominibus*, per vigesima quarta seniores designantur, quia omnes ibi erunt, non senes ætate, sed moribus, & cognitione, & auctoritate. Secunda conditio est quod erat statura procerus, per quod designatur excellentia vitæ, & conuersationis, quam tunc habebunt sancti in paradiso. Vnde Cant. *Statura tua assimilata est Palmæ*. Palma enim vilis est inferius, sed pulchra & fructuosa superius. Sic sancti in hoc mundo vilipensi, & dehonorati sunt, sed superius magnificati in vita vt Stephanus hic lapidatus est, & tamen superius ita glorificatus est, vt eo moriente apertum sit cælũ, & steterit Dominus Iesus rex gloriæ in conspectu eius. Tertia conditio quod erat vultu decorus, in quo intelligitur puritas conscientiæ, quã habebunt sancti, de qua Cant. *Vnde mihi faciē tuam, facies tua decora*. Vnde sicut sponsus carnalis diligit sponsam pulchrã facie corporali, sic Dominus illos diligit qui sunt pulchra facie cordis, & animæ. *Homo videt ea quæ parent, Deus autem intuetur cor*. Et: *Nihil inquinatum intrabit in illam*. Quarta conditio quod habebat barbam prolixam, per quam intelligitur fortitudo sanctorum. Barbati enim solēt dici fortes, & imberbes debiles, & propter hoc mulier imberbis significat sexum debilem. Sancti enim habent barbã prolixam, id est fortitudinem maximam, & extensam, ita vt Angelicã habent fortitudinem, quorum vnus in momento potuit subuertere quinque ciuitates. Alius occidere octoginta quinque millia armatorum in vna nocte. Et propter hoc spiritualiter sancti, qui fuerunt in primitiua Ecclesia dicuntur barba Ecclesiæ, quia fecerunt barbam inimicis fidei, sicut Stephanus Gamaliel, & Nicodemus.

Eccle. 9. Apo. 4. Cant. 7. Cant. 3. 1 Re 16. Apoc. 2. Gen 19. 4 Re 19. B Beatorũ conditiones excellentes. C Barba Ecclesiæ fuerunt sancti primitiui.

Sicut

Psal. 132. *Sicut vnguentũ gratiæ in capite*, scilicet Christo *quod descendit* per Christum *in barbam barbam Aaron*, id est, in fortes sacerdotes. Aaron enim fuit sacerdos. Fortiores igitur sacerdotum dicuntur barba Aaron, qui positi sunt in barbam inimicorum, & etiam in Leuitas qui erant de genere Aaron, vt patet in Stephano. Vulgo enim dicitur de homine fortis est homo, qui portat bonam barbã, est homo ad faciendum barbam inimicis suis. Quinta conditio quod amictus erat pallio cãdido cui gemmulæ aureæ, & cruces intextæ erãt, per quod intelligitur lumen glorię, & visio diuinæ faciei. *Amictus lumine sicut vestimento*. Vnde dicitur de martyribus, quod datæ sunt singulis stolæ albæ, id est, gloria animæ, & lumen glorię. Sed per gemmas aureas intelligitur gloriosa Trinitas Pater, Filius & Spiritus sanctus, quam in illo lumine gloriæ intuebuntur. Vnde cuidam Episcopo celebranti in die sancto Pentecostes ceciderunt tres guttæ super altare, quæ conuersæ sunt in vnum, & facta est vna gemma pretiosa, in quo manifeste denotabatur Trinitas gloriosa, & per cruces similiter intelligitur humanitas Christi crucifixa, quam Beati videbunt, & in qua similiter gloriabuntur videntes eam. Sexta conditio, quod erat calciatus caligis desuper deauratis, per quod intelligitur stabilitas perpetua mẽtis eorum, & confirmatio in bonum. Pedes enim sunt animæ affectiones, quæ erunt calciatæ, id est astrictæ. Sicut enim caliga stringit crura, sic isti constringẽtur soliditate perpetua in Deum, ita quod numquam peccare aut deficere possint. Sed quod sint deauratæ, hoc est quia ista confirmatio procedit ex amore, & charitate, quæ operit multitudinem peccatorum, ita quod amplius non erunt in memoria priora gesta. Septima conditio est, quod virgam tenebat in manu, per quod ostenditur superioritas, & dominatio super nos. Primo illuminando nos sicut magistri. Sũt enim superiores nobis, ideo iustum est quod à Deo suscipiunt nobis vtile, nobis reuelent & denuncient, sicut hic fecerunt. Ideo tetigit virga Lucianũ, quia oportet Angelum vel sanctum reuelantem tangere cor, & illuminare cor suscipientis illam reuelationem. Secundo ad dirigendum nos, sicut pastor ad dirigendum oues. *Virga directionis, virga regni tui*, & ad excitandum nos ad bene agendum. Tertio ad faciendum iudicium sicut iudex ad percutiendum, ideo secundo eum percutiendo ipsum corripuit de sua negligentia. Vnde de sanctis scriptũ est. *Vt faciat in eis iudicium conscriptum, gloria hæc est omnibus sanctis eius*. Sancti itaque faciunt iudicium conscriptum, & hoc in libro vitæ, in libro Dei, de quo Psal. *In libro tuo omnes scribentur*. Sed orandum est, vt Dominus illam scripturam deleat, dicendo illud Psal. *Secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam*. Sic itaque apparuit Gamaliel primo, & locutus est de reuelatione sanctorum corporum, & statim disparuit. Secundo iterum apparuit Gamaliel de nocte ipsi Luciano quasi dormienti, increpãs eum cur non impleuerat præceptum, & cum increpuisset dixit. Scio quia cogitasti scire differentiam loculorum nostrorum. Hoc autem ostendit per quatuor calatos, primum plenum rosis rubeis, in quo significatur Stephani martyrium. Secundum, & tertium plenum rosis albis in quo designabatur mentis puritas Gamalielis, & Nicodemi. Quartum croco plenum. Secundum enim Plinium lib. 20. crocus valet contra debilitatem stomachi, & pectoris, & contra ebrietatem. Sic iste Abibas fuit virgo, & magnæ abstinentiæ & temperantiæ.

Sed quæritur quomodo potuisset Lucianus discernere de loculis, & reliquijs illorum per signa rosarum, & croci, cum talia non sint inuenta in loculis eorũ. Dicitur quod duplex erat differentia inter loculos, vna erat in situ, & illam ostendit prius Gamaliel dicens quod loculus Stephani erat à parte Orientali, & ad pedes eius Abibas filius eius, & ab alio latere erant

Marginal notes: Psal. 103. — Apoc. 6. — Psal. 44. — Ps. 149. — Ps. 138. — Psal. 50. — D Sancti nos illuminant, dirigunt excitant & corripiunt.

erant loculi aliorum. Alia discretio erat in dignitate & excellentia eorum, qua continebantur in loculis, & istam describit Gamaliel per rosas, & crocum. Subiunxit in fine, quia vero vxor mea Ethesia, & primogenitus meus Seleumias noluerunt credere in Christum, ideo inuenies alibi sepulchra eorum vacua, & inania. Circa hoc quæritur vtrum sepulchra malorum sint vacua, & sepulchra bonorum plena. Et videtur quod non, quia vtraque sunt plena ossibus, & nihil aliud ibi inuenitur nisi pulueres, & ossa, igitur.

Psal 48. Item Psal. dicit de malis: *Sepulchra eorum domus illorum in æternum*, ergo ad minus sunt in sepulchris. Ad hoc respondetur, quod aliquid dicitur vacuum dupliciter. Vno modo per totalem carentiam corporis solidi infra existentis, & sic non erant vacua sepulchra illa. Alio modo per comparationem ad aliquid plenum, vt illud diceretur vacuum in quo nihil est valoris. Et sic quia prius ostenderat merita sanctorum Stephani, & sociorũ eius, quorum corpora erãt in sepulchris, cineres autem & ossa malorum non erũt nisi incendium inferni, ideo dicit sepulchrum inane, quia nihil ibi nisi fœtor, & incendium inferni, in sepulchris autem sanctorum reliquiæ eorum sunt, quæ simul glorificabuntur, odor meritorum, auxilium promptum populi, & aliorum infirmorum. Vnde terra aliquando fit infertilis à malitia inhabitantium in ea.

E *Sepulchra malorum vacua, quia in eis non nisi fœtor.*

Psa. 106 *Posuit terram eorum in salsuginem à malitia inhabitantium in ea*, & ideo illorum terra infertilis erat propter malitiam animarum quæ ibi habitauerunt.

F *Reuelationes fiũt magis nocte quã die.*

Secundo quæritur quare de nocte magis quam de die, & in dormiendo magis quam in vigilando fiunt reuelationes. Opera enim de nocte facta sunt magis suspecta quam de die facta; Nam Ioan. Ioan. 3. *Qui male agit odit lucem.* Dicitur ad hoc duplex est ratio. Prima concernit nostram debilitatem, quia non sumus satis fortes ad portãdum istas illuminationes, & reuelationes dum vigilamus, & hoc deducitur ratione, & exemplo, ratione quia in vigilia, & maxime de die sensualitas laborat, & viget, & ideo ex talibus subito apparentibus, & insolitis terretur homo, & turbatur pars sensitiua, & ex hoc aliquando sequitur læsio in parte interiori, sed in somno pars sensitiua sopitur, & solum vigilat anima intellectiua, quæ maxime capax est huius illuminationis, iuxta illud Cant. *Ego dormio, & cor meum vigilat*, sicut enim coruscatio subita vel excellens visibile subito apparens aliquando frangit vel lædit sensum, sic ista subita apparitio sensum lædit, & intellectum, igitur de nocte, & in somno magis vtile est fieri istas apparitiones, sed exemplo hoc idem probatur per id quod habetur Dan. vbi Angelus apparuit Danieli in specie viri, & tamen corruebat in terram, & non erant tunc in eo vires, & intercludebatur eius Anhelitus, imo species eius immutata est, & tamen veniebat ad docendum eum. Cant 5. Dan 9. & 10.

Quid ergo erit quando videbimus illos teterrimos hostes hominum dæmones stridentes, & expectantes animas nostras in morte, quando sancti viri non potuerunt sustinere præsentiam Angelorum, qui venerant ad eorum eruditionem? Secundo, hoc idem probatur exemplo illius quod adducit Gregor. 3. dialog. 124. de Theodoro custode Ecclesiæ S. Petri in Roma, & de S. Petro apparente. Et si aliquando in somno terreant huiusmodi visiones, non tamen ita quin illud possit ferre sensualitas, sicut patuit in Pharaone, & in Nabuchodonosor, qui licet fuerint perterriti, non tamẽ ita vt grauaretur corpus eorum.

Secundo ratio est, quia in vigilia, & de die pars sensitiua circa multa occupatur, & passionibus, & etiam societatibus multum subiecta est, quæ omnia taliter hominem disponunt, vt vix in se recolligi possit, ideo pars intellectiua tunc est minus apta ad capiendum istas reuelationes, quæ sunt supra naturalem hominis potentiam. Si enim natura hominis in-

nis intellectiua vix posśit naturalia capere, nisi in se recollecta fuerit, & extra passiones, & solicitudines, quanto minus ea quæ sunt supra naturam? sed de nocte in somno pars sensitiua quiescit, & homo solitarius est, nullam solicitudinem habens aut occupationem & à passionibus separatus, ideo tunc anima est magis disposita ad suscipiendum reuelationes, & illuminationes diuinas, iuxta illud: Thren 3 *Sedebit solitarius, & tacebit in sensualitate*, extra hominum passiones, & societates existens, quia leuauit se supra se capiendo diuinas reuelationes. Et hoc est quod satis consone dicit Aristo. 7. Phisico. sec. sedendo, & quiescendo fit anima sciens & prudens, sicut enim sol secundum diuersitatem nubium se reuelat, & inde est quod secundum quod nubes est magis rara vel densa, clara vel spissa, sol clarius vel turbulentius in ea conspicitur, vel etiam in aqua commota vel sedata, sic secundum quod Deus inuenit mẽtem dispositam, sic reuelationes, & inspirationes sibi amplius intimat. Tertio iterum apparuit Gamaliel dure corripiẽs eum, quod tamdiu distulerat implere iussa. Circa quod quæritur quare Gamaliel corripuit Lucianum in tertia vice tam aspere, cum tamen bene ageret non ita de facili credendo. Qui enim bene agit, non debet redargui de illo saltem à viris beatis, qui non possunt falli in suis iudicijs. Respondetur, quod rem vtilem fecit iste Lucianus pro nobis, quia vsque ad trinam apparitionem expectauit, vt magis essemus certi de corporibus sanctorum, sicut vtilis fuit nobis Thomæ incredulitas ad probationem resurrectionis, Dico secundo quod ex parte sui melius fuisset Luciano, si ei credidisset in prima reuelatione. Cuius ratio est quia (vt dicit Gennadius) iste Lucianus erat vnus de viris illustribus tempore suo, & literatus homo, qui satis poterat cognoscere illam reuelationem esse à Deo. Poterat enim considerare tria, quæ dixerat scilicet veritatem de corporibus nondum inuentis, & eorum vita. Secundo ostenderat necessitatem in populo, & inuentionem eorum profuturam, in quo ostenditur quomodo sancti sunt charitatiui, & affecti ad nos, plus enim curant iuuare nos quam nosipsi nos, vt patet hic. Tertio ordinauerat ei vt visionem indicaret Episcopo Ioanni, qui habebat de istis visionibus iudicare, quod tamen non fecit. Debebat etiam considerare, quod omnia, quæ dixerat, erant ad laudem, & gloriam Dei, quod non faciunt maligni spiritus. In hoc ostenditur, quod male faciunt, qui reuelationes occultorum ab alio quam à Deo quærunt, vt sortilegi, & diuini, quia Deus scit per se, vel sanctos suos reuelare, quæ nobis necessaria sunt, & profutura tempore, & loco.

## *DE EODEM SERM. II. PER Thema præcedens, & in ordine. XXX.*

AD hoc inuenta est hæc solennitas, vt per inuentionem corporũ sanctorum inueniamus in necessitatibus per ea refugium, & remedium oportunum, & virtutes in eis inueniamus quas colligamus nobis, & imitemur Apothecarij enim & herbarij, tempore quo herbæ habent virtutes suas, laborãt vt inueniant herbas medicinales, sic & nos hoc tempore oportuno, vt inueniamus horum sanctorum medio virtutes, & gratiam apud Deum, vnde Psal. *Ad te orabit omnis sanctus in tempore oportuno*. Antiqui enim philosophi quæsierunt gratiam, sed non inuenerunt eam, quia non portabant candelam necessariam vel lumen ad quærendum eam. Habebãt enim lucernam naturæ, non scripturæ sacræ, & candelam rationis, non fidei. Nunc autem habemus lumen sacræ scripturæ, & fidei, & ad hoc adiutoria multa scilicet sanctorum, qui nos iuuant in cælestibus, & præcipue habemus reginam cæli, quæ mirabilem habuit inuentionem, & pulchriorem, quæ vmquam fuit in mun-

*A Inuentio corporũ sanctorũ cur celebratur.*

*Psal. 31.*

In mundo, quia fuit inuentrix gratiæ, inuenit enim gratiam apud Deum, inuenit quod perdideramus, ideo in eius inuentione partem habemus. Portionem itaque nostram requiramus dicentes: Aue.

Mane dictum est de reuelatione sanctorum, nunc dicendum est de inuentione eorum, & bipartietur hic sermo. Prima pars erit de intimatione facta Ioanni Episcopo Hierosolymitano. Secunda erit de prædicta inuentione. Quo ad primam partem notandum, quod tertia reuelatione facta Luciano venit ipse in ciuitatem Helia. Primo enim vocata est Hierusalé, hoc nomine Salem. Secundo Hierusalem. Tertio ab Helia Adriano dicta est Helias, sed non diu retinuit hoc nomen, quia mortuo Imperatore statim recessit nomen, quia mortuo Imperatore statim recessit nomen, venit itaque ad sanctum Ioannem Hierosolymitanum, & narrauit sibi reuelationem ad longum. Circa quod quæritur vtrum iste Ioannes tenebatur ei credere, imo etiã vtrum iste Lucianus teneretur credere Gamalieli, & videtur, quod non, quia multas illusiones nunc contingit fieri à diabolo, qui se transfigurat in Angelum lucis, & etiam quia hoc cõtingit in somno nescitur si sit somnium vel vera apparitio, & præcipue in hac vltima ætate, in qua iam mundus senescit, & repletur fantasijs, & illusionibus, quasi in præcursore Antichristi in hac nouissima hora. Vnde Dominus ait:
Mat. 13 *Multi venient in nomine meo dicentes, quia ego sum Christus, & multos seducent.* Ad hoc sit prima propositio, ad credendum huiusmodi reuelationibus oportet vti consilio
1. Ioan 4 Ioannis dicentes: *Non omni spiritui credendũ est, sed probate spiritus si ex Deo sint*, oportet enim nos esse sicut nummularios, & campsores, qui antequam nummisma suscipiãt solerter examinant. Sic & nos examinare debemus nummisma pretiosũ spirituale, & extraneũ diuinæ reuelationis, ne forte dæmones, qui monetã quam licet diuinã & bonam, corrũpere & falsare satagunt, subintroducant pro vera monetam falsatam & reprobam, & hoc in detrimentum publici ærarij Ecclesiæ, & thesauri imperialis diuini. Nam sicut veritas religionis per sophisticas, & fallaces hæreticorum argutias impugnatur, sic per mendaces Angelos miraculorum verorum, & sanctarum reuelationum auctoritas, factis quibusdam sophisticis, & magorum præstigijs impugnatur, vt dicit Petrus apud Clementem in itinerario. Et hoc ideo, vt abducãtur homines à veritatis supernaturalis cognitione, quæ per miraculorum & reuelationum media tradita est, quando ad falsitatem vidẽt similia introduci, sicut aliquando contingit de spiritibus. Quibus homines seducuntur, qui sunt spiritus incarnati homines pessimi, vtentes magicis artibus ad illudendos homines, ad decipiendas mulieres, sicut vidimus in hoc regno, & aliquãdo in hac vrbe Parisiensi, & propter hoc non est mirandum si Lucianus à principio suspectã habuit hanc reuelationem. Secunda propositio, non est dabilis humanitus ars aut regula generalis ad discernendum fallibiliter, quæ sunt veræ reuelationes, & quæ falsæ, & illusoriæ, quia tunc non solum haberetur fides de nostris prophetijs, & consequenter de nostra religione, sed etiam euidẽs certitudo. Nam qui sciret euidenter aliquid esse à Deo vel ab Angelo eius bono reuelatum, sciret aliter quam per solam fidẽ illud esse verũ, sicut si quis haberet notitiã euidentẽ, & scientiam claram de dissolutione fallaciarum contra veritatem fidei peccantiũ, haberet notitiam non tantum ex fide, sed ex demonstratione. Tertia propositio, harum reuelationum examinatores debent in se habere quatuor conditiones. Prima est, quod talis examinator sit Theologus, non quicumque, vt illi qui sciunt facere vnum ergo, vnum argumentum subtile, nec sunt in practica Theologiæ exercitati, sed oportet, quod sint periti in scripturis. Est enim scriptura sacra per quam proprie dicitur, si nummisma reuelationis sit de cuneo regio, vel discrepat in nu-

B *Reuelationibus insolitis non est statim credendũ*

C *Reuelationum examinatores quales esse debẽt*

in numero in sua configuratione. Secunda conditio quod sit talis nō solum perfecte sciens Theologiam, & scripturas, sed sit fortis in fide. Vnde: *Fides vestra vicit malignum*, & Paulus. *In omnibus sumentes scutum fidei, vt possitis tela ignea nequissimi extinguere*, inde dicet Gerson. Cācellarius Paris. Noui hominē qui post multum tētationis inuolucrū super vno ex fidei articulis in tantam subito lucem veritatis, & certitudinis introductus est, vt nullæ prorsus residerent dubietatis reliquiæ, nulla vacillatio, sed serenitas multa eo iubente, qui fluctibus imperat, & nō sibi contigit hæc certitudo (vt asserebat) ex aliqua ratione noua, sed vt putabat, ex sola humiliatione, & captiuatione sui intellectus in obsequium fidei. Tertia conditio, quod in talibus reuelationibus cognoscendis talis figat, & ponat spem suam in Deo, sic quod per superbiam ex sua industria non credat id cognoscere. Nam Salomom dum solo humanæ industriæ studio ad cognitionem diuinorum nisus est pertingere, sicut est præsens inquisitio de diuinis reuelationibus, lōgior effectus est ab eis. *Cuncta (inquit) tentaui in sapientia, dixi sapiens efficiar, & ipsa longius recessit à me, multo magis quam erat, & alta profunditas, quis inueniet eam?* & ita non debet confidere in industria sua, sed ponens in Domino spem, ante examinationem debet habere sursum corda, petens ne fallat aut fallatur astutia diaboli. Quarta conditio, quod debet in hac examinatione non præcipitare sententiam, sed vsque ad plenissimam examinationem suspensum tenere iudicium, maxime nisi infidelitas, aut infidelitatis germana fatuitas aperta sit, vbi vero primo aspectu nihil falsum vel delirum conspicitur, non solum explorare cōuenit, quæ acta sunt, sed exitum exspectare. Nam præmittit aliquando dæmon veritates plurimas, & post temporis tractum quando persuaserit hominibus, tunc id quod fallit subministrat, & hoc vel ad deceptionem singularis personæ, vel ad impugnationem miraculosarum operationem nostræ religionis, quibus fides innixa subsistit, vel ad vituperium totius deuotionis, aut ad scandalum verbi diuini. Etenim dum cadit vnus magni nominis, quem talium reuelationum fama vulgauit, irrident deinceps seculariter viuentes, non solum ipsos sed etiam omnes qui religiosa simplicitate vitam agere decreuerunt, appellantes eos fantasticos, illusores, papellardos. Quarta propositio. Eum cui facta est reuelatio debet examinator examinare in duobus. Primo, in humilitate. Nam si aliquem cognoueris, qui per superbiam, curiositatem, vanam laudem, & præsumptionem sanctitatis cupidus si habere reuelationes insolitas, qui se dignum istis reputet, qui in talibus de se narrandis gloriabundus delectetur, talis illudi meretur, quia deest humilitas, vnde ad hoc cognoscendum sancti patres caute obseruauerunt humilitatem. Nam cum cuidam patri dæmon transfiguratus non solum in Angelum lucis sed etiam in Christum, dixisset se ad hoc venisse in mundum vt ab hoc patre videretur, & adoraretur, cogitabat instar virginis quaris esset ista reuelatio, dicens intra se. Nūquid non adoro quotidie Christū? quid sibi vult talis apparitio? & ad humilitatem confugiens ait dæmoni. Vide ad quem mitteris. Non enim dignus sum videre hic Christum, quo dicto confusus abscessit dæmon. Alius clausit in re simili oculos. Nolo (inquit) videre Christum in terris, illum in cælis videre contentabor, & similiter Martinus in superbo ornatu, & pompa regia agnouit eum. Est ergo contra tales apparitiones saluberrimum, se indignum reputare intellectu, & affectu qui super alios reuelationem accipiat, & qui à Deo præ alijs mirabiliter visitetur. Et si talia præter solitum cursum naturæ euenerunt, reijciat à secum sancto, & humili proposito, & verecundo pudore, & deputet talia vel læsioni propriæ fantasiæ, vel se habere aliquid simile freneticis, & melancolicis, reformi-

Marginalia: 1 Ioan. 2 — Ephes. 6. — Eccl. 7. — D Reuelationem suscipientis attendantur humilitas & discretio

formidet, ne propter enormitatem peccatorum præcedentiũ datus sit in reprobum sensum, vt talibus illusionibus mereatur seduci. Si vero sit vera reuelatio, humilitas dabit locum Spiritui sancto reuelanti, & præparabit magis ad susceptionem, sicut Moyses à se repulit diuinam iussionem, dum mitteretur ad Pharaonẽ, dicens: *Obsecro mitte quem missurus es*, & Hieremias clamat, *a,a,a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Et in hoc apparet humilitas Luciani, qui se indignum reputans, reuelationem timebat ne esset somnium, nec se dignum iudicabat illud alicui reuelare. Et si arguatur de Paulo, qui de se gloriatus est in reuelationibus, & quasi gloriando de se eas aperuit. Dicitur, quod triplici de causa potest quis indicare gratias secretas, & virtutes. Prima est necessitas, sicut Tullius fecit in defensione sua. Cum enim mitteretur in exilium, egregia sui cõsulatus facta commemorauit. Sic Scipio Africanus de Carthagine reportatum contra suos accusatores triumphum adduxit, & hoc non ad iactantiam. Sic & Paulus necessitate coactus, vt famam suam defenderet, quæ necessaria est seminanti verbum Dei, coactus est dicere suas virtutes. Inde dicit ibidem, factus sum ego incipiens, vos me coëgistis. Secũdo propter vtilitatem populi, & hoc modo etiam oportuit Paulum ista reuelare, quod Pauli doctrinam non esse multi valoris prædicabant aduersarij eius, & quidam pseudoprædicatores, ideo ad confirmandum populum in doctrina sua, & quod non erat minor eius prædicatio quam eorum Apostolorum qui conuersati sunt cum Christo, necessarium fuit ista reuelare, maxime quod etiam profutura erant populo Christiano. Tertio gratia consilij habendi, sicut Confessori tuo vel hominibus doctis licet dicere secretas suas gratias, vt si forte in eis lateat anguis, detegatur à videntibus, & doctis, puta si aliquæ apparitiones superueniant, vel si aliqua bona fecisti, gratia consilij super hoc expetendi licet ea reuelare, vel etiam gratia profectus aliorum, vnde Bernardus & sancti patres reuelabant quandoque discipulis suis dona à Deo sibi data, vt imitarentur ea, quã tamen non reuelabat vanitas, sed charitas. Tales enim viri ita humilitatem in se habebant radicatam, & radice firmatam, vt etiam nec vento iactantiæ posset auelli, & si quæratur ad quod cognoscetur, in aliquo esse talis humilitas. Dico, quod eius potissimum signum est taciturnitas. Quando enim homo aliqua insolita vidit aut audiuit, & non potest se continere, signum est venti superbiæ. Nam sicut vesica, quę non habet nisi tria pisa, si modicum moueatur, facit magnum sonum, sic isti pro modica re rem magnam faciunt. Et sicut dolium plenum vino nouo non potest pati vt obstruatur, sed oportet ipsum semper habere spiraculum, aliter rumperetur, sic isti cum aliquid nouæ gratiæ sentiunt in se, oportet, quod immediate reuelent, aliter rumperentur interius, nisi exiret verbum de ore eorum. Et propter hoc beatissimæ virginis apparuit humilitas, quæ reuelationes sibi factas tacuit vsque post passionem Christi, & in Zacharia, & in Elisabeth similiter, qui nomen Ioannis sibi reuelati vsque ad diem suæ circumcisionis tacuerunt, & etiam humilitas Luciani, qui distulit istam reuelationem dicere vsque post tertiam apparitionem, & quousque hoc necessarium esset reuelare, & quasi esset ei de necessitate extortum. Secundo consideranda est eius discretio. Si enim talis sit, qui custodiat mandata Dei, non credens proprio capiti, talis non leuiter fallitur à dæmonum illusionibus, sed alij sunt quibus placet propria sententia duci, & ducit eos periculosissimus rector sua propria opinio, ieiunijs supra modum se macerant, protendunt vigilias, lachrimis plusquam oportet cerebrum turbant & extenuant, & inter hæc nullius credunt monitis, vt temperatius se habeant, & doctores in lege peritos consulere spernunt, nimirum quia se iam aliquid

Exod. 3. Ierem. 1. 2. Cor. 11 & 12. E Reuelationes & gratia secreta possunt licite manifestari.

aliquid magnum persuaserunt esse sibiipsis, & quid eis agere conueniat plus omnibus se scire arbitrantur. Et ideo tales cito falluntur à dæmonibus, & quicquid de insolitis reuelationibus prænunciauerint, suspectum habeto. Inde sapientis est consilium: *Ne sis sapiens in oculis tuis, & ne innitaris propriæ prudentiæ, sed omnia age cum consilio, & in æternum non pœnitebis.* Nec sufficit interrogare prudenter, & fatigare, nisi fides & obedientia præstetur. Aliter stultus erit homo talis vt dicit Sapiens, qui non recipit verba prudentiæ, seu consilij; nisi ea dixeris, quæ versantur in corde suo. Vnde ait Ioannes Climacus de gradibus pertingendi ad Deum, quod homo arrogans, & seipsum Ducem sui constituens, non indiget dæmone tentante, quia factus est sibiipsi demon, hinc & Cassianus in secunda collatione patrum, post multas disceptationes fratrum, quæ virtus esset potior ad perducendum hominem ad vitam, cum noctem totam occuparet disputatio, & alius aliam virtutem assereret, tandem in persona magni Antonij concludit, discretionem hanc solam virtutem esse, quę imperturbato calle deducit ad regnum, & ab insidijs & seductionibus dęmonum tutos reddit, imo ibidem dicit, quod ad par exitium vergunt abstinentia nimia, & voracitas, nisi quod irremediabilior est excessus abstinentiæ, quia morbos affert incurabiles ex læsione cerebri, & rationis perturbatione, quo fit vt per furiam vel cæteras passiones melancolicas sic profundentur, & intime radicentur fantasmata interius reseruata in cerebro, quod esse putantur vere res extrinsecus apparentes, & audire se putat homo vel tangere, quod nullo sensu exteriori percipitur, ita etiam vt se iudicet homo esse aliud quam sit, puta asinum, vel se mortuum reputet, hac ægritudine percussum putant nonnulli doctores Nabuchodonosor, vt brutum se crederet. Vnde & etiam in obseruantia artium magicarum præcipiuntur immoderata ieiunia, vt ita sæpius tales cadant in insaniam. Et ideo in omnibus istis quærendum est consilium à viris discretis, hinc & puerũ Samuelem noluit Dominus per semetipsum diuini eloquij disciplina erudire, sed recurrere semel, & iterum atque iterum patitur ad senem Hely, vt senis doctrina institueretur, & quem sua vocatione dignum iudicauerat, senioris malebat institutione formari. Similiter Paulum cum Dominus per se alloquens, & vocans posset ei perfectionis viam reserare: mauult confestim ipsum ad Ananiam dirigere, & ab eo iubet viam veritatis agnoscere, dicens: *Surge, & ingredere ciuitatem, & ibi tibi dicetur quid te oporteat facere.* Inde & ipse detestando præsumptionem, ob hoc solum se asseruit Hierolymam conscendisse, vt Euangelium quod comitante gratia Spiritus sancti cum potestate signorum, & prodigiorum prædicabat, cum suis Apostolis & prædecessoribus priuata, & domestica quadam examinatione conferret. *Contuli* (inquit) *cum illis Euangelium quod prædico inter gentes, ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem.* Si igitur Paulus etiam in reuelatis nolebat sibi credere, sed aliorum discretioni submittebat, quanto magis nos oportet consilium sequi seniorum, & sanctorum virorum, ne in talibus illudamur à diabolo? Vnde refert Cassianus in secunda collatione patrum, quod senex quidam Hieronymus nomine in eremo scithi quinquaginta annis, cum maximo rigore continentię mansit, post hoc à diabolo illusus est, quia voluit suo consilio regi, nec superiorum institutis obedire. Tanto enim rigore abstinentiam ieiunij obseruabat, vt etiam in veneratione diei Paschalis, nec quicquam de sui propositi rigore laxaret. Qua in re deceptus, angelum Sathanæ cum veneratione suscipiẽs, & ei obediens, se in puteum, cuius profunditatem oculorum non attingit intuitus, præcipitem dedit, de Angeli sui sponsione non dubitans, qui eum pro merito laborum suorum, & virtutum, nequa-

Prou. 3. — F Discretio mater virtutum. — Act. 9. — Gal. 2.

nequaquam posse firmauerat, vlli iam discrimini subiacere. Poterat enim allegare. Tu iam es in perfecta charitate, charitas non agit perperam, id est non potest male agere, & hoc experiri volens in puteum se proiecit, de quo cum ingenti fratrum labore iam exanguis fuisset extractus, vitam tertia die finiturus, non tamen potuit ei persuaderi, quod fuisset dæmonum calliditate illusus. Et ita discretio magna est in istis adhibenda, ne quis proprio capiti nimium inhæreat, sicut fecit iste, sed Lucianus discretus fuit, qui nec primæ nec secundæ apparitioni voluit credere, sed vsque ad tertiam distulit reuelationi assentire, & illam reuelare.

G *Reuelatio facta est examinanda in veritate & vtilitate*

Quinta propositio reuelatio facta debet examinari in duobus. Primo in veritate. Est enim quandoque tanta similitudo denarij falsi ad verum, vt vix nisi à doctissimis possit eius falsitas deprehendi, quia inter tot veritatis lineas ad fraudem positas, non statim vnus falsitatis punctus semet aperit. Hinc refert Cassianus secunda collatione patrum, quod Monachus quidam Mesopotameus perpaucis imitabilem continentiam tenens, ita ad extremum diabolicis reuelationibus est illusus, vt post tantos labores, & virtutes quibus excesserat omnes Monachos in Mesopotamia residentes, ad Iudaismum, & circuncisionem lapsu miserabili volueretur. Nam cum volens eum consuetudine visitationum ad credulitatem futuræ deceptionis allicere, verissima quædam multo tempore diabolus velut veritatis nuncius ei reuelasset, sub vmbra harum veritatum reuelatarum ostendit populum Christianum vna cum Principibus religionis ac fidei nostræ Apostolis ac Martyribus tenebrosum ac tetrum omnique macie tabidum atque deformem, & è contra Iudæorum plebem vna cum Moyse Patriarchis, & Prophætis summa tripudiantem lætitia, & splendidissimo lumine coruscantem, suadens vt si mallet meriti ac beatitudinis illorum particeps esse, circuncisionem quoque suscipere festinaret, quod & fecit. Visi enim sunt hæretici, qui magnos catholicæ fidei libros componebant, vt solam hæresim inter tot veritates insererent. Et ideo debet à catholicis subtiliter examinari, & à veris theologis, quorum interest inter religionem veram, & falsam discernere. Et sic manifestum est quam sit perniciosa scripturæ sacræ reiectio, & ad antechristi susceptionem præparatio certissima, cótra prælatos & illos, qui modo derident scripturam sacram, & dicunt alias scientias de pane lucrando esse isti præferendas, Secundo debet examinari de vtilitate veritatis illius reuelatæ. Si res de qua fertur esse reuelatio sit vtilitatis ad mores, ad rempublicá, ad diuini cultus augmentum, & honorem, aut si sit de rebus inutilibus aut superuacuis, & quę non est nostrum scire, aut etiam contra mores, quia tunc debet esse suspecta. Sicut semel contigit cuidam monacho, vt refert Cassianus secunda collatione patrum, qui dum multo tempore dæmonem in Angeli susciperet claritate, reuelationibus innumeris sępe deceptus, credidit dæmonem esse nuncium iustitiæ. Nam & exceptis his, & iam per omnes noctes in cella illius lumen absque vllius lucernæ præbebat officio, ad extremum iubetur à dæmone, vt Deo filium suum, qui cum eo pariter in monasterio commanebat, offerret vt scilicet hoc sacrificio Abrahæ meritis æquaretur. Cuius in tantum persuasione est deceptus, vt parricidium opere profecisset, nisi videns puer cultrum extra consuetudinem acuendo præparare, & vincula, quibus eum velut oblaturus ad immolandum constringere disponebat, præsagio futuri sceleris perterritus aufugisset.

Et si arguatur de Abraham quod similiter credidit simile, & quod erat contra bonos mores. Dicitur primo quod non esset contra bonos mores si Deus hoc iuberet, & super hoc dispensaret. Dicitur

citur secundo quod Abrahæ non licebat illi reuelationi credere, nisi ita clare cognouisset esse à Deo, quam clare sciri potest aliquid esse rationi rectæ aut scripturæ sacræ consonum, quod habuit vel per donum discretionis spirituum, vel per inspirationem internam, aut alio quouis modo, quia nescimus hoc dicere nec possumus, quia non sumus talia experti. Et quia Lucianus rem vtilem, rem veram, & ad augmentum diuini cultus accommodam (vt executio probauit) nunciabat Episcopo, & cum hoc nouus testis adductus est, scilicet Migetius monachus, cui apparuit iterum Gamaliel dicens, quod non erant ibi corpora eorum, sed in loco, qui nunc dicitur bonorum virorum possessio, ideo talis reuelatio non est suspecta, sed magis credenda & veneranda. Sequitur secunda pars, quæ est de inuentione horum corporum. Postquam enim S. Ioanni Episcopo ostensa est huiusmodi reuelatio à duobus, scilicet à Luciano & à Migetio, tunc cum gaudio iuit ad agrũ illum quem dixerat Gamaliel, & ibi inuenerunt quatuor bona corpora. Vix inuenirentur modo tot simul. Nam multi mali

Gen 18 inueniuntur, & pauci boni. Hoc patuit in quinque ciuitatibus, in quibus nõ est inuentus nisi vnus bonus & iustus. Nec est mirabile quia plures sunt lapides viles quam pretiosi. Sed nonne homines guerræ habent bona corpora, & fortia. Dicitur, quod bonitas corporis ex bonitate animæ dependet. Inde est quod cum anima exit, remanet cadauer putridum nihil valens. Pensatur pretiositas vasis non ex vase, sed ex liquore vasis. Vnde boni & mali multipliciter differũt in inuentionibus suis. Primo, quia mali plures adinuentiones malas habent, quam boni bonas, & hoc videmus ad experientiã, quia plures mali fructus inueniuntur in syluestribus arboribus quam in domesticis, & vtilibus, etiam cum magno labore cultis & rapacia animalia plures fœtus solẽt producere quàm benigna, vt patet in lupis. Sic vnus pessimus homo plus inueniet malitiæ, & adinuentionis pessimæ quam decem viri inuenirent ad bene, componendum rem. De quibus potest

*H Inuentiones bonorum & malorũ sunt differentes*

dici: *Inuenti sunt in populo meo impij velut aucupes laqueos ponentes ad capiendos viros.* Hier. 5. Et sicut malarum bestiarum non omnes fructus perueniunt ad bonum, sic nec omnes malarum hominum inuentiones sortiuntur effectum. Secundo differũt in fructu inuentionis quia boni de illis, quę inueniunt, & cum hoc de inuentionibus suis gaudent, sicut qui inuenit in sacra scriptura aliquod bonum, & vtile ad eruditionem populi. Ps. *Letabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa.* Psal. 118. vel sicut cum aliquis inuenit aliquod expediens ad bene dirigendum populum. Sed mali vt plurimum non gaudent, vt patet in figura. De sancto viro quem inuenit 3. Re. 13. leo de sylua, & percussit, sed non comedit eum, neque de asino eius gustauit. Sic mali in hoc mundo per suas adinuentiones pessimas rapiunt & prædantur, & comedunt, sed neque nocent homini iusto, quia non possunt ei nocere quicquid ei faciant, si hoc portet patienter, & si hoc faciat, hoc est bonum eius. Est enim sicut potio amara bibita ad sanitatem. Sed quid est, quod non comedit de asino qui erat aliqua portio substantiæ hominis iusti. Dico, quod rapaces homines leonculi, qui sunt in sylua huius mundi, occidunt aliquando iustum, & dissipant substantiam suam, & in aceruo habent prope se, sed non comedunt. Ratio est, quia totum alterius fuit, & totum alterius erit. Tertio differunt in modo inueniendi, quia iniusti, & mali non quærunt nisi inuenire asturias, fraudes, deceptiones, & iniquitates. Sicut enim porci gaudent inuenire stercora, & vultures cadauera, sic peccatores gaudent facere, & inuenire opera vilia, & inhonesta, quibus exerceant sua desideria impudica. Superbi & iracundi gaudent de inuentione crudelis operis. *Cum* Eccl. 12. *inuenerit tempus satiabitur sanguine.* Luxuriosi de inuentione fœtentis sceleris. Iob.

Gaudent

Iob 3. *Gaudent vehementer cũ inuenerunt sepulchrũ*. Auari de inuentione luri & muneris, dicentes cum gaudio. *Veruntamen diues* Osee 12. *effectus sum, inueni idolum mihi*. Sed boni, & iusti non quærunt nisi complacere Deo & inuenire Deum, & quæ placita sunt ei facere, & tales inueniunt gratiam coram oculis Dei propter eorum humilitatem. Eccle. 3. *Humilia te in omnibus, & inuenies gratiam*, imo sicut aqua quærit valles, vt eas impleat, sic gratia humiles. Venter enim vacuus plus cibum appetit, & humiles vacuus est sua reputatione. Ideo dicit Luc. 1. Maria: *Esurientes impleuit bonis*. Quarto differunt ex parte finis, quia iusti inuenient gloriam, & ratio est, quia iustũ est, quod qui non faciunt nisi Deum & paradisum venari, & quærere, quod quandoque debeant inuenire. Agricola enim quandoque per totum annum laborat, vt in æstate fructus inueniat. Ideo beati quando veniunt ad paradisum per gaudia dicunt. *En hæc est dies quam expectabamus, inuenimus, vidimus*, hoc erit quando Thren. 2 Psal. 72 do videbunt Deum, iuxta illud Psal. *Dies pleni inuenientur in eis*, dies pleni, id est clara visio. Sed inuenient mali dolorem, & tædium inferni, quia iustũ est quod quis inueniat quod cum diligentia quærit, & quod finaliter inueneniat terminum ad quem tendit. Cum igitur peccatorum vita nihil aliud sit quam via ad infernũ, iustũ est quod finaliter inueniant ipsum. Psal. 80. *Ibunt in adinuentionibus suis* scilicet ad infernum. *venerunt ad hauriendum, & non inuenerunt aquam*, id est misericordiam apud Hier. 14 Eccl 36. inferos. *In ira flammæ deuorentur, & qui pessimant plebem tuam inueniant perditionem*. Thren. 1 *Laborauit inter gentes nec inuenit requiem*. Foderunt igitur in loco reuelato, & inuenerunt loculos sanctorum, & transtulerunt corpus beati Stephani in Ecclesiam sanctæ syon, vbi quondam archidiaconatus functus erat officio anno prænotato.

Sed circa hoc quærit Aug. in sermone de inuentione. Cum ita sit quod anno mortis Christi Stephanus passus sit, & beati Geruasius & Prothasius longa post tempora, quare antè multo tempore reuelauit Deus corpora Geruasij, & Prothasij quam Stephani. Dicit ad hæc ibidem August. quod aliam nesciret assignare rationem quam Dei voluntatem, & benepl c itum, qui aperit thesauros suos, quando sibi placet. Posset tamen dici, quod thesauri aperiuntur, quando necessitas incumbit reipublicæ. Et quia prior occurrit necessitas Ecclesiæ pro qua laborabat Ambrosius apud Mediolanum contra imperatorem Valentinianum minorem, & imperatricem Iustinam, & tunc fuit opus remedio, ideo pro tunc aperuit Deus illos thesauros, corpora scilicet Geruasij, & Prothasij in præsentia Imperatoris, & imperatricis, vt recitat Augustinus. 22, de ciuitate Dei, & tunc cessauerunt furere imperator, & imperatrix contra Ambrosium & pax Ecclesiæ restituta est. Sed postea superuenit necessitas in partibus Hierusalem præ fame, & siccitate, ideo tunc aperti sunt thesauri, & loculi isti. Post multa vero tempora à Hierosolymis translatum est corpus Stephani ad ciuitatem Constantinopolim. Circa quod quæritur quare voluit Stephanus corpus suũ transferri extra Hierusalem, cum fuerit locus suæ natiuitati & patriæ, & omnes quærant inhumari in terra sua, & etiam terra illa erat in quam sancti Patriarchæ in aliena terra morientes desiderabant reportari, tum etiam quia de nouo purpurata fuerat Christi sanguine, & ideo precisior. Dicitur ad hoc, quod duplex potest assignari ratio huius translationis. Prima fuit negligentia sacerdotum. Prælati enim & sacerdotes paucum de eo curabant, vt patet ex historia, quia nesciebatur de duobus loculis, quis esset Stephani loculus, & sic patet, quod non impendebatur eis reuerentia secundum exigentiam meritorum suorum. Secunda rato est, quia prædixerat Dominus. *Hierusalem calcabitur nationibus, donec impleantur tempora nationum*, & Luc. 21 ita

ita videmus nunc. Ideo, quia ab infidelibus corpus suum non haberetur in reuerentia, prouidens Dominus futura mala in terris illis euenire, voluit suum fidelem militem Stephanum aliquo fortuito casu transferri, sicut nunc ab eodem loco translata est fides.

SERMO TERTIVS VNDE SVpra & in ordine XXXI. Per Thema.

Psal. 36. A Pacificus dicitur qui patitur iniurias vel qui pacem facit.

*Vide æquitatem, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.* Homo duobus modis intelligi potest dici pacificus. Primo quando patitur iniurias, & nihil mali dicit nec murmurat, & sic dicitur pacificus quasi pacem ferens, de quo Psal. *Cum his, qui oderunt pacem eram pacificus, cum loquebor illis impugnabant me gratis*, quasi diceretur iuxta vulgare, tantum valuisset ac si heurtassent vel collisissent caput suum contra murum, quia propter hæc non mouebatur. Talis erat Stephanus, quia contra eum heurtabatur seu impingebatur lapidibus, & tamen pro persecutoribus orabat nec mouebatur à sancto suo proposito, ideo non est mirum si sunt tali homini pacifico reliquiæ. Secundo dicitur homo pacificus, quia pacem facit, & sic inter omnes puras creaturas Maria maxime dicitur pacifica, de qua Cant. *Facta sum coram eo quasi pacem reperiens*, quia propter nihil aliud facta est, nisi ad pacē faciendam. Fuit enim mediatrix in reconciliatione generis humani ad Deum, quando reliquiæ de cælo positæ sunt in vtero eius, vt igitur nostram pacem faciat, ad eam recurramus dicentes: Aue gratia, &c.

Ps. 119. Cant. 1.

B Inimicitia continua sunt inter bonos & malos

Sicut contrarietas est inter elementa mundi, sic inimicitiæ sunt inter mundi habitatores. Decipiunt enim astuti simplices, persequuntur maligni innocentes, conculcant infirmos potentes. Nec hoc incipit de nouo, sed quasi ab initio mundi. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem & semen tuum, & semen illius.* Semen serpentis est cœtus malorum, cui improperabat Ioan. Baptista: *Genimina viperarum quis docebit vos fugere à ventura ira*, & semen mulieris, id est Ecclesiæ, est semen bonorum. Serpentes antiquitus solebant lapidari, sed nunc boni, vt Stephanus, à semine serpentino lapidantur, torquentur, & pænitus destruuntur. *Serpens, enim, callidior*, id est subtilior, *erat cunctis animantibus, quæ sunt super terram*, tales enim homines sunt inter omnes astutissimi. Ideo serpens decepit mulierem simplicem, Cayn malignus occidit Abel innocentem Pharao paruulos fecit submergi. Herodes innocentes occidi. Vnde Eccl. *Verti me ad alia, & vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, & lachrymas innocentium, & neminem consolatorem, nec posse resistere eorum violentiæ cunctorum auxilio destitutos.* Miserabilis enim est guerra ista, & partes valde videntur impares. Nam ex vna parte est simplicitas ex alia astutia, ex vna infirmitas ex alia potentia, ex vna innocentia, ex alia malitia. Ideo si in tali guerra te inueneris, vide æquitatem diuinam, id est considera eam, cogita hoc Dei iudicio fieri, quod malum pateris, & diuinæ iustitiæ congaudeas, vt possis reliquias sursum habere cum Deo. Sic faciebat Dauid. *Dimitte Semei, vt maledicat Dauid, Dominus enim præcepit vobis.* Et Stephanus congaudebat diuinæ bonitati in martyrio suo, nec se vindicabat ideo in eo ad exemplum, vide æquitatem, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico. In primis dicēdum est quomodo viro pacifico sunt reliquiæ bonæ post mortem. Deinde vero quomodo pessimis hominibus nullæ sunt reliquię, vel si sint, reliquiæ illę sunt pessimæ.

Gen. 3. Matth. 3. Gen. 3. Eccle. 4. 2. Re. 16.

Igitur notandum est, quod quattuor reliquiarum genera dimiserunt nobis beatus Stephanus & socij eius, quorum hodie solēnitas est, & generaliter omnes sancti, & tantummodo de priori genere reliquiarū mane dicemus, & de reliquis tribus post prādiū. Primū ergo reliquiarū genus nobis à Sanctis dimissarum, sunt eorum corpora, pulueris, & ossa, & hoc ad ho-

ad honorandum eos sicut decet. Docet enim experientia, quod maior reuerentia exhibetur eorum ossibus vel pillis, quam magnis principibus huius sæculi, & hoc multipliciter apparet. Primo quia principibus capsas, & loculos de lignis, & lapidibus facimus ad subterrandum eos, & inhumandum, sanctis autem de auro & argento, & lapidibus prætiosis ad eleuādum eos de terra. Secundo quia postquā adorantur principes sæpe maledicuntur propter eorum iniustitias. Non sic de sanctis, sed semper eis præstatur benedictio. Tertio, quia cineres Sanctorum genibus flexis etiam à principus osculantur. *Ponet in puluere os suum, si forte sit spes*, habendi, scilicet quod petitur. Inde Esa. *Puluerem pedum tuorum lingent*, tuorum, id est sanctorum, qui Christum portauerunt in hoc mundo. Quarto principibus non fit aut fieri non debet obsequium de corpore, & anima, ita quod anima non sit totaliter in eorum obsequium, quia tunc esset species idololatriæ, sed bene Sanctis, quia sunt corporis & animæ protectores.

C *Reliquiæ sanctorū magis honorantur, quam reliquiæ principū*

*Esai. 49*

Circa hoc quæritur. Primo vtrum reliquię Sanctorum debeant adorari. Et videtur, quod non, quia talea reliquiæ non sunt nisi vilis puluis, & cinis. Item in antiqua lege corpora mortuorum erant immunda, hinc & Num. *Qui tetigerit cadauer hominis, propter hoc, septem diebus erit immundus.* Non autem sunt alterius speciei corpora eorum, quæ nunc sunt vel fuerunt in Ecclesia primitiua, & eorum, qui fuerunt in antiquo testamento, igitur; hæc enim erant argumenta Vigilantij hæretici impugnantis honorem reliquijs Sanctorum factum, vt patet in epistola Hieronymi ad eundem Vigilantium. Ad hoc sit prima propositio, honor reliquiarum Sanctorum ad honorem Dei pertinet. Patet per Hieronymum in epistola ad Riparium, honoramus (inquit) reliquias Martyrum, vt eum cuius sunt Martyres adoremus. Honoramus seruum, vt honor redundet in Dominum, qui ait: *Qui vos suscipit me suscipit.* Et: *In seruis suis deprecabitur.* Vnde vulgo dicitur, *pour l'amour du Seigneur, baise la dame de seruiteur*, hoc est propter amorem Domini osculatur domina seruum. Sic homo propter honorem Dei osculatur cineres, qui seruierunt animæ Sanctorum. Secunda propositio. Non sunt immundi, qui tractant vel osculantur reliquias ipsas. Probatur primo, Hieronymus in epistola ad Vigilantium, quia si ossa eorum polluunt contingentes, quomodo potuerunt ossa Helisæi mortuum suscitare. Secundo ossa Ioseph Patriarchæ portabantur in exercitu Israel. Fuisset ergo tota Iudæorum multitudo immunda, quæ hoc faciebat, nec hoc à sancto Ioseph moriente fuisset eis præceptum. Tertio, dictum est Petro, & cuilibet fideli, *Quod Deus sanctificauit, tu ne commune dixeris*, id est immundum, sed Deus sanctificauit eorum corpora, beatificauit animas, ergo non sunt hæc immūda. Hinc propter eorum munditiam dicebat Hieronymus, quod cum sentiebat se offendisse Deum vel etiam passum fuisse nocturnam pollutionem, timebat valde nec audebat eorum limina intrare. Tertia propositio, propter Deum sunt honorandæ reliquiæ. Probatur multipliciter. Primo per Augustinum lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, quia sancti sunt Christi membra, filij, & amici, sed membra Christi nullus dubitat veneranda. Sunt enim eorum corpora lapides, quibus ædificabitur ciuitas Hierusalem, qui hic martellati sunt, & quadrati martello tribulationis, ideo honorandi sunt propter Deum. *Quoniā pones eos dorsum*, ad sustinendum scilicet ictus lapidum, & aliorum tormentorum, vt fecit B. Stephanus, *in reliquiis tuis*, id est tuorum membrorum qui sunt sancti, *præparabis vultum eorum*, id est populi ad osculandum deuote, & propter hoc istæ reliquiæ habentur in honore.

*Num. 19*

D *Reliquiæ sanctorū quomodo sunt adorandæ.*

*Luc. 10.*

*4. Reg. 13*

*Gen. 50.*

*Ios. 24.*

*Act. 10.*

*Psal. 20.*

Sed Episcopi & Abbates non modo relinquunt tales reliquias, sicut & illi antiqui Prælati faciebant, & Martyres, qui cura-

curabāt infirmos. Reliquit enim Stephanus lapides, Petrus vincula, Laurentius carbones & craticulam, alij cilicium, alij stratum vile, & durum. Modo autē Prælati pro reliquijs relinquunt vasa argentea, aurea, & vestes varias, quæ non sanāt infirmos, sed magis scādalizant, & à Deo auertunt. Nam cum moritur Prælatus, qui congregauit thesaurum scandalizantur minores, & maxime laici dicentes, quare non congregabo sicut ille. Nec aduertunt, quod Christus non habuit ciphum argenteum, sed catinum, id est vas factum de terra, ideo reliquiæ taliū Sanctorum sunt adhuc in magna reuerentia. Sed reliquiæ superborum disperguntur in omnem ventum, id est superbiam & pompam. Et sic fiet in iudicio, quia cineres Sanctorum suorū colligentur ab Angelis, sed cineres miserabilium auarorum & raptorum dispergentur vrendæ in inferno, iuxta illud: *Non sic impij non sic, sed tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ*, non quin perfecte resurgant mali, sed dispergentur velut à facie venti ad comburendum in igne inferni. Secundo hæc propositio probatur ab August. lib. de cura pro mortuis agenda, & in lib. 13. de ciuit. Dei, cap. 13. quia qui ad aliquem afficitur, quæ de eo relinquuntur post mortem veneratur, non tantum corpus aut partes corporis, sed etiam aliqua exteriora, vt vestes, lapides prętiosos, & similia. Si ergo hoc faciamus amicis nostris, à fortiori amicis Christi debemus facere, qui sunt de familiaritate Dei, & de nostris melioribus amicis, qui in extrema necessitate nos non deserunt. Vnde secundum Aristot. 2. Phisicorum, allegando quendam Philosophum dictum Protharcos dicit, quod lapides ex quibus fiunt altaria deosculantur, & sunt felices, sed qui conculcantur, & ex quibus fiunt patibula infelices sunt. Sic Sancti qui sunt lapides, ex quibus ædificatur ciuitas cælestis, sunt felices, illi vero, qui conculcabuntur in patibulis inferni, infelices erunt. Tertio hoc idem probat Hieronymus in epistola ad Vigilantium. Prætiosa enim est mors Sanctorum in conspectu Dei, ita vt Deus eos honoret in puluere mirabilia faciens. Nam Hest. *Tali honore dignus est quē rex voluerit honorare*, ideo à fortiori & nos debemus honorare eos. Quarto prætiosa iocalia prætiosis locis recondi debent, vt lapides prætiosis, & aurum; & quia corpora Sanctorum sunt prætiosæ Margaritæ, & gemmæ quibus ædificabitur ciuitas cælestis, ideo conuenienter reconduntur in locis honestis, & eleuantur à loco terrestri. Et propter hoc sanctus Gamaliel hodie apparuit Luciano viro deuoto, & vigilanti supra populum, vt eorum corpora de loco humiliori ad honestiorem transferrentur. Dic historiam. Quæritur secundo vtrum reliquiæ sancti Stephani debeant venerari, cum non sint à summo Pontifice canonizatæ. Hoc enim non legitur ab eo factum, sicut nec de martyribus pluribus in primitiua Ecclesia. Et si ita faceremus absque eius approbatione, tūc multos bonos viros possemus tanquam Sanctos venerari, etiam infantes de nouo baptizatos, postquam ad cælum euolant, quod tamen videtur absurdum. Ad quod respōdendo fit prima propositio. Reliquiæ B. Prothomartyris Stephani debent à fidelibus venerari. Patet, quia sancta Dei, & sibi consecrata sunt veneratione digna, sed reliquię Sanctorum sunt sanctæ. Vnde de quolibet sancto dicitur: *Confitemini memoriæ sanctitatis eius*, & ex contactu reliquiarum consecrantur altaria de conse. dist. 1. cap. placuit. Euertantur altaria quæ sine reliquijs eriguntur. Non tamen sicut dicit Augustin. 22. de ciuit. Dei in veneratione corporum Sanctorū martyrum erigimus altaria, in quibus sacrificamus martyribus, sed vni Deo nostro, & martyrum sacrificium immolamus. Nam ipsum sacrificium est corpus Christi, quod non offerimus ipsis Sanctis, sed Deo, quamuis in memoriam eorum sacerdos sanctificet. Et sic patet quod sacrificia omnia fiunt Deo, & dedicantur Ecclesiæ, & altaria solum

Psal. 1.

Hest. 6.

Psal. 96.

E Reliquiæ Stephani venerabitur sine canonizatione solita.

sunt in honorem Dei, sed bene omnia ista fiunt in memoriam aliquorum Sanctorum. Secunda propositio, priuata oratione sanctum virum & iustum possumus interpellare, nõ tamẽ hoc debemus missam aut officium publicũ faciendo. Probatur per illud extra de reliquijs, & veneratione Sanctorum ca. summa. Dicitur enim. Licet non negemus quin liceat cuilibet defuncto, quem credit homo bonũ virum porrigere preces, vt eo intercedẽte Deus exaudiat, non tamen licet pro quoquam facere officium solenne vel preces solennes, nisi per sanctam sinodũ aut sufficientem Ecclesiæ cætum factum fuerit examen requisitum in canonizatione Sanctorum, & sine tali auctoritate reliquię Sanctorum non sunt publice venerandæ. Tertia propositio. Ecclesia non omnes Sanctos canonizat, quos sibi constat esse in vita æterna. Patet de pueris post baptismum euolantibus ad cælos, sed solum illos quorum vita & doctrina Ecclesia non fuit promota, & moribus, & exemplis in formata, dum viuerent, iuxta illud: *Laudemus viros gloriosos in generationibus suis*, & etiam quorum post mortem Ecclesia fuit orationibus beneficia & vtilitates consecuta in languidorum curatione, & miraculorum coruscatione. Propter quod hæc duo confitetur ecclesia de quolibet Confessore, quantum ad primum dicentes, qui pius, prudens, humilis, pudicus, &c. quantum ad secundum, ad sacrum cuius tumulum frequẽter, &c. Quarta propositio, in Ecclesia primitiua nou obseruabatur modus canonizandi qui modo seruatur. Primo, quia in Ecclesia primitiua Sancti, vt in pluribus fuerunt martyres, in quibus non requirebatur talis examinatio sicut in Confessoribus. Secundo quia vt communiter, tunc erat maior feruor Christi, quam nunc sit in cordibus hominũ, & ex meritis Christi, & Apostolorum miracula, & alia opera sic erant euidentia, vt nulla possent tergiuersatione cælari. Sed nunc bene videndum est, secundum quod dicit

Eccl. 44.

August. lib. de vera religione, quibus de diuinis est credendum, cum Angelus Sathanæ possit se transferre in Angelum lucis. Et præcipue quanto magis appropinquamus ad tempus Antichristi, quando fient multa falsa miracula, & multę illusiones fantasticæ. Et si dicatur sicut dicebat Faustus, vt dicit Guil. Paris. lib. de fide & legibus, quod loco idolorum adoramus martyres, & loco sacrificiorum facimus agapas. Respondet idem, quod nõ est simile, quia non adoramus martyres tanquam deos, sed vt seruos Dei, sicut propter regem adorantur serui eius. Inde Ps. *Laudate Dominum in sanctis eius*, & iterũ: *Et in seruis suis deprecabitur*. Et propter hoc non quærimus ab eo quod saluẽt nos, sed quod orẽt pro nobis. Non enim dicimus, S. Stephane salua nos, sed ora pro nobis. Idololatræ autem eos vt deos colebant, & ab eis principaliter credebant habere salutem. Quinta propositio. Absque sedis Apostolicæ canonizatione fieri solita B. Stephanus in primitiua Ecclesia celebrabatur & venerabatur. Sufficiebat enim eius canonizatio habita in sacra Scriptura. Sicut enim Ioannes Baptista habet illud priuilegium, vt sit solus in Euangelio canonizatus, quia ibi ponitur eius ortus, eius vita, eius prædicatio, eius martyriũ, eius testimonium ab ore Christi prolatum, sic in Actibus Apostolorum solus ipse canonizatus est. Vbi ponitur eius institutio in ordine, eius prædicatio in signis, eius fortitudo in constantia, testimonium sibi datum à Discipulis, & consequenter mors eius & martyrium, & Christi apparitio quodammodo ipsum canonizantis, dum sibi adhuc viuenti cælos aperiebat, quod non fecit Ioanni Baptistæ, & testimoniũ sui notarij Euãgelistæ dicentis, & obdormiuit in Domino, & sic patet eius canonizatio ex scriptura sacra. Et quia forte dubium fuisset vtrum eius cineres & reliquiæ essent à populo honorãdæ, hodie facta est triplex reuelatio, vt in honore à populo Christiano haberẽtur, vt patet in eius legẽda.

Ps. 150.
Dan. 3.
Act. 6. & 7.

SERMO IIII. DE EODEM FEsto & in ordine. XXXII. Per Thema immediate praecedens.

Matt. 5. A Reliquias habent pacifici quia beati & quia filij Dei.

PRopter duo pacifici dicuntur habere reliquias. Dicitur enim Mat. *Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur*, quia igitur pacifici beati & quia filij Dei, habent reliquias. Primo igitur, quia beati Pacifici. Beatos enim dicimus in hoc mundo, qui vltra victum & vestitũ habent reliquias, habent multa bona vnde viuere possunt laute & sine sollicitudine, iuxta illud Psal. post multa bona tẽporalia enumerata, *Beatum dixerunt populum cui haec sunt*. Si igitur qui sunt beati non vera beatitudine sed vmbratica habent tanta bona, quod dicuntur habere reliquias, sequitur etiam quod sancti qui sunt vere beati & pacifici habẽt reliquias suas. Habent enim inferius corpora sua & cellaria plena meritis & exemplis, & superius granaria plena gloria & cœlestibus bonis. Secũdo quia sunt filij Dei. Inhonestum esset quod sic seruiretur filio regis quod nihil esset residui vel reliquiarum, ita quod tam parce ei seruiretur, sed sancti non solum sunt filij regis, sed etiam filij Dei, igitur indignũ esset, quod sic eis ministraret Deus, quod non haberent reliquias, etiam quod nihil remaneret pro subditis & seruis. Nos autem sumus eorum serui, & confitemur nos esse eorum subditos, expectantes reliquias & micas quae cadunt de mensa dominorum nostrorũ. Et iam diximus quod nobis reliquerunt puluerem & ossa sua, sed non sola, imo cum sapore exteriori bonorum exemplorum quae ad extra apparuerunt, & cum medulla interiori meritorum, ideo eis debemus bene obsequi & bene eos venerari. Et quia beatissima virgo non solum est filia regis aut filia Dei, sed etiam mater Dei, regina cæli, & imperatrix orbis, manifestum est quod de suo seruitio plus habet reliquiarum, non quod aliquid sui corporis sit in terris, quia indigni sumus, sed sua merita maxime pullulant & exempla & sua gloria maxime notificantur. Ad eam igitur recurrentes, &c. Pater habens filiũ dilectũ sibi & pacificũ, qui pacem patris studet in omnibus seruare & quaerere, solet ei dare salutaria documẽta & relinquere iocalia pretiosa, vt amicitia patris & dilectio in corde filij fixa permaneat & impressa. In figura cuius. Tobias pater mori putans, filio suo salutaria documenta dedit. Christus multos filios habet pacificos, imo omnes vere pacifici sunt filij eius, id est cum patre nostro facientes pacem. Est enim differentia inter filium emancipatum, qui iam portionẽ suam habet & nihil plus expectat à patre suo, & filium famulantem qui expectat successionem, quia emancipatus minus curat de patre & pace eius, nec veretur eum offendere, nihil plus expectãs ab eo, alter vero studet pacem habere & timet patrem offendere, ne debita priuetur successione. Sic quidam videntur emancipati extra domum positi, quibus Deus dedit temporalia, quibus videntur contenti, nihil aliud quaerentes aut expectantes. Vnde patrem suum cœlestem non verentur offendere, etiam in portione sibi data tẽporalibus abutẽdo, bona tẽporalia superflue & inutiliter cõsumendo, figurati per filiũ prodigũ. Sed boni ẽ cõtrario faciunt. *Filij sanctorũ sumus & vitã aliã expectamus, quã daturus est Deus his, qui fidẽ suã nunquã mutant ab eo*. Et quia B. Sthephanus nihil temporaliũ habuit in hoc seculo, & si habuerit omnibus renunciauit, apportãs ea ad pedes Apostolorum, & etiam fuit pacificus cum Deo, cum Angelis, cum amicis, & cũ inimicis, ideo Dominus conuenienter voluit reliquias eius reuelari tempore suo, & sibi eas reseruari, & hoc est quod dicit thema, vide equitatem, &c.

Psa. 143

B Filij duplices, emancipati & famulãtes & qui sint.

Luc. 15. Tob. 2.

Dicto de primo genere reliquiarum, quas dimiserũt nobis sancti in hac vita, dicendum est consequenter de secundo. Itaque secũdum genus reliquiarum sanctorũ sunt eorum merita quibus adiuuamur.

tamur. Merita enim eorum primo fuerunt eis in adiutorium, quando in stricto passu mortis, vbi insidiatur catus muri, id est diabolus animæ, viam fecerunt & responderunt pro eis, sed adhuc modo sunt illæ reliquiæ ad adiuuandum nos. Quod autem sancti de suis meritis reliquias nobis dimiserunt ad nos adiuuandum patet. Primo dicitur de Dauid iamdiu mortuo cum vellet Sennacherib obsidere Hierusalem & eam delere & habitatores eius. *Protegam* (inquit) *vrbem hanc propter me, & propter Dauid seruum meum*, & sic patet quod adhuc eius merita militabant pro eis ne delerentur. Vnde & de Hieremia dicitur: *Hic est qui multum orat pro populo & pro ciuitate sancta*. Iam enim diu Hieremias defunctus erat, & sic orationes mortui & merita multum iuuabant Iudæos. Inde dicebat Petrus. *Dabo operam habere vos in memoriam post obitum meum*. Item etiam propter Abraham, Isaac & Iacob deleuit Dominus populo Israel peccatum grande & tamen iamdiu mortui erant. Igitur mansit apud nos aliquid meritorum sanctorum, vnde iuuamur. Secundo hoc idem patet, quia in prima apparitione dicit Gamaliel quod eorum corpora profutura erant populo, si à terra in locum honorabilem transferrentur. Quod & factum est, quia tunc cessauit sterilitas terræ magna, & septuaginta tres infirmi liberati sunt in Inuentione corporum eorum, & in Africa sex mortui suscitati sunt, vt refert Aug. 22. de ciuitate Dei, & ibi vide ad longum multa exempla in inuentione Stephani de reliquijs eorum facta. Vnde sicut in reuelatione corporum Geruasij & Protasij paulo ante facta B. Ambrosio apud Mediolanum regnante Valentiniano iuniore & Theodosio magno Patre Honorij, facta est pax & reformata in imperio, sic in inuentione istorum cessauit sterilitas, descendit pluuia, & sanitas consecuta est languidorum, ad ostendendũ quod meritis sanctorum martyrum guerra, fames, pestis qui sunt gladij Dei, auertuntur à nobis & eorum meritis aperitur cælum & pluuia Dei voluntaria, quæ est eius gratia. Tertio hoc idem patet per id quod canit Ecclesia, adiuuent nos eorum merita, quos propria impediunt scelera, excuset intercessio, accusat quos actio. Secundum enim Bernardum, dimiserũt nobis sua corpora quasi inuadiata quod intercedent pro nobis, excusabunt nostram miseriam. Et hoc debent nobis, quia secundum Arist. 5. Ethico. rex debet esse contentus honore subditorum, & propter hoc subditis debet impendere subuentionem. Cum ergo ipsi sint reges nostri, iuxta illud: *Reges in solio collocat in perpetuum*, & cum hoc honoremus eos iuxta facultatem nostram, sequitur quod debent nos subsidium & adiutorium, & hoc in quantum subditis. Secundo, quia pauperes sumus, pauperibus autem debentur reliquiæ in auxilium, & sustentationem, ideo (vt dicit Bern.) propter hoc nobis sua corpora reliquerunt. Et propter huiusmodi adiutorium ędificatę sunt magnæ basilicæ ad recondendum huiusmodi reliquias, non considerando quantitatem magnitudinis reliquiarum, sed quantitatem virtutis & adiutorij. Quodammodo enim vellent fideles, eorum reparare & reædificare corpora tanquam reipublicæ vtilia faciendo capsas & Ecclesias, si eis possibile esset, quia tales vix inueniuntur, qui defendant pauperem populum sicut ipsi faciebant. Hinc Eccle. *Corpora sanctorum in pace sepulta sunt, & viuent nomina eorum in æternum*, quia sæpe nominantur apud eos qui eorum sentiũt intercessionem.

Sed hic oritur grauis quæstio Vigilantij hæretici, quod nec sancti cognoscunt orationes nostras, nec necessitates nostras, nec etiam ipsis cognitis audiuntur pro nobis, igitur eorum merita non iuuant nos. Primum probatur, quia Esai. dicitur: *Pater noster es, & Abraham nesciuit nos & Israel ignorauit*, super quo Glos. Augustini, mortui nesciunt quod agant viui. Item etiam, quia orationes nostræ, vt pluri-

[Margin notes: 4. Re. 19. — Sanctorum defunctorũ merita nobis suffragantur — 2. Mach. 15. — 2. Pet. 1. — Iob 36. — Eccl. 44. — Esai. 63.]

plurimum mentales sunt, cognoscere autem hominum mentes soli Deo cōuenit, iuxta illud Ps. *Scrutans corda & renes Deus*, igitur non cognoscunt orationes nostras. Sed secunda pars patet. Tum primo, quia non experimur quod nobis subueniant. Habemus enim aduersitates multas, & non videmus alleuiamentum, igitur. Patet etiam argumento Vigilantij, quia in causa propria non fuerunt exauditi, non ergo in causa aliena, scilicet nostri. Antecedens patet, quia dixerunt sancti Deo. *Vindica Domine sanguinem nostrum qui effusus est*, & responsum acceperunt: *Expectate adhuc modicum tempus donec impleatur numerus fratrum vestrorum*, non ergo fuerunt auditi in causa propria. Ad ista respondetur per propositiones. Prima est sancti cognoscunt orationes nostras, non quidem naturali cognitione, sicut deducunt duæ primæ rationes, sed bene beatifica, vel etiam ex reuelatione diuina. Aliter enim non orarent pro nobis, & de facto orant pro nobis. Secunda propositio. Sanctorū merita intercedunt pro nobis, & de facto orant pro nobis, quando rogamus eos. Dicitur enim de Christo. *Semper viuens ad interpellandum pro nobis*. Et: *Ego rogabo Patrem & alium paraclitum dabit vobis*. Cum igitur sancti sint imitatores Christi, sequitur quod orant pro nobis, & hoc est satis iam probatum. Orant aut pro nobis, vt dicit Bonauent. 4. sent. dist. 45. aut quia vident necessitates nostras, aut etiā propter Dei voluntatē, quia Deus vult quod vnum membrum aliud reuelet, & quod pro inuicem sollicita sint membra, ideo cum ipsi sint liberati debent alios iuuare. Et (vt ibidem dicit) propter tria decet sanctos rogare. Primo propter nostram triplicem inopiam. Prima inopia est in merendo, vt vbi nostra non suppetunt merita patrocinentur aliena. Secunda Inopia est in contemplando, vt qui non possumus in se summam lucem aspicere aspiciamus eam in sanctis. Tertia inopia est in amando, quia miser homo quanque se sentit magis affectum circa vnum sanctum quam circa Deum, ideo Deus compassus nostræ miseriæ voluit nos rogare sanctos. Secunda causa est sanctorū gloria, quia per hoc vult Deus sanctos suos glorificare, & per eos facere miracula in corporibus & salutem in animabus, vt ipsos laudemus, & sint cooperatores Dei ad nostram salutem. Tertia est Dei reuerentia, vt peccator qui Deū offendit, quasi non audeat Deum in propria persona adire, sed amicorum quærit patrocinia implorare. Tertia propositio, sancti sunt auditi à Deo & semper impetrant quod petunt. Non enim patiuntur repulsam, & de eo quod dicitur Apoc. dicit Hierony. quod non petierunt nisi voluntatem Dei, & quod petierunt obtinuerunt, scilicet pro loco & tempore, locum autem & tempus in diuina dispositione dimiserunt. Licet enim Deus exaudiat sanctos pro nostris necessitatibus, tamen aliquando hoc differt adimplere certis de causis, quas ipse nouit, vel propter nostram vtilitatē, vel ad suam & sanctorum gloriam vel propter peccata nostra, vt patet de Angelo synagogæ, qui fuit exauditus pro liberatione populi Israel, sed tamen 21. diebus dilatum est propter resistentiam Angeli Persarū, qui se opponebat liberationi eius propter peccata populi Israel nondum bene purgata. *Princeps Persarum restitit mihi viginti & vno diebus*. Et si aliquando hoc non experimur, hoc est, vel quia tale adiutorium non est diuinæ voluntati consonum, & hoc vident sancti, & sic non orant, vel quia etiam ab eis adiuuamur, sed quandoque latet nos. Tertium genus reliquiarum sunt eorum exempla ad imitandū. Hoc enim ostenditur auctoritate. *Erunt reliquiæ Iacob in medio populorum quasi ros à Domino*, qui licet paruus sit, tamen fructificare facit herbas & terram. Sic eorum exempla & bona vita stimulant & mouent nos ad fructificandum & bene operandum, licet in comparatione ad Christum sint parua eorum opera. Et propter hoc secundo Gamaliel apparuit & per similitu-

Psal. 7.
Apoc. 6
D Sancti orāt pro nobis & soluitur argumēta in oppositum.
Hebr. 7.
Ioan. 16
Nota.
Apoc. 6
Dan. 10
Mich. 5

militudinem suos & suorum loculos ostendit, quasi velit dicere quod eorum similitudinem imitemur, quasi dicat ibi sunt figurati diuersi modi viuendi eorũ quibus meruerunt æternam coronã, ideo vt imitemini ea ostendo vobis. Vnde est hodie inuentio corporum quatuor sanctorum, in quo in ipsis habemus imitari quatuor exempla quatuor virtutum cardinalium. In Stephano inuenitur fortitudo martyrij ex maxima Dei dilectione
Cant. 8. proueniens. *Fortis est, vt mors dilectio*, quæ etiam non parcit inimicis. Ideo propter martyrium calathus eius à Gamaliele ostensus est plenus rosarum rubearum. In Gamaliele doctore habemus exemplũ prudentiæ, qui ex consilio Apostolorum se tenebat in synagoga, ad sedandum ex sua prudentia machinationes Iudæorũ,
Act. 5. sicut fecit. Ideo calathum habet de rosis albis, quia sicut albedo disgregat visum, sic ille consilium Iudæorum, quod erat totaliter visus & prudentia Iudęorum. In Nicodemo intelligitur iustitia, qui compatiens Christo attulit pauperi quæ debebat. Debitores enim sumus pauperũ, qui etiam venit de nocte ad Iesum ad se iustificandum. Inde etiam habet calatum rosis albis plenum, quia ea quæ auari reputant ad suum visum delectabilia dispersit pauperibus. Sed in Abibon temperantia intelligitur, qui virgo fuit, ideo quartus erat plenus croco albo, in signũ munditiæ & virginitatis. Propterea non inconuenienter ab Ecclesia eorum memoria recitatur, vt per eorum memoriã homo excitetur ad eos imitandos.
4. Re. 19 *Fac orationem*, id est memoriam *pro reliquijs quæ repertæ sunt*. Si enim facta Rolandi & Oliuerij legantur, quanto magis memorari
Heb. 11. debent facta istorum sanctorum, *qui per fidem vicerunt regna mundi, carnis, & diaboli*. Et quia olera transplantata melius fructificant, sequitur quod dignum fuit corpora istorum sanctorum transferre & eleuare, vt nos melius faciant fructificare. Et quia sancti isti sunt exempla nos dirigentia ad æternam lucem, de qua canit Ecclesia, *lux æterna luceat eis Domine*, &c. Ideo homines & mulieres offerunt eis lumen, tanquam nos dirigentibus per viam arctam, per quam transierunt, & hoc propter quinque. Primo, quia lux est communicatiua, ideo in hoc primo designamus quod sancti sunt suæ bonitatis communicatiui, & rogamus eos quod suam bonitatem miseriæ nostrę communicent. Secundo, lux est illuminatiua in quo designamus quod ipsi in lumine habitant, & cum principe luminis, & cum illo qui est lux vera, quæ illuminat omnem hominem, & in hoc quærimus ab eis illuminari, vt saltem lumen fidei maneat in nobis. Tertio lux est inflammatiua, quia etsi in hac vita multum fuerint feruentes in amore Dei & proximi, adhuc sunt plus in alia vita, ideo quęrimus, vt nos charitate refrigerati possimus eis mediantibus inflammari. Quarto lux est non coinquinatiua, in quo confitemur eos esse mũdos ab omni crimine, & quærimus similiter à peccatis mundari. Quinto lux est impassibilis, in quo confitemur gloriam eorum, & quærimus esse extra miserias huius sæculi.

B Lux offertur in Ecclesia sanctis propter quinque.

Quartum genus reliquiarum est memoria gloriæ eorum, qua nunc triumphãt in cælestibus. Si enim sic honorãtur eorum pulueres, & ita habentur in hominum memoria, quid de eorum gloria estimandum est? Hinc Aug. in sermone S. Stephani. Exiguus puluis tantum populum congregauit cum latet, beneficia patent. Cogitate charissimi quæ nobis Deus seruat in regione viuorũ, qui tanta præstat de puluere mortuorum. Vnde hic humile eorum mansit, scilicet corpus, & superius ex anima, ad denotandum. Primo quia ex humilitate ad gloriam exaltati sunt. Secundo hic dimiserunt cineres venerandos, quia in resurrectione generali beatificabuntur & clarificabũtur. Inde est quod cum sanctos inuocamus, nomine eorum proprio quo vocabantur dũ viuerent, eos appellamus, dicẽtes. Sancte Petre ora pro nobis, sicut & legitur Dominus

D Nota.

minus appellasse Defunctos qui Deo viuunt nominibus, proprijs, ac si corporaliter viuerent, dicendo: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob*, quia licet tunc anima sola viuat, viuet tamen in cineribus reassumptis & corporis iūctis. *In reliquijs tuis*, id est, tuæ gloriæ *præparabis vultum eorum ad videndum*. Non enim habent sancti hic omnia bona sua, quia male esset eis. Si loquamur de eorū primis reliquijs, iam quidam destruxerunt eorum Ecclesias & capsas, propter quod male contingit eis, vt patet de Guilielmo rege Angliæ. De secundis eorum reliquijs, manifestum est quod pauci eorum merita curant & ad ea cogitāt. Omnes enim ad temporalia acquirenda musitant, & forte de mille cogitationibus, actionibus, & locutionibus, vix vna est de sanctis & eorum vitis, vt in memoria hominum habeantur. Vnde non nisi reliquias cogitationum nostrarum damus eorum reliquijs, iuxta illud: Psal. reliquię cogitationis diem festum agent tibi, quia vix de mille cogitationibus vnam ad eos referimus pro vtilitatibus nostris. Si de tertijs, pauci aut nulli eorum sequuntur exempla. Quis enim patientiam Stephani sequitur? Puto quod sancti martyres magnam nobis iniuriam fecerunt, quia videtur quod secum patientiam in cælum detulerint.

Exod. 3.

Psal. 20.

Quis veritatem eorum loquitur quia iam *furtum, mendaciū, homicidiū, inundauerunt super terram*. Nunc enim nulla fit sanctorum inuentio, id est, eorum quæ vtilia sunt populo. Sed bene nunc est inuētio non Stephani, sed diabolica inuentio, ideo tales inuentores ibunt cum diabolo in adinuentioribus suis. Et sic isti sancti habent potiorem partem reliquiarum suarum secum scilicet gloriam suam. Similitudo autem huius gloriæ odorata est in iuuentione corporum eorum, quando tantus odor exijt ab eorum tumulo, quod videbatur esse Paradisus. Ibi dic totum historiæ residuum. De reliquijs malorum consequenter est dicendum, quod mali reliquias bonas nullas habebunt. Primo hoc patet per illud Psal. *Iniusti disperibunt* in corpore & anima, *simul & reliquiæ impiorum interibunt*. Differunt enim diuites & pauperes, quia pauperes de sua cœna aut prandio nullas habent reliquias, sed bene diuites. Sic in hoc mundo diuites Deo pauperes mundo habent reliquias, vt sancti omnes, sed mali diuites mundo, & pauperes Deo, nullas habent, vt patet de malo diuite, qui nullas inuenit reliquias in inferno.

Osee 4.

Psal. 36.

G

Reliquiæ malorū nullæ.

Multi enim sunt in hoc mundo qui totum deuorant & nimis comedunt, etiā reliquias seruorum suorum, vt raptores, de quibus Ezech. nunquid satis erat bona pascua depasci, insuper & reliquias pascuarum vestrarum conculcastis pedibus vestris. Primo enim eorum corpora non honorabuntur, quia inhonorauerunt sanctos, & iustos viros. Ideo dicitur Soph. *Reliquiæ populi mei diripient illos*. Sap. *quorum finis sine honore*, licet aliqui venerentur in terris à mundanis, sed hoc est ad remunerationem aliquorum bonorum quæ fecerunt. Exemplum in vitis patrum. Quidam seruus Eremitæ veniens ad ciuitatem, vt venderet nattas & calathos & opera quę fecerat ipse, & pater suus Eremita, obuiam habuit corpus cuiusdam vsurarij & pessimi hominis, qui cum magnis exequijs & honorabilibus deducebatur ad sepulchrum, reuersus vero inuenit Eremitam patrē suum deuoratum à bestijs, & sola ossa reperit, tunc gemens murmurabat de diuinis iudicijs, quomodo iste sanctus homo qui per totam vitam abstinenter, & bene vixerat caruerat sepultura, alius autem pessimus siccū honore ducebatur. Sed tunc ei apparuit Angelus dicēs quod non miraretur de diuinis iudicijs, quia non sine causa fiebant, quia ille diues aliqua bona fecerat in hac vita indigna æterno præmio. Ideo hic remunerabatur, Eremita similiter quædam parua mala.

Soph. 2.

Sap. 2.

Ideo

Ideo hic puniebatur morte temporali. Secundo nec eorum exempla manebũt, nec eorum memoria, vt plurimum nec Deu. 32 apud parentes, nec apud filios. *Cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.* Et Psal. Psal. 9. *Perijt memoria eorum cum sonitu*, vt res quæ Psal. 16. non diligitur non recolitur. *Dimiserunt reliquias suas paruulis suis*, sicut enim Iudæi sanguinem Christi super se susceperunt, sed reliquias crudelitatis suę suis paruulis dimiserunt, vt patuit in fame & sanguinis effusione facta in Hierusalem, sic isti suis posteris relinquunt reliquias suorum malorum & suæ vitæ. Ita enim crudeles fuerunt in vita sua, quod etiam post se crudeliores dimittunt, qui nec etiam miseriarum suarum post mortem Psal. 87. curam habebunt. *Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius.*

Tertio, opera eorum non rememo- Psal. 68. rabuntur. *Deleantur de libro viuentium*, &c. Quarto gloria priuabuntur. Sancti enim esuriunt & sitiunt in hoc mundo, ideo Psal. 16. ipsi tunc satiabuntur. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Hoc ostendit Dominus cum dicit in conuiuio suo, colligite reliquias quæ superauerunt. Sed mali totum comederunt & suum alienum, ideo nullas habebunt reliquias, sed secundum Psal. 58. Psal. *Conuertentur ad vesperam & famem patientur vt canes.* Exemplum de Achab, qui comedit pauperem, sed nihil remansit in domo sua vsque ad mingentem ad parietem. Sed è contra Stephanus pauperes Euangelizabat & ministrabat eis. Et deinde seipsum, & sanguinem suum Act. 6. fudit, quia adhuc propitiatur nobis. Ideo nunc cathedrales Ecclesiæ & magnæ Ecclesiæ ædificantur in eius honore. Potuerunt tamen isti pessimi relinquere quatuor pessimas reliquias. Primo reliquias, quæ sunt diuitiæ quandoque bene quandoque male acquisitæ, de quibus Psal. *Dimiserunt reliquias paruulis suis*, nolentes eas pauperibus erogare, sed magis studentes eas suis parentibus & filijs aggregare, quæ postmodum quasi puluis dispergentur, iuxta illud Psalm. *Relinquent alienis diuitias suas, & sepulchra eorum domus illorum in æternum.* Super quo dicit Aug. quod bene alieni tunc sunt filij, quia tunc cum propter male acquisitas diuitias tales sepeliuntur in inferno, non possunt iuuari à suis filijs, quod habent eas.

[Margin: H Reliquiæ malorum quatuor pessimæ. Psal. 16. Psal. 48.]

Alienus autem est qui in necessitate, nec iuuat, nec iuuare potest, & ideo totum quod erat in eis boni peribit, scilicet diuitiæ vnde poterant lucrari vitam æternam, iuxta illud Psal. *Reliquiæ impiorum interibunt.* Psal. 36. Hinc est quod vxor Gamalielis & vnus de filijs suis primogenitus sine honore mortui sunt, & sepulchrum eorum inane est inuentum. Secundæ reliquiæ eorum sunt mali filij. Filij enim benedicti sunt bonæ reliquiæ, de quibus dicitur. *Beatus ero si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndum claritatem Hierusalem.* Tob. 13. Vnde de bono filio sic relicto dicitur. *Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuum, similem enim sibi reliquit post se.* Eccl. 30. Sed de malis filijs dicitur in Psalm. vt paulo ante allegatum est. *Reliquiæ impiorum interibunt.* Psal. 36. Et Eccl. *Vtilius est mori sine filijs quam relinquere filios impios.* Eccl. 16. Tertiæ reliquiæ eorum sunt mala fama. *Memoria iusti cum laudibus, laus impiorum putrescet.* Prou. 16. Quartæ reliquiæ fœtor intolerabilis hic & in alio sæculo. Hic enim fœtet eorum vita ad memoriam reducta, & à fortiori in inferno, iuxta illud Psal. *Veterascet in inferno à gloria eorum*, Psal. 48. hoc est, de tota eorum gloria non plus erit memoria quam de veteribus alijs putridis.

## *DE EODEM FESTO SERM. V. & in ordine XXXIII. Per Thema.*

*INueniatur in laudem & gloriam & honorem in reuelationem Iesu Christi.* 1. Pet. 1. Notandum est quod quadrupliciter aliquid inuenitur. Primo inuenitur aliquid quod non quærebatur, sed inuoluntariè occurrit. Quomodo inuenerat qui dicebat in Psalm. *Tribulatio & angu-* Ps. 1

[Margin: A Inuenitur res multipliciter.]

angustia inuenerunt me, scilicet inuoluntarie & contra voluntatem meã. Sic sæpe inueniunt nos tribulationes quas vellemus non euenisse. Sed in istis tribulationibus remedium est quod subsequitur, mandata tua meditatio mea est. Tunc enim cum tristitia propter adiacentes tribulationes circumuoluit cor hominis, summum remedium est confugere ad studia sacrarum literarum, quæ delectant cor, vel ad auditum verborum Dei priuatim vel publice. Sic sancti viri durantibus suis tribulationibus multum scripserunt. Secundo inuenitur quod nõ quærebatur, sed voluntarie postquam inuenitur. Sic beatus Stephanus, qui cũ prædicaret & disputaret de fide apprehensus est à Iudæis frementibus in eum, & tamen hoc constanter & voluntarie suscepit. Fecit enim de necessitate virtutem dicens: *Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui.* Tertio inuenitur quod quæsitum est, sed non fuerat perditum. Sic inuenitur thesaurus in agro absconditus; sic inuenit Lucianus corpora sanctorum Stephani sociorumque eius, & hoc in laudem & gloriam & honorem, &c. Quarto inuenitur quod quæsitum est & perditum, & sic Maria inuenit gratiam apud Deum, quæ quidem gratia à primis parentibus perdita fuerat, & in omnibus mulieribus quæsita, sed hæc quæ mirabiliter inuentiua fuit eam inuenit. Ideo quia perdidimus illam, nec eam nisi medio eius inuenire possumus, cum nos grossi paucum simus inuentiui, ad inuentricem illam gratiæ recurramus dicentes: Aue.

*Psal. 114*

B

*Stephanus regula est vita nostra*

Stephanus hæbraico sermone dicitur regula, nec fortuitu hoc contingit, sed ex certis rationibus. Prima, quia (vt dicit August.) duo sunt quæ in hac vita velut laboriosa nobis præcipiuntur, continere scilicet & sustinere. In his autem quæ difficilia sunt ad rectitudinem perducere, necesse est regulam habere, cui se conformari oportet. Seneca, non nisi ad regulam praua corriges. Quantum autem ad vtrumque Stephanus factus est nobis regula certissima & rectissima. Duæ enim sunt continentiæ partes, vna refrenat concupiscentiam boni transitorij, & altera appetitũ mali alieni, & vtramque habuit Stephanus. Primam quia castus fuit. August. in serm. in hoc quod propositus est fæminis, testimoniũ meruit sincerissime castitatis, & quia fuit Angelicæ puritatis, ideo in concilio apparuit Angelo similis. Similiter alteram habuit continentiam, quia vindictam persecutorum non petijt, sed è cõtra pro eorum conuersione laborauit. Sed sustinentiam multiplicem habuit. Primo quia laborem humilis ministerij sibi iniunctum sustinuit. Secundo quia ad falsum crimen sibi impositum patiẽter sustinuit. Vnde patientiam habuit. Tertio quia ictus lapidum patienter sustinuit. Vnde patientiam habuit tam ad verba quam ad verbera. Quia igitur in istis tam difficilibus exemplar fuit futurorum, non immerito Stephanus, id est, regula appellatus est. Præterea, quod vita sua non solum fuerit recta, sed etiam aliorum regula propter summam suę vitæ rectitudinem patet. Sicut enim quando aliquid est valde rectum, dicitur esse rectius quam regula vel linea, sic si diligenter consideremus vitam Stephani, nihil in ea distortum inueniemus: sed omnia rectissime operata sunt. Intellectum enim eius regulabat fidei perfecta firmitas, affectum perfecta charitas, corpus virginitatis integritas, & actum cõuersationis exterioris honestas. Nec mirum si ita eum regulauerat Dominus, cũ esset de primis lapidibus in cælesti ædificio ponendis, in quo nihil nisi regulatum intrabit. Si igitur volumus in illo ædificio poni, necesse habemus cum Stephano regulari, vt sic per eius imitationẽ vita nostra inueniatur in laudem & gloriam & honorem, &c.

C

*Laus, gloria, & honor differunt.*

Pro conclusione sermonis habenda iuxta thema nostrum notandum quod differunt laus gloria & honor, quia laus attribuitur

buitur corporibus quãdoque, vt & laudamus bonos equos, sed gloria solũ animabus rationalibus & Angelis & intellectualibus substantijs. Non enim glorificamus equos. Sed honor quamuis sis ratione alicuius excellentię omnibus in aliquo excellentibus debitus, tamen magis proprie debetur à quo omnis virtus & excellẽtia & dignitas depẽdet. Ideo iuxta illos tres terminos, tres reuelationes de corpore Stephani factas duobus sermonibus declarabimus. Prima enim pertinet ad laudem corporum sanctorũ. Secunda ad gloriam animarum. Tertia ad honorẽ diuinum præcipuè.

Quo ad primam autem partem primo sermone declarandam, videndũ est. Primo de qualitate reuelationẽ accipientis. Secundo de re reuelata & modo reuelationis. Itaque fuit hęc reuelatio facta cuidam Luciano nomine. Erat autem Lucianus præsbyter curatus villæ paruæ quæ dicebatur Caphargamala, id est villa Gamalielis, & ille residebat ministrando sacramenta in eadem, ideo meruit habere reuelationem Dei & Sanctorum. Contra illos qui non resident nec vadunt ad sua beneficia, qui sunt forte causa damnationis multarum animarũ. Primo enim valet eorum præsentia contra infestationes diaboli tentantis. Non enim ita audet lupus accedere ad gregem præsente pastore sicut absente. Vnde Samaritani quandiu fuerunt sine sacerdote Domini, fuerunt à leonibus infestati, sed vbi sacerdos Dei venit ad ipsos, qui cultum Dei docuit, ira leonum erga ipsos quieuit. Sic curati præsentia multum est necessaria. Ipso enim ab sente cultum Dei & executionem diuinorum mandatorum ignorat populus, cum non habeat qui doceat. Nõ enim facerent mercenarij ac si essent propriæ oues, ideo tunc apud eos multitudo vitiorum abundat. *Vbi non est gubernator corruet populus*. Sed è contra est, vbi est bonus pastor & sacerdos. Inde & Daniel, quia iustus erat in medio leonum sedens, ab ipsis minime lædebatur. De talibus enim sacerdotibus dicitur: *Obturauerunt ora leonũ, &c.* Secundo pręsentia pastoris facit oues perseuerare in pascuis bonorũ operum. Quandiu sacerdotes erant in Iordane aquæ stabant neque fluebant in mare mortuum, id est perseuerabant in bonis operibus neque tendebant in gehennæ amaritudinem, sed dum recedebant, tunc ad amaritudinem æternæ mortis per fluxum ad peccata tendebant. Hinc dictum est sacerdotibus. *Stabitis vos ad portam nocte ista*. Presbyteris enim porta commendatur, id est solicita castrorum custodia. Nam Marc. Ianitori præcepit, vt vigilet. Sed modo non sic est, imo laborant ad prædam pecuniarum non ad pascua animarum. Vnde quidam conquerebatur quod beneficium suum non ei valuerat Parisius in portatis, nisi quadraginta libras, & alius quidam statim ab eo petijt, & vos quantum valuistis Ecclesię vestrę, credo quod obolum non valuisset. Sic est de multis. Inde est quod multi conqueruntur, quod Parochiani non bene solsoluunt decimas. Certe si bene facerent curati quod debent, bene soluerentur decimæ, quia ait Dominus: *Cognosco oues meas & cognoscunt me meæ*. Tertio vero præsentia pastoris multum facit ad sciendum & cognoscendum voluntatem Domini de ouibus. In cuius signum pastoribus custodientibus vigilias noctis apparuit eis Angelus nuncians Saluatorem ouiũ aduenisse. Sic Luciano stanti in curia sua apparuit S. Gamaliel nuncians succursum pro ouibus quæ erant in necessitate.

Quo ad secundum punctum cum esset feria sexta apparuit quidam vir statura procerus, &c. dicens Luciano: Summa cum diligentia tumulos nostros patefacito, quia indecenter despecto loco reconditi sumus, &c. Sed quomodo hoc potuit esse? Nonne decenter eos collocauerat ipsemet sanctus Gamaliel? Dicitur quod propter guerras & destructiones terrarum, & iterum reædificationes immunditiæ fuerant ibi proiectæ, & iam multum sub terra erat collocata sepultura eorum,

Marginalia: D — Prælati præsentia multum cõfert subditis. — 4. Re. 17 — Prou. 11 — Heb. 11. — Ios. 3. — Mar. 13 — Ioan. 10 — Luc. 2.

rum, & per Ecclesiæ persecutiones, quæ maxime in illis partibus viguerant, abolita erat eorum memoria. Cui Lucianus dixit Domine quis es? Respōdit, ego sum Gamaliel qui Paulum Apostolum enutriui, & ad pedes meos legem perdocui, &c. Et addidit se dixisse fidelibus Christianis. Sepelite corpus Stephani & facite cōsueta solemnia per dies quadraginta in possessione mea, &c. In quo ostēdit quomodo honorabiliter cum planctu sepeliebātur sanctorum corpora. Hic planctus cessauit, quia tunc secundū legem scripturæ descendebant ad inferos. *Deducetis canos meos cum dolore ad inferos*, nunc vero, quia ad lætitiam perpetuā transeunt boni ianua aperta, ideo breuior est luctus. Sed hic quæritur primo quare Gamaliel ista opera & non alia reuelat, cum multa alia fecerit puta erat in consilio & liberauit Apostolos, quando se tenebat in consilio Iudæorum ex consilio Apostolorū. Dicitur quod merito non nominauit illā auctoritatem quam habuerat inter Iudæos primo, quia sancti non reputant officia huius mundi multum, eo quod parui & gnaui ibi ascendunt. Secundo quia ibi cōmuniter plurima mala fiunt quam bona. Et ideo Apostolus reputabat omnia vt stercora, & cū faceret miracula, si voluisset fuisset ab imperatoribus deauratus, & nunc si viueret esset deauratus, sed omnia hæc nihil reputabat. Sic & eius magister Gamaliel, quamuis esset magnū dissipasse consilium malignorum aduersus Innocentes, & esset res digna memoria, tamen obmutuit, nolens officium suum reducere ad memoriam. Sed retulit alia duo, scilicet instructionem & sepulturā. Primo ad ostendendū quod cum duobus oculis intrauit in regnum cælorum, scilicet cum oculo scientiæ & cum oculo pietatis. Nam sicut dicit Dominus, aliqui intrant in cęlum cū vno oculo, & hoc sufficit, sicut quia tātum habent oculum pietatis. Sed pauci nunc vident isto oculo, multi etiam sunt qui non multum vidēt oculo cognitionis. Secundo quia dixit illa propter quæ præcipué non solū ipse, sed etiam nos consequemur gloriam, scilicet exercendo opera pietatis tam corporalia, vt in Stephano fecit, quam spiritualia, vt in Paulo, & quod ista numquam erunt sine remuneratione, imo remunerabuntur hic in corpore, & in anima in alio sæculo. Hinc Eccles. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas*, id est pauperes, *& post multa tempora inuenies illum*. Tertio, quia magna est gloria magistro habere bonos scolares. Vnde Deus dedignatur vocari Deus malorum, sed non confunditur Deus vocari Deus bonorū, scilicet Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Et quia Paulus fuit maximus Doctor Ecclesiæ, & eius discipulus, ideo videns fructū in illa re gloriatur, & inde tibi erit magna gloria, cum bene instruxeris filium & filiam per bona exempla, quia Math. magnus vocabitur in regno cælorum, scilicet qui docuerit per exempla. Fuerat autem Gamaliel magister Pauli, in lege veteris Testamenti, sed Stephanus in noua quia sine eius prece (secundum Aug.) non credidisset Paulus.

Secundo itaque quæritur vnde est quod Paulus Ecclesiam Dei persequebatur, qui ita bonum magistrum habebat & Christum sequentem, & ita bonum consocium & condiscipulum, scilicet Bibam filium Gamalielis. Respondetur quod hoc est ad ostendendum quod quamuis magistri pueris possint & debeant ostendere scientiam & mores bona exempla, non tamen propter hoc faciunt pueros bonos, sed ipse solus Deus, qui dat cui vult gratiam suam, & quem vult vocat, & quem vult dimittit, & quod nemo corrigit quem Deus despexerit. Seneca enim fuit optimus magister, & tamē habuit Neronem pessimū discipulū. Similiter Aristot. fuit magister Alexandri pro parte, qui tamē fuit pessimus. Sed & ipse Christus habet Iudam pessimū discipulum.

Et ideo non propterea debent mirari magistri, si in multitudine bonorum schola-

Marginalia: Gen. 42 — E Sancti non reputant officia mūdi — Nota. — Mat. 18 — Eccl. 11. — Hebr. 11 — Eccl. 7.

ſcholarium vnũ habeant malum, Sed nec de malis eſt deſperandũ, quia quamuis Paulus perſecutus ſit Eccleſiam Dei, tamẽ poſtea inſecutus eſt eam & ampliauit plus cæteris. Ego igitur (inquit) ſum Gamaliel, qui autem mecũ iacet ſanctus eſt Stephanus, &c. Vbi aduerte quod in iſtis quatuor ſanctis deſignatur quatuor vię eũdi ad Paradiſum. Licet enim Pſalmiſta poſuerit tantum duas, *Vniuerſæ* (inquit) *viæ Domini miſericordia & veritas*, vtraque tamẽ, ſubdiuiditur. Nam eſt veritas duplex ſcilicet veritas doctrinæ & veritas vitæ. Sic beatus Stephanus propter veritatem doctrinæ occubuit, ſicut Vrias, quia portabat literas ſuæ mortis. Sic enim literæ euangelicæ fuerũt occaſio mortis Stephani & aliorũ martyrum. Abibas vero qui mortuus eſt mũdus per omnia veritatem vitæ tenuit, & per illã ingreſſus eſt cęlum. Sed miſericordia duplex eſt, quædam corporalis, cuius viam tenuit Nichodemus, qui ad ſepulturam Domini attulit aloes libras centum. Alia eſt ſpiritualis, cuius viam tenuit doctor Gamaliel inſtruens Paulum, & conſilio ſuo fouens & cuſtodiens Apoſtolos. Pſal. 24.

DE EODEM FESTO SER. VI. *& in ordine XXXIIII. Per Thema. immediate præcedens.*

*A Regula bene viuendi nõ dant carnales auari nec ſuperbi. Iob 27.*

CVm Stephanus hebraicæ normam ſonet, quæritur vbi inuenietur hęc norma hic Stephanus in mundo. Ad hæc reſpondebit: *Non inuenietur in terra ſuauiter viuentium. Abyſſus dicit, non eſt in me, & mare loquitur non eſt mecum*. Primo dicit quod regula bene viuendi non inuenitur in terra ſuauiter viuentium. Cuius ratio eſt, quia tales ſunt extra regulã & menſuram viuendi. Vnde quidam legatus à quodam ſapiente principe quæſiuit quæ eſſet potior forma viuẽdi, reſpondit quod viuere in menſura, petijt vltra quomodo accipienda eſſet illa mẽſura, reſpondit quod accipienda erat inter multum & paucum. Noſtri autem ſuauiter viuentes multum habent de multo & pauco, & nihil de medio. Quod patet primo, quod multi habeãt de multo, quia multum ſaltant, multum ludũt, multum comedunt, multũ bibunt, multum expendunt, multum fringant. Sed de pauco, quia parum Deũ colunt, parũ horas dicunt, parũ gratias agunt Deo de bonis collatis, parũ ieiunant, igitur in eis nulla norma obſeruatur. Tales dicunt ſe facere honorem ſancto Stephano, & eum dentibus dilacerant nimium excedendo in cibi & potibus, & conculcant normã, id eſt, Stephanũ nimiũ pedibus ſaltãdo. Portant tamen in inſigni ſuo ſanctũ Stephanum, & hoc ſufficit eis, & nõ in vita, ſimiles illis coquinis qui portant cocleas ſancti Michaelis, qui numquam viderũt ſanctum Michaelem. Sic iſti portãt ſigna quod ſunt ſerui honorantes Stephanũ, & nihil vnquam pro eo fecerunt aut faciunt, niſi feſtum ventri eorum, ſimiles ſutori regis qui nunquam ſuturam pro rege fecit. Secundo abyſſus dicit non eſt in me, id eſt, cupiditas & libido habendi diuitias. Hæc enim eſt abyſſus multa, in qua ſi omnia flumina intrarẽt, nunquam diceret, ſufficit, imo abyſſus abyſſum inuocat, abyſſus cordis abyſſum diuitiarum. Sed quia tales excedunt menſuram quæ eſt inter parum, & multum, ideo in eis non inuenitur Stephanus, id eſt, norma. Tales enim rapiũt nimium, theſaurizant nimium, nimium groſſam conſcientiam habent, & paucum dant, paucum ſtudent Chriſto cõplacere, & nimium ſuis deuitijs, ideo in eis nõ inuenitur, ſicut patet in beſtijs quę aſcẽdunt de illa abyſſo. *Vidi beſtiam aſcendentem de abyſſo & pugnabat contra ſanctos*. Hoc videtur in multis iuuenibus qui habent commendas, qui ſunt ad literam beſtiæ, & generãtur ex huiuſmodi auaris. Tales enim impugnant ſancte viuentes in religionibus & Eccleſia Dei. Tertio loquitur mare non eſt mecum, id eſt ſuperbia dicit, in ſuperbis qui ſecum habitant nõ eſſe normam neque legem Dei. De illis enim dicitur: Sap. *Sit fortitudo noſtra lex iniuſtitiæ*. Apoc. 13 Sap. 2.

Psal. 99 De ipsis Ps. *Mirabiles elationes maris*, id est superborum. Mirabilia enim faciunt in populis, dum exaltantur vt regnẽt & honorentur, sed mirabilis in altis Dominus, qui superborum colla calcat. In talibus non est norma nec Stephanus, quia nullã legem habent, nisi quantum eorum virtus & fortitudo & violẽtia prębet, dicẽtes: *In fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua.* Sed vbi ergo inuenitur Stephanus, id est norma, inuenitur in Caphargamala, id est in parua villa & humili Gamalielis, id est in humilitate obseruata, & adhuc nõ nisi in bonorum virorum possessione, quia soli illi possident regulam & regulatam vitam, in possessionem quidem & agro bonorum virorum non superborũ omnibus odiosorum, & in domo Gamalielis doctoris docentis contemnere mũdum & diuitias eius. Vt igitur hanc normam inuenire possimus, ad Mariam recurramus, &c.

Amos 6

Quæri posset quomodo sequemur hanc regulam B. Stephani, an debeamus desiderare lapidari sicut ille fecit, cum regulę nobis proponantur imitandæ. Ad hæc respondebimus quod quadruplex est regula, quam debemus imitari. Vna est regula conscientiæ nostræ. Sicut enim dicit decretum ex Gregorio, quicunque agit contra conscientiam, ædificat ad gehennam, ideo oportet actus nostros regulari secundum conscientiam nostram, de qua Apostolus: *Non audemus nosmetipsos inserere, & comparare quibusdam, qui seipsos commendant, sed ipsi in nobis*, id est in conscientijs nostris, *nosmetipsos metientes & comparantes nosmetipsos nobis*, scilicet considerando vtrum proficiamus vel deficiamus, *non in immensum*, id est vltra mensuram *gloriabimur, sed secundum mensuram regulæ*, id est conscientiæ. Gloria enim nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Sed hanc regulam multi non attendentes, volunt regulari secundum aliorum conscientias, quorum stultitia ex hoc aparet, quia stultus esset qui consideret in teste, de quo sciret certissime quod eius testimonium non reciperetur in iudicio. Dominus autem in iudicio nõ recipit nisi testimonium conscientię propriæ non alienæ. *Testimonium illis reddente conscientia ipsorum non aliorum.* Non est tamen omnino adhęrendũ isti regulæ, quia aliquãdo errat, & hoc vel odio vel amore, odio quando nimis stricta, amore quãdo nimis larga. Ideo Apostolus ait: *Nihil mihi cõscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Conscientia autẽ larga, quia per iter strictum habet ire in paradisum, non potest intrare propter latitudinem. Ideo est secunda regula, scilicet doctrinæ, quæ quia rectior est, propterea rectificatur per eam prima regula. Conscientia enim est quasi quidam liber, in quo nihil debet scribi, nisi regulatum regula doctrinæ. Diligẽtes enim sunt scriptores in regulando suos quaternos, pauci tamen curant de libris cordium regulandis, de qua regula: *Spem habentes crescentis fidei vestræ secundum regulam nostram*. Glos. doctrinæ. Quando ergo vadis ad sermonem, vadis ad regulandum librum tuum. Tertia regula est vita Christi seu crux Christi, de qua Apostolus: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini*, &c. & sequitur: *Quicunque autem hanc regulam secuti fuerint, pax super illos*. Quoties ergo vides crucifixũ, debes ibi vitam tuam regulare, quia propter hoc in Ecclesijs suspẽditur. Est enim liber simplicium & laicorum, quæ regula in nullo fallit. Sed quia nimis stricta est regula ista, quia Dominus in ea posuit pedem super pedem, scilicet in cruce, ideo Dominus dedit nobis quartam regulam, scilicet beatum Stephanum qui interprętatur regula.

B Regula multiplex conscientia doctrina Crucis, Christi & sanctorum.

2 Cor. 10

Rom. 2.

1. Cor. 4

2 Cor. 10

Gal. 6.

Si enim vis vitam tuam regulare in cõtinentia, audi continentiã cum mulieribus, vitamque angelicã in vultu apparere. Si in tribulationibus difficultates habes, accipe exemplum longanimitatis, & patientiæ, & charitatis. Stephani inter lapidum cumulos Deum orantis. Si pusillanimitatem, vide primum militem Christi aggredientẽ pro Christo pugnã.

Si

Si ad illiberalitatem declines, vide Stephanum exponentem pro Christo corpus,& animã. Si superbis, vide obedientiam Stephani, qua obediuit, vt seruiret mulieribus,& sic de alijs. Sequamur ergo hanc regulam, vt vita nostra inueniatur in laudem, & gloriam, & honorem in reuelationẽ Iesu Christi. Dicto de prima apparitione seu reuelatione, quæ fuit maxime ad laudẽ corporũ sanctorum, nũc dicendum est de reliquis duabus. Igitur secunda apparitio vel reuelatio Gamalielis fuit præsertim ad gloriam animarũ sanctarũ, quia in ea per similitudinẽ declaratæ sunt virtutes, & perfectiones quas habuerãt animę prędictorũ quatuor sanctorum. Vnde historia est, quod Luciano tardãte reuelare, quæ viderat, apparuit secũdo Gamaliel sequẽti feria sexta dicẽs ei. Scio, quia cogitasti in mẽte tua quomodo nos discernere posses &c. ostenditq; ei tres calathos aureos,& quartus erat argenteus plenus croco: alij autem pleni erãt rosis &c. Pro cuius similitudinis intelligẽtia, quæritur quare tres primi calathi erant aurei,& quartus argenteus. Respondetur, quod ratio est, quia qui diutius vixerunt ditiores sunt aut debent esse in meritis, & charitas in eis augeri debet secundũ augmentũ vitæ, vt sicut dicitur de tunica Christi, quod eo crescẽte crescebat sic de tunica cõsutili animæ, scilicet charitate. Et quia Gamaliel,& Nichodemus diu vixerunt, & in charitate aucti sunt, ideo charitas eorũ per aurũ designatur, & munditia per rosas albas. Quidã etiam sunt, qui in minori ætate tantũ proficiũt, quod etiã senes in meritis excellunt, vt Stephanus qui ad hoc deuenit, vt prothomartyr esset, ideo etiã charitas eius per aurũ signatur, & per rosas rubeas. Abibas vero laude virginitatis magis præcellit, qui iuuenis,& virgo obijt: ideo per calathũ albũ designatur. Et quamquã Stephanus virgo obierit,& iuuenis, tamẽ martyriũ præponderat virginitati. Tum, quia licet in virginitate offeratur Deo sacrificiũ de corpore & animæ: tamen in martyrio cũ hoc offertur vita. Tũ secundo, quia terribilior est insultus martyrij, quã virginitatis, licet insultus contra virginitatem sit diuturnior. Pæna enim grauissima per partes lõgo tempore portata patientius generatur, quam si simul infligeretur. Et quamuis dicatur: *Non est cõdigna ponderatio continẽtis animæ*, verũ est in temporalibus bonis, quia nulla bona tẽporalia ęquipollẽt in valore virginitati, tamen nõ sequitur quin excellentius sit martyrium. Eccl. 26. Lucianus autem adhuc distulit indicare visionẽ, sed durãtibus illis octo diebus, quibus expectabat tertiã apparitionẽ stetit in oratione, & ieiunijs. Sciebat enim quod Danieli,& socijs eius quia abstinebãt,& ieiunabant, reuelata sunt secreta cœlestia. Sed corizauit ne vt inueniret Stephanũ, nõ certe: sicut nostri gaudissores qui tota die,& nocte chorizant, imo præuenerũt diẽ,& tẽpus. Sed hoc nõ est mirũ, quia fatuus ab vna leuca, & à lõge sentit futurũ festũ,& tostum. Sed dices. Stephanus custos erat Dominarũ, quæ vix cõtinent à chorea: ergo nõ est credẽdũ quin chorizaret. Verũ est, quod illæ, quæ quærũt mũdo cõplacere: illæ sunt, quæ desiderãt delectationes mundanas, istæ vero nõ hoc desiderabãt, sed solum cõplacere Deo, propter quẽ omnia dereliquerãt, quibus non sufficiebat seruare legẽ, sed etiã consilia obseruabãt, neque cõplacet ista fatuitas Stephano, quamquã moderatus ludus, etiã in festo nõ sit prohibitus, hæc profecto est octaua Ægypti plaga, & persecutio, videre locustas, id est gallicẽ: *sauterelles & sautereaux*, quæ deuorant non totam terram, sed suam substantiam,& replẽt fere omnes vicos: saltãtes vsque ad mediã noctẽ ad sonitũ *du flageolet* gallicẽ, id est, sambucæ, vel alterius instrumẽti musici. Sed aliã choream deberemus ducere. Videmus enim quasi vbique morientes, ita quod mors facit multos choreare *à la dancè machabre* gallicẽ,& sufficere deberẽt gemitus pauperum resonantes vbique in auribus nostris.

C Nota. Contra chorizãtes.

ſtris. Credo quod nos facimus feſtũ Iudæorũ, qui adorauerunt vitulũ. De quibus dicitur quod poſt adorationẽ vituli: *Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerũt ludere*, id eſt luxuriari. Sed caueamus ne cõtingat nobis ſicut illis, quia ex ipſis ſtatim occiſa ſunt viginti tria millia, ſic timendũ eſt, ne cõtra nos deſeuiat gladius Dñi, & perimat omnes. Tertio igitur apparitio fuit maxime ad honorẽ Trinitatis, & ad oſtenſionẽ efficacẽ diuinę miſericordiæ, qua Dominus volebat miſereri populo ſuo iã ſiccitate, & ſterelitate terræ afflicto. Et hoc dixit Gamaliel Luciano. Nonne vides quãta ſiccitas, & tribulatio ſit in terra, & Deus noſtris meritis vult miſereri populo ſuo. Quã miſericordiam paulo poſt exhibuit Dominus mittendo pluuiam, & ſanando. 70. infirmos, quod maxime fuit ad honorẽ ſuum. Sed quæritur primo quare Deus per hæc mirabilia vult reuelare corpora ſanctorum ſuorũ. Nonne cũ ſint in terra, & de terra, melius eſſent in terra, cũ ſimile naturaliter deſideret ad ſibi ſimile iũgi? Dicitur ad hoc, quod duplex poteſt eſſe ratio. Prima ex parte ipſius Dei. Quia Deus nõ eſt dimidius amicus, ideo quando diligit hominẽ nõ diligit partẽ eius tantũ, ſed ſimul diligit corpus, & animã. Et quia animas iſtorũ ſanctorũ honorifice collocauit in cœleſtibus, videretur non diligere eorũ corpora, quę tãta ſuſtinuerũt pro ipſo in terris, ſi eos dimitteret in terra. Ideo vt eorũ curam gerere videatur, è terra in qua iacent iubet eos reuelari. Antiquitus enim vnuſquiſque in domo ſua ſubterrabatur, & ſepeliebatur, vt patuit apud Iudæos tẽpore Chriſti, quod Chriſtus in orto ſepultus eſt, & ſic ſæpe cõtingebat, quod in locis indecẽtibus, & inhoneſtis ſepeliebantur, alij in puteos proiecti, vt Petrus, & Paulus, alij in latrinas, vt Sebaſtianus, alij in medijs campis derelicti, vt Vrſinus, & ſic de alijs. Nũc autẽ inoleuit cõſuetudo in eccleſia, vt in cimiterijs publicis, & cõſecratis fiãt ſepulturæ, & hoc propter tria. Primo ad vitandum infectionem & etiã terrorẽ nocturnum, quæ omnia cõtingere poterãt ex ſepulchrorũ fætore, & imaginatione viuentiũ. Secũda cauſa eſt, quia Chriſtus caput noſtrũ eſt, & nos eius mẽbra. Ideo vt ſemper mẽbra cohęreãt capiti: ordinauit Eccleſia, quod ſicut Chriſtus caput noſtrũ requieſcit in Eccleſia, ita & corpora noſtra cum capite noſtro requieſcerẽt. Tertia ratio eſt propter ſuffragia Eccleſiæ. Credendum eſt enim orationes, & merita ſanctorũ plus eis prodeſſe qui ibi ſepeliũtur, quàm eis qui extra ſunt. Similiter orationes ſacerdotũ magis dirigũtur ad eos qui ibidem ſepeliũtur quàm ad extraneos. Similiter tranſeuntes cũ locũ publicũ prætereunt multitudine defunctorum ibidẽ ſepultorum cõmemorata plus commouentur ad pietatẽ eorum & ſui, ad pietatem eorum orando pro eis, ad pietatem ſui conſiderãdo quales erũt futuri ex cõſideratione mortuorũ. Secũda cauſa quare Deus vult ſanctos à terra releuari eſt noſtri vtilitas triplex. Prima ad nos animandũ ad virtutes. Si enim Deus ſic honorat pulueres Sanctorũ ſuorũ qui pro eo laborauerũt, vt etiã nõ ſinat eos in terra abſque remuneratione, quãto magis debemus animari vidẽtes, quod nulli Deus denegat mercedẽ qua dignus eſt, ſed adhuc ampliat? Si enim cadauer quod ab omnibus abhorretur, ita in veneratione habeatur, vt etiã deuoti Chriſtiani os exhibeant, quãto maius præparat Deus animabus, quæ diligũt eũ. Secũda vtilitas eſt ſpes reſurrectionis futurę, quæ nobis cõmendatur, quia illi ſunt tanquàm vadia, & tanquàm nos expectantia, vt ſimul cũ illis in corpore, & anima glorificemur, iuxta illud Pſal. me expectant iuſti donec retribuas mihi. Tertia vtilitas eſt auxiliũ in neceſſitatibus, & tribulationibus. Vnde in hac inuentione inuentum eſt triplex adiutorium. Primum fuit contra famem, quia tunc erat magna ſiccitas in terra, & in eleuatione corporum eorum precibus ipſorum cælum dedit pluuiam. Si enim in loculis Dauid inuenti ſunt theſauri magni,

Exod. 32

D Sanctorum corpora merito eleuantur à terra.

E Sepulturæ cur ſint in Eccleſijs & locis conſecratis.

Nota iſta

magni, quibus pacificati sunt inimici iudæorū, vt inquit Iosephus, sic in istorū loculis iuuentus est thesaurus magnus, quo pacificatus est Deus populo suo. Secundum fuit cōtra fætorē, & pestem recreatio assistentiū ex diffusione odoris. Tertiū fuit curatio languidorum, de qua Aug. 22. de ciuit. Dei dicit, quod de reliquijs Stephani apportatis tunc in Africā suscitati sunt sex mortui, & vnū singulare inter cætera recitat. Petronia carthagin. in languore in quo detinebatur omniū medicorū adiutoria defecerant. Illa autē à quodā Iudæo dixit sibi fuisse persuasum, vt annulū capillatio vinculo insereret, quo sub omni veste ad nuda corporis cingeretur, qui annulus haberet sub gēma lapidē in renibus inuentū bouis. Hoc alligata ad sancti Stephani limina veniebat à carthagine profecta, & cū in cōfinio fluminis bagradę in sua possessione mãsisset, surgens, vt iter perageret, ante pedes suos iacentē annulū vidit, & capillatiā Zonam qua fuerat alligata mirata tentauit, quā cū inuenisset firmissimis nodis astrictam crepuisse, & exilijsse annulū suspicata est, qui cū integerrimus fuisset inuentus, futuræ salutis pignus de tanto miraculo se accepisse pręsumpsit, & soluens vinculū cum annulo proiecit in flumen, deinde venit, & sanata est. Clarissima enim (inquit August.) fœmina est, nobiliter nota, nobiliter nupta carthagine habitat. Ampla ciuitas ampla persona rem quærentes latere non sinit. Vnde sicut dicit Aug. in sermo. de inuētione sancti Stephani. Multi inuentione facta eorū acceperunt reliquiā, & detulerūt, & exinde basilicæ magnę constructæ sunt, nō Stephano inquit, sed ad honorem Dei, & memoriam S. Stephani.

Secundo quæritur quare non fuit punitus Lucianus in eius incredulitate, quia pro prima vice nō credidit nec pro secūda, sicut Zacharias punitus fuit. Dicitur primo quod iste Lucianus, de quo refert Gēnadius in libro de viris illustribus, non fuit incredulus, sed hoc querebat ad maiorē certitudinē, sicut & fecit Beatus Ambrosius in inuentione corporum B. Geruasij, & Prothasij. Secūdo, quia Zacharias doctus erat, ideo per literas scire poterat implendū esse illo tēpore, vt nasceretur præcursor Christi & Christus, sed iste nihil horum per literas poterat scire. Tertio, quia Zacharias nō in somnis sed visibiliter Angelū habuit denunciantē. Hic autē in somnis ideo reuelatio suspectior erat: ista vero apparitione facta raptus in extasim Lucianus existimabat se esse in Hierusalē, & dicere sancto Ioanni Episcopo visionē. Cū autē eā audiret dixit Ioannes. Oportet me magnū illū bouē adducere ad maiorem carrū adducendum, & ibi pro vehiculo tuo remanebūt minores, Cui ego quod Domine faciā si illū maximū bouē amoueas à possessione mea? Cui ille, nōne tibi sufficient pro tuis vehiculis illi minores? nōne ad maiorē carrū maior bos ordinari debet. In quo denotatur, quod in magnis Ecclesijs debēt esse maiores boues. Nā dicitur: *Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos*. In maioribus enim laboribus debēt esse fortiores boues, ideo in hac ciuitate parisiensi, quæ est magnus carrus, debent esse multi boues, id est, multi sancti, quorum intercessione supportetur ciuitas, & portetur fimus extra, & apportentur bona intra. Ideo Beatus Stephanus dicitur bos, quia fimus bouis impinguat terrā, sic Beati Stephani sanguis terrā Ecclesiæ impinguauit. Vnde dicitur, quod Beatus vrsinus parens eius collegit guttas sanguinis, & portauit ad Ecclesiam bitturicā, & sic sanguine tali terra illa fecūdata est. Secundo, quia bos carrū trahit, & quodammodo portat, sic Beatus Stephanus, & alij sancti dirigunt Ecclesiam Dei, & ducunt, & nutriunt eam. Inde & Beatus Greg. Turon. lib. 2. histo. galliæ dicit, quod antequàm Hunni destruerent metis ciuitatem, fidelis quidam in extasi existens audiuit Beatum Stephanum dicētem Petro, & Paulo, oro vos vt hæc ciuitas ab his hostibus non

Iob 1.

Bos. i. Ecclesia sunt sancti.

non incendatur, quod si supercreuerint peccata populi, saltem oratorium meum in quo sunt reliquiæ meæ non destruatur. Cui Petrus, vade frater in pace, oratorium non incendetur, sed ciuitas exigentibus peccatis populi destruetur.

## DE EODEM FESTO SER. VII. *& in ord. XXXV. Per Thema præcedēs.*

Sap 5. A Peccatū & stultitia non habent tempus. NOs *insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei.* Vulgo dicitur: *Il n'est fol, que ne solye à sa saison,* id est, nō est stultus, qui non stultitiam faciat suo tempore. Sed ego dico, quod nullum est tempus stultitiæ dedicatum. Dicebat Sapiens: *Omnia tempus habent.* stultitia tamen, & peccatum tempus non habent. Sed stultus, qui tempore abutitur mensurat omnes alios iuxta mensuram stultitiæ suæ, & ideo omnes stultos existimat, quia deprauata ratio non recte iudicat. Eccle 3 *Stultus cum sit ipse insipiens omnes stultos existimat.* Ideo nil mirum si illi stulti damnati de Sanctis, quorum hodie inuentionem celebramus, dicebant: Ecl 10. *Nos insensati vitam illorum, &c. & finem illorum*, &c. Nihil enim magis facit errare hominem in moralibus & actibus humanis, quam non cognoscere terminum, & finem viæ. Nauta non cognoscens terminum suum, impellit nauem ad rupes, Nota de fine. & pericula, sagittator non recte sagittat, nisi terminum cognoscat. Qui nescit quo eat, nescit quam viam tenere debeat. Multi vitam Sanctorum reputant stultitiam, & vitam malorum sapientiam, non attendentes fines ad quos tendunt. Si fines cognoscerent, aliter iudicarent, vt patet ex similibus dicentibus. *Nos insensati*, &c. Ideo necesse est nos habere cognitionem finis, vt viam recte possimus incedere. Oportet ergo nos habere qui doceat. Hæc erit illa, quæ doctrix est disciplinæ Dei, & electrix operum illius, quæ finem nostrum tenet in manu sua, vt omnibus ostendat, quam salutabimus, &c.

B Quinque modis manifestari potest eorū insania, qui male viuunt. Insania male viuentium multipliciter manifestatur. Primo testimonio reproborum, qui iam sunt in inferno. Fortissimum est testimonium, quod quis contra se prohibet. Ignis inferni tales excitat, & aperire facit oculos, vt veritatem agnoscant & recognoscant. Greg. oculos quos culpa claudit pœna aperit. Latrones enim cum torquentur, veritatē confitentur. *Contumelia & tormento interrogemus eum.* Sap. 2. Qui furantur modo plebem, tunc confitebuntur, licet nunc non attēdant, quia stultus non credit quousque recipiat. Secundo manifestatur alicuius insania à stultitia sua. Magna stultitia est cum aliquis stultus est, & nescit se esse stultum, imo credit se esse sapientem, & maxime longe est à sapientia, cum credit habere eam. *Vidisti hominem sapientem sibi videri, magis spem illo habebit insipiens.* Prou. 26 Mira cæcitas eorum, qui nec cæcitatem suam vident, nec in speculo aliorum bonorum virorum intuentur, quia eos non possunt videre, similes Hely qui non videbat lucernam donec extingueretur. Si enim in claustro, in collegio, vel in vna communitate sit vnus alios excellens in vita & moribus, nō poterunt eum tales videre. Tertio ex prodigalitate manifestatur alicuius insania. Primo cum pro modica delectatione hæreditatem suam, sicut Esau perdit, cum per peccatum mortale manū in animam suam iniicit, & occidit, qui ad aliorum exemplum se submergit. Sicut nunc videmus de stultis sancti Stephani. B. Eustatius habuit suos stultos, & B. Germanus suos nunc B. Stephanus suos, qui per vicos sicut stulti hodie current, & saltabunt. Sed forte dicunt, quod hoc faciūt ad honorem Stephani. Verum est, quia nisi essent fatui, non faceret in eis Stephanus miraculum. Miraculum est dum fatui per vicos currentes veniunt ad sanitatē, vt sint postea sapientes. Sic isti postquam in manus promotorum deueniēt, sanabuntur statim à stultitia sua, & eam cognoscent. Quarto cognoscitur stultitia ex gestu, gallice *au maintein*, quādo scilicet quis

quis nimium ridet nimium cachinnat. Eccl. 2. *Risum reputaui errorem.* Sic modo multi in voluptatibus sæculi nimium delectati, dicentes eos, qui propter Christum se affligunt stultos esse, dicent in illa die. Nos insensati vitam illorũ æstimabamus insaniã, &c. Pro deductione sermonis iuxta thema nostrum quæritur, quæ est ratio quare isti sancti vnde facimus hodie mẽtionem computẽtur inter filios Dei. Respondetur, quod in tribus apparitionibus Gamalielis tres eliciuntur rationes, secũdum tres modos, secundum quos ex scripturis dicitur quis filius Dei. Prima enim dicitur aliquis filius Dei ex dilectione, secundum illud: Matt. 5. *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est.* Vnde Gamaliel in prima apparitione innuit summam dilectionem, quam ipse & alij habebant erga peccatores qui sunt inimici Dei, & Sanctorum, quando declarauit meritis & intercessionibus ipsorum dominum velle illis propitiari. Nec mirum esse debet si Stephanus orabat pro peccatoribus in cœlo existens, qui pro ipsis etiam persecutoribus suis orauerat existens in terra, & similiter de alijs Sanctis sentiendum est, quod longe maiori erga nos dilectione afficiuntur quam dum essent in terra. Sed de Gamaliele videtur, quod parum dilexerit Deum, & proximos in mundo existens, & ideo indignus computari inter filios Dei, quia cum esset peritus in lege non prædicabat manifeste verbum Dei, nec docebat publice viam salutis. Respondetur, quod doctoris Theologi officium triplex est, scilicet instruere ignaros, & docere, & errores catholicæ veritati aduersantes extirpare, & hoc ad fidem pertinet. Secundum est consulere timoratis conscientijs, quod ad spem erigendam pertinet. Tertium est prędicare quod charitatis est officium. Primum egit Dominus cum inter Doctores ab infantia docebat, & cum legit in Nazareth in Synagoga. Secundum cum vocatis Apostolis suis, eis consuluit omnia deserere, & ipsum sequi. Tertium cum vbique in Iudæa prædicauit. Ad vnum autem illorum officiorum sufficit vnus doctor, ideo non est mirandum si sint multi doctores in hac ciuitate, qui non prędicent. Alij enim vacant disputationi & instructioni eorum, qui postmodum prædicabunt, & destruunt errores, qui superueniunt. Alij consulunt timoratis conscientijs, alij ad prædicandum se occupant. Ideo Gamaliel videns Apostolos eruditos à Spiritu sancto, eos prædicare dimisit, & ad consulendum & fouendum eos consilijs ex eorum consilio se occupauit. Forte etiam multi florent, & abundant doctrina, qui eloquio carent, & forte etiã, quod sicut dixit Discipulus eius Paulus, stulta mundi elegit, vt confundat sapientes, scilicet Iudæos, qui se super omnes æstimabant, igitur non fuit diuinæ volũtati consonum, vt ille prædicaret manifeste. Magis enim in admirationem ducebat, piscatores, & idiotas scientifice prædicare, quam magnos clericos. Ideo vt hoc non reduceretur ad studium, & laborem, & habitum scientiæ acquisitum, sed magis ad opera Spiritus sancti, forte noluit vt iste doctus in lege vacaret prædicationi. Licet enim Moyses eruditus esset in omni scientia Ægyptiorum, tamen Aaron coram Pharaone portabat verbum. Secundo cognoscitur quis filius Dei ex pacificatione: Matth. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*; Matt. 5. quã fuerunt sancti isti pacifici in vita, hoc est patientes in tribulationibus, vel apti facere pacẽ inter peccatores, & Deum innuitur quodammodo in secunda apparitione Gamalielis, vbi ostenditur magna Stephani patientia, per similitudinem in qua signatur martyrium eius, & magna aliorum munditia per rosas albas, & calathum album designata, quę quidem mũditia est maxime apta ad pacificandum Deum. Et quia fuerunt sic pacifici, ideo eis reseruatæ sunt reliquiæ. Psal. *Custodi* Psal. 36. *innocentiam, & vide æquitatem, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.* Hominibus autem

Matt. 5. c Filius Dei quis dicitur ex dilectione, pacificatione & misericordia.

guerræ non ſunt reliquiæ nec hæredes. Exempla habemus de multis Imperatorum Romanorum, qui nullos vel paucos hæredes habuerunt. Fertur de pluma aquilæ, quod ſi ponatur in aliqua culcitra cum plumis aliarum auium illas conſumit, ſic homines guerræ fere conſumunt omnia, & ideo bene prouidit Deus quod non habeant hæredes, quia ſi ſic, nihil remaneret non conſumptũ. Tertio dicitur quis filius Dei propter miſericordiam.
Luc 6. Inde dicebat Dominus: *Eſtote miſericordes ſicut & pater veſter cæleſtis miſericors eſt.* Sic iſti Sancti merito filij Dei dicuntur, qui nõ ſolum in vita, ſed etiam poſt mortem miſericordiam mundo impenderunt ſanando infirmos, & dando fœcunditatem terræ. Vnde in tertia apparitione Gamaliel iratus, quod ex negligentia Luciani non impenderetur miſericordia, ait. Nõne vides quanta ſiccitas ſuper terram, & Deus vult meritis noſtris ſuccurrere humano generi, ita quod per filios pater vult operari, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere. Fili autem diaboli cognoſcuntur, vbi nulla eſt miſericordia ſed crudelitas. Sed quomodo hæc dixit Gamaliel. Nonne ſciebant Aſtrologi ex aſpectu ſyderum & diſpoſitione conſtellationum, quod poſt illam ſiccitatem deberet pluere eo tempore quo realiter pluit? quomodo ergo dixit quod ſuis meritis plueret? Dicitur primo quod de diſpoſitione temporum aliqua poſſunt prædicere Aſtrologi, ſed abſque certitudine, quia Dominus eſt ſupremus, qui omnia diſponit ad nutum ſuum, & per preces ſeruorum ſuorum. Vnde ante diluuiũ erant maximi Aſtrologi, & tamen nullus totũ ſciuit diluuium, quia tunc præoccupaſſent multi Arcam Noe. Potuerant tamen aliquid de diluuio audiuiſſe ex reuelatione diuinitus facta, ſed ſolum in generali. Et ſecundum hoc vt dicit Ioſephus lib. 1. antiquit. cap. 4. & poſt eum magiſter hiſtoriæ ſcholaſt. c. 28. ſuper Geneſim. Tubal filius Lamech inuentor muſicæ, quia audierat Adam prophetaſſe de duobus

*D Aſtrologia leges non ſemper ſequitur Deus.*

iudicijs, ne periret ars inuenta, ſcripſit eam in duabus columnis, in qualibet totam vna marmorea, altera latericia, quarum altera non dilueretur diluuio, altera non ſolueretur incendio. Sed de illo diluuio nihil ſciebatur in particulari, nec ſciri poterat aſpectus ſyderum. Inde in perſona Domini dicitur Eſa. *Ego ſum Dominus faciens omnia, extendens cælos, ſtabiliens terram, & nullus mecum, irrita faciens ſigna diuinorum, & ariolos in furorem vertens, conuertens ſapientes retrorſum, & ſcientiam eorum ſtultam faciens.* Dicitur ſecundo quod Dominus multa facit præter oſtenſionem aſtrorum ad preces ſeruorum ſuorũ hic exiſtentium, & etiã Sanctorum qui ſunt in cælis. Patuit de pluuia & ſiccitate tempore Helyæ, patet hic etiam ex Gamaliele, qui dixit quod ſiccitas per eos ſanaretur. Et hoc Dominus multum rationabiliter egit. Primo quia ſancti ſui diffamati fuerant propter eum in mundo. Stephanus ſicut bufo fuerat lapidatus. Nicodemus ſicut garſio verberatus. Expulſi enim ſunt à mundo ſicut viles garſiones. Pſ. *Expulſi ſunt nec potuerunt ſtare.* Sed nunc Dominus è contra facit. Mundus enim eos integros expulit nec curauit, quibus dignus non erat mundus, modo vero cõtentus eſt mundus vna eorum vel minima parte, ſcilicet cineribus. Sic fit modo ſicut tunc, quia iuſti pelluntur & qui ſciunt adulari, regnant & introducuntur. Veniet tempus cum quærentur boni, & vix poterunt inueniri. *Iuſtus perit, & non eſt qui recogitet,* ſed ſequitur: *A facie mali collectus eſt iuſtus,* quo ſcilicet malo ingruẽte quæritur vt obueniet iræ Domini, & non inuenitur. Vnde duplicem puluerẽ legitur Moyſes aſperſiſſe ſuper populũ, vnum de quo: *Proiice puluerem ſurſum, & ſint cinifes ſuper terram.* Si nunc proiiciuntur ſurſum vi & violentia homines qui deberent conculcari pedibus, qui ad modum pulueris obediunt omni vento, & eleuantur in honoribus, & immediate vertuntur in cinifes, id eſt muſcas vbique volantes, & mordentes homines, & eorũ ſubſtantiam

*Eſai. 44 — Nota. — 3. Re 17 — Pſal. 35 — Eſai. 57 — Exod. 8.*

ſubſtantiam deuorantes, ita vt in vniuerſa terra Franciæ ſit ipſa muſca grauiſsima, imo omnes aliȩ plagȩ Ægypti. Alius eſt puluis de quo qui ſanctificat, & iſte erat vitulorum, ſed talis nunc eſt puluis
Nu. 19 ſanctorum, de quo: *Ponet in puluere os ſuum*
Hebr. 9. *ſi forte ſit ſpes*. Primus eſt puluis terrȩ. Se-
Thren. 3. cundus cæli, quia in cælo recōdetur. Iſte puluis hodie in terra inuentus eſt: vt interim in ea honoraretur. Inuentus eſt autem tempori Honori principis, & non ſine cauſa, quia honor eſt principis, quod tempore ſuo fiant bonæ inuentiones ad ſubleuandum populum, ſicut fuit facta hæc inuentio ad ſubleuandum populum à fame & ſiccitate & alijs malis occurrētibus. Tempore enim bonorum principum fiunt bonæ inuentiones. Hic enim fuit bonus princeps ſicut & pater ſuus cuius tempore inuēta ſunt corpora Geruaſij & Prothaſij, & conſequenter corpora ſeptem dormientum. Sed tempore malorum principum male inuentiones oriuntur. Differunt enim inuentiones bonorum & malorum principum, ſicut inuentiones Dei & diaboli. Inuētio enim
B Christi fuit ouium ſuarum & dragmæ
*Inuentio duplex Dei & diaboli.* perditæ ad reportandum ad ouile, & ad theſaurum ſuum. Sed inuentio dæmonis eſt, quod inuenit cōſcientiam ſcopis mūdatam & ornatam, & tunc aſſumit ſeptem ſpiritus nequiores ſe, & ſic ſunt no-
Luc. 11. uiſsima illius peiora prioribus.

## DE EODEM FESTO SERMO VIII. & in ordine. XXXVI. Per Thema.

Prou. 30 QVatuor ſunt minima terræ, & ipſa ſunt ſapientiora ſapientioribus. Sed quæritur vbi inuenientur iſta minima. Res enim paruæ in terra vix inueniūtur, quomodo ergo res minimæ? Quæ ſcientia docebit ea inuenire. An Philoſophia naturalis, certe non, quia ipſa dicit, quod non eſt dabile minimum, quia ex ſola noſtra natura corrupta, quis eſſe minimus, id eſt humilis non poteſt, & multi credunt ſe eſſe humiles, qui non ſunt, ſicut ille de quo Eccl. *Eſt qui nequiter ſe humiliat, & interiora eius plena ſunt dolo*. Quid Eccl. 19. ergo docebit? Muſica certe habet plura minima, ſed ſunt minima curiæ non noſtra. Minima muſicæ aliquando ſunt alba & vacua, aliquando nigra & repleta, aliquando cornuta, & omnia nihil, aut parum valent. Hi ſunt adulatores, qui ſecundum quod vident inclinari Dominos ſuos, ſic loquuntur, & faciunt, & imitantur exemplum parui pueri, qui dicitur vulgo facere paruum vel minimum, cum aliquid accipit, imo cum ſalutatur, & quanto ſunt repletiores, videntur humiliores, ſed nihil valent. De iſtis non eſt ſermo noſter, quia licet apud mundum ſint ſapientes, non tamen apud Deum.

Sed quæritur nunc de illis quatuor, de A
quibus thema, quatuor ſunt minima ter- *Nota.*
ræ, &c. Dicitur ſecundum legendam hodiernam, quod inuenientur in Caphargamala, id eſt in bonorum virorū poſſeſſione Nam dicitur: *Theſaurus deſiderabilis* Pro. 21.
*in habitaculo iuſti*. Quia igitur ſunt minima, & neceſſario requiritur lumē ad inueniendū, ad illam mulierē, quæ accendit lucernam, vt det nobis lumē ad inueniendum, recurramus dicentes Aue, &c. B

Sicut eſt de theſauro mundi, ita & de *Theſaurus Christi, id eſt virtutū, ſe habet ſic ad Deū ſicut theſaurus mūdi ad mundū.* theſauro Chriſti. Primo theſaurus mūdi mundanos exaltat in ſapientes. Communiter dicitur, eſt talis ſapiens, quia bene ſcit ſua multiplicare & cuſtodire, ſi nihil habeat, reputatur fatuus, &tamen bona huius mundi non ſunt niſi vanitas, & de ſic multiplicante poteſt dici illud Pſ.
*Qui producit ventos de theſauris ſuis*. Sic ſuo Pſa. 134
modo apud Deum, qui theſauris eius non impletur fatuus eſt, qui repletur, prudens, ſicut illæ virgines prudentes dictæ ſunt, quæ habebant vaſa plena. Sed in hoc differunt, quia apud Deū minima ſunt ſuſceptiua theſauri ſui. Vnde & Paulus proſtratus eſt antequam efficeretur vas electionis ad ſuſcipiendos theſauros Chriſti, vbi apud mundū magni ſolum eos ſuſcipiunt & tollūt à paruis, & ratio eſt, quia ſaccus magnus difficile

cile impletur, & ideo quia non sufficiunt sua, tollunt à ceteris vt impleantur. Secunda similitudo est, quia sicut illis, quæ minus reputantur à Deo, solet mundus thesauros suos impartiri, sic illis, qui minoris sunt momenti apud mundum, thesauros suos impartiri solet Dominus verabundantius. Mũdus etiã ibi suos thesauros abscondit vbi minus inueniantur à Christo, sic Christus thesauros suos abscondit, vbi minus inueniantur à mũdo, id est gratias suas, reuelationes, consolationes, imo & sanctorum pretiosas reliquias, quas hodie reuelauit quasi minima minimo Luciano, de quibus dicitur verbum præassumptum, quatuor sunt minima terræ, &c.

C In præsenti sermone. Primo dicetur quomodo isti quatuor sancti fuerunt minima, vel minimi. Secũdo quomodo minima terræ. Tertio quomodo sapientiora sapientibus. Pro primo dicitur, quod quatuor modis se facit homo minimum propter Christum, sicut quatuor modis se magnificat apud mundum potestatibus, diuitijs, scientijs, & apparentia sanctitatis. Primus reputatur multum posse. Secundus multum habere. Tertius multum scire. Quartus multũ valere, & omnia nihil. Sic isti sancti fecerunt se minima mundi, vt fierent maxima cęli. Primo Stephanus, qui Archidiaconus erat & grandis auctoritatis se minimum fecit ad regulam Christi se gerens in qua ait. *Qui vult vestrum fieri maior, sit vester minister*, imo per sui abiectionem, vt sicut buso haberetur in sui lapidatione. Sic minuitur pergamenum quando attenuatur. Sic sapientes huius sæculi quanto minuuntur, tanto fiunt sapientiores maioribus mundi. Vnde poterat Stephanus dicere: *Attenuati sunt oculi mei suscipientes in excelso*, id est, oculi mei videntes Christum in cęlo à dextris Dei, ita sunt attenuati sicut pergamenum, quod nihil remansit terrenæ grossitiei. Multi autem qui quærunt omnibus superponi, omnibus supponuntur. Nam & Petro cum promitteretur regimen Ecclesiæ dixit Dominus. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, ergo tota Ecclesia est super eum. Secundo Nicodemus plurium temporalium bonorum possessione diues, sed minus factus est propter Christum. Quia enim Christũ sepelierat, verberatus à principibus sacerdotum & spoliatus bonis & nutritus à Gamaliele, obdormiuit in domino. Minuitur apostema per putredinis effusionem, sic apostema superbiæ per diuitiarum effusionem. Iustus tunc cum terram dimittit, cœlum accipit, & fit dominus cœlorũ. Abraham enim tunc primo terræ promissionem accepit, cum suam dimisit. Mundani autem nihil habent, nisi mobile, quia solam terram, & non cœlum, *Non habemus hic ciuitatem manentem*, sed mobilem scilicet Tertio Gamaliel se fecit minimum in scientia. *Nihil se iudicans scire, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum*. Multi enim se magnificant per scientiam, qui dicentes se esse sapientes stulti facti sunt. Sed minuit se homo quo ad sapiẽtiam, & sapiens efficitur, imo tunc primum sapiens efficitur, cum se reputat nihil scire. Exemplum de Salomone, qui tunc accepit donum sapientiæ, cum se professus est simplicem esse. *Ego sum puer paruulus ignorans egressum meum & introitum meum*. Inde Apost. *Qui se existimat aliquid esse, cum nihil sit ipse se seducit*. Ideo dat idem consilium dicens. *Si quis inter vos vult esse sapiens, stultus fiat, vt sit sapiens*. Sic minuitur homo quando contrahit alas post volatum.

Quarto Abibas minimus fuit, quia sanctus & virgo. Tali minoritate minimus erat Paulus qui dicebat. *Ego autem minimus sum apostolorum, qui non sum* dignus vocari *Apostolus* & iterum, *mihi autem omnium sanctorum minimo data est gratia*. Sed magnificant se hypocritæ, & sanctitatem amittunt. Non sic iste, cuius memoria deo reuelante habita est, sed inuenit potius sanctitatem.

D Pro secunda parte dico, quod isti sancti. Primo vocantur minima terræ mole ma-

*Marginalia (left):* Minimus fit homo propter Christũ multiplicitor — Mat. 20 — Esa. 38
*Marginalia (right):* Mat 16 — Hebr. 13 — 1. Cor. 2 — 3 Re. 3. — Gal 6. — 1 Cor. 15 — Ephes 3. — Nota.

le magnitudinis, quia eorum paruę reliquiæ venerantur in terris, quorũ animæ maximę sunt in cælis, maximæ meritis, maximæ gloria, maximæ in auxilijs & suffragijs, paruę vero erant reliquię tunc in reputatione, quia inloco humili, vt dicit Gamaliel, paruæ in comparatione, vt vas ad illud quod continet. Paruæ enim sunt stellæ in reputatione mundi, & in in terra, magnæ in cælis. Isti autem sancti fuerunt quasi stellæ, quia *Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates*, & secundum Aristot. quod est minimum magnitudine, maximum est virtute, cui consonat verbum Domini dicentis: *Minimus in regno cælorũ, maior est illo*, quia Christus qui erat minimæ reputationis in synagoga, maior erat Ioanne Baptista, qui multum reputabatur, & ita nunc frequenter contingit. Et hoc iustum est, quia sagitta tanto altius emittitur, quanto corda arcus tracta fuerit versus terram, sic ęquum est, vt quanto, quis magis deprimitur à terrenis, tãto sublimius eleuetur à Deo. Secundo vocantur minima terræ humilitate, quia isti fuerunt minimi, id est summe humiles. Quod ita sit patet, quia erant discipuli Christi, sed discipuli Christi ab eo discunt humilitatem, secundum illud: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Intraturus ianuam necessario inclinare se habet secundum mensuram ostij ne offendat, ostium Christus est. Ideo Dominus: *Facilius est camelum intrare per foramen acus*, id est, superbum per foramen huius acus, cuius principium est misericordia, & finis punctio iudicij. Sed multi modo se humiliant sicut vulpes quæ finxit se esse mortuam, vt poneretur in quadriga cum anguillis, & alijs piscibus. Hoc enim sua humilitate palliata quærunt multi, vt eleuentur, & sint in dignitatibus. Isti autem sancti vere humiliati sunt. Primo Stephanus ad seruiendum mulieribus. Sed an sit officium archidiaconi seruire mensis, & mulieribus? Dicitur quod officium archidiaconi, imo

Dan. 12

Mat. 11

Ibidem.

Mat. 19

Episcopi est seruire omnibus, sed modo volunt archidiaconi, & Episcopi sibi seruiri. Cum quis corrigit alium, bene seruit ei, cum quis dirigit alium, bene seruit ei, cum quis reddit alicui iustitiã, bene seruit ei. Ideo bene dixit Dominus, qui voluerit inter vos fieri maior, sit vester minister. E conuerso fit modo ab officiarijs nostris, qui capiunt stipendia, & per alios seruiunt, & adhuc bene esset, si per alios seruirent. Secundo dico, quod archidiaconi adhuc ministrant mensis, quia non solum vacare debent spiritualibus, sed etiam temporalibus Ecclesiæ conseruandis, per quæ pauperes nutriũtur, non solum viri, sed mulieres. Sed Deo gratias isti secundo bene intendunt, sed primo non. Stephanus non legitur ministrasse mensis, quàmuis electus, sed bene vacasse verbo diuino, & inde lapidatus est, forte isti etiam timent lapidari ab hominibus, & derideri si prædicent. Secundo Nicodemus humiliatus est veniens ad Christum nocte, audiens increpationes eius, & humiliter & benigne ferens, qui iã magister erat nõ dedignatur ab alio suscipere doctrinã. Sed certe non suscipit aquam situla, nisi cum prius inclinata fuerit. Sed vnde humilitas, ita capax est doctrinæ & sapientiæ? Respõdetur primo, quia vas eius vacuũ est, vacuum quidẽ mundo non Deo, ideo dona suscipit Dei non mundi. Sapientia autẽ donum Dei est. Vbi enim fons, ibi inuenitur riuus. Sapientia vero riuus est ex Deo, quapropter sapiẽtia paruulos inuitat dicens. *Si quis paruulus est, veniat ad me.* Inde in parabolis ad filios tanquam ad paruulos dirigit verbum. Paruuli enim lac hauriunt de vberibus, non magni. Superbi vero repleti sunt, ideo obscurati sunt in iniquitatibus, & desiderijs. *Repleti sunt, qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum*, cor vero superbi repletum est, & plenum ambitione, & cupiditate, ideo non est capax, vt suscipiat sapientiam. Secundo quia sapientia in altissimis habitat, ideo qui vult eam habere

E Archidiaconi officium est seruire omnibus.

F Humilitas quomodo capax est sapiẽtia Dei.

Prou. 9.

Psal. 73

bere, oportet alte saltare, sed regula Saluatoris est, qui se humiliat, exaltabitur. Recullat enim vel retrocedit, vt saltem melius, ideo soli humiles capiunt eam. Superbi ad eam tendunt retrocedendo, gallice *à recullons*, quia ascendunt, vt eam capiant, & non capiunt, quia Ps. *Deiecisti eos dum alleuarentur.* Non dico quod saltent sicut faciunt locustæ, modo non est tempus, nisi forte sicut vituli, qui saltent cum ducuntur ad mortem, & sicut delphini in mari post pulchrum tempus. Tertio Gamaliel humilis fuit, quia imitator & ponderator humilitatis Christi. Nam legitur in Euangelio Nichodemi, quod flens, Christum aspiciebat, & in singulis verbis Christi disciplinas exhauriebat allegans prophetias. Flebat humilis humilitatem Christi, vbi superbi Principes sacerdotum contemnebant, iste suspirabat ad eum. Item humilis fuit in sepeliendo Stephanum. Quarto Abibas humilis inuentus est sequendo vestigia patris humilis, non sicut Selemias qui sequi noluit, ideo sepulchrum eius vacuum repertum est. Tertio vocantur minima terræ, quia contemptores terræ, & terrenorum bonorum, non sicut illi qui non curant, quid faciant, aut quibus seruiant, dummodo accumulent diuitias terrenas, qualis erat, qui dicebat: *Diues effectus sum, inueni mihi idolum.* Multi enim diuites efficiuntur seruiēdo regibus, & prælatis, qui sunt bestiæ, & idola, quia faciunt quicquid volunt. Non sic Sancti nostri qui nō timuerunt perdere bona terræ vt Christo placerent. Pro tertia parte inuenti sunt isti, quatuor sapientiores sapientibus mundi, quia vbi illi perierunt, & cū suis scientijs demersi sunt in profundum, eo quod cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, isti omnia in gloriam Dei facientes, meruerunt, vt regnent in perpetuum in cælo, & cum hoc honorentur in mundo. Et vt congruentius, & melius ab hominibus honorarentur. Primo inuenta sunt eorum corpora Hierosolymis, vt in natali suo eis exhiberetur veneratio, sicut iam satis superioribus sermonibus declaratum est. Secundo translata sunt in ciuitatē regiam Constantinopolim, vt illic amplius venerarentur. Non enim sufficiens eis honor exhibebatur apud Hierosolymam, cū nesciret ipse Episcopus quæ esset capsa B. Stephani, imo dedit eam mulieri loco alterius, ita quod implebatur illud verbū Domini. *Nemo Propheta sine honore, nisi in propria sua.* Sed multi non transferuntur sicut isti Sancti de Hierosolymis, id est de pace conscientiæ, & loco quietis in Constantinopolim ciuitatem supernam regis regum, quia rebus mundi mobilibus, & inquietis in quibus nulla est pax totaliter adhærent, quasi ibi sit totus eorum thesaurus. Dicitur autem Dominus Mat. *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum,* & ideo vbi habebis thesaurum tuum, ibi translatum erit cor tuum. Si enim diuitias constitueris quasi thesaurum tuum, in eis & cor tuum erit translatum, sicut faciunt isti raptores, qui posuerunt cor ad aceruandas diuitias, qui credunt esse in loco quietis, quia faciunt quod eis placet, sed audiant Ps. de translatione sua. *Nutantes,* (inquit) *transferentur, & mendicent, & eiciantur de habitationibus suis,* quod sæpissime videmus. Istorum autem cor transferetur, in terram illam mortuorum, vbi perpetuo putrescet, quia: *Sepulchra eorum, domus illorum in æternum,* id est putredo, & fimus inferni, erit domus ęternitatis eorū. Alij sunt, qui ponunt cor suum ad honores habendos, & ad se exaltandum, & cōsequenter ad habendum diuitias, & viuendum laute, & isti transferuntur de gloria mundi in tormentum inferni. Vnde Psal. *Transferentur montes in cor maris,* id est æternæ amaritudinis. Superbis enim Deus resistit, ne ascendant ad eum, imo resistit ad ostium paradisi dicens: *Non veniat mihi pes superbiæ.* Sunt tamen alij Sanctis nostris similes, qui ponunt cor suum ad thesaurizandum in cælo, & illuc trāsferuntur per amorem, de quorum thesauro dicitur: *Thesaurus desiderabilis, & oleū in ha-*

Psal. 72. Osee 12. Luc. 4. G Translatio mala nuplex. Matt. 6. Psal. 108. Psal. 48. Psal. 45. Psal. 35. Prou. 21

*in habitaculo iusti*, & hi tandem transferentur de Hierusalem terrestri seu Ecclesia militante, in qua pacem cum Deo seruauerunt, in regnum felicitatis æternæ. Historia autem translationis prædictorum corporum, est talis secundum Augustin. Nam Alexander Senator Constantinopolitanus Hierusalem cũ vxore sua adijt, & Prothomartyri Stephano pulcherrimum oratorium construi fecit, ac post eius obitum iuxta illius corpus iussit se sepeliri. Euolutis ergo septem annis Iuliana eius vxor molestata à Principibus, in patriam suam redire voluit cum corpore viri sui. Quod cũ ab Episcopo multis precibus postulasset, Episcopus pertulit duos loculos argenteos dicens. Nõ noui, quis ex his sit loculus viri tui. Et illa, ego noui. Et impetum faciens amplexata est corpus S. Stephani. Sicque dum putat corpus viri accipere, casu corpus Stephani accepit. Quod cũ deferretur super mare, clamabant dæmones dicentes. Vę nobis, quia Prothomartyr Stephanus transit, diro nos verberans igne, &c. Circa quam historiam quæritur. Primo vtrum sit bonum & vtile homini in locis Sacris sepeliri. Dicitur primo, quod secundum Gregor. in 4. dialo. quodam modo bonis proficiunt sepulturæ in locis sacris. Cum propter patronos locorum, tum propter memoriam eorum qui ibi congregantur, tum propter preces quæ ibi fiũt, quarũ sunt participes. Sed malis valde nocent, sicut narrat per multa exempla. Dicitur secundo, quod iste Alexander potuit ita præcipere non propter præsumptioné, sed propter tria. Primo ad astruendum fidem resurrectionis in qua moriebatur. Sciebat enim Stephanum resurrecturum in gloria, & nõ credebat cum eo resurgere. Secundo vt meritis suis adiuuaretur. Legimus quod mortuus ad tactum ossium Helysæi reuixit. Sic poterat credere, quod anima sua iuuaretur per meritum Stephani, in cuius spei signum volebat vt iungeretur corpus eius corpori suo. In cuius etiam signum magni Principes reliquias voluerunt habere, vt eorum tactu sanctificarentur & sanarentur in corpore & in anima. Tertio ad ostendendum charitatem suam, vt quem dilexerat in vita, etiam in morte non separaretur ab eo, vtpote qui Constantinopolim dimiserat, & illuc venerat cum vxore ad visitandum & manẽdum. Secundo quæritur quomodo dæmones poterant dicere, quod ibi esset Stephanus, cum solũ eius corpus ibi esset. Dicitur quod licet corpus non esset vnitum animæ, erat tamen ibi anima assistens cũ virtute sua superante dæmones. Et hoc patet, quia affuit in tempestate nauigantium. Et in hoc consolamur, quod si dilexerimus Deum translati erimus de nostra infirmitate in tantam potestatem, quod etiam calcabimus super impios, & erimus capientes, qui nos cæperint. *Erunt capientes, qui se cæperant, & subiicient exactores suos.* & Malac. *Calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum.* Tertio vero & postremo, vt nihil deesset honori sancti Stephani, cum ipsius corpus delatum esset ad vrbem Pontificalem, scilicet Romam ad sanandum Eudoxiam filiam Theodosij Imperatoris, coniunctum est cum corpore B. Laurentij, cumque Græci conarẽtur ferre secum ipsum corpus sancti Laurentij, quod ex conuẽtione loco corporis Stephani suscipere debebant, ad terram velut exanimes corruerũt, & infra decem dies mortui sunt. Et ita apud Romam mundi dominã Stephani, corpus summa cum veneratione tandem requieuit.

*H Sepelire in locis sacris an vtile sit.*

*4. Re. 13*

*Esai. 14*

*Malac. 4*

Sed ibi quæritur quid fecerãt isti græci, quod omnes intra decem dies mortui sunt. Nonne bene faciebãt de recuperãdo suo iocali? Dicitur primo quod bene verum est, quod corpus beati Stephani erat iocale eorum, quandiu ipsum apud se habebant, sed ex volũtate Dei cum esset Romæ transijt in potestatem Romanorum, ita quod tunc non licebat eis referre nec capere pro commutatione corpus beati Laurentij. Et ideo sæpe non est bonum

bonum transferre reliquias, quia nō reportantur semper ad placitum eorū qui eas permiserunt asportari. Dicitur secundo, quod forte isti satis inconsulte, & satis indiscrete tractauerant corpus Laurētij, exemplum habemus de Oza, qui quia irreuerenter, & inhoneste tractauit arcā Dei, illico percussus est à Domino, vel etiam quia viderant resistentiam diuinam in oppositum, & tamen volebant contraire, & obniti, ideo puniti sunt temporaliter.

2. Reg. 6

## DE EODEM FESTO SER. IX. & in ordine XXXVII. Per Thema.

Sap. 5.

A

Salmone comparatur sanctis.

IVSTI *in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum.* Dicitur Salmonē esse talis naturæ, quod de mari ad aquam dulcem vsque ad fontem procedit, & ex quo illam inuenerit, amplius nō redit. Sed si inueniat obstaculum aliquādo, ita transilit quod euadit, aliquando vero sic transilijt, quod ibi capitur, & occiditur. Sic sancti de amaritudine huius mundi ad Christum fontem aquæ viuæ totius nisibus cucurrerūt, quorum vnus dicebat. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, & aliquādo inuenerunt obstacula tyrannorum, & infidelium. Sed illa sæpe transilierunt, vt Confessores Gamaliel, & Nicodemus, & Abibas, quorum quilibet dicere poterat cum Psal. *In Deo meo transgrediar murum.* Alij in illis mortui sunt, sed tamen euaserunt illa pericula, sicut Stephanus, quia Dominus ait, aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Hæc autem aqua producta est à terra virginis, ad quā recurremus, dicentes: Aue, &c.

Psal. 17.

B

Vita bona est vera vita.

Iusti quidem in perpetuum viuent vera vita simpliciter dicta. Est enim vna vita perpetua in opinione hominum tamē, quæ non est vera vita, vt dicunt logici Homerus viuit, vt Poëta, non sequitur, ergo viuit. Non enim moritur memoria Homeri quæ durat in laboribus suis. Sed quia ista non est vera vita, ideo logici dicunt illam consequentiam non valere. Non enim sufficit ad vitam hominis perpetuam magna cognitio, & multa scire, sed oportet bonum esse Aristoteles fuit literatus, sed non bonus, ideo etsi viuat in memoria hominum, non tamen Dei, quia contremiscit (secundum Aug.) apud inferos, de numero illorum de quibus Ps. *Sicut vulnerati,* scilicet peccatis, *dormientes in sepulchris, quorū non es memor amplius.* Non enim sunt tales in memoria Dei. Nam qui multa scit, & nihil bene operatur, similis est illi qui plantat, sed non edit nec saporat de fructibus plantationum suarū. Ergo ad vitam perpetuam non fantasticam requiritur non solum fidei, & veritatis cognitio, sed iustitia, & bonitas, quia soli iusti in perpetuum viuent, &c.

Psal. 87

Primo ostendetur, quod iusti isti de quibus est præsens solemnitas viuunt, & viuent in perpetuum, non solum in memoria hominum, sed etiam in memoria Dei. Secundo quomodo merces eorum accidentalis est non solum apud Deum, sed etiam apud homines. Quantum ad primum notandum, quod iusti viuent in memoria Dei in perpetuum, non tali vita sicut viuitur in hoc mundo, sed longe alia. Est enim lata differentia inter hanc vitam, & vitam alterius sæculi, Prima differentia est, quia vita ista fragilis est, & incertæ durationis, & ad modum venti labitur. *Memento mei Deus, quia ventus est vita mea.* Nihil enim facilius quam vita ista destruitur, nihil tristabilius dissoluitur, nihil impossibilius reparatur, de quo lamentatur Dauid dicens. Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Nam sicut tela per multos dies texitur, & orditur, quæ tamen subito rumpitur, sic vita nostra cum multos dies, & annos durauerit, vno momento scindetur, & cessabit. *Præcisa est velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer, succidit me.* Et sicut tela succisa ad integritatem eandem redire numquam potest, sic nec vita succisa naturaliter in pristinum statum redit. Vnde dicitur. *Erit vita tua quasi pendens ante te,* quasi

C

Vita bonorum læta differt à vita futura.

Iob 7.

Esai. 38

Deu. 28

quasi diceret tota vita nostra est quasi in pendulo, & in incerto. Sed vita Sanctorum est æterna & certa, quia iusti in perpetuum viuent, & apud Dominum, &c. Secundum Philosophos ideo res elemẽtares corrumpuntur, quia non possunt eorum formæ replere omnes materię appetitus, & res cælestes sunt perpetuæ, quia earum formæ terminant appetitus materiæ. Sed Sancti habebunt pro forma beatifica ipsum Deum, qui perfecte quietabit, perfectę riuulos effundet vitę, quo-
Psal. 35. niam sicut dicit Psal. *Domine apud te est fons vitæ.* Non mirum igitur si isti Sancti per multas difficultates ad hanc vitam voluerunt venire. Secunda differentia est, quia vita ista instabilis est & laboriosa. Cælum enim habet duas extremitates, scilicet polum articum, & polum antarticum, & istæ sunt partes cæli stabiles & immobiles, totum residuum cæli mobile est, ita quod inter duos polos tota cæli substantia voluitur. Sic inter duos terminos immobiles & certos, natiuitatem, & mortem, voluitur tota vita nostra, & in-
Iob 14. cessanter rotatur: *Cunctis diebus, quibus nunc milito, exspecto donec veniat immutatio mea.* Sed quantum ista vita est instabilis, alia est stabilis, & perpetuo stabit, quia Psal.
Psal. 36 *Iusti hæreditabunt terram*, scilicet viuentiũ, *& inhabitabunt in sæculum sæculi super eam.* Tertia differentia, quia merces eorum, qui laborant in mundo & pro mundo,
1. Ioã. 2. transit & perit. *Transit mundus, & concupiscentia eius.* Sed merces eorum, qui pro Deo laborant, nunquam peribit, sed per-
Psa. 129 petuo conseruabitur, quia Ps. *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redem-*
Psal. 18 *ptio*, & alibi loquens Domino ait: *Substantia mea apud te est*, imo ipsemet Deus erit
Gen 15. merces eorum, sicut dicebat Abrahæ: *Ego sum merces tua magna nimis.*

D Memoratur Dominus castorum misericordiam fortium, & prudentium

Sed quæri posset quare & propter quæ merita iusti, quorum hodie memoriam agimus, sunt in memoria Dei. Respondetur quod propter quatuor iusti dicuntur esse in memoria Dei ex scripturis. Primo propter munditiam & castitatem. *O quam*
Sap 4. *pulchra est casta generatio cum claritate.* Immortalis enim est memoria illius, quemadmodum sanctus ille iuuenis de quo celebratur hodie inuentio, scilicet Abibas in virginitate perseuerãs, cuius erant rosę albæ propter virginitatem & castitatem. O inuentionem bonam iuuenis casti, & eorum de quibus Eccl. *Quorum non est cor-* Eccl. 46.
*ruptum cor.* Non enim est anima eorum in vase corrupto, scilicet in carne corrupta, ex quo trahat malũ saporem. Caro enim vas est corruptum, ideo Apostolus: *Qui* Rom. 8.
*in carne sunt Deo placere nõ possunt*: Deus autem est vas, in quo quiescere debet anima adolescentis sancti, dicente Augu. inquietum est cor nostrum Domine, donec requiescat in te, & Sap. *Incorruptio fa-* Sap. 6.
*cit proximum Deo*, propter quod hortatur Psal. *Ponite corda vestra in virtute eius.* Sed ẽ Psal. 47.
contrario fornicatores sunt in obliuione coram Deo, secundum quod imprecatur. *Dulcedo illius vermis non sit in recordatione.* Iob 24.
*Pauit enim quæ sterilem non perit, & viduæ non benefecit.* Vinum corruptum vel sapiens dolium non gustatur à Domino, sed reiicitur, sic tales à Deo, qualis erat ille de quo Eccl. *Relinquetur in maledictione memo-* Eccl. 23.
*ria illius, & dedecus eius non delebitur.* Ratio vna quare Deus non memorabitur taliũ est, quia Deus non potest videre suã imaginem sic conculcatam, & deturpatam. Homo enim est ad imaginẽ Dei. *In imagine* Psal. 38.
*pertransit homo.* Sed lubricus eam in lutum proiicit, ideo cum luto in mare inferni proiicietur, dicente Domino per Psal. *Vt* Psal. 17.
*lutum platearum delebo eos*, quia inundante morte subito ad inferos detruduntur. Inde Philosophus tentatus hoc vitio dicebat, erubesce cælum, intrare cœnum. Non sic multi mali iuuenes, qui hodie inhonestas choreas ducent. Hanc memoriam quærere debent adolescentes, dicentes memento nostri Domine in beneplacito populi tui, & in hoc memoratur Dominus eorum, qui habent virtutem temperantiæ. Secũdo memoratur Dominus eorum, qui misericordiam faciunt exemplo Nichodemi, sic & Centurioni dicitur:

Act. 10 *Eleemosyna tua ascendit in memoriã corã Deo.* Vnde de illo, qui miseretur & cõmodat
Psal. 111 dicitur: *In memoria æterna erit iustus.* Abac.
Abac. 3. *Cũ iratus fueris misericordiæ recordaueris.* Sed
Psal. 33. è contra dictũ est: *Disperdat de terra memoriam eorũ pro eo quod non est recordatus facere misericordiã.* Sicut enim Dominus pro vno mansueto, & misericorde multiplicat terrã, sic pro vno crudeli destruit totam
3. Re 21 terrã. Hoc apparuit in Romanis imperatoribus, propter quorũ crudelitatẽ eorũ memoria deleta est, exemplũ etiam est de Achab, & de eius crudelitate in Naboth, propter quã non relinquit Dominus in domo eius mingentẽ ad parietẽ. Sed quid
Matt 9. audiuit Nicodemus à Domino? *Discite* (inquit Dominus) *quid est, misericordiã volo, & non sacrificiũ*, vt qui non potest habere passionẽ martyrũ, saltẽ habeat compassionẽ proximorũ. Exemplũ in Cathalogo sanctorũ de Ioãne eleemosynario, cui in oratione quadã nocte beata virgo apparuit coronam oliuarũ in capite gestãs, quæ se Dei genitricẽ esse dixit corona misericordiæ circumdatã, hortans sanctũ, vt eã in sponsam assumeret, & quicquid peteret à Domino obtineret, & ex tunc misericordiæ operibus inuictus fuit, docens nos sic facere debere, vt scimus in memoria Dei.
Psal. 86. *Memor ero Raab*, quæ fecit misericordiã ad prẽmiandũ, *& Babylonis* ad puniendũ, quę licet sciret Deũ, tamẽ puniuit filios Israel crudeliter. Tertio memoratur Dominus fortiũ, & eorũ, qui fortiter gesserũt, sicut memoramur gestorũ Rolãdi. Sic triplicis generis hominũ memoratur. Primo eo-
Eccl. 45. rum, qui vicerũt mundũ paupertate. *Dilectus Deo, & hominibus Moyses, cuius memoria in benedictione.* Moyses, id est assumptus ex aquis, hoc est diuitijs quæ submergunt
1 Tim. 6 hominem. *Qui volunt diuites fieri incidunt in laqueum, & tentationem diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* Bene enim recordatur Dominus pauperum amicorũ
Psal 7. suorum. *Quoniam requirens sanguinem eorũ recordatus est*, sicut Stephani, *non est oblitus*
Psal. 9. *clamorem pauperum.* Et rursus. *Quoniam non in finem oblivio erat pauperũ*, licet ad tempus videatur Deus obliuisci. Recordatus enim est Dominus Noẽ, sed post diluuiũ, inde orabat Psal. *Animas pauperum tuorum, ne obliuiscaris in finẽ.* Psal. 73. Sed contra non videntur obliuisci à mundo, quia nunc visitantur à gentibus armonorum, nunc à clientibus, nunc à promotoribus, nunc ab officialibus, non obliuiscuntur ad prædam, sed ad quietem. Nunc è conuerso auari quietem habent, & dicũt illud Sap. *Venite fruamur bonis quæ sunt*, quoniã hæc est pars Sap. 2. nostra, & assentiunt illi Prouerbio communi, qui prius accipit non pœnitet, & illi: *Il vault mieulx vng tien, que deux tu l'auras*, hoc est gratior est vna exhibitio alicuius muneris in promptu facta, quã bina seu iterata repromissio de ipso habendo in futurum, vel quam promissio duorum munerum. Hoc modo vicit Stephanus mundum derelinquens omnia bona sua ad pedes Apostolorum. Ideo adhuc durat memoria eius, & in ęternum durabit in conspectu Dei, & quia vicit mũdũ meruit etiam vincere Deum occurrendo iræ eius, vt hodie patuit. Sed de diuitibus dicitur in Psal. *Perijt memoria eorum cum sonitu.* Psal. 17. Pauper autem dicit, *pars mea Dominus, propterea expectabo eum.* Thren. 3 Secundo memoratur vincentiũ carnem suam, qui non audiunt vocem exactoris, id est ventris, qui quærit omnem laborem nostrũ. *Omnis labor hominis in ore eius*, Eccl. 6. vel ad ornandũ eam non sunt intenti. Cuius oppositũ faciunt nostri saltatores. Hinc de memoria iustorum apud Deum. *Oculi Domini super iustos*, Psal. 33. scilicet ad præmiandũ, *& aures eius ad preces eorum*, sed è contra, *vultus Domini super facientes mala*, scilicet ad puniendũ. Beatus autem Stephanus bene ostendit se vicisse carnem, quando apparuit in vultu Angelico in concione hominũ, ac si nihil amplius habuisset cum carne cõmune. Tertio memoratur vincentiũ seipsos per humilitatem. *Perdidit memoriã superborum, & reliquit memoriam humiliũ sensu*, Eccl. 10. E id est recognoscentiũ defectus suos. Nota. *In humilitate nostra memor fuit nostri.* Psa. 135 Ex tribus autẽ siue ex triplici

triplici consideratione consurgit ista humiliatio. Primo quia homo lutum est in
Mich.6. ortu, inde Mich. *Humiliatio tua in medio tui*. Secundo quia ventus in vita. Hinc
Iob 7. Iob humiliatus dicebat, *Memento mei Domine, quia ventus est vita mea*. Tertio quia
Psa. 102 puluis in fine. *Recordatus est quoniam puluis sumus*. Sic Stephanus merito est in memoria Dei, quia humiliauit se in conuersatione, in officio, & in morte ignominiosa sustinenda. Sed de malis superbis,
Psal.16. & nominatis in mundo dicitur: *Perdidisti memoriam eorum*. Isti sunt Gygantes potentes à seculo viri famosi. Quarto memoratur Dominus prudentium, & sapientiũ, vt gamalielis qui senum formã tenet. Inde apparuit habens Barbã prolixam instar senis. Erat autem, vt dicit, doctor Pauli, & vnus de illis quibus
Psa. 144 Psal. *Memoriam abũdantiæ suauitatis tuæ eructabunt*, sperans se assecuturum, quod illi
Sap. 8 qui dicebat. *Habebo per hanc immortalitatẽ, & memoriam æternam*. Sed nunc non sunt in memoria antiqui, imo dicitur cõmuniter, quod deficit memoria eorum, quia videbis eos non prudentes, sed saltantes more iuuenũ. Non enim saltare est boũ, sed vitulorum. *Non est priorum memoria*. Neque enim sciunt docere subditos, vel iniores, quomodo præcaueant futura mala, quibus appropinquant, & declinẽt præsentia, & acquirant futura bona. Et
Eccl.1 propterea pro eis dicitur: *Gens absque consilio est, & sine prudentia, vtinam saperent. & intelligerent ac nouissima prouiderent*. Sed
Deu 32. acubant in cineribus, gallice illud: *Cropissent es cenderes*, & nihil nisi muscas acquirunt, imo non nisi sordes, quæ sunt
Thren.1. ista tẽporalia, quibus se implicant: *Sordes eius in pedibus eius*, id est in affectibus animæ mũdo deditę, & subdit rationẽ quare sic afficitur, & inficitur, *Quia nõ est recordata finis sui*. Pro secunda parte, voluit Dominus sanctos istos non solũ pręmiari in cælo sed etiã in mundo, vt videlicet exhiberetur eis honor ab hominibus, quod facit ad præmium eorũ accedentale, & ideo reuelari voluit eorũ corpora. Sunt autem quatuor hominis status differentes, propter quod hodie quatuor corporum inuentio sancta celebrata est. Primo pro adolescentibus. Secundo pro iuuenibus. Tertio pro viris. Quarto pro senibus. Primi vacare debent exercitio castitatis, & temperantiæ. Secundi exercitio fortitudinis. Tertij exercitio misericordię siue iustitię, reddẽdo pauperibus quod debẽt. Quarti exercitio prudẽtiæ. Et hoc si velint perpetuo viuere in memoria Dei, sicut dictũ est in prima parte, & habere mercedẽ apud eũ secundũ thema iusti in perpetuũ viuent, &c. Sed hic incidit quęstio ex themate, quia cũ dicatur: *Corpora sanctorũ in pace sepulta sunt, & viuent nomina eorum in æternum*, quomodo dicũtur hic iusti viuere in perpetuũ, cum nomina sola eorum dicãtur viuere. Respõdetur primo quod apud nos remanẽt eorũ corpora, que sunt sepulta in pace. id est in loco pacis nõ carceris sicut mali, sed nomina eorũ apud nos viuẽt in ęternũ. De nominibus vero malorũ, de quibus Ps. *Vocauerunt nomina sua in terris suis*, dicit idem alibi: *Nomẽ eorũ delesti in æternũ & in seculũ seculi*. Et licet nomina eorũ famentur pro tẽpore, non tamen in æternũ. Nomina vero sanctorũ viuũt & apud nos tẽporaliter & in æternũ sursum. Et primo sicut videmus quod milites strenui per suas militias & agones fortes faciũt sibi nomẽ, sic fecit & Stephanus. Secũdo ex suis subuẽtionibus homines liberales pręcęteris nominãtur, & arbores fructiferę extolliũtur, sic & laudatur Nichodemus propter opus misericordiæ, quod fecit sepeliẽdo corpus Christi. Tertio propter pulchritudinẽ vitæ quis nominatur. Sicut etiã videmus & percipimus manifeste quod mulieres pulchræ prę ceteris nominãtur & alię similiter res pulchrę. Sic & Abibas propter pulchritudinẽ mũdicię suę virginalis merito nominatur. Quarto nominatur aliquis propter sagacitatẽ & prudentiã, vt Salomõ. Arist. Seneca & huiusmodi. Sic & merito nominatur Gamaliel, qui propter sapien-

Eccl 44.
Psal 48.
Psalm. 9

tiæ suæ plenitudinem honorabilis erat vniuersæ plebi Iudæorum. Et propterea reuelata sunt eorum corpora, vt nominarentur amplius apud homines. Dicitur secundo quod scriptura non habet quod sola nomina Sanctorum viuent in æternum, quia non esset magnum præmiũ si solum viuerent opinione hominũ saltẽ, qui aliquando falluntur laudantes quod est vituperio dignum. Et ideo vt denotetur quod non solum viuent per famã, sed etiam secundum rem & veritatẽ, vt declaratum est, dicitur hic, iusti in perpetuum viuẽt, &c. Licet nõ possint viuere nomina Sanctorum in æternum in memoria & iudicio Dei, quin ipsi viuant in perpetuũ.

Sed quæri posset quare huic simplici sacerdoti Luciano facta est reuelatio, non Episcopis, aut maioribus eoꝝ Respõdetur quod & si sufficeret diuina voluntas, cuius nulla est causa vt sic ordinet, tamen possumus aliquas congruẽtias applicare. Prima potuit esse simplicitas eius. Magis enim cum simplicibus est sermocinatio eius, scilicet Dei, & minus cum astutis. Non enim Angelus annunciauit natiuitatem Christi Põtificibus sed pastoribus. Nam communiter illi grossi cadeti magnates & diuites, qui habent noua hominum, non habent reuelationes & noua Dei. Secundo quia per gregem incubabat & vigilabat, ideo dignus fuit reuelatione, qua succurreretur ouibus suis, ibi contra curatos qui nõ resident in suis beneficijs, vide in serm. 5. huius diei. Tertio quia habebat hunc thesaurum in sua cura, ideo ad eum spectabat de thesauro cognoscere, sicut domini dicunt, quod si inuenitur thesaurus in terris eorũ, quod ad eos spectat. Quia vero iste thesaurus erat spiritualis, ideo ad spiritualem principem seu dominum pertinebat. Quarto quia verax erat, & ideo veritas ei correspondere debebat & reuelari, non illis qui sunt in curijs Principum, quia tales non sunt capaces veritatis suscipiendæ. Non enim ingressi sunt illuc per veritatem dicendam, nec haberent officia & dignitates sicut desiderant, si veritatem loquerentur, ideo non est bonum eis reuelari. Vnde duplex est ingressus Ecclesiæ. Vnus est communis & planus & patens omnibus, per quem recte intratur in ipsam Ecclesiam. Alius autẽ ingressus est quo intratur & ascenditur in campanile ipsius Ecclesiæ, & ille non est rectus sed circularis & tortuosus. Sic qui vult ingredi Ecclesiam Dei vt sit membrum Ecclesiæ nõ solum numero sed etiã merito, quod omnibus commune est & facile, recta via & secundũ veritatẽ loquitur & facit, & ideo veritas ei reuelatur à Domino. Qui autem vult ascendere ad campanilia dignitatum tam ecclesiasticarum quam secularium, sicut communiter faciũt illi qui frequẽtant curias principum, circulariter, tortuose, & non secundum veritatem incedit, nec audet veritatem loqui. Non est ergo mirum si tali non reuelatur, cum non sit bonum seminare margaritas ante porcos. *Matt. 7.*

## DE S. LAVRENTIO SERMO *vnicus, & in ord. XXXVIII. Per Thema.*

*Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Cum passio Sanctorum sicut Laurentij fuerit iniusta, quomodo dicitur pretiosa, & cum mors malorum, vt Decij & Valeriani persecutorũ sit iusta, quomodo dicitur pessima in Ps. *cum omne iustum sit bonum, & omne iniustum sit malum.* Respondetur per propositiones. Prima est. Tanta est bonorum & malorum distantia, quod bonis omnia sunt bona, etiã id quod malis esset malum. Nam mala malorum semper sunt bona electorum, secundum illud: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Et: *Qui custodit præceptum non experietur quicquam mali.* Et: *Dicite iusto quoniã bene*, scilicet quidquid ei acciderit. Malis vero omnia mala sunt, etiam id quod bonũ est bonis. Languenti enim nocent vniuersa. Et ideo passio Christi & Martyrum bona erat Christo & Martyribus, mala vero iniustis & nocentibus.

*Psa. 115* *A Sanctorũ mors quomodo pretiosa est & peccatorum pessima.* *Rom. 8.* *Eccl. 8.* *Esai. 3.*

Secunda

Secunda veritas. Aliter dicitur aliquid bonum vel malum, aliter iustum vel iniustum. Dicitur enim iustum vel iniustũ per comparationem ad meritum vel demeritum, bonum vel malum per cõparationem ad finem. Vnde passio aliqua iusta est merito sed fine mala est, vt passio Herodis & aliorũ reproborum. Alia est iniusta merito sed bona fine, vt passio Christi & Martyrum. Alia est iusta merito & bona fine vt passio dextri latronis, & similiter eorum qui meritam pœnam per conuersionem & confessionem sibi vertunt in salutem. Alia est passio merito iniusta sed fine mala, vt passio alicuius reprobi qui propter sibi falsе impositum crimen occiditur, & tamẽ inde damnatur. Tertia veritas. Aliud est Dei aliud mundi iudicium super morte martyrum, quia mundi iudicio mors illa damnosa est. Omnia enim temporalia amittunt, iudicio Dei preciosa, quia per eam recuperãt bona infinita. Secundo iudicio mundi mors illa est ignominiosa & abiecta, ita vt eorum corpora indignata iudicata sint sepultura secundum illud: *Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Hierusalem, & non erat qui sepeliret*, sed iudicio Dei preciosa est. Debet autem æstimari præciosum quod à iusto æstimatore sic iudicatum est. Ideo Paulus pro Christo mori maximum lucrum reputabat, & voluit esse ignominiosæ eius passionis particeps, vt esset particeps gloriæ resurrectionis: *Si complãtati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus*, sciens etiam quia: *Magna est gloria sequi Dominum*. Tertio iudicio mundi mors est res odibilis, iudicio Dei desiderabilis. Quod bene nouerat qui dicebat: *Coarctor è duobus, desideriũ habens dissolui & esse cum Christo*. Vulgo dicitur. Multum grauatur qui expectat, quia spes quæ differtur affligit animam, & hoc maxime, quando expectans videt alium iã assecutum quod expectat. Ideo nõ mirum si sancti affligantur, quando vidẽt mundanos in præsenti assequi iam mercedem, quam expectant in futuro.

Psal. 78. Rom. 6. Eccl. 23. Phil. 1.

Quarta veritas. Mors Martyrum dicitur preciosa, mors vero peccatorũ pessima. Primo dicitur preciosa quia pręcio mortis Christi empta. Ideo enim mortuus est Dominus pro seruo, ne timeat mori seruus pro Domino. Hinc Bernar. Iuste sibi vendicat vitam meam, qui pro mea posuit suam. Propter hoc nõ timebat illa beata Felicitas, quæ dum reclusa esset in carcere & dolores partus subito in eã irruerent, quidam de custodibus ad eam dixit. Quid facies cũ ad præfectũ veneris, cum nunc tã grauiter cruciaris? Cui beata Felicitas. Hic ego pro me patior, ibi Deus pro me patietur. Secundo dicitur preciosa quia precio magno emenda scilicet vita æterna. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*. Inde *Isachar asinus fortis* (hoc est martyr) *Vidit terram quod esset bona, & requiem quod esset optima, & supposuit humerũ ad portandum*. Tertio dicitur preciosa, quia magnum precium pro ea requiretur ab his qui eos occiderunt, scilicet mors æterna. Dictum est enim sanctis: *Capilli capitis vestri omnes numerati sunt*. Erant enim tyranni sicut Hely, qui non poterãt videre lucernam fidei sanctorum donec extinguerentur & martyres ipsi. Tunc autem viderunt, cum ab eis extinctis quæsitum est pretium mortis æternæ. Quarto quia pretiosum mercatorem ostendit qui ex ea mercatur vitã æternam. Nihilo enim sibi cõparabant multa, secundum illud: *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem*. Mortẽ enim quam ex parentũ primorũ peccato debemus: in pre[illegible]ium regni cœlestis computat Deus, & talibus nox in diem vertitur, id est nox mortis in diem gratiæ. Qui autem haberet dolium plenũ vino corrupto, potius eligeret illud in bonum vinũ commutari, quam effundi. Sic martyres vinum miserię, & corruptionis mortis commutarunt in vinum optimum glorię. Hic est mercator, qui inuenta prætiosa Margarita dedit omnia quæ habuit, & emit eã. Quinto, quia magni

Ioan 12. Gen. 49. Mat. 10. Psa. 105

gni mali pretiosus est terminus. Omnia enim dare vellet homo, vt magnum malum effugeret. Finis autem omnis angu-
5
Iob 3. stiæ mors est sanctorum, de quibus: *Gaudeatque vehementer cum inuenerint sepulchrũ.* Sicut enim electorum corpora occultantur in sepulchro ab humanis sensibus, sic eorum absconduntur in sinu visionis diuinæ à malignis perturbationibus, secũdum illud:
Psal. 30. *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum.* Quinta veritas. Mors peccatorum fuit pessima. Mala enim fuit eis mors culpæ de qua Aug. Vera mors est quam homines non timẽt separatio animæ à Deo. Peior enim mors temporalis, quia est porta qua ad infernum transeunt. Pessima mors gehennæ, cuius comparatione mors tẽporalis desiderabilis est, de qua: Apoc.
Apoc. 9. *Desiderabunt homines mori, & mors fugiet ab eis,* & non solum mors, sed etiam vita est eis mala. Ber. Vita sine fructu grauior mors. Non igitur mirum si detestamur, & abominamur mortem peccatorum, & appreciamur ac laudamus mortes sanctorũ, iuxta sententiam Salomonis, qui ait:
Eccl. 4 & 7. *Laudaui magis mortuos quam viuentes, & alibi melior est dies mortis die natiuitatis,* quia in die natiuitatis nascuntur in hoc seculo infælices: in die mortis nascuntur in alio fælices. Et cum nõ sit pretiosa mors nisi propter vitam: quantum æstimanda est sanctorum vita. Si esset gemma pretiosa necessarium esset habere lapidariũ ad discutiendam virtutem eius nec rusticus audiretur. Quis igitur ego incultus sermone peccator, ad discutiendam tã pretiosam vitam, sicut beati Laurẽtii, cuius tanta fuit virtus, tãque mirabilis constãtia? Idcirco ad Mariam, quæ est doctrix disciplinæ Dei confugiamus, vt super ea edoceamur, salutãtes eã ac dicentes Aue.

B Vita bona quid sit secundũ Bern.
Hic dicendum est quam pretiosa fuit vita B. Laurentij, vt inde videatur, quã preciosa fuerit in conspectu Domini mors eius. Igitur dicimus nullam esse in conspectu Domini vitam pretiosam, nisi bonam. Quid autem sit bona vita audiẽdum est iudicium beati Bernardi. Bonam (inquit) vitam esse puto, & bona agere, & mala pati. Quæ duo in B. Laurentio inuenta sunt. Si quidem multa bona egit, multa item mala pro Christo passus est. Primo circa proximum bene se habuit. Primum procurando salutem eius spiritualem per prædicationem, in qua datur pabulum animæ. Nam à beato Sixto ab Hispanijs Romam deductus, & leuita constitutus vna cum eo prædicationi insistebat. Erat autem Sixtus primum quidem philosophus, deinde Christi discipulus, qui de philosophia mundi ad philosophiã Christi se conuerterat à quo Laurentius edoctus in magnum sapientiæ culmen euaserat, quam sine inuidia populis communicabat, vt saluarentur. Sic decebat vt B. Laurentius, qui habebat Nota.
officiũ in Ecclesia esset eruditus & haberet lumẽ sciẽtiæ vnde alios illuminaret. Nam sicut oculus, qui habet cætera mẽbra regere, illud facere non potest sine officio luminis, bene autem cætera mẽbra quibus non incumbit alia regere, vt pes vel manus, sic licet in laicis non requiratur lumen sapientiæ, saltẽ magnũ, ad se exercendum in bonis operibus, aut tolerantia aduersorum, tamen in pastoribus, & cæteris quibus incumbit alios regere, exigitur magnum lumen sapientiæ ad se, & alios dirigendum. In cuius signum. 3. Reg. 3
Salomon sublimatus in regẽ petijt sapientiã, & ex hoc à Deo cõmendatus est. Vnde in hoc exercebat Laurentius misericordiã spiritualẽ erga proximum, subueniendo eius animæ verbo prædicationis. Nã: *Non in solo pane viuit homo,* &c. Matt. 4.

Secundo etiã subuenit necessitati corporali, vt patuit in distributione thesaurorum Ecclesiæ. Isti erant thesauri Philippi primi Imperatoris Christiani, qui regnauit anno millisimo ab vrbe condita, vt annus ille militaret Christo, quos reliquerat filius Philippi Sixto Episcopo distribuendo. Sixtus autem Laurentio commisit. Qui iussa impleturus triduo pauperes Christianos requisiuit, & eis

Psal. 111 eis distribuit, vt de eo vere dicatur: *Dispersit dedit pauperibus*, dedit, non vendidit, excuties manus ab omni munere, quia nec munus à corde, id est, humanum fauorem, nec munus lingua, id est humanã laudem, nec munus à manu humanum obsequium, vel retributionem quæsiuit, sed secreto pauperibus non diuitibus distribuit Laurentius, ideo iustitia eius manet in sæculum sæculi, & in successorum imitatione, & in recordatione militantis Ecclesiæ, & in æterna retributione. Sic & debent facere diuites de bonis suis. Sunt enim bona præsentia vt semina parua, & non in se durabilia, ideo seminanda sunt, vt multiplicentur, & conseruentur, sicut fit de frumento. Vita præsens seminatur cum in Christi seruitio expéditur, vt pro ea æterna recipiantur. Bona præsentis vitæ seminantur cum illis æterna emuntur. Et ideo hortatur Aug. Præbe tectum, & accipe cælum, & Bern. ait: Erras si mansuras tibi putas diuitias, quæ per tot manus transierunt. Secundo B. Laurentius multa pro Christo passus est, præter afflictiones quibus corpus suũ macerabat. Primo interiori affectu, se offerendo ad exterius patiendum pro eo, dicens Sixto, qui ducebatur ad mortẽ. Noli me derelinquere pater sancte, quia thesauros tuos iam expendi. Quid in me displicuit paternitati tuæ, &c.

C Sed hic quæritur quare sic desiderabat finire vitam per martyrium. Nonne scriptum est, qui amat periculum peribit in illo? Supra vires humanas est tolerare immania supplicia. Respondetur, quod hoc fecit multiplici de causa. Primo, vt consilium Domini adimpleret. Ait enim Dominus: *Estote prudentes sicut serpentes*. Serpens autem omnia exponit, & caudam, & corpus pro capitis conseruatione. Potius ergo vir iustus mortem sustinére desiderat quàm à veritate iustitiæ deuiare, secundum illud sapientis exhortatorium verbum. *Vsque ad mortem non verearis iustificari*. Ordo enim iustitiæ requirit, quod sustineatur minus malum ad vitandum maius. Inde est, quod persona priuata se exponit morti, & periculo bono principis, vel cõmunitatis, quod diuinius est. Inde est, quod persona exponit brachiũ pro defensione capitis, eo quod caput sit membrum nobilius. *Christus autem est caput Ecclesiæ*. Et ratio est, quia secundum Philosophos, inter omnia membra caput minus habet de carnositate, & pinguedine, quod fuit necessarium propter bonũ iudicium intellectus, & claritatem visus, & bonum regimen totius corporis. Homines enim habentes capita nimis pinguia ex natura intellectum habẽt rudiorem, & visum magis obscurum. Propter quod tales faciliter excæcantur propter corruptum humorem ad oculos descendentem. Christus autem nihil de carnali affectione habuit, qui non fuit personarũ acceptor, ideo optime rexit Ecclesiã. Nec caro excæcauit eum, nec inclinauit ad cõsentiendum alicui indebite, vt patuit in duobus consanguineis suis Iacobo & Ioanne, qui confidentes in carnali consanguinitate quæsierunt sedere, quibus quærentibus officium denegauit, & obtulit tormentũ dicens: *Potestis bibere*, &c. Sed hodie multi sunt ita cęci in regimine Ecclesiæ propter carnalem affectionem ad cognatos, & nepotes, vt patet in personis quas promouent. Quod optime figuratur per Samsonem, qui per Dalidam cæcatus est, quia propter carnis affectionem sic sæpe cæcati sunt prælati, quod quandoque vnũ puerum ducem faciunt, & rectorem Ecclesiæ. Secundo hoc desiderabat, sicut strenui milites desiderant vnum pulchrũ ictum facere pro amasia eorum. Sic iste pro gloria, mereri summo merito desiderabat. Despiciebat enim parua opera agere, & ad maiora festinabat. Dauid enim cum Goliath optabat confligere. Iosuæ, & Caleph cum habitatoribus terræ promissionis. Sic Alexander, sic Iulius Cæsar prælia magnorum virorum appetebant, vt contra eos confligerent, & conflictus humilium declinabant. Inde & Iulius Cæsar cuidam

Martyrium quomodo liceat appetere, cum sit opus supra vires hominis. Mat. 10

Eccl. 11.

Ephes. 5. Caput Ecclesiæ Christus

Mat. 20

Iud. 16.

vili se sibi opponenti dixisse fertur. Dignum te Cæsaris ira, nullus honor faciet. Tertio vt adimpleret quæ desunt passioni Christi, sicut dicit Apostolus, adimpleo in corpore meo quæ desunt passioni Christi. Nondũ enim totus Christus passus est. Prius enim in capite, deinde in membris patitur, nec decet Dominum ire solum. Hinc Achimelech ad Dauid:
1. Reg. 2 *Quare tu solus, & nullus tecum*. Non est laus familiæ, nisi comitetur Dominum suum. Ideo inuitat Dominus ministros suos, vt ei ferant societatem, dicens: Qui mihi ministrat, &c. & deinde sequentibus eum promittit hospitium dicens: & vbi ego sum, illic erit & minister meus. Moris enim est, quod qui simul ambulant, simul comedant & hospitentur. Ideo nil mirũ si propter illud hospitium desiderabat Laurẽtius se qui Christum & eius athletam Sixtum Episcopum. Secundo passus est Laurentius pro Christo exteriori effectu septem passiones seu tormenta.

Primum tormentum fuit pœna carceris. Nã audita mentione de thesauris capitur & præsentatur Decio. Decius autem eum tradidit Valeriano, qui posuit eum in carcere sub custodia Hippoliti, vbi curatus est Lucillus & alij multi languidi, tãdem cum eductus fuisset de carcere, triduo impetrato adducit Pauperes dicens Decio. Isti sunt cælestes thesauri, qui nunquam minuuntur, sed semper crescunt. Dixit Valerianus præsente Decio, vt sacrificaret dijs. Respondit: Quare coarctat vos diabolus, vt Christianis dicatis, sacrificate dæmonijs? Ecce quomodo libere loquebatur tyrannis. Sed vnde est quod non timebat eos, viso quod etiam innocentes ante tales tremunt. Respondetur, hoc non proueniebant nisi ex amore, qui cernit omnia lumine cæco. Etiam sciebat timorem illum esse sibi prohibitum. *Noli timere à duabus caudis titionum fumigantium istorum*, id est à duobus finibus intentis per tyrannos, qui erant vel Christi negatio, vel mors temporalis. Titiones fumigantes erant tyranni emittentes fumum terroris & horroris contra fideles, qui instar titionum, dum alios vrunt, seipsos consumunt.

D Amor Christi faciebat martyres pati. Esa. 7.

Secundum tormentum est, quod iubente Decio spoliatus cæsus est scorpionibus. Cumque genus omne tormentorum ante se afferri præcepisset Decius, & vt eadem euaderet, sacrificare suaderet Laurentio. Respondit Laurentius. Infelix has ego epulas semper optaui. Ecce quomodo consolatio sequitur sustinentiam tribulationum, vt sibi epulari videatur qui sustinet. Hinc dicit Apostolus: *Deus patientiæ*, sequitur, *& solatij*. Sic Paulus Rom. 15 lua præ alijs afflictus, epulis diuinarum consolationum saginatus est, raptus vsque ad tertium cælum. Sic & Ioannes in exilio recepit solatium diuinarum reuelationum.

Tertium tormentum est, quod postea in palatium Tiberianum adductus, dicensque Decium indignum scire nomina eorum, qui sibi similes erant, nudus fustibus cæsus est & clamabat. Ecce miser vel modo cognosce, quia triumpho, nec sentio tormenta tua. Hic apparet quomodo exultabat Martyr iste inuictus in pœnis, quando se triumphare dicebat. Vnde aliter exultant sancti Martyres in pœnis, aliter tyrannis inferentes pœnas. Nam tyranni exultauerunt vt arietes, qui cornibus impetunt furendo & heurtando cõtra innocentes, Martyres sicut agni ouiũ in simplicitate & humiliatione. Sicut enim agnus saltat cum ad mortem ducitur, sic sancti Martyres, cum ad mortem ducebantur. Hæc differentia notatur in Psalm. *Montes*, id est superbi tyranni, *exultauerunt sicut arietes, & colles*, id est humiles, Martyres, *sicut agni ouium*. Secundo exultabant Sancti in conspectu Dei propter victoriam veram, tyranni in conspectu mundi propter victoriam falsam, sicut qui lætaretur dum muscam vel vermem interimeret. Corpus enim Martyris nihil est nisi puluis & vermis. Narrat Valerius lib. 5. de Epaminundo Duce Thebanorum, quod in bello percussus hasta, sanguine

E Martyres aliter exultabant in pœnis quam tyranni. Psa. 113

sanguine & spiritu deficiens, recreare ipsum conantes interrogauit, an clypeus suus saluus esset. Deinde an hostes penitus essent victi. Quæ postquam comperit ita esse, ait: Non finis commilitones vitæ meæ, sed melius & altius initium aduenit. Nunc enim vester Epaminundas nascitur, quia sic moritur. Sic Martyres in quibus fortitudo maior fuit quam in paganis, morti addicti summam victoriam & felicitatem habuerunt de duobus, videlicet quod scutum patientiæ saluum esset, & quod hostes victi essent. Quibus habitis sciebant quod nouo initio nascerentur, qui sic moriebantur. De quorum scuto canit Ecclesia. Sed corde tacito mens bene conscia conseruat patientiam.

Quartum tormentum, quia post hæc iussu Decij laminæ ardentes ad latera eius apponuntur, vt propter teneritudinem locorum grauius affligeretur. Sed orabat dicens: Domine Iesu Christe, Deus de Deo, miserere mihi seruo tuo, &c.

Nota. Sed quomodo poterat tam horribilia tormenta sustinere? Certe amor Dei omnia ei tolerabilia faciebat. Calor cælestis fructus amaros in dulcedinem vertit, quam dulcis amor, qui etiam ipsam mortem dulcem facit. Sicut enim lapis citius rumpitur quam à cæmento separetur, sic corpus beati Laurenti citius rumpebatur & comburebatur, quam ab amore Christi separaretur, vt posset vere dicere illud Paul. *Quis nos separabit à charitate Christi*, &c. *Certus sum quia neque mors*, &c. (Rom. 8.) Erat enim de numero illorum quos sibi conglutinasse perhibet Dominus dicens Hierem. *Sicut adhæret lumbare ad lumbos viri, sic conglutinaui mihi omnem domum Israel.* (Hier. 13)

Quintum tormentum, quod deinde cum eius constantiam magicis artibus ascriberet Decius, iussit illum plumbatis diutissime cædi. Et tunc cum cæderetur orauit ad Dominum dicens: Domine Iesu suscipe spiritum meum. Vox autem facta est de cælo. Adhuc multa tibi debentur certamina. Et Decius ad assistentes. Audistis consolationes dæmonum propter quod nec deos iratos, nec Principes, nec tormenta pauet? Sed quare non audiuit eum Dominus clamantem ad se. Respondetur quod hoc fecit, vt merita patientiæ eius crescerent, quatenus eo magis exaudiretur ad meritum, quo citius non exaudiretur ad votum. Sic dicebat Psal. *Deus meus clamabo per diem & non exaudies & nocte*, Sed vtilitas huius dilationis subditur, *& non ad insipientiam mihi*. Ac si diceret Nequaquam mihi ad insipientiam proficit, quod die ac nocte clamantem me non exaudis, quia vnde quasi in temporali tribulatione me deseris, inde in æterna sapientia plus erudis. (F Orationes iustorum non semper cito exaudit Dominus. Psal. 21.)

Sextum tormentum, quod inde iussus est in catasta extendi, & iterum scorpionibus verberari, sed gratias egit B. Laurentius, & pro astantibus orauit. Tunc Romanus videns quendam iuuenē vulnera eius linteo extergentem, credidit, & cum esset Laurentius reductus ad carcerem, baptizari ab eo petijt. Postmodum ipsa nocte iussit eum Decius sibi præsentari, dicens quod sacrificaret aut totam noctem in eius supplicijs expenderet. Cui Laurentius: Mea nox obscurum non habet, &c.

Sed vnde hoc quod beatus Laurētius erat promptior ad tormenta sustinenda quam essent tortores ad ea inferēda. Naturale enim est seruare corpus. Nemo quippe vnquam carnem suam odio habuit. Videtur ergo Laurentius sibi fuisse crudelis, qui sui corporis non miserebatur. Respondetur quod milites libenter certant & vehementer se ictibus exponunt propter tria. Primo vt postea spolia accipiant. Vnde Alexander contra Schitas pugnare nolebat nec sui milites, eo quod nihil ibi lucrarentur. Sic isti se morti exposuerunt, quam maximum reputabant lucrum: *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* Hæc enim mors multum lucrum reputari debet, quæ cum sit debita computatur in regni æterni (G Martyres se exponebāt morti propter tria. Phil. 1.)

 præ-

prætium. Sed & à Deo & Sanctis maxime reputata est. Debet autem illud teneri prætiosum, quod à iusto æstimatore sic reputatum est. Tyranni vero eam abiectã & infructuosam reputauerunt, ita vt eorum corpora ab ipsis iudicata sint indigna sepultura. Iuxta illud Psal. *Effuderunt sanguinem Sanctorum tuorum tanquam aquam, & non erat qui sepeliret.* Secundo se exponit miles ad terram suam tutandam. Sic S. Laurentius vt saluaretur anima, corpus ictibus & supplicijs obiecit. Minus forte castrum propter fortius tutandum exponitur. Ista faciebat Apostolus, qui dicebat: *Non facio animam meam prætiosiorem quam me.* Sed multi hic pugnant sicut stipendiarij, qui solum pro spolijs pugnant, finito bello nil amplius habent. Tertio pugnat miles propter amorem Domini sui. Sic Laurentius exemplo Pauli dicentis: *Ego non solum alligari, sed & mori paratus sum propter nomen Domini mei Iesu.* Et Rom. *In omnibus his superamus propter eum, qui dilexit nos. Aspersæ erant postes domus* Laurentij, scilicet intellectus, & *affectus sanguine agni. Ideo non timebat gladiũ exterminatoris.* Quarto prompte pugnabat Laurentius propter præmium quod inde expectabat, quia quanto plus sustinuerunt Martyres, tanto plus præmiantur. Mare enim nauigantes quanto maiora passi sunt discrimina, tanto magis lætantur cum euaserint. Quanto enim mare intumescebat, tanto arca ferebatur in sublime. Magni quidem est valoris confessio in Martyrio, ita vt sit super cælum & terram. Super terram, quia eorum memoria veneratur in terris, super cælum, quia vsque ad supremum Martyres exaltãtur in cælo: *Confessio eius super cælum & terram*, scilicet appreciabo, *& exaltauit cornu populi sui.* scilicet confitentis. Cornu scilicet quo cõtra tyrannos pugnauerat. Dicuntur autẽ martyres vnicornes seu vnum cornu habentes, quia vnicornis, ita præ cæteris animalibus diligit fœtum suũ, vt paratior sit pro fœtu suo perire quam ipsum perdere vel amittere. Sic Martyres quam amittere Dominum suum, vel pręmij magnitudinẽ. Secundo dicuntur vnicornes, quia licet homo ante casum suum duplicem fortitudinẽ, quasi duplex cornu acceperit, vna fuit integritas corporis, alia fuit integritas mentis, primam cõtra miseriam, secundam contra maliciã accepit, primam contra mortalitatem, secundam contra iniquitatem. Congressus cum diabolo, qui per negligentiam cecidit, in ipso casu diabolus ei vnum cornu excussit, & alterum inclinauit. Quia enim nulla ratione mortem euitare potest, quasi altero cornu penitus nudatus est. Sed quia libero arbitrio priuari nõ potuit, dextrum cornu quodammodo non perdidit, tamẽ quantum infirmatum tãtum inclinatum gerit. Et ideo si qui erant, qui post primũ lapsum peccato resistere vellent, facile de eis aduersarius triumphabat. Sed tandem misertus Dominus homini, *Erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui.* Et sic qui nunc portãt vnum cornu erectum, mortis supplicia patienter tolerant, & peccata quasi animę hostes fortiter impugnãt, vt non regnet peccatum in mortali corpore eorum. Psallentes ei fiducialiter à quo acceperunt cornu dicentes: *In te inimicos nostros ventilabimus cornu.* Et ita nunc accipiunt cornu salutis interim accepturi cornu securitatis, vt tunc gemino cornu pelleant, qui nũc in vno fortiter pugnãt, & tunc habeant quo sint à peccato liberi, & à pœna securi, & impleatur quod promisit Deus. *Cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua iusti.* Nam prima fortitudo hominis fuit posse non mori, & posse non peccare, nouissima vero non posse mori, & non posse peccare, quando absorpta erit mors in victoria. Septimum tormentum fuit assatio super ignẽ. Nam postmodum iussu Decij allatus est lectus ferreus, super quo extẽsus est Laurẽtius. Qui cum ibi esset dixit Valeriano. Disce miser, quia carbones tui mihi refrigeriũ, tibi autem æternum supplicium præstãt. Et gratias agebat Domino de assatione. Istæ gratiæ multum placebãt Deo. Vnde sicut

Psal. 78. Act. 20 Act. 21 Rom. 8. Exod. 12 Psa. 149 || Martyres dicũtur vnicornes. Luc. 1. Psal. 43 Psal. 74. 1 Gratiarũ actio in aduersis multis placet Deo.

sicut pinguia assata gratioris sunt saporis quàm elixa, sic gratiarũ actio magis placet Deo in aduersis quam in prosperis. Psal. 16. Poterat autem tunc dicere Domino. *Igne me examinasti*. Habuit enim ignem diuini amoris in corde, & ignem materialem in carne. Sed ignis cordis superauit ignem carnis. Hinc Ambr. de ipso Quantum in illo fidei ardor feruet, in tãtum supplicij flamma frigescit. Saluatoris ardor materialem restrinxit ardorem. Inde postmodum hilari vultu dixit ad Decium: Ecce miser assasti iam vnam partem, gira aliã, & manduca. Et gratias agens dixit: Gratias ago tibi Domine, quia sic ianuas ingredi merui, & ita beatum emisit spiritum. Ex his patet quam prætiosa fuerit mors B. Laurentij, quando per illam meruit cęlum ingredi. Ex opposito apparuit mors Decij pessima, & etiam Valeriani, qui à dæmonijs arrepti, miserabiliter perierunt æternis supplicijs deputati.

*DE S. TAVRINO EBROICENsi Episcopo, Sermo vnicus, & in ordine XXXIX. Per Thema.*

Psal. 65. *A Electus à Deo beatus est nõ autem electus à mundo*

BEatus quem elegisti Domine. Beatus est quem elegit & assumit Dominus, nõ autem mundus. Dicitur enim vulgo, quod nõ est bonum festũ vbi bibitur vinum in cipho clamatoris. Sic non est magnum bonum eligi à mundo, & assumi ad bona, & dignitates mundi. Primo quia sicut ciphus clamatoris est nimis paruus, & nimis parum vini datur in eo, sic mũdus dat ad paruum vas corporis, & paruum ad bibendũ de delitijs suis, ita quod nunquam dat plenas delitias, quibus satietur homo, nec puras quin misceantur cum aliqua amaritudine, sed vinum eius mixtum est aqua, secundum illud: Prou. 14 *Risus dolore miscebitur*, & nihilominus multa improperat, vt de eo dici possit: Eccl. 20. *Exigua dabit, & multa improperabit*. Sed Dominus dedit electo suo Taurino ad magnũ vas cordis, quod tantum est, vt etiam capiat eum quem cęli capere non possunt, vt biberet abundãter de suis gratijs, nihil improperãdo. Dicitur enim Iac. *Qui dat omnibus affluẽter, & non improperat*. Iac. 1. Dedit inquam illi tã copiose, vt vsque in hodiernum diem nobis effluere non cesset. Vas est enim virginum prudentum oleo gratiæ refertissimum, omnes distillãs, vt dicat, omnes sitientes venite ad aquas, etiã gratis. Venite (inquiens) emite absque argento, vinum, & lac, vinum scilicet spiritualis iucunditatis, & gratiæ, quod nullã admittit amaritudinem peccati. Secunda ratio, quia sicut in cipho clamatoris non fit regressus pro secunda vice ad bibendum. Sic diues post mortem non reuertetur ad bona sua, ita vt dicere posset: *Non reuertetur oculus meus, vt videat bona*, Iob 7. nec amplius de eo fiet mentio. Peribit enim memoria eius cũ sonitu. Bibet semel non iterum bibet nec amplius, nisi forte de calice dæmoniorum. Sed beatus Taurinus, qui bibit hic de delicijs spiritualibus, bibit etiam post mortem, & bibet amplius, cõmutatis temporarijs in æternas, & de eo fit, & fiet memoria perpetua, secundum illud: *In memoria æterna erit iustus*. Psa. 111. Tertio, quia sicut in cipho illo bibunt mundi & immundi, digni & indigni, sic à mundo assumuntur boni & mali, digni & indigni, secundum quod dicitur Eccl. *Vidi seruos in equis, & Principes ambulantes super terram sicut seruos*. Eccl. 10. Non sic Dominus, sed eligit, & assumit solum bonos & dignos, sicut fecit de Taurino. De cuius electione & assumptione, vt aliquid salutiferum dicamus, recurramus ad virginem gloriosam dicẽtes. Aue, &c.

Solet dici ab hominibus, quod hoc quisque beatificat in alio, quod sibi desiderat in seipso. Hinc est, quod sæpe beatificat pauper diuitem, æger sanũ, & huiusmodi. Ideo nõ inconueniẽter quisque desiderans beatitudinem considerata beati Taurini beatitudine dicere potest propheticum illud; *Beatus quem elegisti*, &c.

In istis autem verbis duplex innuitur felicitas B. Taurini. Prima in hoc mundo cum dicitur, beatus quem elegisti, scilicet ad beneficium, & officium, ad beneficiũ,

gratia

gratiæ,& ad officium pastorale. Secunda in alio sæculo cum dicitur,& assumpsisti, scilicet ad regnum gloriæ.

Quantum ad primam partem elegit. Primo, Dominus beatum Taurinum ad beneficium gratiæ, sicut eleemosynarius eligit pauperes, quos introducit ad recipiendam eleemosynam regis. Nam cum pauper esset Taurinus propter culpã originalem, introductus, est in Ecclesiam ad suscipiendam eleemosynam gratiæ in baptismo, relicto patre suo in miseria suæ infidelitatis, erat enim pater suus gentilis, & persecutor Christianorum, Tarquinus nomine, licet carne nobilissimus Romanorum, mater tamen sua Euticia nomine, Christiana erat,& ex nobili Græcorum prosapia orta. Vbi tria consideranda sunt. Primum est, quod viri vt plurimum, difficiliores sunt ad conuertẽdum à peccatis suis, & difficilius credunt Deo quam mulieres. Ratio est, quia viri vt cõmunius sunt magis dediti mundanæ sapientiæ, quæ stultitia est apud Deũ. Postquam autem homo stultus est, difficile est eum facere sapientem. Et hic verũ est, quod in Matrimonio vnus accipitur à Deo, & alius dimittitur, secundũ illud: *Erunt duo in lecto, vnus assumetur, & alter relinquetur*. Secundum est in hoc quod Tarquinus gentilis persequebatur Christianos, putans se obsequium præstare Deo. In quo est doctrina, quod assuetus malæ doctrinæ difficile assuescit ad oppositum. Ideo qui filium habes caue ne in pueritia eum malo exẽplo male imbuas. Est enim speculum sine macula, sed statim maculatur macula difficili ad tollendum. Secundo ad instar simiæ facit, & effigiat quicquid fieri videt, siue bonum siue malum. Sic nouicij in religione debent erudiri in disciplina, vt eam perpetuo seruent. Sunt enim plantulæ, quæ indigent bono greffo, vt fructum bonũ non acerbum afferant. Nam de eis Psal. *Quorum filij sicut nouellæ plantationes*. Ideo indigent irrigatione. Exemplum sume in cæteris animantibus, sicut in equo, qui ligatur per pedes, vt discat ambulare. Alioquin si male instruatur in principio, secundum Aristot. Paruus error in principio, magnus erit in fine. Tertium est, quod nobilitas carnis sine nobilitate mentis non est laudabilis, nec de ea quisquam gloriari debet. Primo, quia qui genus laudat alienum laudat. Secũdo sumus omnes de eodem latere redempti quoad animam, & ad eandem imaginm formati, & sic æqui nobiles ex illa parte. Et quoad corpus ex eadem massa progeniti. Si vnus esset de capite, & alius de calcaneo, vel si pater vnius fuisset de auro & alterius de argẽto aut stanno aliquid esset. Tertio, plus essent laudandæ aliæ creaturę, quam homo. Nam corpora cælestia facta sunt de luce, quæ est materia valde nobilis. Aliquæ aliæ creaturæ de aqua vt pisces, & aues, iuxta illud hymni, qui ex aquis ortum genus, partim remittis gurgiti, partim leuas in aëra. Alij ex terra, vt arbores. Sed homo ex vilissima materia quo ad corpus, scilicet de limo terræ. Quarto, quia est multum nociua in homine malo, sicut in isto, cui ministrabat auctoritatem persequendi Christianos. E contra addita nobilitati mentis est multum laudabilis,& vtilis, sicut in Euticia,& beato Taurino. Cum enim tales habeant multam occasionem male faciendi, si vincãt, beatificantur apud sapientem. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus*. Ex istis sequitur, quod B. Taurinus multo nobilior fuit dimittendo pompam sæculi, & bona terrena, quam cum nobilitate generis ea amplectendo. Patet hoc, quia per dimissionem sęculi, vt adhęret Deo, consequebatur nobilitatem mentis, quæ erat potissima, & maxime exaltatiua eius. Nam per huiusmodi dimissionem parentũ, & sæculi maxime humiliabatur, idcirco dignus erat maxime exaltari. Inde cũ parentes reliquisset, assumptus est ad seruitium seu militiam regis regum, secundũ illud: *Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me*. Secũdo sequitur, quod religiosi sunt maxime

Marginalia: B Nota. — Matt 25 — Ps 143. — C Nobilitas carnis nulla est sine nobilitate mentis. — Eccl. 31. — Psal. 26.

xime nobiles, non quia terrena multa habent, aut pompatice incedunt, sed quia omnia propter Christum reliquerunt, & sunt tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Inde religiosus latam coronam habet in signum nobilissimæ victoriæ, quam sub Christi militia habuit de mundo, & quod nihil vltra victũ, & vestitum debet requirere. Euticia autẽ orabat, vt daretur ei filius, qui more Samuelis continue astaret Domino. Tantarum ergo orationũ filius non poterat esse parui meriti. Cum ergo nocte quadam fessa quiesceret, vidit sibi astare Angelicũ vultum vterum suum virga tangentem & post paululum procedere virgam instar lilij cuius flores nimium dabāt odorem. Sed quare virgam in specie lilij. Respondetur, quod propter duo. Primo, quod mater illa erat arbor ex qua procederet virga, quæ humilis est, & gracilis, cuius humilitate, & munditia, quæ per lilium designatur, odor diffunderetur in orbē. Secundo, quod per eum liliatum regnum partim conuerteretur. Nam & cum Apostolis Franciæ accessit ad hoc regnum. Conseruabat autem visionem in pectore. Non enim assimilabatur mulieribus modernis, quę statim vt aliquid sciũt non faciunt nisi quærere vbi dicant. Et assimilantur vtri pleno musto, in quo mustũ contineri nõ potest quin superfluat. Nascitur infans, traditur B. Clementi, & Baptizatus suscipitur à B. Dionysio Ariopagita. Bonos patrinos habuit iste sanctus. Boni autem patrini iuuãt ad sanctitatem puero promerendã, vt dicit Scotus in 4. de B. Nicolao. Ecce quando habuit primo beneficium gratiæ, scilicet in Baptismo, & postmodũ in confirmatione. Ait enim Clemens Dionysio. Suscipe eum quoadusque gratia Spiritus sancti confirmem illum. Secundo, elegit eum Dominus ad officium pastorale, & hoc per ministeriũ B. Dionysij. Vnde cum B. Dionysius mitteretur ad Gallias, mater precibus obtinuit, vt secum iret. Sed quomodo potuit ab eo separari mater? Dicitur primo quod erat bona mater bene diligens filiũ. Primo, quia volebat eum esse bonum, ideo bono magistro eum dedit. Exemplum de plantula, quæ iungitur grossæ virgæ rectæ, vt sic sustineatur, & eleuetur. Sic debent Prælati, sicut boni magistri religiosos sustentare verbis, exemplis, & correctionibus, tenendo eos in bona disciplina, & clausura. Nam Eccl. *Vbi non est sepes diripietur possessio*. Patet in arboribus, quæ sunt super iter, quæ à transeuntibus concutiuntur lapidibus. Sed in orto bene clauso optime seruantur fructus. Secundo volebat eum esse discipulum Christi, & sectatorem eius in abstinentia sancta, & asperitate vitæ, & non esse delicatum. Ideo asperum iter arripere fecit. In hoc datur exemplum religiosis sequendi vitam eorum, qui delicias abnuerunt. Similiter repræhenduntur parentes, qui conquæruntur si filij eorũ sint boni religiosi, quibus videtur, quod sint perditi, nisi sint aduocati. Deinde B. Dionysius ordinauit eum Episcopum Ebroicens. Debet enim prælatus ordinare de suis subditis, & circa eos vigilare ac assumere secum coadiutores in tempore malo. Sed pro redditibus sui Episcopatus habuit. Primo impugnationes dæmonis. Vnde priusquam appropinquaret portæ ciuitatis diabolus se illi opposuit in tribus figmẽtis. Primo in specie vrsi. Secundo leonis. Tertio bubali. Sed quare sic apparebat. Respondetur prima causa est, vt per exteriora ostendatur malitia eius, & versutia. Per signa enim exteriora apparet quod interius latet. Ideo cum laudatur sponsa dicitur ei primo. *Quàm pulchra es, & quàm decora*, & deinde *absque eo quod intrinsecus latet*. In facie enim vnius religiosi, quando vultu demisso, & oculis frenatis incedit, legitur quid interius lateat, è conuerso cum incedit effrenatis oculis. Secunda ratio Guiliel. Paris. est, vt minus ei credatur. Inde Euæ apparuit in specie serpentis, & sortilegis in specie peccatorum, & huiusmodi. Et si appareat in alia specie sanctis viris, Dominus dabit eis discre

D Nota. | Eccl. 36. | Cant. 4. E Damon in turpi specie regulariter apparet.

discretionem spirituum, sicut B. Martino. Respondit autem Taurinus. O miser modo assimilaris mutis animantibus, derelicto consortio tui conditoris. Sunt enim superbissimi spiritus, & dedignãtur hoc audire. Ideo ait: Illum qui te huc misit faciam interire, vt tecum ineam singulare certamen. Vult enim Golyas nos ad singulare certamen prouocare, quia (vt dicit Bernard.) sumus nimis debiles contra eum soli, ideo oportet quærere

Psa. 123 adiutorem, de quo Psalm. *Adiutorium no-*

Psa. 102 *strum in nomine Domini*, & iterum: *Adiutorium meum à Domino, qui fecit cælum & terram.* Tertia die cum prædicaret Taurinus in domo Lucij dæmon filiam eius vexãs in ignem demersit, & occidit. Hoc permisit Deus ad gloriam discipuli sui Taurini. Mirabile est de dæmone, credit nocere, & nocendo iuuat, ad implendum quod vult Deus fieri. Non enim glorificaretur Taurinus in suscitatione puellæ, nisi diabolus eam suffocasset. Inde dicit

Rom. 8. Apostolus: *Quod diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.* Hoc apparuit in venditione Ioseph in Ægypto, quæ conuersa est ei in bonum. Sic inuidia diaboli fecit vt suscitaretur puella, & baptizarentur centum viginti, &c. Deinde ventum est ad templum Dianæ, cuius simulachrum destruxit, vbi ostendit datam sibi potestatem à Deo super dæmones, quando eum fecit exire. In quo apparet, quod in præsentia Sanctorum religiosorum torquetur diabolus de vita & meritis eorum. Tum propter inuidiam, quia sanctitati eorum inuidet, Tum propter virtutem Dei assistentem, quæ eos amplius torquet. E conuerso vero in præsentia malorum religiosorum, quando vicit eos per discordiam. Vnde exercitus discors ab inimicis circumuallatur, & faciunt de illo quicquid volunt. Sic diabolus facit de religiosis discordiam habentibus. Sic eiecto dæmone baptizati sunt in illa die duo milia virorum, & templum in honore genitricis Dei Mariæ consecratũ. Secundo habuit plagas, & verbera iussu Licinij præfecti. Vnde cum B. Taurinus more boni Episcopi circuiret Diocœsim suam, & vigilaret circa gregem, suscitauit hostis contra eum Licinium quendam præfectum, & duos magos, qui conduxerunt viros, vt eum interficerent, quos conuertit. Similiter cum duceretur ad Licinium, sanauit in via paralyticum, & sororem eius cæcam, surdam, & mutam, & conuertit suos ductores. Maius miraculum fuit secundum quam primũ, quando pessimos homines conuertit ad fidem, & de lupis agnos fecit, & de vulpibus heremitas. *Hæc mutatio dexteræ excel-* Psal. 76.
*si.* Mirabile enim iudicaretur, si isti clientes, & grossi aduocati omnia renuerent, & fierent boni religiosi sine cautela & fraude, sine qua vix viuerent. Exemplũ de Monacho quodam Cisterciens. qui perdebat omnes causas post monachatum, quia non mentiebatur sicut alias ante conuersionem suam. Coram Licinio adductus inquiritur de genere. Qua quæstione soluta, & quod Christianus esset, respondit Licinius, propter hanc dementiam ante sex annos occidi iussi matrem tuam. In hoc est Taurini gloria, quod sit filius Martyris. Et iussit eum nudum virgis cædi. Non debemus murmurare, si aliqua patiamur, quia vexationes nostræ nihil aut paucũ sunt ad vexationes Sanctorum, secundum illud: *Respi-* Iob 33.
*ciet Sanctos, & dicet peccaui, & vere deliqui, & vt eram dignus, non recepi.* Si enim Hier.
*Hi quibus non erat iudicium, vt biberent, bi-* Hier. 49.
*berunt, & tu quasi innocens relinqueris?* Non eris innocens, sed bibens bibes. Sed oratione fusa aruerunt manus tortorum. Parcebat enim Dominus electo suo, & reseruabat eum ad conuersionem multorum. Nam dum Licinius traheret ad supplicium vxorem suam, quæ Taurini miserebatur: narratur filius eius in veneratione occisus cum suo armigero. Suscitantur ambo, & sic credit Licinius, & baptizatur cum optimatibus suis. Quæstionem de venatione, quære sermone Eustachij.

Secunda

Secunda felicitas B. Taurini fuit post mortem, quando assumptus est ad regnum. Vnde paulo antequam euocaretur, venit multitudo hostium ab Oriente cōtra ciuitatem. Plebs turbata recurrit ad auxilium pastoris. Pastor enim est aduocatus animarum, ideo est mediator inter plebem, & Deum, & habet pro salario bona Ecclesiæ. Propterea si nihil faciat pro ea, tenetur ad restitutionem. Sed quando sunt oues errantes sine pastore: periculum est. Bonus autem erat pastor Taurinus, quoniam animas suorum subditorum eripuit: terra autem data est in manu impij. Et tunc reuelatum est ei, quod octauo die migraret ad Dominum. Quo migrante luctus intolerabilis factus est.

Boni Prælati, & homines sancti in mundo, & religione vix sustinentur, sed cum decesserunt: tunc scitur quomodo proficiebant. Vidua enim semper deplorat maritum suum primum. Apparuit autem in eius decessu multitudo hominum candidatorum, & nebula implens domum domini. Qua discedente: remansit in sede Episcopali, quasi orans expansis manibus, oculisque in cælum versis, ita vt merito dici posset. *Hic est qui multum orat pro populo, & pro ciuitate sancta.* 2 Mach. 15.

## DE S. HYPOLITO SERMO *vnicus, in ordine XL. Per Thema.*

Psal 33. *MVltæ tribulationes iustorum.* Voluit Dominus Martyres multa pati.

A Martyres ad quid multa passi sunt

Primo vt crescerent & proficerent in tribulationibus. In aquis enim amaris nutriuntur boni pisces. Ps. *In tribulatione dilatasti mihi.* Aurum quanto magis sub malleis tunditur, tanto magis dilatatur. Figura de Dauid, de quo dicitur: quod *Domus Dauid ibat semper proficiens, & domus Saul decrescens.* Sic iusti in tribulatione crescunt, mali deficiunt. Psalm. 4. 2. Reg. 3

Secundo, vt robustiores essent. Qui enim carent exercitio manuū, & corporis, sunt inualidi. Ignis materialis solidat laterem, sic tribulatio iusti mentem. Inde dicebat Agatha, in tribulationibus meis mens mea consolidata est in Christo. Granū sinapis quanto magis teritur tanto magis sentitur. Sic in tribulationibus iusti magis apparebant virtuosi.

Tertio vt augeret Ecclesiam suam. Ecclesia enim est ad modum vineæ, quæ dum putatur Melius fructificat. Merito itaque multæ sunt tribulationes iustorum. A quibus nec exemptus est Christus nec virgo beata, cui dicemus: Aue gratia plena, &c.

B Tribulationes temperat Dominus.

Multæ tribulationes iustorum, nihilominus multa dat Dominus remedia cōtra eas. Primum quia sunt transitoriæ, quia de omnibus liberauit eos dominus. Vnde coquinus paratus est habere vnū ictum, vt ingrediatur ad nuptias. Passus in introitu bonæ ciuitatis est malus, sed breuis. Modo vero paucæ sunt tribulationes malorum, sed in futuro multa flagella peccatoris, de quibus nos liberabit Dominus. Secundo custodit Dominus omnia ossa eorum, quia Dominus conseruat eos & corroborat. Psalm. *Patientia pauperum non peribit in finem.* Vnde in agno Paschali figurantur, de quo dicitur, os non comminuetis ex eo. Tertio quia vindicta persequentium cito veniet grandis & terribilis, quia mors peccatorum pessima. Quarto quia licet Dominus det corpora in manus tyrannorum, tamen animas custodiuit Dominus, & redemit ab eis. Quinto quia dulcorauit eas. Olla Elysæi amara erat, sed farina interius missa totum reddidit dulce. Nubes attrahendo in se aquas maris dulces facit & potabiles. Sic Christus carnem sumendo, per quem attraxit amaritudines tribulationum ad se dulces fecit. Quis enim non delectetur bibere in calice, in quo bibit Rex, & de eodem vino? Non igitur mirum si multa libenter sustineant membra cum capite, iusti cum Christo, vt verificetur verbum Ps. *Multæ tribulationes,* &c. Psal. 9. 4. Reg. 4

Prim-

Primo igitur videndum est quomodo Hypolitus effectus est de numero iustorum. Secundo de multis tribulationibus quas pro Christo passus est. Primo itaq; erat Hypolitus infidelis, & cultor idolorum, cui tamen tanquam vicario pręfecti Valeriani, tradita fuit custodia B. Laurētij. In quo notatur, quod mali quamdiu sunt in malitia sua sæpe habēt Dominiū super bonos, & dominia ista sæpe ex mala causa oriuntur, singulariter quādo homines cito ditantur. Nam mala herba cito multum crescit, quæ tamen postea cito eradicatur, sicut hædera Ionæ, quæ vna nocte nata est, & vna nocte aruit. Post hæc Lucillus paganus qui flēdo lumen oculorum amiserat curatus est à beato Laurentio, & Baptizatus. Quo viso, & quod alij curarentur, credidit Hypolitus. Sicque curatus est Lucillus à visu exteriori. & interiori. Hypolitus ab interiori. Multi sunt, qui non sunt nisi strabones, qui vident solo oculo quo vidētur serpētes, & lacertæ, & nō interiori quo videntur Angeli Dei. Sic erat primo Hypolitus, sed tunc illuminatus est dū baptizatus est. Baptismus enim purgat, & illuminat. Purgat ab originali, & illuminat oculū interiorem animæ. Vnde, & iste Hypolitus vidit animas sanctorū gaudere, id est Angelos exultare. In quo duo notantur agenda in baptismo. Primum cum baptizatur puer multo timore debent astantes repleri, quia ea hora descendit creator super creaturam suam ad mundandam eam, & habitandum cum ea.

*Ionæ 4*

C *Nota de Baptismo.*

Secundo exultare debent ad angelorum præsentiam, qui exultāt de præsentia creatoris, & de vita animæ puero restituta. Exultares valde si puer tuus semimortuus reuiuisceret. Sic ibi lætari debes de pueri vita, quia semimortuus, scilicet in principali parte, quę est anima. Exultares etiam si puer tuus turpis pulcherrimus fieret. Sic ibi gaudere habes. Inde gaudent Angeli videntes animam pueri lotam, & amictam lumine sicut vestimento. Prius tamen quam crederet, & baptizaretur Hypolitus: petierat sibi thesauros ostendi, cui Laurentius ostendit esse pauperes. Vnde maiores communiter sunt thesauri reponendi in sterquilinium inferni, sed beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum cęlorum. Pauperes inuitati libenter veniunt non diuites. Deinde iussu Decij veniunt Hypolitus, & Laurentius ad Valerianum, sed Laurentius prius impugnatur, non Hypolitus, quia veritas patens semper odio habetur à mundanis, & semper impugnatur. Laurentius autem manifeste veritatem prædicabat, & nondum Hypolitus ideo Laurentius non Hypolitus impugnatur. In curijs non diliguntur homines, qui ita clare cantent, sed qui cantant *la contre teneur*, id est, contra veritatem loquuntur vt adulatores. Qui tacent, illi adhuc in curia manēt. Sed veritas similis est ligno in aqua quod naturaliter super natat, sed propter graue suo perpositum cum violentia tenetur in fundo, tamen in fine supernatat. Sic veritas deberet superponi falsitati, sed nūc opprimitur à falsitate aliquo graui, vt auro vel argento, sed finaliter exaltabitur, vt nunc videmus martyres innixos veritati exaltatos. Ideo bonum est se appodiare illi veritati. Cum tamen pateretur Laurentius, voluit Hypolitus aperte confiteri veritatem, & manifestare se esse Christianum, sed non permisit Laurentius.

D *Veritas patens odio habetur à mūdanis*

Sed ibi quæritur. An sola fides cordis sufficiebat Hypolito ad salutem, cum fides sit in corde, non in ore. Respondetur pro tunc sufficiebat, quando non interrogabatur de fide sua, sed non suffecisset interrogante tyranno. Nam: *Corde creditur ad iustitiam ore autem confessio fit ad salutem.* Rom. 10 Inde Augustinus de Petro. Cur Petrus lachrymis diluit quod ore negauerat, si saluti sufficiebat quod corde tenebat? Chrysostomus, si sufficit Christo, quia tu cognoscis eum, etiā si confessus non fueris, sufficiat tibi quod cognoscit te Chri-

E *Fides cordis non sufficiebat martyribus.*

Christus, etiam si te non fuerit confessus. Idem. Si sufficeret fides cordis, tantummodo cor tibi creasset Deus. Tunc autem & os creauit, & quinque sensus. Confessio igitur in Martyribus erat ad æternam salutem & temporalem mortem, è contrario negatio in his, qui timore vel verecundia deficiebant, erat ad salutem temporalem & ad æternam mortem. Hinc
Mat. 16 Matt. *Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam. Qui autem perdiderit animam suam propter me*, ait Dominus, *inueniet eam.*
Psal 42. Ideo Psalm. *Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus*, id est in mortificatione & extensione carnis in eculeo, sed distractione membrorum, sicut in Hypolito. Secundo quæritur cum fuga sit actus fortitudinis, propter quod Romani Varronem fugientem à clade Cannensi laudauerunt, quia de Republica bene sperabat. Cur ergo se offerre volebat Hypolitus, & non potius fugiebat, & se absentabat à prælio. Cum etiam dicat Dominns: *Si*
Mat. 10 *vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in*
F *aliam*, & vulgo dicatur, melior est bona
Persecutio quandoque fugienda est & quandoque non. fuga quam mala expectatio. Respondetur primo secundum Guiliel. Paris. super Eccles. Requirit interdum persecutio cum infertur solam mollem responsionem, & sic extinguitur aut sedatur, quia:
Prou 15 *Responsio mollis frangit iram*, interdum contradictionem & resistentiam, interdum defensionẽ. Inde improperatur quibus-
Ezec. 13 dam Ezech. *Non ascendistis ex aduerso, nec vos opposuistis murum pro domo Domini*, interdum vero cessionem iuxta dictum Sal-
Mat. 10. uatoris: *Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate*, &c. Si videat vir Dei se trepidum, timidum, aut infirmum, melius est cædere quam expectare. Vnde & pauidi in veteri lege prohibebantur à bello. Multi etiam non considerantes infirmitatem suam sępe martyrio se exposuerunt, qui in scandalum & opprobrium Ecclesiæ turpiter defecerunt. Secundo si videat periculum in republica Ecclesiæ, vtpote si mortem subeat, introducetur hæreticus qui subuertit populũ, tunc debet fugere nec expectare, sicut fecit Athanasius multo tẽpore. Tertio si non præoccupentur, tunc non tenetur quis se exhibere tyrannis præsentem, quia hoc esset per malum & iniquitatem proximi, quærere gloriã, & aliũ quodammodo prouocare ad malũ. Inde quod B. Laurentius noluit Hypolitum se exhibere tyranno, cum nõ requireretur nec præoccuparetur, sed expectare quousque esset à Christo vocatus. Si autem præoccupatus quis fuerit, debet viriliter vsque ad mortẽ certare pro Deo, iustitia, & legitimis suis. Dicitur secundo quod cautissimi milites nunquam à bello fugiunt. Cautum enim bellatorem dicimus, qui nouit quando oportet inimicorum insidias declinare, cautiorẽ qui nouit acies eorum sapienter expugnare, sed cautissimum qui per ipsas manus hostiũ nouit de hostibus triumphare. Hæc est sapientia Martyrum, qui obsequentibus sibi manibus hostium ad triumphũ peruenerunt. Quis fabricauit coronam Stephano, nisi manus lapidantiũ. Quis tandem Hypolito gloriam peperit, cum vocatus esset ad Martyriũ, nisi manus tortorũ? Inde dicebat Vincentius tyranno: Nemo mihi carior nemo mihi amabilior. Tu solus ad mea vota concordas. Post cõsummationem B. Laurentij, venit Hypolitus & rapuit corpus eius dimissum super cratem & sepeliuit, & pauco tempore interiecto euocatus est ad martyrium. Hoc erat opus misericordię, sepelire mortuum, quod est magni meriti apud Deũ, & singulariter dum fit in Ecclesia, quę est sepultura Christi & membrorũ suorum.

Sed ibi quæritur, vtrum Hypolitus propter illud opus misericordiæ, aut alia opera virtutum meruerit pati pro Christo martyrium, & generaliter cũ Altiss. in secunda parte quæritur, vtrum Sancti meruerint passiones suas? Quod sic vi- An S. Martyres cadant sub merito.
detur, quia Act. dicitur: *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*, igitur G
meruerunt contumeliam pati pro Christo. In oppositum dicitur Philip. *Gaudete*, Phil 1.

*quia datum est vobis, non solum vt credatis in eum, sed vt patiamini pro eo.* Si ergo datum est ex gratia Dei, iam non ex meritis. Respondeo. Dicitur primo quod vnum maximum donum inter dona Dei est pro eo pati. Patet primo, quia eo intimo amore quo misit Deus pater vnigenitum suum in mundum ad patiendum pro nobis, eodem amore adhuc nunc dilectis suis mittit pro eo pati. Et si pati pro eo non esset maximum donum, Deus pater nunquã illud ex obediẽtia filio imposuisset, ergo vnũ ex melioribus quod Deus dat suis electis, est pro eo pati. Quod attendentes sancti Martyres innumerabiles plagas & fustigationes pro Christo sustinuerũt. Secũdo fortiũ est fortia operari.

Prou. 30 *Gustauit & vidit, quoniã bona est negotiatio eius, manũ suã misit ad fortia.* Sed opus Martyrij est opus maximæ fortitudinis. Amicorum igitur & electorũ Dei peculiare donum est. Ad hoc est exemplum:

1. Mach. 10. *Audiuimus de te quod vir potens sis viribus, aptus vt amicus regis voceris.* Felix quem Dominus dignatur in talem amicitiam recipere. Ideo misi tibi purpuram, id est imitationem meæ passionis vel martyrij donum, & coronam auream, id est coronam gloriæ, vt quæ nostra sunt sentias. Hoc est quod dicit Apostolus. Hoc sentite in vobis quod & in Christo Iesu. Dicitur secũdo secundum eundem doctorem, quod Martyres non meruerunt suas passiones, sed bene constantiam in passionibus. Nam aliud est virtus, aliud virtutis augmentum. Prima enim gratia quæ est virtus, non cadit sub merito, sed bene secunda. Virtus enim nata meretur augeri, vt aucta mereatur perfici. Sic ergo constantia & robur fidei & virtutum cadunt sub merito. Vnde dictum est filijs Iuda:

2. Paral. 20. *Constantes estote, videbitis auxilium Domini super vos.* Dicitur nihilominus tertio, quod licet Sancti non meruerint suas passiones merito condigni, cui ex debito iustitiæ corresponderent, meruerunt tamen merito congrui per actus bonos peruios, sicut Hypolitus per illud opus misericordiæ meruit vt Dominus daret ei & pati pro Christo, & constantiam seruare in passionibus. Et si meritum condigni dicat omne opus meritorium à charitate elicitum, etiam meruit de condigno, sicut & multi alij. In secunda parte videndum est de multiplici tribulatione seu passione Hypoliti, qui fuit septuplex, sed in septima non tetigit eum malum, secundum illud Iob: *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum.* Iob 5.

Prima tribulatio & passio fuit per linguam, quia cum primo præsentatus est Decio, magus appellatus est & diabolicus vir. Ita existimant mali de bonis, iuxta quod dicent in inferno: *Nos vitam illorum existimabamus insaniam.* Sap. 5. Qui ergo sic dicunt, loquuntur linguagium inferni.

*H Martyres insani iudicabantur à mundanis, & quare.*

In cælo nihil nisi bonum dicitur, in inferno semper malum. In hoc cognosces differentiam inter euntes in cælum & in infernum. Sic dicebatur de Ioanne Baptista testimonio Saluatoris Matt. dicentis: *Venit Ioannes non manducans, neque bibens, & dicunt dæmonium habet.* Mat. 11 Causa erroris eorum prima est, quia forsan non existimabant aliam vitam à præsenti. Aut si existimarent, cultu falsorum deorum putabãt adipisci. Videbant autem sanctos Martyres contemnentes vitam istam, propter quod eos deliros & insanos existimabant. Corpus enim exponebant tormentis, vt anima salua fieret. In torculari tribulationis ita premebatur corporis grossa materia, quod ibi remanebat, & animæ tanquam vinum prætiosum reponebantur in cellario æternæ beatitudinis. Secunda est, quia videbant eos temporalia bona & dignitates sæculi pro nihilo æstimare, quæ tamen magna reputabant, sicut cernebatur in B. Hypolito, qui non curabat de bonis suis, nec dignitate temporali quam habebat. Ita vt desiderarent compleri illud Ps. *Comminuet eos tanquam vitulum libani.* Psal. 28. Qui enim prius erant cedri per altitudinem dignitatum, postea humiliabantur quasi vituli parati ad immolandum. Æstimant enim mali bonos insipienter

ſipienter agere in contemptu temporalium, non attendentes quod non agit inſipienter cambitor, qui monetam minus valentem dat pro magis valente, temporalia pro æternis. Qui frumentum ſuum ſeminat, vt illud renouet & augeat, & qui theſaurum ſuum ponit in tuto. Tertia erroris cauſa fuit error circa finem. Æſtimabant enim finem illorũ ſine honore. Cognitio enim finis viæ dirigit in electionem viæ, & error circa finẽ viæ facit errare circa electionem viæ, & qui neſcit quo eat, neſcit quam viam tenere debeat. Boetius. Non quod ſitum eſt ante oculos ſufficit intueri, rerũ exitus prudẽtia metitur. *In ſemita iuſtitiæ vita iter deuium ducit ad mortem.* Vnde errorem ſuum poſtea confitentur dicentes: Ecce quomodo cõputati ſunt inter filios Dei. Sed propter eos non mouebatur Hypolitus, nec alij ſancti Martyres, ſed eorum iudicia contemnebant, ſcientes illud: *Nemo veſtrum moueatur in tribulationibus iſtis*. Ipſi enim ſcitis, quod in hoc poſiti ſumus. Dicitur de Dauid: *Sicut Angelus Dei, ſic eſt Dominus meus rex, vt nec benedictione nec maledictione moueatur.* Vituperium enim malorum laus eſt, & eorum laus eſt vituperium. Seneca. Tam turpe eſt laudari à turpibus, quam laudari ob turpia. Lapis enim flecti non poteſt, quamuis poſſit frangi. Et de Martyribus dicitur, occidi poſsũt & flecti nequeunt: *Firmabitur in illo, & non flectetur.* Non ſic aliqui qui ad modum arundinis ad quemlibet flatum venti mouentur, eo quod radicem cordis fixam non habeant in ſolido æternitatis, ſed quaſi in palude rerum temporalium. In quibus impletur illud: *Terrebit eos ſonitus folij volantis, qui ad verbum vnum deriſionis rectitudinem vitæ deſerunt.* Et ſicut non potuerunt flecti malis pœnę, ſic nec potuerũt flecti ad mala culpæ. Licet enim lapis prætioſus diu in luto maneat, non tamẽ ibi putreſcit. Sic iſti licet commixti ſint inter gentes, non tamen didicerunt opera eorum. Illęſi enim ſeruati ſunt in fornace babylonica mundi ſicut pueri. Sed ſicut lapides pretioſi deſpiciuntur à ſimplicibus hominibus, & coculcantur pedibus: *Tanquam purgamẽta mundi huius facti ſumus omnium peripſema vſque adhuc.* Sic & iſti. Lignum enim erectũ plus ſuſtinet quã tranuerſum. Sic quia erecti ad Deũ & in via recta, omnia facile ſuſtinuerunt. Ideo facile ſuſtinuit Hypolitus contumeliam illam tyranni. Secunda tribulatio quia fuit expoliatus & tonſus lapidibus, ita vt dentes frangerentur. Triplex nuditas. Vna naturalis generalis omnibus, quia naturaliter naſcimur nudi & morimur nudi. *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc*, ſicut nudus intrat lectum vel balneũ & nudus exit. Nudi etiam virtutibus viribus & & ſcientijs. Et in hoc eſt cauſa magnę humilitatis, quia in hoc homo vilior eſt cæteris rebus, vt arbores cũ corticibus naſcuntur, animalia cum vellere, piſces cum ſcamis, volucres cum plumis. Solus autem homo nudus, vt ad Deum recurrat. Hanc nuditatẽ cum non cognoſcimus nõ erubeſcimus, ſed poſtea cum natura dedit rationem erubeſcimus, niſi propter Chriſtum qui pro nobis nudus mori non erubuit, gratiſsimum ſe exhibens ſpectaculũ Deo, Angelis & hominibus. Sic ſancti non erubuerunt. Erubeſcãt modo qui pompoſe ſunt induti vltra ſtatum ſuum, quia nudi pendebũt in patibulis inferni. Secunda eſt nuditas temporalium & honorum, quã paupertas voluntaria vel coacta facit. Iſtam habent religioſi. Nudi latrones non timent, imo ſerpentes timent nudos. Tertia eſt nuditas virtutum Tali nuditate multi ſunt hodie nudi, ſimiles Æthiopibus qui nudi currunt in Æthiopia. Sed iſta eſt cauenda, quia: *Beatus qui cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet.* Tali pacto non fuit nudatus Hypolitus, ideo dicebat Decio. Nõ me expoliaſti ſed magis veſtiſti. Tertio fuſtibus & pectinibus ferreis laniatus eſt. Sed patiẽter portabat. Nec mirũ, quia dulcia ei erat talis laniatio. Dulcis eſt omnis amaritudo, ſi ei de zucharo plus miſceatur. Sic paſsio Dñi, ſic amoris vis mixti omnem amaritudinem

Marginalia: Prou. 12 · 2. Theſ. 3 · 2. Reg. 14 · Eccl. 15. · Leu. 26. · Dan. 3. · 1. Cor. 4 · Iob 2. 1 · Nuditas triplex. · Apo. 16

tudinem tormentorum ac mortis absorbebat. *Fortis enim est vt mors dilectio, & aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Laniantur autem boni in hoc mundo multipliciter. Primo à seipsis, sicut mulier seipsam puniens, laniat crines præ dolore. Sic peccatores considerantes se commisisse in Deum & ipsum amisisse, seipsos puniunt. Secundo lacerantur à detractoribus dentatis verbis, vt fera lacerans carnem nihil dimittit integrum. Tertio à tyrannis, vt leo deuorans prædam, pellem cum carnibus dissipat. Sic tyranni & bona Sanctorum & corpora. Figurati in illis vrsis, qui exeuntes de silua interfecerunt quadraginta duos pueros. Sed mali lacerabuntur in inferno. In figura cuius de pistore dictum est. Gen. *Quod postquam suspensus esset in cruce lacerarent volucres carnes eius.* Quarto omnes facultates suas perdidit, sed cum gaudio illud sustinuit, cum illis de quibus Heb. *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio illud suscepistis.* Libenter enim exponebat bona, & amicos, sequens sapientiam serpentis, qui caudam & omnia exponit pro conseruatione capitis. Siccatus enim erat ab humore terreno, vt dicere posset: *Ossa mea sicut cremium aruerunt.* Sicut aret cremium in frixorio. Hac enim ariditate arescebant ossa Ecclesiæ. Hæc etiam ariditas in fornace erat. Vbi erant socij Danielis, quæ virorem gratiæ, quæ in ipsis erat consumere non potuit. Quia: *Angelus fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem.* Quinto quia omnem familiam suam coram se pati videt. Quę poterat ei esse causa mœroris. Mulier enim videns vnum de suis infantibus truncari, multum lachrymaretur, quanto magis videns omnes pati. Sed hoc ei gloriam ministrabat, quia ratio superabat naturam. Similis illi mulieri quæ videns filium ire ad mortem osculata est eum, illi etiam quæ videns septem pueros ante se occidi, lætabatur. Simile legitur de beata Felicitate Martyre matre septem fratrum Martyrum, quam dicit Gregorius plusquam Martyrem. Quia fuerit octies Martyr, septies in filijs passa, semel in seipsa. Sexto tractus est à bigis, & in multas partes, per carduos & tribulos discerptus, spiritum exalauit, vt sic fracto alabastro corporis tota domus Ecclesiæ impleretur ex odore vnguenti.

Cant. 8. | K Laniantur boni multis modis | 4 Reg. 2 | Gen. 40 | Heb. 10. | Psal. 101 | Dan. 3.

O Domine Iesu quam bonus es amicis tuis. Tuus miles spoliatus fuerat sua tunica, & ecce vnam rubeam tibi similem tribuis, vt sit in gloria tecum simili tunica vestitus, & de carne quæ inimica erat eam facis seruire ad salutem. Dicunt etiam doctores, quod vbi martyres tormenta passi sunt apparebunt vestigia super solem luminosa. Habebit igitur Hypolitus vndique tunicam luminosam.

Sed hic quæritur vtrum vere moriebatur Hypolitus similiter & cęteri martyres. Quod non videtur, quia Sap. *Visi sunt oculis insipientiũ mori.* Sed iudicio stultorum non est adhibẽda fides. Non ergo vere moriebantur, sed apparenter. Heb. *In occisione gladij mortui sunt.* Respondeo. Dicitur primo quod mors temporalis sapientũ iudicio non reputatur vera mors, sed mortis veræ similitudo vel imago. Hoc est Augustini iudicium dicentis non esse veram mortem quã homines timent, quæ separat animam à corpore, sed illam esse veram quæ separat animam à Deo. Primo vmbra non est veritas rei cuius est vmbra, mors hæc temporalis non est nisi vmbra, mortis spiritualis & æternæ, propter quod hic mundus dicitur regio vmbræ mortis. Ideo sancti transeuntes hanc vmbram, non arbitrantur à sapientibus vere mori, nec sancti illam multum timent. Stultus enim est qui timet vmbras. Secundo quia dormitio nõ est mors sed similitudo mortis. Vnde Tullius libro de Senectute. Nihil est magis simile morti quam somnus. Sed hæc mors temporalis non est nisi dormitio, dicente Saluatore: *Lazarus amicus noster dormit.* Nec ergo moriuntur vera morte. Tertio quia si stellę eclypsentur, hoc est ad modicũ, nec per-

Sap. 3. | Hebr. 11 | L Mors temporalis non est vera mors. | Esai. 9. | Ioan. 11.

2. Mac. 7

perdunt lumen, licet videantur perdere, eo quod extrinsecus non videntur lucere, sed bene apud eas permanet lumen inextinctum. In morte autem temporali martyres videbantur perdere lumen vitæ, & tamen in mente remanebat lumen fidei: lumen gratiæ, & æternæ vitę. Vnde
Ioan. 5. dicit Saluator, *Transiet de morte ad vitam.* Ideo licet sancti visi sint oculis insipientium mori, illi tamen viuebant in Christo. Inde Apostolus ad Colloscenses tertio,
Col. 3. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.*

M
Mors sanctorum est potius natiuitas.
Dicitur secundo quod visi sunt oculis sapientium nasci, sicut oculis insipientium mori. Ideo mors sanctorum natiuitas dicitur. Augustinus. Talē nobis præstitit Deus fidei gratiam, vt mors, quam vitæ constat esse contrariam instrumentum fieret, per quod venitur ad vitam. Mors iustorum finis est miseræ vitæ, & inchoatio beatæ, ideo potius natiuitas, quam mors dicitur. Præterea, ab insipiētibus exitus illorum existimabatur sola afflictio, cum tamē illi afflictioni assistebat diuina consolatio
Sap. 4 *Spes illorum immortalitate plena est.* Vnde Ioannes sapiens in apocalipsi vidit ostium apertum in cælo. Nunquam autem in cælo apertura est nisi cum tonitruo, & cum quo apparet magnus fulgor, quia corpora martyrum quę sunt quodammodo cælum, in quibus resident animæ sanctæ, non fuerūt aperta per pasionem nisi tempore tonitrui persecutionis. Sed in istis apparuit splendor supernæ gratiæ confortans eos desuper nunc miraculis, nunc promissis, nunc interius consolationibus, quandoque etiam luce materiali. Tertio æstimabant insipiētes martyres ab itinere iusti abijsse in exterminium totius boni, & nihil boni post hoc habituros, cū iustitia non sit via ad exterminiū, sed potius iniustitia.
Sap. 1. *Iustitia perpetua est, & immortalis, iniustitia autem mortis acquisitio.* Sed sapientum iudicio post mortem sunt in pace, id est in omni bono æterno. Sicut enim pax temporalis summum temporalium bonum, sic pax æterna summum spiritualium bonum, quę non nisi in visione Dei consistit, quæ visio pacis appellatur. Sunt enim in pace, quia finita laboriosa peregrinatione vere quiescunt: *Amodo iam dicit spiritus, vt quiescant à laboribus suis,* & quia Apo 14
expediti à graui corpore. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam;* & quia non plus Sap. 9.
tentationibus impugnantur.

Dicitur tertio, quod martyres plus dicuntur mortificari, quam mori. Mori enim dicitur, qui simpliciter, & omnino perdit vitam mortificari, qui attenuatur, & maceratur in corpore, non tamē propter hoc amittit vitam interius in corde, imo quandoque per talem attenuationem, & mortificationem vitam conseruat, & sanitatem recuperat, vt patet in infirmo propter nimiam repletionem aut pinguedinem. Anima per peccatum moritur, quia omnino vitam spiritualem amittit: *Anima, quæ peccauerit ipsa morietur.* Ezec. 18
Ideo martyres in martyrio proprie dicuntur mortificari, quia licet mortificentur in carne, spiritualiter tamen viuificantur in mente. *Propter te mortificamur* Psal. 43.
*tota die, æstimati sumus,* scilicet ab insipientibus, *Sicut oues occisionis.* Quorum similitudinem gerunt religiosi, qui carnem suam mortificant, qui licèt propriè non sint in cruce sicut martyres, sunt tamen iuxta crucem. Imago enim dicitur esse iuxta exemplar, & quandoque nominatur vocabulo exēplaris, vt homo pictus quandoque dicitur homo. Sic afflictio pœnitentiæ quādoque dicitur crux. Septima tribulatio fuit in morte in dęmonū conflictu, sed in illa non tetigit eum malum, quia iam victor euasit. Sicut enim nullus securior ingressus in mundum, quam per baptismum, sic nullus securior egressus, quàm per martyrium, imo ita vicit, vt victor fieret inimicorum. Patuit in Decio, qui se clamabat incensum ab Hypolito, victor etiam morborum, patuit in illo cuius tibiam iam à sua compage dissolutam restituit.

IN DIE ASSVMPTIONIS, *Gloriosæ Virginis, Sermo I. & in ordine XLI. Per Thema.*

Cant 5. *Filiæ Hierusalem nuntiate dilecto, quia amore langueo.* Ex verbis istis consurgere potest quæstio deuota, an rumoribus istis auditis luctui magis an gaudio insistendum sit hodierno die. Et videtur magis luctui quã gaudio, quia hoc locus expostulat, & res. Locus quidẽ, quia in loco miseriæ non est gaudendũ, sed magis flẽdum, hic autem locus est afflictionis & miseriæ, ideo si musica in luctu importuna narratio est, hoc est si cantus musicæ suaues sint importuni, vbi est luctus occasio, sequitur quod ratione locdo in quo sumus magis lugere, quã gaudere debemus, dicentes: *Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Syon*, id est speculatricis Mariæ, quę nunc videt & contemplatur Deum in cælis, & quiescit, dum nos hic continuis agitamur turbinibus, & nihil videmus nisi tribulationem & confusionem. Secundo nec res ipsa hoc videtur postulare. Nam iuxta thema propositum rumores habemus de languore matris nostræ, de qua Sap. *Omnium bonorum mater est.* Quis autem non contristetur de languore amici vel amicæ? igitur rei ipsi nõ videtur competere gaudium, sed magis tristitia. Non ergo debemus hodie cantare gaudeamus, sed magis lugere. In oppositum tamen arguitur, quia conformari debet in seruitio, & solennitatibus Ecclesia parochialis suæ matrici Ecclesiæ, sed Hierusalem quæ sursum est mater nostra. Hodie canit cum tripudio, & gaudet iuxta illud quod canit Ecclesia hodie. Regina cælorum vocari digna es, gaudẽt chori Angelorum consortes & conciues nostri, ergo cum eis debemus gaudere, iuxta illud: *Gaudete cum gaudentibus.* Quia si dicatur. In suprema Ecclesia continuo gaudent, nunquã ibi fit luctus obsequiũ. Ergo nos confirmando deberemus semper gaudeamus cantare, nunquam de luctu mentionem facere. Ad hoc dicitur, quod propria festa habet illa mater Ecclesia, quę omnia gaudij sunt non mœroro
ris, & illa iuxta posse debemus facere nos ei confirmando. Sed & habet nostra parochia militantis Ecclesiæ etiam festa propria luctus, & mœroris, quæ etiam suis temporibus habet celebrare, sicut videmus in Ecclesijs parochialibus quandoque esse Sanctorum aliquorum memoriam, qui tamen in cathedralibus non memorantur. Secunda ratio, aliorum Sãctorum festiuitates, & triumphos cum gaudio veneramur, sed secundum Hieronymum in sermone hodierno, hæc est illa præclara festiuitas omnium Sanctorũ festiuitatibus incomparabilis, in qua gloriosa & felix mirantibus cælestis curiæ ordinibus ad æthereum peruenit thalamum. Si enim alij Sancti cælos ascenderunt mirantibus terrenis hominibus, illa vero etiam mirantibus ciuibus cælestibus, igitur illam maxime prę cęteris cum gaudio debemus celebrare. Tertia ratio, gaudere debet amicus languidus de sanitate amici languidi, sed toto tempore vitæ suæ Maria elanguit amore. Ait enim nunciate dilecto, quia amore, &c. Hodie vero à filio summo medico consequuta est illius languoris sanitatem, vt dicitur Eccles. *Breuem languorem præcidit medicus.* Eccl. 10. Fuit enim hic languor amoris breuis in comparatione ad præmium æternum, quod ex eo consequutum est. Quid ergo debemus nisi in hac solennitate ei congaudere cum dixit, nunc ecce quod concupiui video, quod speraui iam teneo. Ipsi sum iuncta in cælis, quem in terris posita tota deuotione dilexi. Quarta ratio, iam materia luctus nobis esset hodiernus dies, si matre nostra assumpta in cœlum essemus sine adiutorio derelicti. Nunc autem cuilibet suorum deuotorũ mandat aut instinctu aut inspiratione aut per suos deuotos monitione, ne se præsumant ab ea derelictos. Filię inquit (Hierusalem, id est animæ contemplatiuæ, & deuotæ nunciate dilecto, id est mihi deuoto,

Marginalia (left column): Psal. 136 · Sap. 7. · *Assumptionis festum est cum gaudio celebrãdum.* · Gal. 4. · Rom. 12

noto, quia amore langueo, amore scilicet & desiderio salutis suæ. Sicut enim sitijt Christus in cruce salutem nostrã, sic suo modo languet in cælis Maria pro desiderio salutis electorum, quia secundũ Bernardum Maria, & si perdidit passionem, non tamen compassionem. Cum igitur videt nos languentes languore peccati vel incidere in illum languorem, occurrit suo dilecto filio precatura pro nobis dicens: Ante languorem adhibe medici-
Eccl 18. nam. Erat enim mulieris familias filius ægrotans languore fortissimo, qui exclamauit ad Elysæum, qui continuo resuscitauit filium. Sic Maria quæ totam Christianam familiam habet tanquam illius plebis mater, ad verum Elysæum exclamat pro filiorum suorum suscita-
Ioan 11. tione. Erat etiam quidam languens Lazarus qui mortuus est, sed ad Mariæ cuiusdam preces resuscitatus est vitę, quanto magis languidus noster animus ad Mariæ preces quas fundit ad filium multo præstantiores, restitueretur anima no-
Ioan. 5. stra vitæ gratiæ. Ea enim est piscina, in qua iacet multitudo languentium, & infirmorũ expectantium aquã, id est diuinę misericorordiæ motũ, vt à suis infirmitatibus peccati sanari possint per gratiã, scilicet quã ab ea requirentes dicamus Aue.

B Maria merito dicitur Dei amica.

Quæritur quomodo Maria se prẹsumit dicere amicam Dei, cum nemo sciat an amore, vel odio dignus sit, quomodo igitur dicit: nunciate dilecto. Respondetur, quod illud, quod se dicit prius ancillam Dei fuit ex humilitate, quod nũc se amicam vocat, & ipsum dilectum, hoc fit ex amore. Antequã enim mater esset Dei, humilitas tunc sceptrũ tenebat, & in ea omnia dirigebat. Postquã vero mater effecta est Dei, tũc creuit dignitas, creuit familiaritas, creuit meritũ, creuit amor, Ideo tũc amor omnia in ea regebat, ideo non nisi amoris verba pronũciare poterat, appellans ipsum dilectũ. Præterea quis nesciat id esse cõmune matrũ suos natos appellare dilectos? Cur igitur Maria natum suũ dilectum non appellabit? Præterea ex scriptura sacra septem modis quis conuincitur esse amicus Dei. Primo propter fidem, vt patuit in Abraham iuxta illud: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi* Gen. 15.
*ad iustitiã*, & amicus Dei appellatus est, vt ita, Deus familiariter loqueretur cũ eo. Secũdo propter mansuetudinẽ, vt Moyses, qui mitissimus fuit omniũ hominũ, qui erãt in terra. Ideo amicus Dei appellatus est, cũ quo loquebatur Deus facie ad faciẽ, sicut solet homo loqui cũ amico suo. Tertio propter humilitatẽ, vt David Num. 12
quem propter hoc inuenit Dominus secundum cor suum. Quarto propter virginitatem, vt Ioannes Euangelista quem speciali prærogatiua castitatis speciali dilectione fecerat dignum. Quinto propter hospitalitatem. Ideo Ioann. *Diligebat au-* Ioan. 11
*tem Iesus Mariam, Martham, & Lazarũ.* Sexto propter misericordiam. Inde B. Nicolaus amicus Dei appellatus est. Septimo, propter martyrium. Inde Ecclesia canit, calicem Domini biberunt, & amici Dei facti sunt. Sed Maria in istis omnes prædictos excelluit. Si enim dilexit Abraham propter fidem, quia credidit de vetula & vetulo filium nasciturum, vel quia credidit filium moriturum, & resuscitare ac resurgere posse, multo fortius diligebat Mariam, propter hoc, quod credidit se virginem Deum parituram, & virginem permansuram. Præterea si dilexit Moysen propter mansuetudinem, Dauid propter humilitatem, quanto magis istã quæ (vt dicit Augustinus) nunquam super choros Angelorum exaltata fuisset, nisi fuisset humillima? Si Ioannem propter virginitatem, hæc plus Ioanne, quæ est virgo virginum? Si Martham propter hospitalitatem, hæc Christum in vtero suo hospitata est, carne vestiuit, & postea lacte cibauit, quod Martha non fecit. Si Martyres propter martyrium, hæc plus quam Martyr fuit, cuius idem gladius transuerberauit animã, quæ cor Domini penetrauerat, vt vno eodemque ictu esset, & cor Domini suffossum, & anima Mariæ transuerberata. Si Nico-

laum dilexit propter misericordiam, quia vir misericordiæ, hæc autẽ regina est misericordię. Ideo nõ est mirum si sit amica Dei, & si sibi vendicet hoc nomen dicens: Filiæ Hierusalem nunciate dilecto, &c.

Circa thema, & materiam assumptionis multa quærũtur. Primo vtrum amor Mariæ fuerit languor. Secũdo vnde causatus fuit siue processit iste languor. Tertio quare sic languebat Maria amore filij sui. Quarto quamdiu dimisit Dominus matrem suam languere, & si detur longũ tempus. Quæritur quinto, quare tamdiu dimisit eam languere. Sexto quo languore soluit tributum naturę. Septimo à quibus in hoc languore visitata est. Octauo vtrum nunc sit ab vtriusque, scilicet corporis & animæ languorẽ sanata: quarum quæstionum tres priores absoluentur sermone matutino, quinque vero reliquæ sermone postmeridiano.

Igitur ad primum quæsitum vtrum amor Mariæ fuerit languor, videtur quod non, quia amor Mariæ fuit occasio pulchritudinis eius, sicut hodie canit Ecclesia, dicens: Ista est speciosa inter filias Hierusalem, sicut vidistis eam plenam charitate & dilectione, sed languor vultum pallidum facit, & per consequens deformem. Cum igitur ipsa fuerit tota pulchra sequitur, quod amor eius non fuit languor. Respondetur, quod amor Mariæ languor dicitur ad languoris corporalis similitudinem propter quatuor, quia lãguor corporeus quatuor facit. Primo immutat statum. Secundo pulsum. Tertio vultum. Quarto gustum. Primo igitur immutat statum. Qui enim sanus erat prius, per languorem in infirmitatis statum, & stratum protinus decidit. Sic amor elatos inclinat, & humiles facit, cum sit pondus in spiritibus, iuxta illud Augustini, amor meus pondus meum, eo feror quocunque feror. Qui enim super te pondus portat, necesse habet inclinari & humiliari. Maria vero licet habuisset vnde potuisset extolli super omnes mulieres, tamen nec inde elata est, sed amoris sui pondere ita inclinata est, vt ille: *Qui humilia respicit, & alta à longe cognoscit.* Psal. 137 respexerit humilitatem ancillæ suæ. Secundo pulsum immutat. Neque enim lãguenti, & sano medicorum testimonio est idem pulsus, sed moderatus est sano, & velox nimium aut tardus ægro. Per pulsum vero quem immutat amoris lãguor, bonorum operum motum intelligimus. Cum enim amor ignis sit, & ignis inter omnia elementa maxime actiuus existat, amor semper in motu bonæ operationis constat. Nam (vt vult Greg.) amor nescit esse otiosus. Operatur enim magna si est. Si autem operari renuit, amor nõ est. Sed pulsus Mariæ tantus tamque continuus fuit, vt indefesse Christum imitaretur, & sequeretur agnum quocunque ibat, imo tam celeri pulsu aut motu agitata est, vt gygantem illum geminæ substantiæ, qui exultauit vt gygas ad currendam viam, non solum per custodiam præceptorum, sed etiam consiliorum comprehenderit: *Operata est consilio manuum suarum.* Tertio Prou. 31 vultum immutat. Nam qui sanus apparuit rubicundus, & pulchra facie, ipse idẽ languens pallidus vultu marcescit. Sic Maria rigore abstinentiæ vigilijs ac ieiunijs pallens, vultum virgineum ad solis calorem in passione mutauit. Nam nemo ad solis aspectum feruentissimum diu se exponeret, quin fuscaretur aut denigraretur eius facies. Quanto magis Maria vultum mutauit, dum prope crucem in ipso feruore diei soli iustitiæ proxima corde & corpore, ore nihilominus dicere poterat. *Nigra sum sed formosa filiæ Hierusalem. Nolite considerare, quod fusca sim, quia decolorauit me sol.* Cant 1. Quarto mutat gustum, ita vt dulcia iudicentur amara, & omnem huius mundi dulcedinem tanquam amaritudinem iudicaret. Cor enim languidum nauseat. Sic anima Mariæ nauseabat super cibo isto leuissimo, scilicet bonis huius mundi, quæ vere sunt cibi leuissimi, quia parum aut nihil reficiunt, & cito velut fumus transeunt & euanescũt. Cor autem Mariæ omnia hæc tanquã amara respuebat,

C Maria amor fuit languor.

Prou. 14 respuebat, quia: *Cor quod nouit amaritudinem animæ suæ, in gaudio eius non miscebitur extraneus.* Quia vero in languore desiderata sanitas necdum attingitur, nec penitus desperatur, sed sub incerto & pendulo, & alterius scilicet Dei voluntate expectatur, ideo non est mirandum, si Maria desideratam præsentiam filij expectans, vt ab hoc languore sanetur, mandat per ciues Hierusalem, filiæ Hierusalem nunciate dilecto, quia amore langueo, & hæc de primo quæsito.

Ad secundum quæsitum, vnde scilicet fuerit causatus iste languor Mariæ, Respondetur, quod quia secundum Philosophum opposita iuxta seposita sensibiliora fiunt, ideo si videamus vnde causatur languor peccatoris, videbimus vnde causetur languor animæ sanctæ. Dico igitur, quod languor peccatoris ex amore mundano causatur, qui frigus est secundum illud Saluatoris, dicentis: *Quod in nouissimis diebus refrigescet charitas multorum.* Mat. 24 Quod auté amor iste sit frigus patet tripliciter. Primo secundum Guiliel. Paris. quia frigus ex natura sua coagulat & congelat ea, quæ sunt eiusdem naturæ, vt aquam congelat, & aquam aquæ conglutinat. Amor vero mundi non solum temporalia bona, quæ quasi sunt eiusdem naturæ, quia omnia mobilia sunt, & caduca, adunat per auaritiam, verum etiam tam diuersa, vt sunt mentes humanæ, & corporalia bona agglutinat & vnit, adeo vt auari temporalia bona membra sua reputent, nec erubescant dicere de grangia vel furno, vel molendino, hoc est melius membrum quod habeam. Secundo quia secundum naturales, calor exterior quãdoque facit euaporare, & mortificari calorem interiorem naturalem, vt patet in aceto, in quo calor exterioris aeris corrumpit, & mortificat calorem interioris substantiæ, & sic illud quod erat vinum, efficitur acetum, & quod erat calidum, efficitur frigidum. Sic multi habent tantum caloris & ardoris exterioris ad bona temporalia, vel exterius in fallaci apparentia, vel exterius ad lubrica, quod interius in substantia, id est in conscientia remanent frigidi per indeuotionem. Et sic amor mundi, & quicumque alius à diuino amore, frigus est & infrigidat conscientiam. Tertio quia frigus reddit membra impotentia ad operationem. Languor quippe peccatoris febris est cõtinua ex frigido causata.

D *Amor mundanus est frigus.*

Vnde & sicut languidus gustum non habet, actum non exercet, non lucratur pastum, nec euitat temporis iacturam, sic nec peccator spiritualia gustat, nec in illis delectatur, nec virtutum actus exercet, nec meretur aut præmium æternum acquirit, sed omne tempus perdit & dãnationem acquirit. Huic autem sic lãguido opus est homine, qui habeat eũ mittere in piscinam pœnitẽtię. Exemplo paralytici languidi, qui erat circa piscinam expectans, qui se excusauit, quia hominem non habebat, qui eum mitteret in piscina, quod cedit in maximum prælatorum vituperium, & periculum, propter quorum negligentiam, adhuc restat multitudo hominum languidorũ. Languor vero animæ sanctæ ex amore diuino procedit, qui calor est, sicut sentiebat anima illa sancta quæ dicebat: Concaluit cor meũ intra me, & in meditatione mea exardescit ignis. Is autem amor ex multis causis in animabus sanctis procedit. Primo ex verbi Dei quasi ignis inflammatione, de quo Ps. *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Verbum enim Domini est, sicut facula ardens, quo igne ardebant discipuli cum dicerent: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Iesu dum loqueretur in via* Quo ardebat cor Mariæ considerans verba dulcia, quæ ad populum, quæ ad discipulos, quæ ad seipsam dum viueret, ipse dicebat: Dicere enim poterat: *Anima mea liquefacta est, vt dilectus loquutus est.* Liquefieri enim ad congelari opponitur. Cum igitur mens eius liquefiebat amore, consequens est vt calefacta omne cõgelationem non pateretur approximare. Secũdo ex nimio labore quandoque causatur

Ioan 5. E *Amor diuinus calor est procedẽs ex multis causis.* Psa 118 Luc. 24. Cant. 5.

ſatur febris iſta languoris. Sancti enim ex nimijs laboribus & pœnis, & tribulationibus incidunt in languoré & faſtidium huius ſęculi & deſiderium regni, queadmodũ Iob tribulatus, qui dicebat. *Tædet animam meam vitæ meæ*. Iob 10. Sitiunt enim laborantes, & ſicut cerui dum venantur aquas, ita ſancti ſitiunt ad Deum fontem viuum. Sic Maria laboribus & opprobrijs multis in ſæculo agitata, vt ſcribit Ignatius ad Ioanné, de opprobriis ſcribarum & phariſæorum quæ patiebatur. Ideo non eſt mirum ſi æſtuabat ad illam cœleſtem patriam. Tertio ex optimo cœleſtium guſtu. Languens enim non niſi corde ore, & oculis ſe iuuat cõmuniter. Sic anima ſancta ex toto corde diligit Deum, non de alio loquitur, non ad aliud aſpicit, ſemper Deũ habens prę oculis. Sic Maria ita guſtauit cæleſtia, quod hęc terrena ſibi amara fuerunt. Vnde Seneca teſte. languentis eſt ſtomachi plurima deguſtare, & in nullo delectari. Plurima enim in mundo vidit, & in nullo delectabatur, dicens illud Pſalm. *Renuit conſolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus ſum*. Pſal. 76. Similiter oculi eius ſemper ad Dominum. Si enim Martinus ex dilectione Dei legitur ſemper habuiſſe oculos erectos in cœlum, quanto magis Maria, quæ amplius in dilectione excelſit. Similiter corde ſemper conuerſatur in cœleſtibus. Illic enim conuerſatur, vbi cognoſcebatur. Tunc auté in terris minime cognoſcebatur, ſed Angelis erat familiaris. Non enim dicit Euangeliſta quod turbata ſit in viſione Angeli, ſed in ſalutatione eius. Quarto procedit ex nimia bibitione aut repletione gratię, ob quã omnia faſtidit homo momẽtanea bona, ſicut qui repletus eſt cibo omné alium faſtidit. Sic enim ſæpe cauſatur febris cõtinua propter nimiã repletioné. Quidã auté quãdoq; habẽt hũc amoris caloré quaſi febrẽ tertianam, qui ſcilicet in tempore credũt & in tempore tentationis recedunt, quidam quaſi quartanã, qui poſt annũ, vel duos torpent, ſed languent amore, quaſi febre continua quorum calor inoſſatus eſt, iuxta illud: *De excelſo miſit ignẽ in oſſibus meis*, Thren. 1 quorum bibitio cœleſtis dulcedinis lachrymam venire facit ad oculum, ſicut in illo, qui dicebat: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte*. Pſal. 41. Sic Maria cæleſtis patrię deſiderio, ita æſtuabat, quod ſe continere non valebat, quin per caminum oris, ignis ſanctorum ſuſpiriorum, & deſideriorum exiret ad dilectum.

Ad tertium dicitur, quod non debet eſſe mirum ſi Maria ſic langueret amore filij ſui, quoniam fortis erat vt mors eius dilectio, & hoc patet octo modis. F Maria amor fortis erat vt mors. Primo quia mors, ita fortis eſt quod nullum eſt tam forte vinculum quin facile diſrumpat, vt vinculum amoris vxoris & viri, vinculum patris & filij, & vinculũ adhuc fortius corporis & animæ. Sic Mariæ amor ita fortis fuit, quod propter amoré Domini omnia terrena mundi vincula dirumpens omnem concupiſcentiã abiecit, vt ipſi ſoli Deo in virginitate ſeruiret, domui paternæ relinquere hæredem, & genus ampliare ſucceſſione prolis obliuiſcens, iuxta quod ſibi fuerat inſpiratũ dicẽte propheta. *Obliuiſcere populũ tuum & domũ patris tui, & concupiſcet rex decorẽ tuum*. Pſal. 44. Sic enim fuit amor eius fortis, quod propter illius regis amoré quãtuncũque fortia vincula fregit, ne teneretur, vt caſtitatis amatori occurreret. Secũdo quia ſicut nihil eſt tã forte, quod nõ morte proſternatur. (Nam vt plurimũ fortiores citius morte ſternuntur) ſic Mariæ amori nihil erat impoſsibile, ſed omnia erãt ei facilia propter dilectũ ſuum, vt puta labores in miniſtrãdo ſibi, inſequendo prædicanté, & poſt eius aſcenſioné peregrinationes, & ſimiliter opprobria quę à Iudæis patiebatur. Et ita leuia erãt, vt dicere poſſet illud Bernar. ſuper cantica. Onus meum vix eſt vnius horæ, & ſi plus eſt, non ſentio prę amore. Non enim oneroſi videntur labores amantium, ſed etiam multum delectabiles, vt patet in venatoribus & aucupibus, qui maximos labores in feris capiendis nihil reputant propter amo-

amorem quo ducuntur. Inde dicebat August. super Canon. Ioan. Homil. 4. Homo quid laboras amando auaritiã? Cum labore amatur quod amas sine labore amatur Deus. Et hoc ideo est, quia amor Dei in sanctis suis omnem laborem facilitat, vt etiam mors nihil esse videatur propter Deum. Vnde Orig. super Epi. ad Rom. Anima nostra à Christo munere charitatis accepto, etiam si tradat gladio corpus, nõ sentit vulnera carnis prę vulnere charitatis. Si hæc faciat amor diuinus succensus in amicis Dei, vt etiã mortem optent & desiderent, & ad ipsam se exponant superandã, quamuis sit fortissima, quomodo hoc non fecerit Mariæ amor diuinus multo fortior & ardẽtior? Tertio, quia mors quem semel arripuerit nullo pacto dimittere potest, aut etiã ab eo separari quin eum teneat. Sic tantus tamque fortis fuit Mariæ amor vt nullatenus à dilecto suo separari potuerit, nec etiã gladio, nec ipsa morte, vt etiã dũ lancea trãsuerberaret cor filij, penetraretur anima eius, quæ à corde ipsius nequibat auelli. Si enim viri sancti à Dei amore nulla violẽtia separari potuerunt, quẽadmodũ dicebat vnus. *Certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instãtia, neque futura, neque altitudo, neque fortitudo, neque profundũ, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro*, quod de matre Domini dicemus in qua multo plus abundauit amor? Si sic diligebat miles regẽ, quomodo nõ amplius regina? Si sic seruus Dominũ, quomodo nõ amplius mater proprium filium? Inde est quod amor Dei insuperabilis est, amor vero mundi cito destruitur. Nã (vt inquit Aug.) periculosum est viuere cũ eo à quo necesse habes separari. A terrenis enim necesse habet homo separari, ideo periculosum est in eis amorẽ suũ ponere. Quarto quia sicut mors ita fortis est quod nũquam moritur, sic Marię charitas nunquã excidit. Ac si dicat filio: *In charitate perpetua dilexi te*, sic scilicet quod etiã in morte

Rom. 8.

Hier. 31

filij sui ab omnibus derelinquebatur, si fuisset ipsius beneplacitum, parata erat mori pro eo, nec vitæ suæ pepercisset, vt visa sit dixisse cũ Dauid. *Quis mihi det, vt pro te moriar fili mi.* Si sic desiderauit Dauid pro filio peruerso & persequẽte patrem, & hoc instigante flãma amoris eius, quid dicemus de matre Domini sic honorata à filio & tali filio? Nonne desiderauit etiam amore eius mori pro eo? Quinto mors ita fortis est quod nullũ patitur viuere quãdo adest, sed statim interficiat. Sic amor Mariæ vitã mundanã secum nõ cõpatiebatur, sed ei solũ viuere Christus erat. Ille quippe amor omnẽ aliũ amorẽ extinxerat. Quod patet primo, quia diuisum cor ex toto diligere Deũ nõ potest, sed Maria ex toto corde Deũ diligebat dicens illud Ps. *In toto corde meo exquisiui te.* Non igitur amorẽ alienũ in corde suo sustinebat. Secundo quia cor diuisionẽ non patitur, ita vt si diuidatur, statim moriatur homo. Sic de illis qui diuisum cor habẽt, vt nũc Deũ nunc terrena diligant dicitur: *Diuisum est cor eorum, nunc introibũt.* Tales enim in gratia Dei diu permanere non possunt, iuxta illud: *Rubem effusus es sicut aqua, non crescas*, ideo Maria tota plena erat gratia, vt nulla eius cordis particula vacua relinqueretur, igitur nullũ alium amorẽ secũ compatiebatur. Tertio quia Gloss. dicit super illud: *Nolite diligere mundũ.* Vnũ cor duos sibi aduersarios amores non capit. Hinc Cyprianus ait: Mundi amor & Dei pariter in vno corde habitare non possunt, quemadmodũ oculi pariter cælũ & terrã nequaquam aspiciunt, sed Maria erat tota plena amore diuino, igitur mundanũ amorem sibi contrarium non capiebat. Quarto, quia dicit Bernardus in Epist. ad Fulconem. Non potest quis semel calicẽ Christi & calicem dæmoniorum bibere. Sicut enim ignis & aqua simul esse non possunt, sic spirituales & carnales delitiæ in eodem se non compatiuntur. Vbi enim crapulã ructantis inter pocula senserit Christus, vina sua dulciora super mel & fauum propinare non dignatur. Cum

2. Re. 18

Psa. 118

Osee 10

Gen. 49.

G

Amor Dei & mundi non se compatiuntur.

1. Ioan. 2

Cum igitur Maria continue calicē Christi biberet cogitando labores & sudores quos sustinebat pro genere humano, nullo modo bibit de calice dæmoniorum, de amore, scilicet voluptatis & mundi. Sexto mors sic fortis est, vt vno ictu hominem diuidat in duas partes, quarum alteram mittit in cælum si fuerit iustus qui mortuus est, alterā vero, scilicet corpus quantumcumque validū prosternit in terram. Sic diuinus Mariæ amor sic diuidebat eam vt corpore in terris peregrinante, anima sursum in cœlestibus habitaret. Amor enim eius ignis erat, imo
4. Reg. 2 currus ille igneus qui Elyam rapuit in cęlum, in hoc differens ab amore terreno, quia terrenus amor viscus est spiritualium pennarum. Hinc Gloss. super Psalm.
Psa 121 *Alligata anima terreno amori viscum habet in pennis, volare non potest*. Sic diuinus amor ad cœlestia iustorum mentes eleuat, adeo vt conuersentur in cælis. Quanto magis Mariæ amor, quæ tota cælestis erat? Sicut enim ignitū ferrū alteri ignito facile cōiungi potest, sic Mariæ cor ignitum facile iungi & trahi potuit sursum, ad cælestia ab igne amoris filij sui. Non autē sic nos, qui amore & deuotione frigidi sumus. Nam frigidum calido vix iungi potest. Ideo nec nos conuersari cum Deo, nec ascendere cum eo volumus, sed vsque ad mortem quantum possumus resistimus
H & differimus. Septimo mors nec amicis
*Maria amor in bonos & malos se diffundit* nec inimicis parcit, sed omnes indifferenter prosternit. Sic Mariæ amor non parcebat vnigenito sibi dilecto, quin in Cruce existentem vulneraret amoris iaculo, quando se videbat Dominus non ex toto derelictum, sed illam sibi dilectam matrem præsentem. Sed nec inimicis suis pepercit, quin pro eis orauerit. Si enim Stephanus Christi imitator ita legitur fecisse, quanto magis Mariam credendum est orasse, quæ multo propius imitabatur quem multo magis diligebat. Sed nec nunc parcit, quin bonis & malis subueniat. Ratio est, quia ipsa est electa vt sol à Domino, sol autem oritur & lumen suū effundit super bonos & malos. Similiter quamdiu vitalis calor est in corpore operatur & in humores bonos & malos. Amor autem calor est animæ quo extincto nihil vitæ spiritualis reliquit in anima, iuxta illud: *Qui nō diligit manet in morte*. Et ita Mariæ amor in bonos & malos 1. Ioan. 3
suæ compassionis opera semper exercet, non amatoribus falsis similis, qui sensu compassionis nihil sentiunt aduersorum quæ amicis accidunt, de quibus Amos.
*Optimo vnguento delibuti nihil patiebantur super contritione Ioseph.* Si enim propter amorem Dei sancti viri tot & tanta operati sunt, etiam vsque ad mortem, vt si interrogarentur propter quid illa fecerunt & quotidie in claustris faciunt, respondebunt, quod propter amorem Dei, quanta putamus Mariam gessisse in amicos, & inimicos Christi, vt ipsum imitaretur qui pro amicis, & inimicis mortuus est. Et hoc apparet ex virtute miraculorum, quæ quotidie ad subuentionem hominū fiunt ab ea. Sicut enim virtus, & dispositio cordis in pulsu brachiorum per motum spirituum percipitur, sic Marię amorem per subuentiones, & misericordiæ opera, quæ quotidie nobis exhibet percipimus. Octauo mors est insatiabilis, sic quod à principio non cessat omnes indifferenter inuadere, & deglutire, nec in fortitudine sua diminuitur, imo videtur fortior, & impetuosior, quam in principio, vbi solebat homines expectare per centum vel ducentos, imo per octingentos annos, nunc vero vix expectat sexagesimum annum, & in paucis, quin eos deglutiat. Sic Mariæ amor ita insatiabilis erat, quod licet fuisset gratia plena, & super plena in conceptione filij Dei, tamen præ consideratione dulcedinis filij sui, & beneficiorum, quæ pro restauratione generis humani contulerat, non poterat satiari. Quia enim illa gustauerat, quā suauis est Dominus, qui de se testatur. *Qui edunt me, adhuc esurient*. Ideo amor Mariæ Eccl 24.
erat ille ignis, *qui numquam dicit sufficit*. Sed eam per sitim sæpe cogebat cum suspirijs Prou. 30
dicere.

dicere. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. Sicut enim fons viuus semper nouas scaturit aquas, sic filius eius qui est fons vitæ, iugiter ei ministrat de seipso delectationes nouas.

## *SER. II. IN EODEM FESTO & in ordine XLII. Per Thema præcedens, filiæ Hierusalem, &c.*

A Filiarũ quinque modi in scriptura, & quidem præsentes.

QVæritur quare Maria non alijs filiabus, quam filiabus Hierusalem mandat, vt nuncient dilecto lãguorem suum. Respondetur quod in scriptura sacra quinque modi filiarum inueniuntur. Sunt enim filiæ Babylonis, filiæ Iudæ, filiæ Tyri, filię Sion, & filiæ Hierusalem. Prima filia est filia Babylonis anima peccatrix, quæ non surgit de peccato, quæ filia licet sit pulchra exterius tamen fallax gratia, & vana est pulchritudo. Interius enim fœtor, & vermis, sicut apparuit in diuite epulone, qui induebatur exterius purpura, & bysso, sed interius omnia rodebantur vermibus. Huic beatisima virgo nonne mandabit aliquid facere? Respondebit, quod nõ. Primo, quia homines magni, & sapientes non capiunt obsequia garsionum, & miserorũ hominum nihil valentium, sed filia Babylonis misera propterea nihil mihi, & illi. Inde propter miseriam eius non est speciosa laus in ore peccatoris. Secundo magni principes non libenter accipiunt seruitiũ ab his, qui sunt in mala gratia regis. Talis est filia Babylonis anima peccatrix, quia: *Odio sunt Deo impius, & impietas eius*, propterea nullũ dabo ei onus, quia satis onerata est suo onere. Multi proinde falluntur, qui in malitia consumant dies suos, & putant in fine sibi subueniri à beata virgine. Qui licet aliquid propter eam faciant, non tamen cessant sua malitia impugnare eam, & filium eius. Non sic putent, quia nihil soluet domina ancillæ, quæ semper contradixerit eius præceptis. Sic nec talibus. Præceptum est enim vnicum virginis. *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Bene tamen continuo dicit Maria filio suo. *O fili, filia Babylonis quasi area in qua potest seminari*, bonum semen gratiæ, *tempus trituræ eius*, id est nunc tempus est, vt punias eam, & non in alio sæculo. Secundæ sunt filiæ Iudæ, id est pœnitentes, quæ peccauerunt, sed peccati pœnitentes ad Deum reuertuntur. Istæ sunt non sicut primæ, quia primę rident in peccatis, hæc tristantur de peccatis suis. *Repleuit in filia Iuda humiliatum, & humiliatam*, id est, corpus humiliatum pœna pœnitentiæ, & animam humiliatam dolore. Secundo, quia prima erat exterius pulchra, intus turpis, ista è conuerso, cum dicat illud: *Nigra sum sed formosa*, nigra exterius dolore, sed formosa interius amore. Hic mandat, & requirit à Deo earum reconciliationem dicens: *Exultent filiæ Iudæ propter iudicia tua Domine*, quæ scilicet exerces cõtra diabolum in confessione. Tertię sunt filiæ Tyri, quæ cum à peccato conuersæ sunt tribulationem multam in sua conuersatione inueniunt. Tyrus enim interpretatur tribulatio. Hæ filiæ cum sunt in aduersitate, ad virginem votis, & muneribus recurrunt. *Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur*. Et iterum: *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Aethiopum, hi fuerunt illuc.* Quartæ sunt filiæ Siõ, id est speculationis, & contemplationis quæ sunt animæ deuotæ, & iustæ, quibus loquitur interius Spiritus sanctus dicens: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es*, pulchra interius per gratiam, pulchra exterius per bonum exemplum, & honestam conuersationem, & famam. Iis Maria tria onera imponit ad contemplationem pertinentia.

Primo, vt ista inferiora relinquendo, & contemnendo egrediantur ad videndum, & contemplandum regem Salomonem. *Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem*. Secundo mandat, vt annuncient omnes laudationes suas in portis filiæ Sion, in portis, id est, in publico. Est enim porta locus publicus. Tertio, vt annunciando has laudes, filiæ Sion exultent

Luc. 16. Sap. 14. Ioan. 2. Hier. 51. Thren. 2. Cant. 1. Psal. 96. Psal. 44. Psal. 86. Cant. 1. Cant. 3.

tent in rege suo. Quintæ sunt filiæ Hierusalem filiæ pacis, filię Ecclesiæ triumphantis, quæ ipsa visione beata fruntur. Istæ sunt filiæ Hierusalem, quibus: Psal. *Non commouebitur in æternum, qui habitat in Hierusalem*, quæ hic non reperiũtur, quia nulli vident in hoc mundo pacem, sed semper lites, & guerram. Istis tanquam familiarissimis dilecto suo mandat virgo filia syon. *Filiæ Hierusalem nunciate dilecto, quia amore langueo*. Igitur & nos præsentemus illi, si forte nobis mandabit, & iniunget officium recitandi amoris sui, & gloriæ quam propter amorem nimium hodie consecuta est, salutantes eam, & dicentes. Aue. &c.

Psa. 123

Cant. 5

B Amoris Dei, & mundi differentia multiplex.

Notandum quod inter amorem Dei, & mundi multiplex est differentia. Prima est secundum Augusti libro de doctrina christiana. Inter temporalia (inquit) & æterna hoc interest, quod temporale aliquod plus diligitur antequam habeatur, vilescit autem cum aduenerit, æternum autem ardẽtius diligitur adeptum quàm desideratum. Sic Maria maximum amorem habebat, quæ iam in mundo habebat quod desiderabat, & nihil aliud præter illum desiderabat dicẽs illud Aug. Quicquid mihi præter illum est, dulce non est. Quicquid vult mihi dare filius meus totum auferat, & se mihi det. Secunda dicitur secũdum Hugonem libro de arca animæ. Inter amorem mundi, & Dei hæc est differentia, quia amor mundi in principio dulcis esse videtur, sed finem habet amarum, amor vero Dei ab amaritudine incipit, sed vltima dulcedine eius plena sunt. Quod ostendit Dominus in Euangelio dicens, omnis homo scilicet carnalis primum bonum vinũ ponit, quia in sua delectatione falsam quandam dulcedinẽ sentit. sed postquam furor mali desiderij mentem inebriauerit, tunc quod deterius est propinat, quia spina conscientię superueniens mentem, quam prius falso delectabat, grauiter cruciat. Sed sponsus noster postremo bonum vinum porrigit dum mentem quam dulcedine sui amoris replere disposuit, quadam, prius tribulationum compunctione amaricari sinit, vt post gustũ amaritudinis auidius bibatur suauissimũ proculum charitatis. Et quia Maria contẽpsit mundum dicens illud cum suis virginibus. Regnum mundi, & omnem ornatum ipsius contempsi, nec vinũ dulcedinis eius curauit, Dominus vinũ internæ dulcedinis sibi propinauit abundanter, & in ventre, & in mente. Non enim ministrauit Dominus vinum istud optimũ quousque mundiale vinũ deficeret, sicut nec filijs Israel mãna quousq; deficeret Ægypti farina. In hoc etiã fuit opinionis sui filij, qui maluit bonum vinum ad vltimum reseruari, & interim minus bonum bibere. Sicut enim fecit dilectus in cruce bibens acetum, & postmodum in regno patris bibens illud nouum gloriæ vinum, sic Maria in hoc mũdo persecutiones quãplurimas, & inundationes maris quasi lac sugebat, expectans illud vinũ gratiæ, & æternę dulcedinis. Tertia differentia, quia secundum Hugonẽ lib. de arca animæ, amor carnalis qua vinum acidum, & intoxicatum, bibentes aut in furorem vertit aut necat. Quanti enim insaniunt propter concupiscentias carnis adimplendas, quanti necantur non solum in anima, sed etiam quandoque in corpore? Vnde de hoc amore dicitur: *Fel draconum vinum eorum*. Deut. 32

Ioan. 2.

Sed secundum eundem Hugonem desiderium spirituale quasi vinum dulce suauiter inebriat secundum illud Psal. *Vinum lætificet cor hominis*, & illud Psal. *Calix meus inebrians quàm præclarus est*. Quo inebriatus Petrus nesciebat quid diceret in monte, quo imbibitus Paulus per omnia maris, & terræ pericula velut ebrius transiens, vbique se exponebat, quo inebriata Maria omnia mundi fastidiebat. Tanto enim amore languebat, vt nec temporalia ei quicquam sentimenti conferrent, more languentium quibus fastidiunt ea quibus agitur vita communis. Sic ea quæ communiter agunt mundani, & qui-

Psal. 103
Psal. 22

& quibus in mundo communiter viuitur nihil ei præ amoris languore sapiebant. Cum igitur in mundo nihil esset, quod eius amori, & languori satisfacere posset, dicere potuit filiabus Hierusalem, vt nunciarent dilecto, vt de cælo ad eam veniret remedium dicens, filiæ Hierusalem nunciate dilecto, &c.

C *Maria quantū superuixerit filio suo*

Absolutis priori sermone tribus quæstionibus circa materiam thematis, & assumptionis, hic consequenter terminandæ sunt reliquæ quinque propositæ. Prima igitur nunc absoluenda est, quam diu dimisit Dominus matrem suam languere in hoc mundo. Ad quam dicitur, quod super hoc triplex est opinio, quā diu scilicet superuixerit virgo post passionem vnigeniti sui. Prima opinio est Zepherini, qui videtur dicere, quod superuixerit vigintiquatuor annis. Quæ sic persuaderi potest, quia non legitur in scriptura sacra quin Mariæ semper impleti fuerint dies. Vnde de partu dicitur:
Luc. 2. *Impleti sunt dies Mariæ*, vt pareret, & de purgatione eius dicitur, *impleti sunt dies purgationis eius*, igitur Mariæ impleti sunt dies, vt moreretur, sed secundum Arist. 2. de generatione, naturalis periodus humana est circa septuagesimū annū igitur Maria tantum debuit viuere. Secundo, vt dicit Damas. à nullo illustrium vincitur, sed pro laude maxima dicitur de sanctis antiqui testamenti, quod obierunt pleni dierum, igitur & de Maria, hoc autē non fuisset nisi Maria tantum vixisset sicut alij. Sed in oppositum est apparētia. Nam quando aliquis pauper homo, qui habuit pauperem matrē quæ nutriuit eum dulciter, per probitatem suam, & valorem, & bella venit ad assequendum magnam terram, & dignitatem non sustineret, quod mater sua diu maneret in terra misera, sed facit eam morari in terra sua. Sic Dei filius fuit pauper in hoc mundo, se-
Psal. 39. cundum illud Psalm. *Ego autem mendicus sum, & pauper*, & habuit pauperem matrem, quæ nutriuit eum secundum humanitatem, & per probitatem suam, & bellum venit ad dignitatem, & hæreditatem cœlestem, ideo non tamdiu dimisisse videtur matrem suam in hoc mundo, sed citius eam vocasse ad gloriam suam. Et ad duo argumenta opinionis prædictæ simul dicitur, quod dies Mariæ fuerunt, & pleni & impleti. Pleni quidē gratia, & donationibus Dei vltra omnes, & qui ante fuerunt, & qui post erunt. Cantat enim Ecclesia, nec primam similem visa est nec habere sequentem, & similiter quoad meritum fuerunt à Deo impleti, vt nullius creatura dies repletionem dierum Mariæ superauerit, & in ea completa est salus, de ea completæ sunt scripturæ, & per eam lex completa est vniuersa, ideo eius dies maxime impleti sunt. Nec obstat, quod argutū est de periodo naturali, quia gratia, & gloria præueniens naturam non tollit naturæ perfectionem. Non enim perfectionis aut laudis est multum viuere in hoc mundo, licet sit desiderabile ab his, qui diligunt mundum. In breui autem tempore Maria omnia merita, omnes laudes omnium coronas in se conclusit. Ideo obijt plena dierum.

Secunda opinio fuit Milleti Fardensis Episcopi discipuli Ioannis Euangelistæ, qui scripsit eius transitū, & ostendit quomodo deprauatus est à quibusdam. Sic enim inquit. Leontius, qui nobiscum, & cum Apostolis conuersatus est, animo temerario discedens à via iustitiæ, de virtutibus quidem Apostolorū multa vera dixit, de doctrina autem eorum multa mentitus est. Sed & transitum beatæ virginis Mariæ, ita impio deprauauit stilo, vt Ecclesia Dei non solū legere noluerit sed etiam audire nefarium sit. Et postea subiunxit, quod à Ioanne audierat, qui ab ea numquam vsque ad mortē discessit, sed curam eius semper gessit, & de necessarijs semper ei prouidebat, quod anno secundo post Ascensionem Christi migrauit ad Dominum. Et huic videtur concordare reuelatio quam dixit se habuisse beata Elisabeth filia regis Hunga-

riæ. Sibi enim reuelatũ fuisse dicit, quod post passionem vixit vno anno, & tantum temporis quantum distat à passione Christi vsque ad eius assumptionem, & hæc opinio est multum verisimilis. Quia tamen beatus Dionisius libro de diuinis nominibus cap. 3. testatur se affuisse, qui tamen nondum erat tunc ad fidem conuersus. Paulus etiam creditur affuisse, vt ibidem dicit Dionisius, qui nihilominus post conuersionem suam quæ fuit per nouem menses post passionem Christi, nõ fuit Hierosolymis nisi vsque post tres annos, vt testatur ad Gal. Ideo videtur quod non ita cito obierit. Gal. 1.

Tertia ergo superest opinio medians inter vtranque, quod superuixit. 12. annis post passionem, circa quod tempus Apostoli diuisi sunt per totam terram. Nam (vt legitur in Martyrologio) beatus Traseas Episcopus apud Smirnam martyrio coronatus vnus ex antiquis, ex traditione priorum se accepisse asseruit saluatorem pręcepisse Apostolis suis, ne ante duodecimum annum ab hierosolymis descederent. Sed tunc adhuc beatus Iacobus maior non interfuisset, saltem in corpore, & anima. Nam circa annum à passione Domini octauum vel nouũ gladio occisus est in Iudæa. Vnde circa decimum octauum, vel decimum nonum annum imperij Tyberij occisus est Christus, & idem regnauit Imperator viginti tribus annis, post quem Gaius quatuor annis nondum plenis, post quẽ Claudius in cuius anno primo, Herodes Agrippa rediens à Roma cum licentia Claudij, vt complaceret Iudæis interfecit Iacobum & clausit in carcere Petrum, & sic octauo, vel nono anno martyrio coronatus est Iacobus post passionem Christi. Non tamen videtur magnum inconueniens dicere quod non interfuerit viuens in corpore. Secundum primam opinionem vixit Maria 72. annis, secundum secundam 50. Erat enim 14. annorum cum concepit Christum, & in quintodecimo enixa est eum, & Christus vixit triginta tribus annis, & sic ante passionem Christi habuit quadraginta & octo annos. Secunda questio est quare Dominus tandiu, scilicet per. 12. annos secundum opinionẽ probabiliorem dimisit Mariam matrem in ipso amoris languore, cum tamen medicus esset qui omnium curabat languores, languor autem prolixior grauat medicum. Qui igitur non cito post ascensionem suam eam secum traxit ad cœlestia. Respondetur, quod hoc factum est multiplici de causa. Primo ad instruendum Apostolos in fide, & incarnationis mysterio. Vnde de ea scriptum est: *Doctrix est enim disciplinæ Dei*, Et iterum: *Maria cõseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Erat enim libraria Christi, in qua scribebantur omnia eius arcana. Non erat autem dignum tantum collegium scilicet principum Ecclesiam, esse sine libraria. Vnde ibi inuẽtum est initiũ Euangelij Matthei de dubio Ioseph, & nuptijs Mariæ, & Lucas illic initium Euangelij sui inuenit, cum esset virgo, & notarius eius. Et si dicatur, quod per aduentum Spiritus sancti erant de omnibus istis edocti. *Nam vnctio docuit eos de omnibus.* Respõdetur, quod licet Apostoli mysterium incarnationis scirẽt per reuelationem Iesu Christi, & spiritus sancti. Maria tamen hoc sciebat per experientiam. Secũda enim (vt dicunt logici) acquiritur quandoque per demonstrationem, quandoque per experientiam, quandoque per vtrunque, licet sit eadẽ, quæ acquiritur per experientiam, & quę per demonstrationem. Christus enim ex vtero nouit omnia, postea tamen proficiebat ætate, & sapientia, & didicit ex his quæ passus est obedientiam. Nam habuit tunc experimentalem scientiã quomodo prius cognouerat de mysterijs incarnationis per experientiã docuit Apostolos, vt viderentur consonare reuelatio Spiritus sancti, & Mariæ experientia. Inde dicitur Maria illuminatrix. Quia enim in superiori ordine erat, & gradu, & dignitate, consequens erat, vt ipsa eos illu-

D Maria diu superuixit Christo propter multa.

Sap. 8. Luc 2.

1. Ioã. 2.

illuminaret. Secunda ratio est ad confirmandum & lætificandũ nouiter credentes in Christum. Quidam enim gustantes fideles bonitatem Domini Iesu veniebãt ad arborem illam videndam, quæ tulit talem ac tam suauem fructũ, & tunc ipsa confortabat eos in fide. Et hanc rationẽ tangit B. Ignatius Martyr, & Patriarcha Antiochenus ac discipulus B. Ioannis Euangelistæ scribens beatæ virginis superstitis vitæ suæ causam, vt cæteros ex se, & per se confortaret. Hoc est vt nouellas plantationes Ecclesiæ in iuuentute sua quæ rigatione indigebant, irrigaret. Tũc enim verus Ortulanus, & qui sic visus est Mariæ Magdalenę, optimas plantationes in Ecclesiæ suæ orto plantauerat duodecim Apostolos, & septuaginta duos discipulos, qui quidẽ postea ortulani plantabant plantulas paruas quas necesse erat rigari ab illa, quæ vero ortulana erat Maria, scilicet. Sed nunc plantantur in Ecclesia plantæ, ab his qui officium Ortulani non habẽt, nec sciunt rigare aut inserere. Ideo nunc ortus Ecclesiæ vertitur in desertum, vt non videantur plus nisi spinæ, & vepres plantatæ, & sub eis serpentes, & mali latitare. Tertia ratio tangitur à beatissima virgine rescribente Ignatio, & dicẽte, vt scilicet exultaret spiritus meus in Deo salutari meo, hoc est ad perfecte eum contemplãdum in hac vita. Inde est, quod hodierno die dicitur Euangelium illud: Intrauit Iesus in quoddam castellum, quia cęteris perfectior fuit eius actiua & contemplatiua vita. In alijs enim actiua & contemplatiua vita circa diuersa versantur, quia contemplatiua circa Deum, & actiua circa proximũ, sed hæc contemplatiuam & actiuam circa Deum exercuit ipsum lactando & nutriendo. Primo igitur quia suus morbus & causæ morbi referũtur, poterat prę nimio amoris languore dicere Domino in contẽplatione existẽs. Ecce dilecte vteri mei sicut ceruus desiderat ad fontes aquarũ, ita desiderat anima mea ad fontẽ vitæ peruenire, sed tibi appropinquare nõ possũ re- Psal. 41.

tenta carne: Esurit siquidẽ mater tua, refice famelicã, qui esuriẽtes reples bonis, qui esuriẽtes iubes reficere, imple quod iubes, quoniã inquietũ est cor meũ Domine donec requiescat in te. Igitur fili mi trahe me post te. Tecũ enim cor meum asportasti. Nam dixisti Mat. *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Tu vero thesaurus meus es, cũ filius bonus dicatur esse parentum thesaurus, igitur tecũ detulisti cor meũ. Quomodo sine corde posset in me viuere spiritus meus. Certe vadã, & affluã delicijs & fruar bonis tecũ, Vocabis me, & statim parata respondebo tibi, & sic operi manuũ tuarũ porriges dexterã, non sinistrã. Multi tamen male respondent, qui nihil boni fecerunt. Cũ autem moritur homo clauditur os nec loquitur quia corã iudice pergit, corã quo non verba sed opera loquuntur: *Opera illorum sequũtur illos.* Beata autem virgo erat plena operibus bonis, ideo secura, quód bene responderet, dicebat. Trahe me dilecte vteri mei, trahe me post te, ne me solam derelinquas, ne me insultatã pertranseas, quia principio per me mandasti salutes Iacob, ne inhospitatam eam dimittas, cuius caro pretiosa nouem mẽsibus requieuit in tabernaculo meo. Quod si fili mi, nõ apud te decretum sit aut beneplacitum, vt nunc fruar tua præsentia, curremus nihilominus ego, & filij mei, & filiæ meæ, id est deuoti, & deuotæ quos dedisti mihi in odorem vnguentorum tuorum. Lepus enim apud venationis expertos in locorum vestigijs per quę transit odorem dimittit quo canes persequuntur, & apprehendunt eũ. Sic in locis passionis, prædicationis, natiuitatis, sepulturæ, tormentorum, & ascensionis in quibus fuit Christus, adhuc restat odor vsque in hodiernum diem in catholicis, vt patet in sacra loca visitantibus. Currebat itaque Maria nunc in templum vbi prædicare solebat, vbi tũc adorabat in loco vbi steterant pedes eius, nunc loca martyrij sui lustrabat, nunc sepulturæ locum, nunc crucis tormentum, Matt. 6. Apo. 14

(vt placet Hieronymo) flens, & eiulās super dilectum suum, amplexabatur. Si enim Anna Thobiæ mater quę cum dolore parturiuit eū, eius absentiā flebat irremediabilibus lachrymis, quis nō credat Mariam de sui absentia filij, quem sine dolore genuit, multo plus lamentari?

Tob 5.

Si dolor erat ei de absentia filij sui paruuli nōdum inter homines cogniti, iuxta illud: *Pater tuus, & ego dolētes quærebamus te.* quātus dolor ex amore procedēs, quādo ille plenus gratia, & sapiētia apud Deū, & homines iā toti mūdo famatus ab ea in cælū ascenderat? Accedebat tandem ad locū vbi corpus Christi (qui tūc quotidie à fidelibus recipiebatur) requiescebat, & ibi quasi in Paradiso sedebat, & delectabatur dicens: *Sub vmbra illius quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo*, vbi credendum est eā sæpissime raptam in extasim. Sic enim de Magdalena legimus quod septies in die rapiebatur in contemplatione cœlestium propter eius feruentissimam dilectionem, quāto magis hoc pie credimus de ea quæ magis dilexit & magis dilecta est. Post hæc impatiens amore, eo quod iam amor modum nesciebat, celeri cursu vsque ad loca dominicæ ascensionis properabat, tuncque mente tacita & bene composita ita suum delectum alloqui poterat *In omnibus*, locis Domini mei *requiem quæsiui & non inueni ea*, & non inueniens dixit in corde meo, quod *in hæreditate Domini morabor*. Per omnia siquidem loca passionis, sepulturę, & ascensionis discurrēs quęsiui quem diligit anima mea quæsiui illum & non inueni, vocaui vt mihi esset præsens & non respondit mihi. Vos igitur o filiæ Hierusalem ciues cœlestes nunciate dilecto, quia amore langueo. Cupio dissolui & esse cum Christo, cum filio meo quem adamaui & exquisiui mihi à iuuentute mea. Primo quidem elangui timore ab eius ortu vsque ad passionem suam pauens ac tremens, cum vitā filij mei malignantium insidijs appeti viderem, deinde (proh dolor) elangui dolore maximo toto passionis tempore, dum pertransiuit gladius amarissimæ mortis eius animam meam, donec rediuiuum illum reciperem, nunc perfecta charitas foras misit timorem, nunc amore tota langueo, quo vsque dilectum qui in cœlis est teneam. Nunciate ergo dilecto, quia amore langueo. Hoc solum ei dicite, hoc solum ei nunciate. Nouit enim ad plenum quomodo meo medendum sit languori. Medico satis est vt languor infirmi nuncietur. Ad verbū vnicum cognoscet morbum & causam eius desiderium meum, cuius oculis nuda sunt & aperta omnia. Si quid conscia essem, contenta forte forem cum Maria peccatrice osculo pedum, vbi indulgentia sumitur delictorum. Sed quia omni vita mea me non reprehendit cor meum, non puto me arroganter flagitare de osculo oris gratiam gaudiorum. Assumat me propterea in cœlestibus suis, & tunc osculetur me osculo oris sui. Cum paruulum lactarem eum inter brachia mea, quotiens osculari me speciosum forma præ filijs hominum licebat? Satis quippe licebat, quia numquam faciem auertebat, nunquam matrem repellebat, sed dulcedine qua totus erat plenus matri morem gerebat. Creuit siquidē gloria, creuit ætate, creuit & maiestate, sed nihil ab illa ingenita mutatus est mansuetudine. Nihil prorsus nihil ad illum, superbiæ illius secularis eulogium. Honores mutant mores. Sublimior est, sed non superbior, gloriosior sed non dedignantior. Non propterea fastidiet matrem quam elegit, non dedignabitur creaturā, quam suis beneficijs tantopere adornauit, non repellet petentē matrem. Quapropter o vos Angelici spiritus, vt desiderium cordis mei reueletur ei, nunciate dilecto quia amore langueo.

Luc. 2.

Cant. 2.

Eccl. 24.

Iob 27.

Quomodo matris suæ languorem non curabit, qui Euangelistæ testimonio languores omniū sanat? Virtus enim de illo exibat & sanabat omnes. Vt quid sanare differet

differet matrem filius, medicus ægram, cum languor prolixior grauet medicũ? Non grauetur ergo à proclamante matre, sed languorem illum præcidat medicus, ferat ipse, ferat maternum amorem, maternum languorem præcludat, qui languores omnium tulit. Qui infirmus & debilis tam frequenter tamque deuote à meo portatus est gremio, ipse debilem & languentem matrem suscipiat, & exulem reuocet ab exilio. Spes enim quę differtur affligit animam. Non igitur præ dilatione affligat matrem, sed velociter audiat & exaudiat clamãtem. Vos igitur ciues cœlestes filiæ Hierusalem tanquam propinquæ sibi, nunciate dilecto, &c.

Tertio quæritur quo languore Maria naturæ tributum soluit. Et videtur quod languore doloris. Tum primo, quia mors Mariæ morti Christi debuit esse conformis, sicut vita eius vitæ Christi simillima fuit, sed mors Christi inter omnes fuit in dolore excessiua, igitur & mors Mariæ. Secundo, quanto complexio est tenerior & temperatior & delicatior tanto coniunctio fortior & separatio amarior, sed Mariæ complexio fuit temperatissima, igitur separatio animæ à carne fuit amarissima. Tertio inter quæcumque est maior pax ibi est delectabilior commansio, sed inter corpus & animam Mariæ fuit maxima pax, quia caro aduersus spiritum non concupiuit, igitur fuit eorum delectabilis commansio, & per consequens dura eorum separatio. In oppositum arguitur per ea quæ dilecto suo mandat in verbis thematis, nunciate inquit dilecto quia amore, &c.

E *Amor vehemẽs quatuor habet operationes quas fecit in Maria* Pro huius quęstionis decisione, vt sciamus languorem quo obijt. Notandum est quod vehemens amor solet in amãte quatuor exercere actiones, vt vult Rich. de S. Victore in quodam sermone. Primo amor vulnerat amantem. Secundo ligat. Tertio eum languere facit. Quarto defectum inducit in mortẽ. quibus quatuor gradibus Maria est inflammata. Primo vulnerat vehemens amor Dei, iuxta quod dicit sponsus Ecclesiæ. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa.* Cant. 4. Secundum enim Anselm. in Epist. de incarnatione. Amor acutus est, omnia transit, omnia penetrat, donec ad dilectum perueniat. *Vbi enim erat impetus spiritus, illuc gradiebantur animalia.* Ezech. 1. Sicut enim à vulnere exit sanguis abundantia, æstuat febre interius & clamat præ dolore exterius, sic amore Dei vulnerati loco sanguinis lachrymas emittunt & longa suspiria, desiderio & affectu ardent, ita vt opera exteriora desiderij æstum dissimulare nequeant. Sic vulnerata Maria Magdalena, vt sanguis lachrymarum à corde per oculos effueret. Sic B. Franciscus in corde, vt per stigmata exteriora interius vulnus apparet. Sic Paulus ita vulneratus est, vt nedum in mente, sed etiam in corpore Domini stigmata portaret. Sic Maria ante Filij Dei conceptionem ita diuino amore vulnerata est, vt oblita sit populum & domũ patris sui. Insuperabilis enim erat amor qui ita cor eius penetrauerat, vt neque spe prolis habendę pro populi multiplicatione, aut hęredis, aut successoris pro manutenentia domus paternæ moueri potuit, vt ab incepto virginitatis voto propter Deum desisteret, solum illũ cupiẽs solius illius amore iaculata, vt sicut insaniẽs lubricus amator relictis patre & matre amasiam sequitur, sic Maria relicta domo paterna, despectis omnibus mũdi rebus, ad Dominum tanquã ad sponsum suũ ex toto conuersa est, adeo vt Angelis sibi familiaribus dicere posset. Nũciate dilecto, quia vulnerata charitate ego sum. *Quis enim separabit nos à charitate, quæ est in Christo? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* Rom. 8. *Certe aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam propterea concupiuit rex speciem suam & eam in matrem & in amicam sibi delegit.* Cant. 8. Psal. 44. Secundo, ligat amor, qui quidẽ gradus à primo differt, quia primus penetrat mentem & affectum, vt totus currat ad amatum, sed nõ ligat mentem, id est rationem secundus

vero mentem vinculat & ligat, vt in omni cogitatu suo præsentem habeat amatũ, iuxta illud Ps. *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper.* Secũdo quia vulneratus cito potest euadere & fugere hostes, sed cum ligatus effugere non potest. Sic peccator aut quicunque homo solum vulneratus amoris aculeo sæpe ad aliud cogitandum se transfert, & aliquando amatũ effugit, eo quod non erat amoris vinculo innodatus. Sicut peccator cum deflet amore Christi sua peccata, tunc corpus eius amore vulneratur, ita vt per oculos quandoque exeat sanguis lachrymarum. Sed cito post hoc effugit amatum, & ad aliud cogitandum transit, & per hoc aliquando cadit in peccatum. Quando autẽ ligatur amoris vinculo, vt nihil cogitare possit in quo Deum non habeat præ oculis, si actus, operatio, vel cogitatio occurrens displiceat, difficile tunc vertitur in peccatum, cum mens tota vinculata sit in Christo, his vinculis ligatus erat Dominus Iesus ad columnã & ad crucem. Ferrum enim totius mundi eum tenere non potuisset, nisi vinculis charitatis alligatus fuisset Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Quibus amoris vinculis nos vult alligari dicens: *In funiculis Adæ trahã eos in vinculis charitatis.* Funiculi Adam quibus nos ligare deberet amor diuinus (nisi obesset miseria nostra) sunt bona naturæ, bona gratiæ, & bona gloriæ, quibus extrahitur omnis peccator de lacu miseriæ & de luto fæcis. Naturam enim Dominus dedit ipsi Adæ optimam, gratiam contulit, & gloriam repromisit. Ecce funiculum triplicem, qui licet difficile rumpatur, *Homo tamen*, vt dicitur: *à sæculo confregit iugum, rupit vincula, ideo adiecit super nos Dominus multiplicare vincula.* Contulit enim nobis seipsum & bona siue beneficia redemptionis, eruditionis & doctrinæ salutaris, & pro nobis pertulit mala, & in talibus funiculis charitatis & amoris captiuam duxit captiuitatẽ, quod miser est homo quem tot charitatis vincula tenere non possunt. Videmus enim

Osee 11.

F

Bona multiplicia debẽt nos trahere ad Dei amorem.

Eccl. 4.

Hier. 2.

amatores mundi ad nihil aliud cogitare præterquam ad diuitias quas amant, nec est vinculum quod eos possit retinere, quin post eas currant, non vxoris, non liberorum, non domus suæ vinculum eos detinet, & homo ad Deũ qui fecit illum, creauit, redemit per amorẽ & charitatẽ, nec ad minimũ conuerti potest. Sic enim est de carnali amore vt videat velut canẽ cum licissa ligatos concubinarium cum concubina, vt nullo præcepto nulla taxata pœna ab inuicem separentur, & miser homo tam facile separat se ab amore Dei sui. In hoc itaque amoris gradu mens adeo ligatur, vt nihil aliud quam Deũ aut propter Deum cogitet. Nec mirum, quia sicut muscæ non insident ollæ bullienti, sic nec cordi inflãmato diuino amore cogitationes immundæ. Hunc secundum amoris gradum Maria conscendit in conceptione filij Dei. Quod persuaderi potest tripliciter. Nam non minus creditur ligata per amorẽ Mariæ mens menti Saluatoris, quã vnius eorũ humanitas alterius humanitati, cũ secundũ præsupposuerit primũ. Non enim iuncta fuisset humanitas Saluatoris humanitati Mariæ, nisi prius ei mens per amorem copulata fuisset. Sed in conceptione filij Dei ligata est humanitas eius humanitati Mariæ, sicut fructus arbori, igitur à fortiori tunc ligata est mens Mariæ voluntati Christi, vt de nullo alio quam de ipso aut propter ipsum cogitare posset. Ex hoc dicunt doctores, quod postquam concepit filium Dei, nullo modo de lege posita peccare potuit. Secundo ad idẽ, quia à tẽpore cõceptionis omnia quæ agebat Maria aut cogitabat, siue actiuã vitã exercendo siue contẽplatiuã, circa personã Dei agebãtur, vbi aliæ sanctæ Virgines & Matronæ & sancti viri circa proximũ actiuã conuertunt. Maria enim tũc gerebat circa idem scilicet circa Dominũ personagiũ Mariæ & Marthæ, igitur à tempore cõceptionis perfecto amore cũ illo colligata fuit. Tertio ad idẽ hoc experiẽtia docet. Nã nunquam filiũ suum dimisit, nunc redeuntẽ

Nota.

nunc

nunc prædicantẽ nunc patientem, vt etiã in morte corã eius patibulo compareret, quod nunquã legitur mater fecisse. Manifestũ est igitur & ipsam & tunc perfecto amore cum filio fuisse ligatã, quando posuit Maria dilectum suum sicut signaculũ super cor suũ, & velut sanctum & mundũ animal ruminabat per iugem recordationẽ omnia redẽptoris beneficia, & conseruabat omnia verba hæc conferẽs in corde suo. Sic enim Christo ligata erat vt auelli ab eius cruce nequiret, & in vulneribus eius tanquam in foraminibus petræ mens eius vulnerata amore latitaret. Tertius vero amoris gradus quo languet anima amore Dei, quando non solũ ardet affectus, ligatur cogitatio, sed etiam affectu nihil præter vnum diligit, nihil præter vnum quærit, nihil præter illud ei sapit. Vnũ illud concupiscit, in ipsum suspirat, & solum est in quo requiescit & reficitur, & nihil dulcescit nisi hoc vno cõdiatur, & quicquid vltra occurrit reijcitur, & cum illud habuerit, omnia pariter se habere credit, & sine illo sordent vniuersa. Tunc enim singularis est amor qui socium nõ recipit nec in in alio delectatur sed mundus totus in cõparatione adamatũ sordescit, ita vt secundum sen-

Cant. 8. tentiã sapientis: *Si dederit homo omnẽ substantiam domus suæ pro dilectione quasi nihil despiciet eã*. Tunc enim anima omnia arbitratur vt stercora, vt Christũ lucrifaciat. Ad hunc gradum conscenderat Paulus,

Phil. 3. cum omnia detrimentũ arbitrabatur, vt Christũ lucrifaceret. Vnde Aug. loquens ad Dominũ. Minus (inquit te amat, quæ aliquid præter te amat, quod non propter te amat. Ad hunc gradũ amoris ascẽdit Maria maxime post filij sui resurrectionẽ & ascensionẽ. Si enim lãguet quãdoque lubricus amans propter libidinis ardorẽ, quę secũ multos habet annexos dolores & multas cõtrarietates habet, vt

2 Reg 13 patet de lãguore Amõ filij Dauid propter thamar sororem suam, quanto magis elãguit Maria propter pudicum amorem multo plus inflammatum & nullum habentem dolorem admixtum & nullam contrarietatem? vt vult ipsemet Arist. 7. Ethico. & in fine. 1. Thopic. de amore & delectatione habita in contemplatione primæ causæ. Secundo ad idẽ. Tunc dicitur animus languere, quãdo ligata mẽte & affectu vulnerato omnia propter Deum contemnuntur, & præter vnũ nihil vult, nihil meditatur, nihil diligit anima, nisi forte quantum exigit necessitas, sed Maria ex toto corde dilexit Dominũ, vt neque cũ eo diuitias, neque delicias, honores terrenos diligeret, sed cõtemneret, igitur amore languebat vt diceret. *Renuit consolari anima mea, memor fui* Psal. 76.
*Dei & delectata sum*. Tertio quomodo non lãgueret mater quę talis ac tãti filij mater erat. Dei siquidẽ & hominis, & cũ Deus esset & proximus in eo erat omnis amoris ratio. Cum etiam videamus patres & matres ita suos diligere filios vt omnia faciãt, omnia acquirant ad ipsos ditãdos, qui tamen nõ ita diligunt filios suos sicut gloriosa virgo filium suũ, & tamen adhuc parum eis videtur præ amore habito ad filios suos. Nõ est igitur mirũ si ex absentia filij & tãti filij lõga expectatione langueret Maria. Quartus amoris gradus est quando post languorẽ defectũ inducit, iuxta illud Psal. *Defecit in salutare tuũ anima me*, dũ æstuãtis animi desiderio nihil Psa. 118
satisfacere potest, quia ex quo metas desideriũ excessit, crescẽdi terminũ nescit, quia semper inuenit quod concupiscere possit, ita vt quicquid Deo & propter Deum faciat, illud satisfacere non potest voto suo, sed semper solicita est mẽs quid sibi fiat, vt amor ipse sit insatiabilis. Si enim auari ad hunc gradũ praui amoris perueniũt, vt insatiabilis sit oculus cupidi, vt nihil sit quod non aggrediatur pro obtinendo denario, quanto magis mens diuino amore succensa nihil est quod nõ faciat pro Dei amicitia perpetuo conseruãda, ita vt nũc fortis sit vt mors dilectio quæ homini aufert seipsum, & in alterius ius transire facit, & dura sicut infernus æmulatio, quia sicut qui est in inferno

non est in potestate sua, nec inde redire potest, sic qui vere amat Deum cum difficultate ab eius seruitio se subtrahere potest. Vnde & Cassiodorus, bonarũ rerum nulla satietas est, quæ more flagrantis incendij quãto amplius per arida ligna cucurrerit, tanto copiosius succendit. Multi tantum sunt (vt dicit Guil. Parisiens.) praui negociatores qui limitare volũt ipsum Dei amorem, quantũ ad opera præfigentes apud semetipsos quæ & quanta pro amore Dei faciẽda sint ab eis, vltra se extendere non volentes. Sed isti non attendunt quod dicitur Ioan. *Sic Deus dilexit mundum vt vnigenitum suum daret.* Immensus est autẽ eius vnigenitus. sicut vniuersalis confitetur Ecclesia dicens: Immẽsus Pater, immensus Filius. Sed dictum est à Domino, *hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos*, hoc est absque mensura, ne aliquis sibi mensuram aliquam limitet in patiendo, vel agendo amore ipsius. Qui enim bene amat Deum, nihil ei impossibile est, nihil difficile ad faciendum vel patiendum, quia secundũ Aug. lib. de verbis Domini, omnia sæua & immania, prorsus facilia & prope nulla facit amor.

G Amor veris Dei non limitatur in patiendo pro Christo.

Ioan. 3.

Ioan. 15

Nihil enim est in comparatione ad magnam fornacem quod non cito consumatur & faciliter. Sic nihil amori Dei perfecto impossibile aut difficile. Maria igitur hoc amore perfectissimo & supra quam credi potest inardescens iam prope terminum vitæ accedẽs, præ amore in seipsam deficiebat, dicens in contemplatione sua dilecto suo, velociter exaudi me Domine, quia defecit spiritus meus. Impleat me spiritus tuus, quia nihil est hic quod spiritum meum implere possit, quia iam defecit spiritus meus, in ipsis nullam inueniens requiem. *Defecerunt* insuper *oculi mei in eloquium tuum dicentes quãdo consolaberis me?* Non enim satis est oculis cordis mei, diuinis eloquijs & promissionibus pasci, nisi & visione tua consolentur. Non satis est amico vt amicum in speculo videat. Ostende te igitur matri tuæ fili, vt videaris facie ad faciem sicuti es, & salua fiet anima mea. Nam quid mihi est in cælo nisi tu solus, & à te, quid aliud volui super terram, tu es Deus cordis & mei & pars mea Deus in æternum. Dixi iterum, quod Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea. Certe vt verbis vtar Eccles. *Melior est requies æterna quam languor perseuerans*, melior etiam est dies vna in atrijs tuis super millia, illic habitabo quoniam elegi eam. Vos igitur, ô cœlestes ciues dicite dilecto, quia defecit in salutare suum anima mea, dicite *quia vulnerata charitate ego sum.* Ipse enim est qui vulnerat, sed etiam medetur, idcirco filiæ Hierusalem nunciate dilecto, &c. Dicitur secundo principaliter ad quæstionem, quod licet omnibus viatoribus huius sæculi indicta sit mortis amaritudo in transitu suo, iuxta illud Esai. *Posuisti profundum maris viam, vt trãsiret*, id est magnam mortis amaritudinem, tamen hoc Mariæ fuit priuilegium, vt pie creditur, quod sine dolore migrauit ab hoc sæculo. Patet, quia quicquid natum est inducere languorem, natum est reducere mortem, sed amor inducit languorem in Maria iuxta illud, amore langueo, igitur & mortem. Tunc enim fortis erat, vt mors dilectio. Vnde & legitur quod quædam mulier tempore Annibalis subito obuiando filio suo quem mortuum in bello & occisum credebat, præ amore subito mortua est.

Psal. 118

Eccl. 30.

Cant. 5.

Esai 50

Nota.

Cant. 8.

Præterea secundum Albert. in deuoto homine morituro sunt duo motus, vnus fortior, alius debilior, quo secundum Apostolum: *Nemo vnquam carnem suam odio habuit*, sed nutrit & fouet eam, & hic inclinat ad manendum in corpore, alius est gratiæ, & charitatis fortior ad essendum sicut Apostolus ait cum Christo per dissolutionem à carne. Naturale autem est quod motus maiores expellunt minores, vt dicit Aristot. libro de sensu & sensato. Cum igitur virgo migratura Christum vidit tanta accendebatur charitate & delectatione spiritus, vt

Ephes. 5

tus, vt naturæ motum nõ sentiret. In signum cuius Moyses propter abstractionẽ Spiritus secundũ actũ à viribus inferioribus, non sensit defectum sitis & famis quadraginta diebus & 40. noctibus, & simili modo Helyas. Si igitur delectatio spiritus & talis contẽplatio in huiusmodi hominibus tantũ abstraxerit spiritum vt nõ senserint motus passionũ in anima neq; dolorẽ, multo magis Maria abstracta fuit in contẽplatione, quę multo perfectius quã illi contẽplatur. Nec est simile de morte Christi, & de morte Mariæ, quia mors Christi debebat esse in summo satisfactoria, quia pro infinitis peccatis, ideo summe pœnalis esse debebat, nõ autem ita debuit esse de Mariæ trãsitu qui ad nullã satisfactionẽ ordinabatur. Quarta quęstio à quibus in hoc lãguore visitata est virgo Maria. Respondetur quod à quatuor generibus personagiorũ. Primo à ciuibus cœlestibus propter tria. Primo quia sciebãt eã esse summe dilectã à filio, qua propter summe quęrẽtes ei cõplacere nõ dubiũ quin in frequẽti matris visitatione complacebant, qui præcepit languentes visitare. Secũdo quia in ea delectabantur Angeli videntes in ea suam similitudinẽ impressam. Ignei enim, & inflammati apparent angeli, & ita communiter depinguntur, & ita vidit eos Helyseus & hoc similiter expressit. Psal. dicens, *Qui facis ministros tuos ignem vrentem.* Mariam autem totam inflammatam febre diuini amoris conspiciebant. Ideo nil mirum si eam frequenter ad sui delectationem visitabant. Tertio non deterioris conditionis sunt spirituales parentes quam carnales, sed carnales amici & parentes suos in languore frequenter visitant. Cum igitur Angeli affines essent beatæ virgini, cum secundum Hier. Angelis cognata sit virginitas, idcirco non defuerunt ipsi ad visitandum & consolandum eam. Hæc enim est locus flentium, id est, desolatorum, ad quem desolati habent refugium, vbi apparuit Angelus. Hæc est locus in quo venit Iacob obdormiuit nouem mensibus, in quo visi sunt Angeli ascendentes in cœlum & descendentes postea in illum locum, mutui amoris conscij, discurrentes medij inter dilectum & dilectam, vota dilectæ offerentes, referentes dona dilecti, suspiria & desideria Mariæ in conspectu altissimi deportantes, & inde ad eam gaudia referentes & consolationem. Ac si dicerent Mariæ languenti. *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed vt glorificetur filius Dei per eã.* Delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui. Si moram fecerit expecta, quia veniens veniet & enim tardabit. *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum & sustine Dominum.* Illi similiter vota eius referebant Domino dicentes, quia iam vox turturis quæ comparem suum amisit audita est in terra nostra. Tota die expandit manus suas ad te, dimitte illam, quia clamat post nos. *Respice de sanctuario tuo & vide & visita vineã istam*, vineam quidem quæ facta est dilecto tuo, scilicet vnigenito tuo in cornu olei, id est, quasi in quo diuinæ miseriç cornu reconditum est. Sed vt vult Ciprian. lib. de compũctione cordis, is amãtium mos est, vt amore suũ silentio tegere nequeant, sed necessarijs suis & charis efferunt & produnt, & flammas intra pectus cohibere non possunt: igitur inter visitandum Maria suos domesticos alloquitur super amoris languore. Libẽter enim infirmus & lãguidus nõ de alio quam de suo languore loquitur. Imperat igitur eis dicens. Filiæ Hierusalem nunciate, &c. Secũdo visitata est ab Apostolis, licet essent à Hierusalem dispersi. Ioãnes tamen Apostolis nõ lõge discessit ab ea. Missus est enim quãdoque ab Apostolis in Samariã vt patet Act. Et quod hoc sit credibile patet. Nã li. 4. Hist. Eccli. c. 19. dicitur quod post martyriũ Iacobi minoris diuino nutu & miraculo de omnibus partibus mũdi Apostoli conuenerũt in Hierusalẽ ad eligendũ ibi episcopũ, & cõmuni cõsensu elegerũt Symeonẽ cõsobrinũ Dñi filiũ cleophæ hierosolimitanum,

Marginalia: Exod. 34. / 3. Reg. 19 / H / Maria visitata est in morte à multis. / 4. Reg. 6 / Psal. 14. / Iud. 2. / Ioan. 11 / Psal. 26. / Cant. 2. / Psal. 79. / Act. 8.

tent inr rege suo. Quintæ sunt filiæ Hierusalem filiæ pacis, filię Ecclesiæ triumphantis, quæ ipsa visione beata fruuntur. Istæ sunt filiæ Hierusalem, quibus: Psal. *Non commouebitur in æternum, qui habitat in Hierusalem*, quæ hic non reperiūtur, quia nulli vident in hoc mundo pacem, sed semper lites, & guerram. Istis tanquam familiarissimis dilecto suo mandat virgo filia syon. *Filiæ Hierusalem nunciate dilecto, quia amore langueo*. Igitur & nos præsentemus illi, si forte nobis mandabit, & iniunget officium recitandi amoris sui, & gloriæ quam propter amorem nimium hodie consecuta est, salutantes eam, & dicentes. Aue. &c.

Psa. 113

Cant. 5

B

Amoris Dei, & mundi differentia multiplex.

Notandum quod inter amorem Dei, & mundi multiplex est differentia. Prima est secundum Augusti libro de doctrina christiana. Inter temporalia (inquit) & æterna hoc interest, quod temporale aliquod plus diligitur antequam habeatur, vilescit autem cum aduenerit, æternum autem ardētius diligitur adeptum quàm desideratum. Sic Maria maximum amorem habebat, quæ iam in mundo habebat quod desiderabat, & nihil aliud præter illum desiderabat dicēs illud Aug. Quicquid mihi præter illum est, dulce non est. Quicquid vult mihi dare filius meus totum auferat, & se mihi det. Secunda dicitur secūdum Hugonem libro de arca animæ. Inter amorem mundi, & Dei hæc est differentia, quia amor mundi in principio dulcis esse videtur, sed finem habet amarum, amor vero Dei ab amaritudine incipit, sed vltima dulcedine eius plena sunt. Quod ostendit Dominus in Euangelio dicens, omnis homo scilicet carnalis primum bonum vinū ponit, quia in sua delectatione falsam quandam dulcedinē sentit. sed postquam furor mali desiderij mentem inebriauerit, tunc quod deterius est propinat, quia spina conscientię superueniens mentem, quam prius falso delectabat, grauiter cruciat. Sed sponsus noster postremo bonum vinum porrigit dum mentem quam dulcedine sui amoris replere disposuit, quadam, prius tribulationum compunctione amaricari sinit, vt post gustū amaritudinis auidius bibatur suauissimū poculum charitatis. Et quia Maria contēmpsit mundum dicens illud cum suis virginibus. Regnum mundi, & omnem ornatum ipsius contempsi, nec vinū dulcedinis eius curauit, Dominus vinū internæ dulcedinis sibi propinauit abundanter, & in ventre, & in mente. Non enim ministrauit Dominus vinum istud optimū quousque mundiale vinū deficeret, sicut nec filijs Israel māna quousq; deficeret Ægypti farina. In hoc etiā fuit opinionis sui filij, qui maluit bonum vinum ad vltimum reseruari, & interim minus bonum bibere. Sicut enim fecit dilectus in cruce bibens acetum, & postmodum in regno patris bibens illud nouum gloriæ vinum, sic Maria in hoc mūdo persecutiones quāplurimas, & inundationes maris quasi lac sugebat, expectans illud vinū gratiæ, & æternę dulcedinis. Tertia differentia, quia secundum Hugonē lib. de arca animæ, amor carnalis qua vinum acidum, & intoxicatum, bibentes aut in furorem vertit aut necat. Quanti enim insaniunt propter concupiscentias carnis adimplendas, quanti necantur non solum in anima, sed etiam quandoque in corpore? Vnde de hoc amore dicitur: *Fel draconum vinum eorum.* Deut. 32

Ioan. 2.

Sed secundum eundem Hugonem desiderium spirituale quasi vinum dulce suauiter inebriat secundum illud Psal. *Vinum lætificet cor hominis*, & illud Psal. *Calix meus inebrians quàm præclarus est*. Quo inebriatus Petrus nesciebat quid diceret in monte, quo imbibitus Paulus per omnia maris, & terræ pericula velut ebrius transiens, vbique se exponebat, quo inebriata Maria omnia mundi fastidiebat. Tanto enim amore languebat, vt nec temporalia ei quicquam sentimenti conferrent, more languentium quibus fastidiunt ea quibus agitur vita communis. Sic ea quæ communiter agunt mundani, & qui-

Psal. 103
Psal. 22

& quibus in mundo communiter viuitur nihil ei præ amoris languore sapiebant. Cum igitur in mundo nihil esset, quod eius amori, & languori satisfacere posset, dicere potuit filiabus Hierusalem, vt nunciarent dilecto, vt de cælo ad eam veniret remedium dicens, filiæ Hierusalem nunciate dilecto, &c.

C *Maria quantũ superuixerit filio suo* Absolutis priori sermone tribus quæstionibus circa materiam thematis, & assumptionis, hic consequenter terminandæ sunt reliquæ quinque propositæ. Prima igitur nunc absoluenda est, quamdiu dimisit Dominus matrem suam languere in hoc mundo. Ad quam dicitur, quod super hoc triplex est opinio, quãdiu scilicet superuixerit virgo post passionem vnigeniti sui. Prima opinio est Zepherini, qui videtur dicere, quod superuixerit vigintiquatuor annis. Quæ sic persuaderi potest, quia non legitur in scriptura sacra quin Mariæ semper impleti fuerint dies. Vnde de partu dicitur:
*Luc. 2.* *Impleti sunt dies Mariæ*, vt pareret, & de purgatione eius dicitur, *impleti sunt dies purgationis eius*, igitur Mariæ impleti sunt dies, vt moreretur, sed secundum Arist. 2. de generatione, naturalis periodus humana est circa septuagesimũ annũ igitur Maria tantum debuit viuere. Secundo, vt dicit Damas. à nullo illustrium vincitur, sed pro laude maxima dicitur de sanctis antiqui testamenti, quod obierunt pleni dierum, igitur & de Maria, hoc autẽ non fuisset nisi Maria tantum vixisset sicut alij. Sed in oppositum est apparẽtia. Nam quando aliquis pauper homo, qui habuit pauperem matrẽ quæ nutriuit eum dulciter, per probitatem suam, & valorem, & bella venit ad assequendum magnam terram, & dignitatem non sustineret, quod mater sua diu maneret in terra misera, sed facit eam morari in terra sua. Sic Dei filius fuit pauper in hoc mundo, se-
*Psal. 39.* cundum illud Psalm. *Ego autem mendicus sum, & pauper*, & habuit pauperem matrem, quæ nutriuit eum secundum humanitatem, & per probitatem suam, & bellum venit ad dignitatem, & hæreditatem cœlestem, ideo non tamdiu dimisisse videtur matrem suam in hoc mundo, sed citius eam vocasse ad gloriam suam. Et ad duo argumenta opinionis prædictæ simul dicitur, quod dies Mariæ fuerunt, & pleni & impleti. Pleni quidẽ gratia, & donationibus Dei vltra omnes, & qui ante fuerunt, & qui post erunt. Cantat enim Ecclesia, nec primam similem visa est nec habere sequentem, & similiter quoad meritum fuerunt à Deo impleti, vt nullius creatura dies repletionem dierum Mariæ superauerit, & in ea completa est salus, de ea completæ sunt scripturæ, & per eam lex completa est vniuersa, ideo eius dies maxime impleti sunt. Nec obstat, quod argutũ est de periodo naturali, quia gratia, & gloria præueniens naturam non tollit naturæ perfectionem. Non enim perfectionis aut laudis est multum viuere in hoc mundo, licet sit desiderabile ab his, qui diligunt mundum. In breui autem tempore Maria omnia merita, omnes laudes omnium coronas in se conclusit. Ideo obijt plena dierum.

Secunda opinio fuit Milleti Fardensis Episcopi discipuli Ioannis Euangelistæ, qui scripsit eius transitũ, & ostendit quomodo deprauatus est à quibusdam. Sic enim inquit. Leontius, qui nobiscum, & cum Apostolis conuersatus est, animo temerario discedens à via iustitiæ, de virtutibus quidem Apostolorũ multa vera dixit, de doctrina autem eorum multa mentitus est. Sed & transitum beatæ virginis Mariæ, ita impio deprauauit stilo, vt Ecclesia Dei non solũ legere noluerit sed etiam audire nefarium sit. Et postea subiunxit, quod à Ioanne audierat, qui ab ea numquam vsque ad mortẽ discessit, sed curam eius semper gessit, & de necessarijs semper ei prouidebat, quod anno secundo post Ascensionem Christi migrauit ad Dominum. Et huic videtur concordare reuelatio quam dixit se habuisse beata Elisabeth filia regis Hunga-

riæ,

riæ. Sibi enim reuelatũ fuisse dicit, quod post passionem vixit vno anno, & tantum temporis quantum distat à passione Christi vsque ad eius assumptionem, & hæc opinio est multum verisimilis. Quia tamen beatus Dionisius libro de diuinis nominibus cap. 3. testatur se affuisse, qui tamen nondum erat tunc ad fidem conuersus. Paulus etiam creditur affuisse, vt ibidem dicit Dionisius, qui nihilominus post conuersionem suam quæ fuit per nouem menses post passionem Christi, nõ fuit Hierosolymis nisi vsque post tres
Gal. 1. annos, vt testatur ad Gal. Ideo videtur quod non ita cito obierit.

Tertia ergo superest opinio medians inter vtranque, quod superuixit. 12. annis post passionem, circa quod tempus Apostoli diuisi sunt per totam terram. Nam (vt legitur in Martyrologio) beatus Traseas Episcopus apud Smirnam martyrio coronatus vnus ex antiquis, ex traditione priorum se accepisse asseruit saluatorem pręcepisse Apostolis suis, ne ante duodecimum annum ab hierosolymis descederent. Sed tunc adhuc beatus Iacobus maior non interfuisset, saltem in corpore, & anima. Nam circa annum à passione Domini octauum vel nouũ gladio occisus est in Iudæa. Vnde circa decimum octauum, vel decimum nonum annum imperij Tyberij occisus est Christus, & idem regnauit Imperator viginti tribus annis, post quem Gaius quatuor annis nondum plenis, post quẽ Claudius in cuius anno primo, Herodes Agrippa rediens à Roma cum licentia Claudij, vt complaceret Iudæis interfecit Iacobum & clausit in carcere Petrum, & sic octauo, vel nono anno martyrio coronatus est Iacobus post passionem Christi. Non tamen videtur magnum inconueniens dicere quod non interfuerit viuens in corpore. Secundum primam opinionem vixit Maria 72. annis, secundum secundam 50. Erat enim 14. annorum cum concepit Christum, & in quintodecimo enixa est eum, & Christus vixit triginta tribus annis, & sic ante passionem Christi habuit quadraginta & octo annos. Secunda questio est quare Dominus tandiu, scilicet per. 12. annos secundum opinionẽ probabiliorem dimisit Mariam matrem in ipso amoris languore, cum tamen medicus esset qui omnium curabat languores, languor autem prolixior grauat medicum. Qui igitur non cito post ascensionem suam eam secum traxit ad cœlestia. Respondetur, quod hoc factum est multiplici de causa. Primo ad instruendum Apostolos in fide, & incarnationis mysterio. Vnde de ea scriptum est: *Doctrix est enim disciplinæ Dei*, Et iterum: *Maria cõseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Erat enim libraria Christi, in qua scribebantur omnia eius arcana. Non erat autem dignum tantum collegium scilicet principum Ecclesiam, esse sine libraria. Vnde ibi inuẽtum est initiũ Euangelij Matthei de dubio Ioseph, & nuptijs Mariæ, & Lucas illic initium Euangelij sui inuenit, cum esset virgo, & notarius eius. Et si dicatur, quod per aduentum Spiritus sancti erant de omnibus istis edocti. *Nam vnctio docuit eos de omnibus.* Respõdetur, quod licet Apostoli mysterium incarnationis scirẽt per reuelationem Iesu Christi, & spiritus sancti. Maria tamen hoc sciebat per experientiam. Secũda enim (vt dicunt logici) acquiritur quandoque per demonstrationem, quandoque per experientiam, quandoque per vtrunque, licet sit eadẽ, quæ acquiritur per experientiam, & quę per demonstrationem. Christus enim ex vtero nouit omnia, postea tamen proficiebat ætate, & sapientia, & didicit ex his quæ passus est obedientiam. Nam habuit tunc experimentalem scientiã quomodo prius cognouerat de mysterijs incarnationis per experientiã docuit Apostolos, vt viderentur consonare reuelatio Spiritus sancti, & Mariæ experientia. Inde dicitur Maria illuminatrix. Quia enim in superiori ordine erat, & gradu, & dignitate, consequens erat, vt ipsa eos illu-

D Maria diu superuixit Christo propter multa.

Sap. 8.

Luc 2.

1. Ioã. 2.

illuminaret. Secunda ratio est ad confirmandum & lætificandũ nouiter credentes in Christum. Quidam enim gustantes fideles bonitatem Domini Iesu veniebãt ad arborem illam videndam, quæ tulit talem ac tam suauem fructũ, & tunc ipsa confortabat eos in fide. Et hanc rationẽ tangit B. Ignatius Martyr, & Patriarcha Antiochenus ac discipulus B. Ioannis Euangelistæ scribens beatæ virginis superstitis vitæ suæ causam, vt cæteros ex se, & per se confortaret. Hoc est vt nouellas plantationes Ecclesiæ in iuuentute sua quæ rigatione indigebant, irrigaret. Tũc enim verus Ortulanus, & qui sic visus est Mariæ Magdalenę, optimas plantationes in Ecclesiæ suæ orto plantauerat duodecim Apostolos, & septuaginta duos discipulos, qui quidẽ postea ortulani plantabant plantulas paruas quas necesse erat rigari ab illa, quæ vero ortulana erat Maria, scilicet. Sed nunc plantantur in Ecclesia plantæ, ab his qui officium Ortulani non habẽt, nec sciunt rigare aut inserere. Ideo nunc ortus Ecclesiæ vertitur in desertum, vt non videantur plus nisi spinæ, & vepres plantatæ, & sub eis serpentes, & mali latitare. Tertia ratio tangitur à beatissima virgine rescribente Ignatio, & dicẽte, vt scilicet exultaret spiritus meus in Deo salutari meo, hoc est ad perfecte eum contemplãdum in hac vita. Inde est, quod hodierno die dicitur Euangelium illud: Intrauit Iesus in quoddam castellum, quia cęteris perfectior fuit eius actiua & contemplatiua vita. In alijs enim actiua & contemplatiua vita circa diuersa versantur, quia contemplatiua circa Deum, & actiua circa proximũ, sed hæc contemplatiuam & actiuam circa Deum exercuit ipsum lactando & nutriendo. Primo igitur quia suus morbus & causæ morbi referũtur, poterat prę nimio amoris languore dicere Domino in contẽplatione existẽs. Ecce dilecte vteri mei sicut ceruus desiderat ad fontes aquarũ, ita desiderat anima mea ad fontẽ vitæ peruenire, sed tib appropinquare nõ possũ retenta carne: Esurit siquidẽ mater tua, refice famelicã, qui esuriẽtes reples bonis, qui esuriẽtes iubes reficere, imple quod iubes, quoniã inquietũ est cor meũ Domine donec requiescat in te. Igitur fili mi trahe me post te. Tecũ enim cor meum asportasti. Nam dixisti Mat. *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Tu vero thesaurus meus es, cũ filius bonus dicatur esse parentum thesaurus, igitur tecũ detulisti cor meũ. Quomodo sine corde posset in me viuere spiritus meus. Certe vadã, & affluã delicijs & fruar bonis tecũ, Vocabis me, & statim parata respondebo tibi, & sic operi manuũ tuarũ porriges dexterã, non sinistrã. Multi tamen male respondent, qui nihil boni fecerunt. Cũ autem moritur homo clauditur os nec loquitur quia corã iudice pergit, corã quo non verba sed opera loquuntur: *Opera illorum sequũtur illos.* Beata autem virgo erat plena operibus bonis, ideo secura, quód bene responderet, dicebat. Trahe me dilecte vteri mei, trahe me post te, ne me solam derelinquas, ne me insultatã pertranseas, quia principio per me mandasti salutes Iacob, ne inhospitatam eam dimittas, cuius caro pretiosa nouem mẽsibus requieuit in tabernaculo meo. Quod si fili mi, nõ apud te decretum sit aut beneplacitum, vt nunc fruar tua præsentia, curremus nihilominus ego, & filij mei, & filiæ meæ, id est deuoti, & deuotæ quos dedisti mihi in odorem vnguentorum tuorum. Lepus enim apud venationis expertos in locorum vestigijs per quę transit odorem dimittit quo canes persequuntur, & apprehendunt eũ. Sic in locis passionis, prædicationis, natiuitatis, sepulturæ, tormentorum, & ascensionis in quibus fuit Christus, adhuc restat odor vsque in hodiernum diem in catholicis, vt patet in sacra loca visitantibus. Currebat itaque Maria nunc in templum vbi prædicare solebat, vbi tũc adorabat in loco vbi steterant pedes eius, nunc loca martyrij sui lustrabat, nunc sepulturæ locum, nunc crucis tormentum, (vt

Psal. 47.

Matt. 6.

Apo. 14

(vt placet Hieronymo) flens, & eiulãs super dilectum suum, amplexabatur. Si enim Anna Thobiæ mater quę cum dolore parturiuit eũ, eius absentiã flebat irremediabilibus lachrymis, quis nõ credat Mariam de sui absentia filij, quem sine dolore genuit, multo plus lamentari?

Tob 5.

Si dolor erat ei de absentia filij sui paruuli nõdum inter homines cogniti, iuxta illud: *Pater tuus, & ego dolẽtes quærebamus te.* quãtus dolor ex amore procedẽs, quãdo ille plenus gratia, & sapiẽtia apud Deũ, & homines iã toti mũdo famatus ab ea in cælũ ascenderat? Accedebat tandem ad locũ vbi corpus Christi (qui tũc quotidie à fidelibus recipiebatur) requiescebat, & ibi quasi in Paradiso sedebat, & delectabatur dicens: *Sub vmbra illius quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo,* vbi credendum est eã sæpissime raptam in extasim. Sic enim de Magdalena legimus quod septies in die rapiebatur in contemplatione cœlestium propter eius feruentissimam dilectionem, quãto magis hoc pie credimus de ea quæ magis dilexit & magis dilecta est. Post hæc impatiens amore, eo quod iam amor modum nesciebat, celeri cursu vsque ad loca dominicæ ascensionis properabat, tuncque mente tacita & bene composita ita suum delectum alloqui poterat *In omnibus,* locis Domini mei *requiem quæsiui & non inueni ea,* & non inueniens dixit in corde meo, quod *in hæreditate Domini morabor.* Per omnia siquidem loca passionis, sepulturę, & ascensionis discurrẽs quęsiui quem diligit anima mea quæsiui illum & non inueni, vocaui vt mihi esset præsens & non respondit mihi. Vos igitur o filiæ Hierusalem ciues cœlestes nunciate dilecto, quia amore langueo. Cupio dissolui & esse cum Christo, cum filio meo quem adamaui & exquisiui mihi à iuuentute mea. Primo quidem elangui timore ab eius ortu vsque ad passionem suam pauens ac tremens, cum vitã filij mei malignantium insidijs appeti viderem, deinde (proh dolor) elangui dolore maximo toto passionis tempore, dum pertransiuit gladius amarissimæ mortis eius animam meam, donec rediuiuum illum reciperem, nunc perfecta charitas foras misit timorem, nunc amore tota langueo, quo vsque dilectum qui in cœlis est teneam. Nunciate ergo dilecto, quia amore langueo. Hoc solum ei dicite, hoc solum ei nunciate. Nouit enim ad plenum quomodo meo medendum sit languori. Medico satis est vt languor infirmi nuncietur. Ad verbũ vnicum cognoscet morbum & causam eius desiderium meum, cuius oculis nuda sunt & aperta omnia. Si quid conscia essem, contenta forte forem cum Maria peccatrice osculo pedum, vbi indulgentia sumitur delictorum. Sed quia omni vita mea me non reprehendit cor meum, non puto me arroganter flagitare de osculo oris gratiam gaudiorum. Assumat me propterea in cœlestibus suis, & tunc osculetur me osculo oris sui. Cum paruulum lactarem eum inter brachia mea, quotiens osculari me speciosum forma præ filijs hominum licebat? Satis quippe licebat, quia numquam faciem auertebat, nunquam matrem repellebat, sed dulcedine qua totus erat plenus matri morem gerebat. Creuit siquidẽ gloria, creuit ætate, creuit & maiestate, sed nihil ab illa ingenita mutatus est mansuetudine. Nihil prorsus nihil ad illum, superbiæ illius secularis eulogium. Honores mutant mores. Sublimior est, sed non superbior, gloriosior sed non dedignantior. Non propterea fastidiet matrem quam elegit, non dedignabitur creaturã, quam suis beneficijs tantopere adornauit, non repellet petentẽ matrem. Quapropter o vos Angelici spiritus, vt desiderium cordis mei reueletur ei, nunciate dilecto quia amore langueo.

Luc. 2.

Cant. 2.

Eccl. 24.

Iob 27.

Quomodo matris suæ languorem non curabit, qui Euangelistæ testimonio languores omniũ sanat? Virtus enim de illo exibat & sanabat omnes. Vt quid sanare differet

differet matrem filius, medicus ægram, cum languor prolixior grauet medicū? Non grauetur ergo à proclamante matre, sed languorem illum præcidat medicus, ferat ipse, ferat maternum amorem, maternum languorem præcludat, qui languores omnium tulit. Qui infirmus & debilis tam frequenter tamque deuote à meo portatus est gremio, ipse debilem & languentem matrem suscipiat, & exulem reuocet ab exilio. Spes enim quę differtur affligit animam. Non igitur præ dilatione affligat matrem, sed velociter audiat & exaudiat clamātem. Vos igitur ciues cœlestes filiæ Hierusalem tanquam propinquæ sibi, nunciate dilecto, &c.

Tertio quæritur quo languore Maria naturæ tributum soluit. Et videtur quod languore doloris. Tum primo, quia mors Mariæ morti Christi debuit esse conformis, sicut vita eius vitæ Christi simillima fuit, sed mors Christi inter omnes fuit in dolore excessiua, igitur & mors Mariæ. Secundo, quanto complexio est tenerior & temperatior & delicatior tanto coniunctio fortior & separatio amarior, sed Mariæ complexio fuit temperatissima, igitur separatio animæ à carne fuit amarissima. Tertio inter quæcumque est maior pax ibi est delectabilior commansio, sed inter corpus & animam Mariæ fuit maxima pax, quia caro aduersus spiritum non concupiuit, igitur fuit eorum delectabilis commansio, & per consequens dura eorum separatio. In oppositum arguitur per ea quæ dilecto suo mandat in verbis thematis, nunciate inquit dilecto quia amore, &c.

E *Amor vehemēs quatuor habet operationes quas fecit in Maria*

Pro huius quęstionis decisione, vt sciamus languorem quo obijt. Notandum est quod vehemens amor solet in amāte quatuor exercere actiones, vt vult Rich. de S. Victore in quodam sermone. Primo amor vulnerat amantem. Secundo ligat. Tertio eum languere facit. Quarto defectum inducit in mortē, quibus quatuor gradibus Maria est inflammata. Primo vulnerat vehemens amor Dei, iuxta quod dicit sponsus Ecclesiæ. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa*. Cant. 4. Secundum enim Anselm. in Epist. de incarnatione. Amor acutus est, omnia transit, omnia penetrat, donec ad dilectum perueniat. *Vbi enim erat impetus spiritus, illuc gradiebantur animalia*. Ezech. 1. Sicut enim à vulnere exit sanguis abundantia, æstuat febre interius & clamat præ dolore exterius, sic amore Dei vulnerati loco sanguinis lachrymas emittunt & longa suspiria, desiderio & affectu ardent, ita vt opera exteriora desiderij æstum dissimulare nequeant. Sic vulnerata Maria Magdalena, vt sanguis lachrymarum à corde per oculos efflueret. Sic B. Franciscus in corde, vt per stigmata exteriora interius vulnus apparet. Sic Paulus ita vulneratus est, vt nedum in mente, sed etiam in corpore Domini stigmata portaret. Sic Maria ante Filij Dei conceptionem ita diuino amore vulnerata est, vt oblita sit populum & domū patris sui. Insuperabilis enim erat amor qui ita cor eius penetrauerat, vt neque spe prolis habendę pro populi multiplicatione, aut hęredis, aut successoris pro manutenentia domus paternæ moueri potuit, vt ab incepto virginitatis voto propter Deum desisteret, solum illū cupiēs solius illius amore iaculata, vt sicut insaniēs lubricus amator relictis patre & matre amasiam sequitur, sic Maria relicta domo paterna, despectis omnibus mūdi rebus, ad Dominum tanquā ad sponsum suū ex toto conuersa est, adeo vt Angelis sibi familiaribus dicere posset. Nūciate dilecto, quia vulnerata charitate ego sum. *Quis enim separabit nos à charitate, quæ est in Christo? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* Rom. 8. Cant. 8. *Certe aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam propterea concupiuit rex speciem suam & eam in matrem & in amicam sibi delegit*. Psal. 44. Secundo, ligat amor, qui quidē gradus à primo differt, quia primus penetrat mentem & affectum, vt totus currat ad amatum, sed nō ligat mentem, id est rationem secundum

vero mentem vinculat & ligat, vt in omni cogitatu suo præsentem habeat amatũ, iuxta illud Ps. *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper*. Secũdo quia vulneratus cito potest euadere & fugere hostes, sed cum ligatus effugere non potest. Sic peccator aut quicunque homo solum vulneratus amoris aculeo sæpe ad aliud cogitandum se transfert, & aliquando amatũ effugit, eo quod non erat amoris vinculo innodatus. Sicut peccator cum deflet amore Christi sua peccata, tunc corpus eius amore vulneratur, ita vt per oculos quandoque exeat sanguis lachrymarum. Sed cito post hoc effugit amatum, & ad aliud cogitandum transit, & per hoc aliquando cadit in peccatum. Quando autẽ ligatur amoris vinculo, vt nihil cogitare possit in quo Deum non habeat præ oculis, si actus, operatio, vel cogitatio occurrens displiceat, difficile tunc vertitur in peccatum, cum mens tota vinculata sit in Christo, his vinculis ligatus erat Dominus Iesus ad columnã & ad crucem. Ferrum enim totius mundi eum tenere non potuisset, nisi vinculis charitatis alligatus fuisset Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Quibus amoris vin-

Osee 11. culis nos vult alligari dicens: *In funiculis Adæ traham eos in vinculis charitatis*. Funiculi Adam quibus nos ligare deberet amor

F Bona multiplicia debẽt nos trahere ad Dei amorem. diuinus (nisi obesset miseria nostra) sunt bona naturæ, bona gratiæ, & bona gloriæ, quibus extrahitur omnis peccator de lacu miseriæ & de luto fæcis. Naturam enim Dominus dedit ipsi Adæ optimam, gratiam contulit, & gloriam repromisit. Ecce funiculum triplicem, qui licet diffi-

Eccl. 4. cile rumpatur, *Homo tamen*, vt dicitur: *à*

Hier. 2. *sæculo confregit iugum, rupit vincula, ideo adiecit super nos Dominus multiplicare vincula*. Contulit enim nobis seipsum & bona siue beneficia redemptionis, eruditionis & doctrinæ salutaris, & pro nobis pertulit mala, & in talibus funiculis charitatis & amoris captiuam duxit captiuitatẽ, quod miser est homo quem tot charitatis vincula tenere non possunt. Videmus enim amatores mundi ad nihil aliud cogitare præterquam ad diuitias quas amant, nec est vinculum quod eos possit retinere, quin post eas currant, non vxoris, non liberorum, non domus suæ vinculum eos detinet, & homo ad Deũ qui fecit illum, creauit, redemit per amorẽ & charitatẽ, nec ad minimũ conuerti potest. Sic enim est de carnali amore vt videat velut canẽ cum licissa ligatos concubinarium cum concubina, vt nullo præcepto nulla taxata pœna ab inuicem separentur, & miser homo tam facile separat se ab amore Dei sui. In hoc itaque amoris gradu mens adeo ligatur, vt nihil aliud quam Deũ aut propter Deum cogitet. Nec mirum, quia sicut muscæ non insident ollæ bullienti, sic nec cordi inflãmato diuino amore cogitationes immundæ. Hunc secundum amoris gradum Maria conscendit in conceptione filij Dei. Quod persuaderi potest tripliciter. Nam non minus creditur ligata per amorẽ Mariæ mens menti Saluatoris, quã vnius eorũ humanitas alterius humanitati, cũ secundũ præsupposuerit primũ. Non enim iuncta fuisset humanitas Saluatoris humanitati Mariæ, nisi prius ei mens per amorem copulata fuisset. Sed in conceptione filij Dei ligata est humanitas eius humanitati Mariæ, sicut fructus arbori, igitur à fortiori tunc ligata est mens Mariæ voluntati Christi, vt de nullo alio quam de ipso aut propter ipsum cogitare posset. Ex hoc dicunt doctores, quod postquam concepit filium Dei, nullo modo de lege posita peccare potuit. Secundo ad idẽ, quia à tẽpore cõceptionis omnia quæ agebat Maria aut cogitabat, siue actiuã vitã exercendo siue contẽplatiuã, circa personãDei agebãtur, vbi aliæ sanctæ Virgines & Matronæ & sancti viri circa proximũ actiuã conuertunt. Maria enim tũc gerebat circa idem scilicet circa Dominũ personagiũ Mariæ & Marthæ, igitur à tempore cõceptionis perfecto amore cũ illo colligata fuit. Tertio ad idẽ hoc experiẽtia docet. Nã nunquam filiũ suum dimisit, nunc redeuntẽ nunc Nota.

nunc prædicantẽ nunc patientem, vt etiã in morte corã eius patibulo compareret, quod nunquã legitur mater fecisse. Manifestũ est igitur & ipsam & tunc perfecto amore cum filio fuisse ligatã, quando posuit Maria dilectum suum sicut signaculũ super cor suũ, & velut sanctum & mundũ animal ruminabat per iugem recordationẽ omnia redẽptoris beneficia, & conseruabat omnia verba hæc conferẽs in corde suo. Sic enim Christo ligata erat vt auelli ab eius cruce nequiret, & in vulneribus eius tanquam in foraminibus petræ mens eius vulnerata amore latitaret. Tertius vero amoris gradus quo languet anima amore Dei, quando non solũ ardet affectus, ligatur cogitatio, sed etiam affectu nihil præter vnum diligit, nihil præter vnum quærit, nihil præter illud ei sapit. Vnũ illud concupiscit, in ipsum suspirat, & solum est in quo requiescit & reficitur, & nihil dulcescit nisi hoc vno cõdiatur, & quicquid vltra occurrit reijcitur, & cum illud habuerit, omnia pariter se habere credit, & sine illo sordent vniuersa. Tunc enim singularis est amor qui socium nõ recipit nec in in alio delectatur sed mundus totus in cõparatione adamatũ sordescit, ita vt secundum sen-
Cant. 8. tentiã sapientis: *Si dederit homo omnẽ substantiam domus suæ pro dilectione quasi nihil despiciet eã*. Tunc enim anima omnia arbitratur vt stercora, vt Christũ lucrifaciat. Ad hunc gradum conscenderat Paulus,
Phil. 3. cum omnia detrimentũ arbitrabatur, vt Christũ lucrifaceret. Vnde Aug. loquens ad Dominũ. Minus (inquit) te amat, quæ aliquid præter te amat, quod non propter te amat. Ad hunc gradũ amoris ascẽdit Maria maxime post filij sui resurrectionẽ & ascensionẽ. Si enim lãguet quãdoque lubricus amans propter libidinis ardorẽ, quę secũ multos habet annexos dolores & multas cõtrarietates habet, vt
2. Reg. 13 patet de lãguore Amõ filij Dauid propter thamar sororem suam, quanto magis elãguit Maria propter pudicum amorem multo plus inflammatum & nullum habentem dolorem admixtum & nullam contrarietatem? vt vult ipsemet Arist. 7. Ethico. & in fine. 1. Thopic. de amore & delectatione habita in contemplatione primæ causæ. Secundo ad idẽ. Tunc dicitur animus languere, quãdo ligata mẽte & affectu vulnerato omnia propter Deum contemnuntur, & præter vnũ nihil vult, nihil meditatur, nihil diligit anima, nisi forte quantum exigit necessitas, sed Maria ex toto corde dilexit Dominũ, vt neque cũ eo diuitias, neque delicias, honores terrenos diligeret, sed cõtemneret, igitur amore languebat vt diceret. *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei & delectata sum.* Psal. 76. Tertio quomodo non lãgueret mater quę talis ac tãti filij mater erat. Dei siquidẽ & hominis, & cũ Deus esset & proximus in eo erat omnis amoris ratio. Cum etiam videamus patres & matres ita suos diligere filios vt omnia faciãt, omnia acquirant ad ipsos ditãdos, qui tamen nõ ita diligunt filios suos sicut gloriosa virgo filium suũ, & tamen adhuc parum eis videtur præ amore habito ad filios suos. Nõ est igitur mirũ si ex absentia filij & tãti filij lõga expectatione langueret Maria. Quartus amoris gradus est quando post languorẽ defectũ inducit, iuxta illud Psal. *Defecit in salutare tuũ anima me*, Psal. 118 dũ æstuãtis animi desiderio nihil satisfacere potest, quia ex quo metas desideriũ excessit, crescẽdi terminũ nescit, quia semper inuenit quod concupiscere possit, ita vt quicquid Deo & propter Deum faciat, illud satisfacere non potest voto suo, sed semper solicita est mẽs quid sibi fiat, vt amor ipse sit insatiabilis. Si enim auari ad hunc gradũ praui amoris perueniũt, vt insatiabilis sit oculus cupidi, vt nihil sit quod non aggrediatur pro obtinendo denario, quanto magis mens diuino amore succensa nihil est quod nõ faciat pro Dei amicitia perpetuo conseruãda, ita vt nũc fortis sit vt mors dilectio quæ homini aufert seipsum, & in alterius ius transire facit, & dura sicut infernus æmulatio, quia sicut qui est in inferno non

tus, vt naturæ motum nō sentiret. In signum cuius Moyses propter abstractionē Spiritus secundū actū à viribus inferioribus, non sensit defectum sitis & famis quadraginta diebus &. 40. noctibus, & simili modo Helyas. Si igitur delectatio spiritus & talis contēplatio in huiusmodi hominibus tantū abstraxerit spiritum vt nō senserint motus passionū in anima neq; dolorē, multo magis Maria abstracta fuit in contēplatione, quę multo perfectius quā illi contēplatur. Nec est simile de morte Christi, & de morte Mariæ, quia mors Christi debebat esse in summo satisfactoria, quia pro infinitis peccatis, ideo summe pœnalis esse debebat, nō autem ita debuit esse de Mariæ trāsitu qui ad nullā satisfactionē ordinabatur. Quarta quęstio à quibus in hoc lāguore visitata est virgo Maria. Respondetur quod à quatuor generibus personagiorū. Primo à ciuibus cœlestibus propter tria. Primo quia sciebāt eā esse summe dilectā à filio, qua propter summe quęrētes ei cōplacere nō dubiū quin in frequēti matris visitatione complacebant, qui præcepit languentes visitare. Secūdo quia in ea delectabantur Angeli videntes in ea suam similitudinē impressam. Ignei enim, & inflammati apparent angeli, & ita communiter depinguntur, & ita vidit eos Helyseus & hoc similiter expresit. Psal. dicens, *Qui facis ministros tuos ignem vrentem.* Mariam autem totam inflammatam febre diuini amoris conspiciebant. Ideo nil mirum si eam frequenter ad sui delectationem visitabant. Tertio non deterioris conditionis sunt spirituales parentes quam carnales, sed carnales amici & parentes suos in languore frequenter visitant. Cum igitur Angeli affines essent beatæ virgini, cum secundum Hier. Angelis cognata sit virginitas, idcirco non defuerunt ipsi ad visitandum & consolandum eam. Hæc enim est locus flentium, id est, desolatorum, ad quem desolati habent refugium, vbi apparuit Angelus. Hæc est locus in quo venit Iacob obdormiuit nouem mensibus, in quo visi sunt Angeli ascendentes in cœlum & descendentes postea in illum locum, mutui amoris conscij, discurrentes medij inter dilectum & dilectam, vota dilectæ offerentes, referentes dona dilecti, suspiria & desideria Mariæ in conspectu altissimi deportantes, & inde ad eam gaudia referentes & consolationem. Ac si dicerent Mariæ languenti. *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed vt glorificetur filius Dei per eā.* Delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui. Si moram fecerit expecta, quia veniens veniet & enim tardabit. *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum & sustine Dominum.* Illi similiter vota eius referebant Domino dicentes, quia iam vox turturis quæ comparem suum amisit audita est in terra nostra. Tota die expandit manus suas ad te, dimitte illam, quia clamat post nos. *Respice de sanctuario tuo & vide & visita vineā istam,* vineam quidem quæ facta est dilecto tuo, scilicet vnigenito tuo in cornu olei, id est, quasi in quo diuinæ misericordię cornu reconditum est. Sed vt vult Ciprian. lib. de compūctione cordis, is amātium mos est, vt amore suū silentio tegere nequeant, sed necessarijs suis & charis efferunt & produnt, & flammas intra pectus cohibere non possunt: igitur inter visitandum Maria suos domesticos alloquitur super amoris languore. Libēter enim infirmus & lāguidus nō de alio quam de suo languore loquitur. Imperat igitur eis dicens. Filiæ Hierusalem nunciate, &c. Secūdo visitata est ab Apostolis, licet essent à Hierusalem dispersi. Ioānes tamen Apostolis nō lōge discesit ab ea. Missus est enim quādoque ab Apostolis in Samariā vt patet Act. Et quod hoc sit credibile patet. Nā li. 4. Hist. Eccli. c. 19. dicitur quod post martyriū Iacobi minoris diuino nutu & miraculo de omnibus partibus mūdi Apostoli conuenerūt in Hierusalē ad eligendū ibi episcopū, & cōmuni cōsensu elegerūt Symeonē cōsobrinū Dñi filiū cleophæ hierosolimitanum,

Exod. 24
3. Reg. 19
H Maria visitata est in morte à multis.
4. Reg. 6
Psal. 14.
Iud. 2.
Ioan. 11
Psal. 26.
Cant. 2.
Psal. 79.
Act. 8.

corporis videlicet, & animæ est induta, vt ei dici possit: *Induere vestimentis gloriæ tuæ ciuitas sancti.* Et: *Exue te Hierusalem stola luctus & vexationis tuæ, & indue te decore & honore, qui tibi à Deo est in gloria sempiterna.* Nusquam enim in terris vel tenuis habetur opinio de Mariæ corpore, multa autem corpora Sanctorum diuinitus reuelata noscuntur, propterea in terris non sineret occultari corpus matris, qui legem scripsit de parentibus honorandis. Vnde Gregorius in collecta. Nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, &c. Aut ergo nexus mortis est quid bonum vel malū. Non primum, quia bonum non deprimit, sed magis eleuat. Si secundum aut malum culpæ aut pœnæ. Non primum, quia mors non est nexus ad culpam, quia post mortem non est status culpæ, sed pœnæ. Si pœnæ, quæritur quam pœnam importet, non gehennæ, quia ad illam non nectit mors, quia multi moriuntur, qui non vadunt ad gehennam, Nec purgatorij, quia etiam multi moriuntur, qui non vadunt ad illam. Nec potest importare pœnam temporalem, quia ad illam non nectit mors, sed absoluit ab illa. Nec potest dicere pœnam mortis, quia Maria vere mortua fuit, relinquitur ergo, quod signare non potest nisi incinerationem, vt sit sensus, non potuit mortis nexibus deprimi, id est non potuit incinerari. Nisi vero statim surrexisset, incineratum fuisset corpus eius, sicut & alia corpora, igitur. Figura enim est per ligna Sethim, de quibus facta est Arca fœderis Domini, quorum natura talis est, quod à vermibus nunquam roduntur nec perforantur nec aquis submersa vnquam putrescunt, sicut alia ligna. Assumpta igitur Maria in cælum relicto corpore in terris ad filium suum sic ordiri poterat. Quandiu vixit in mundo, adhæsit anima mea post te fili, te corporaliter sequendo, te audiendo, te spiritualiter imitando. Nunc autem non satis fuit vt te sequerer, quoniam amantium amores nondum perfecti sunt, si non perfecte vniantur, inde sitiuit in te anima mea, in te quidem dormire, in te quiescere, in te perpetuo manere, qui omnia contines, omnia palmo concludis, vt quemadmodum in corpore & anima te continui ex mera tua beniuolentia, sic in gremio tuo me contineas ex tua misericordia: *Et si sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.* Primo quia licet quorundam animæ ad te sitiant, non tamē eorum caro, quæ spiritui aduersatur. Nunc autem ex singulari priuilegio quo me dotasti, caro mea, id est pars sensitiua in omnibus & per omnia rationi subiecta fuit, nec ei vnquàm quoquomodo aduersata est. Si igitur anima tanquam domina in te sitiuit quam multiplici ratione, & fortiori subiecta ei caro in te sitit, vt veniat, & appareat coram facie tua? Secundo, quia multis miserijs, & angustijs est affecta, vtpote, quæ incinerationi, & putrefactioni est subiecta. Qui autem pluribus ardoribus angustiantur, multo maiorem habent occasionem sitiendi, ideo multipliciter tibi sitit caro mea. Tertio quia non animam tuam de mea sumpsisti substantia, sed carnem tuam. *Hoc enim os ex ossibus meis & caro de de carne mea.* Ideo si anima mea sitijt ad te, multo plus caro mea. Parentes enim multum affectant in illo loco stare: vbi nouerunt alios suos parentes multum gloriosos existere. Non dedignaberis igitur ad te sumere carnem ex qua humanum plasma traxisti. Quarto, quia licet anima mea multis orationibus in te sitiuerit, & multis desiderijs, multo plus hoc ostendit caro mea, quæ per diuersas peregrinationes lassata est, per diuersas genuflexationes humiliata, per diuersas vigilias, & ieiunia assidue fatigata. Vtar igitur fili, vtar verbis Apostoli tui, & fratris mei Petri. *Iube me ad te venire,* matrem tuam super aquas huius mundi, vt maneam tecum in sæculum sæculi, vt sicut te pridem locauit, & corpus, & anima, ita & nunc, & corpus, & animam recipias.

Esai 52. Bar. 5. Exod 25. Psal. 62. Gen. 2. Luc. 5.

SER. TERTIVS IN EODEM *festo, & in ordine XLIII. Per Thema.*

Luc. 10. A Maria pauca gesta recitantur in scripturis.

MAria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Quæritur cur de gestis à Maria nihil inuenitur in scripturis sacris expressum, sed solum pauca quæ Euangelistæ recitauerunt, imo tam falsis rudimentis transitus huius virginis matris plenus est, vt etiam Hieron. & sancti viri dicant ipsum apocriphũ. Dicitur primo quo ad libellum de transitu, quod tantũ in eo aquæ, id est falsitatis hæretici posuerũt. (Nam: *Caupones tui*, id est hęretici *miscent aquã vino* sanæ doctrinæ) vt abhorreatur bonus appetitus Christiani illum legere, & ei credere. Dicitur secũdo, quod multiplici ratione pauca in scripturis expressa sunt de virgine gloriosa. Prima ratio est, vt fidelium deuotio excitetur, & exercitetur ad ea deuote inquirẽda & meditanda. Si enim pauca de ea in scriptura ponuntur, qui sunt tam magnifica, vt vix ea homo capere possit, credẽdum est eam multa alia fecisse digna memoria. Ait enim: qui edunt me adhuc esurient, id est, qui gustant opera mea adhuc esurient, amplius inquirere, & degustare, & iterum ait, qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Secunda ratio, vt nostra vana gloriatio reprimatur, quæ nostra bona opera pro magnis reputat, etiam digna scribi, cum tamen excellentissimi meriti opera plurima beatæ Virginis, imo ipsius Christi vsque ad annum eius tricesimum non sunt scripta, quasi per hoc nobis tacendo insinuet scriptura, cum omnia feceritis, dicite serui inutiles sumus. In quo reprimitur duplex nostra fatuitas. Primo, quia quæ occulte gesta sunt à nobis, volumus alijs reuelare, vt inde gloriam reportemus, cum tamen Dominus Iesus, & Maria certa virtutum opera per se sibi solis nota noluerunt manifestare, iuxta illud: *Suleat os tuũ: laudet te alienum.* Quæ vero in præsentia discipulorum vel populorum fecerunt, scripta sunt ad nostram ędificationem, vt nos similiter faciamus, & vt luceat lux nostra coram hominibus, & vt glorificẽt patrem nostrum qui est in cælis. Sed ea, quæ Apostolis vel alijs ignorantibus ab eis gesta sunt, non sunt expressa, & hoc pro nostra doctrina, vt nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Secundo apparet fatuitas, quia etiã de publice factis quærimus gloriam, & eam Deo tollentes vsurpamus. Maria vero hanc gloriam non quæsiuit, quæ multa patenter fecit, quæ tamen non sunt scripta. Ait enim: *Quia fecit mihi magna qui potens est.* Hæc enim est altera Hester, de qua eiusdem 2. cum intrare deberet ad regem, nõ petijt cultum muliebrem, sed quęcunque voluit Egeus, idem Christus Eunuchus custos virginũ hoc ei ad ornamentum dedit. Sic Mariam Christus eo ornat copiosius, quod cultũ muliebrem non quæsiuit. Non enim se vel alium voluit habere ornatorem, sed totam se commisit custodis arbitrio, à quo tam decenter ornata est, vt hodie super choros Angelorum exaltata sit, & eã prædicent omnes generationes. Tertia ratio, quia non potuerunt Mariæ gesta describi, nisi ea nota essent scriptoribus, sed Maria sic latuit in terris, quod tota fuit in cælum, sic viuebat, quod tota conuersatio sua cælestis erat. De his autem, quæ fiunt in cælestibus, & conuersatione cælestium nihil scribimus, quia ea penitus ignoramus. Inde est, quod conuersatio Domini Iesu ante annum trigesimũ, non est scripta, nec conuersatio Ioannis Baptistæ quousque inter homines appareret, quia illę conuersationes cælestes erant, & magis cælestibus tractatoribus pertinebant. Quæ vero inter homines gesta sunt homines scribere potuerunt: *Qui de terra est de terra loquitur.* Quarta ratio, vt compescerentur temerarij laudatores & adulatores, quia cum Maria esset omni laude dignissima, paucum eam laudibus extulerunt Euangelistæ, ideo cum Euangelistis temperandum est sicut à vituperio sic à laude, qui sicut Iudæ malitiam (licet maximam) breuiter prosequuntur

Esai. 1. | Luc. 1. | Hest. 2. | B Mundanorum fatuitas duplex. | Prou. 27 | Ioan 3.

quuntur, sic Mariæ sanctitatem (licet excellentissimam) paucis verbis extulerūt. Væ ergo eis qui laudari appetunt, væ nihilominus his qui laudant, & supra modum extollunt. Quinta ratio, post magnos oratores, qui præconijs rem aliquam magnam fecerunt cōmuniter silentiū imponunt ori suo minores, sed Spiritus sanctus mirificauit sanctam suam, & fecit ei magna, qui potens est. Et ita laudauit eā, quod tota illa cantilena Spiritus sancti, qui in Canticis Canticorum scribitur, ad eam videatur dirigi. Non mirum igitur si post tantum laudatorem tacuerunt Euāgelistæ. Inde dicitur Prou. *Surrexerunt filij eius*, omnis deuotus populus Christianus, *& beatissimam prædicauerunt*, & subdit causam, *& vir eius laudauit eam*, id est Spiritus sanctus, qui in fœcunditate prolis viri locum tenuit. Sexta ratio, quia maxima eius laus fuit, quod ipsa eligeretur in matrem Dei, propterea non oportuit eam laudibus cumulari, ne ad hanc gloriam prouecta magis suo merito, quam gratia videretur. Septima ratio, quia secundum Philosophum 1. Metaph. omnes homines natura scire desiderant. Cum igitur hanc naturam nobis Dominus indiderit, vt etiam de altioribus & dignioribus cupiamus plura scire, voluit Dominus de suis, & suæ matris operibus pauca nos in vita ista scire, vt mentes nostras alliciat ad patriam supernam requirendam, in qua perfectius super his quæ desideramus erudiamur. In paruis enim scholis, quæ sunt in villagijs pauca sciuntur de magnis & arduis, sed multa in vniuersitatibus. Sic de beata Virgine pauca hic, multa in cælestibus. Vt autem aliquid vel tantillum hauriamus quod interim vobis possim effundere sitiētibus, ad ipsummet fontem curramus, inclinantes cordis nostri situlam ac dicentes Aue.

*Prou. 31*

Quæritur cum in Euangelio, Intrauit Iesus in quoddam castellum, nulla fiat mentio de Virgine, cur in Assumptione eius legatur. Respondetur, quod mysterium excellentiæ virginis, & meritū propter quod hodie excellenter sublimari meruit, declaratur in præfato Euangelio. Primo quia mystice ipsa fuit castellum in quod intrauit filius Dei veniens in hunc mundum, in quo fuit optime hospitatus. Et inde (vt dicit Bernardus) sicut beata virgo excellentissimum hospitium exhibuit Domino in incarnatione, ita versa vice exhibuit ei Dominus excellentissimum locum in cælo in Assumptione super Choros Angelorum. Secundo, quia in hospitio Dominus duas sorores Martham, & Mariam inuenit, vt per Martham actiua, per Mariam contemplatiua vita designetur, sed excellentius contemplatiuam, quæ est potissima pars, sicut deducetur, ita vt merito de ea dici possit. Maria optimam partem elegit, &c.

Primo exponetur Euangelium. Secundo applicando virgini dicetur quomodo Dominum recepit in suo hospitio. Tertio quomodo vice versa hodie recepta est in hospitio Dei in sua Assumptione.

C

*Euangelium, intrauit Iesus, exponitur dupliciter.*

Igitur quo ad primū potest Euangeliū mystice exponi dupliciter, Vno modo de duabus partibus ciuitatis, quarū altera est populus altera vero Ecclesia. Per Marthā enim quę vitę & solicitudini tēporali inhæret intelligitur & populus solicitudini seculariū deditus, in quē intrat Iesus sicut in Castellū, quia in eo cōmuniter nō est vnio nec cōcordia, & ideo meretur dici Castellum non ciuitas, quia semper murmurat aduersus Ecclesiam, quæ sedet secus pedes Domini, id est circa mysteria concernentia humanitatem Christi, dicens illud, Domine non est tibi curæ, &c. Vult enim populus, vt Ecclesia sit subiecta, sed Dominus pro Ecclesia respondet. Martha Martha solicita es, &c. Bis nominat propter duos diuersos status secularium, scilicet plebeiorum, & nobilium. Soliciti quidem sunt alij ad opera & negotia: alij ad tuitionem populi, sed Maria id est Ecclesia optimam partem elegit, scilicet esse extra solicitudinem sæculi, quæ non auferetur ab ea. Secundo per duas sorores intelliguntur

telliguntur vita actiua, & contemplatiua. Et secundum hoc in Euangelio multæ sumi possunt doctrinæ. Prima in principio cum dicitur, quod intrauit Iesus in quoddam Castellum, &c. Per hoc enim intelligendum est, quod si Iesus alicuius conscientia intrauerit, inde prauitas vitæ (si ibi fuerit) excluditur, & duplex ista vita introducitur, & inter eas Christus medius. Sic Maria vicijs plena, & peccatis mortua prius fuerat, sed intrante Iesu domum, id est conscientiam prauitas vitę eliminata est, & duplex vita introducta. Inde Greg. 6. Moral. super illud Iob. Ingredieris in abundantia sepulchrum. Vir quippe perfectus in abundantia sepulchrum ingreditur, quia prius actiuæ vitæ opera congregat, & postea carnis sensum per contemplationem mortuum huic mundo funditus occultat. Vnde & apte subditur, sicut infertur aceruus tritici in tempore suo. Actionis namque tempus primum est, cōtemplationis extremum, hinc necesse est, vt perfectus quisq; prius virtutibus mentem exerceat, atque hanc postmodum in horreum quietis abscondat. Prius enim mens desudat in opere, si postmodum refici debeat in contemplatione. Inde est, quod Iacob pro Rachel seruiuit, & eam accepit, eique dicitur, nō est consuetudinis in terra nostra, vt minores ante tradamus ad nuptias. Gen. 29.

D *Actiua vita necessaria est quandoque.* Secunda doctrina est, quod actiua vita non est reprobanda, quia etiam actiuę vitæ seruientes Dominum suscipiunt, in signum cuius Martha excepit illum in domum suam, imo quandoque necessarium est insistere actiuæ. Tum propter necessitatem vel vtilitatem proximi. Vnde licet graue fuerit Iacob ab amplexu Rachelis ad amplexus Lyæ lippæ transire, graue Moysi à facie Dei recedere, & à monte descendere cum populus peccasset, graue etiam fuerit Iacob Dominū relinquere, nisi aurora, id est tempus operandi instaret, graue quoque Mariæ respondere Marthæ, & ab osculis pedū Domini Iesu cessare, & melli fluam doctrinā eius interrumpere, graue similiter menti contemplatiuæ à claustro discedere, tamē propter vtilitatem nostrā Dominus descendit de cælo. Sic vir iustus à cōtemplatione ad actiuam quando exigit vtilitas proximi. Tum etiam propter necessitatē vitæ vel otij vitandi. De primo sunt exēpla in vitis patrum. Dicitur enim ibi, quod quidam frater visitauit Abbatem Siluanum, qui videns fratres operantes manibus ait, operamini cibum, qui non perit, & consequenter, Maria optimam partem elegit, quem propterea Abbas reclusit in cella tradens ei librum in quo legeret. Cum autem vsque ad nonam ieiunans non vocaretur ad refectionē, quęsiuit an ne comedissent fratres. Respondit Abbas tu spiritualis es, non indiges hoc cibo temporali, non carnales indigemus, & comedimus, & ideo laborare habemus necessario. Quo compuncto Abbas intulit, ergo necessaria est Martha Mariæ. Aliud exemplum de Abbate Ioāne, qui volens esse sicut Angelus in cælo, relicto fratre maiore in cella secessit in interiorem eremum, vt ibi continue Deū laudaret, sed fame cogente post dies octo rediit ad cellam prædictam, quo pulsante ad ostium, & dicente se esse Ioannē. Respondit frater: Ioānes Angelus factus est, & inter homines iam non est. Tandem tamen aperiens dixit ei. Si homo es: necesse habes operari, vt viuas, si Angelus, quod quæris intrare cellam? Ad quod verbum pœnituit. Similiter posuit Dominus Adam in loco voluptatis vbi nulla erat penuria, vt operaretur quanto magis nos in loco penuriæ debemus fortius operari. Gen. 2. Pro secundo legitur exemplum de Antonio, quod cum oraret Dominū, vt ostenderet ei quomodo saluaretur, vidit Angelum sibi similem orationi incūbentem, & post ad opus manuū surgentem, & hæc successiue facientem dicentē sibi, fac hoc & saluaberis. Figura habetur Exod. quia quamdiu Moyses manus leuabat, Amalech vincebatur, quamdiu deprimebat victor erat. Sic operibus assiduis Exod. 17

duis diabolus vincitur: remissis autem & dimissis vincit. Vnde Math. *Intrat spiritus immundus domum vacantem.* Mat. 12

Tertia doctrina, quod non immerito dicitur Maria sedere, Martha stare. Qui enim sedet à renibus, & infra quiescit, & supra erigitur, & laborat, quia contéplatiuus à cura secularium, & vitijs per sanctum quiescit otium, mente tamen laborat quam erigit ad contemplationem cœlestium. Qui stat, totus ad pugnam erigitur, & laborem. Martha igitur stat, quia vita actiua in laboribus desudat, & certamine. Ait autem Domino, non est tibi curæ, &c. De superflua familia nos arguant sorores istæ, quæ nec seruum, nec ancillam habebant, sed sola Martha seruiebat, Dominus quoque nec coquum, nec seruientem alium adduxerat. In his figurat eos Martha, qui non experti dulcedinem contemplationis diuinæ, Deo magis placere existimant officia fraternæ dilectionis exercendo. Dominus autem respondet, pro Maria, & qui iudex fuerat interpellatus à Martha, factus est aduocatus pro Maria dicens: Martha, Martha. Repetitio nominis indicium est dilectionis, solicita es, & turbaris. Non enim sine turbatione est solicitudo, quæ versatur erga plurima, & qui circa plurima solicitus est diuisus est. Ex quibus verbis sumi potest.

E *Religiosi nimium insistentes temporalibus culpantur.*

Quarta doctrina, vt scilicet in eo, quod Maria cum à sorore traheretur in causam non respondit, & ideo Dominũ meruit habere aduocatum, signatur quod si religiosi cœlestium contemplationi intenti essent, nec de temporalibus curantes silerent, si pro eis in causam traherentur, vel iniurijs afficerentur Dominus pro eis per virtutem, & miracula allegaret, & silentium aduersarijs imponeret. Sed iam cõtemplatiui relinquunt pedes Domini, id est optimam parté quam elegerunt, ideo non solũ in causam respondent, sed Martham varijs causis solicitãt. Vnde Rachel non lippitudinem, sed mãdragoras à Lia postulauit, hoc est opera bonæ opinionis Gen. 30.

non exercitium litis. Non enim fœditatis lippitudinis, sed fœcũditatem bonæ operationis deberent considerare. Iam enim ordo claustralis certat pro argenteis, qui dati sunt Saræ in velamen oculorum, id est, pro temporalibus quibus velantur oculi ne cœlestia contemplentur. Sed hęc data sunt Saræ in verecundiam. Et certe magna verecundia est cum Christus, & Apostoli temporales diuitias contempserint, quod illas tanto cum affectu amplectentur. Iam corui crocitant pro cadauere, iam pro musca pugnant araneæ, iam apes cæli, quæ solebant à floribus odoriferis mel colligere contemplationis, efficiuntur scarrabones vespere se immergentes in sinũ luxuriæ, & cupiditatis. In quibusdam locis contemplatiui fatui, & inutiles reputantur, sed qui sciunt fodere & arare, & terrena acquirere benefici vocantur. Non enim quærunt in Abbaté bonum monachum, sed qui sciat terras congregare, & bonum terrenũ quærere, & cum huiusmodi temporalia sint stercora Pauli, talem quærunt qui sciat bene curare latrinas, imo tales, qui finũ sciant in arcam, id est in Ecclesiam vel claustrũ reponere, cum huiusmodi per campos, id est pauperes dispergi deberet. Iamque in quibusdam locis tantum fœtet fimus in claustris, & in arcis religiosorũ, quod Dominus cum sanctis fœtorem horrens non ingreditur, sed turpius fugatur. Tales potius sunt, Ægyptij qui terram fodiunt, quia aquam dulcem non habent, sed sanguinem inueniunt. Sic qui in terrenis fodiunt non ibi Christum, sed sanguinem peccati inueniunt. Si claustrales tali sanguine viuere possunt, cum Iudæis introibunt inferiora terræ, tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt. Gen. 20.

Quinta doctrina quod pars Mariæ quę fuit audire verba Christi præfertur parti Marthæ quæ seruiebat Domino, innuitur in hoc quod melius est verbum Domini audire quã ministrare pauperibus quantumcumque bonis. Quis enim meliores posset recipere pauperes quam Martha

receperat, ſcilicet Ieſum, & diſcipulos eius? Nec mirum ſi melior eſt pars Mariæ cum longe excellentius ſit paſcere mentem ſemper victuram, quam ventrem cras moriturum, mentem non tantum alienam, ſed etiam propriam. Et ita ſi nihil aliud ſcriptum eſſet in diuinis codicibus, quod ad audiendum verbum Dei inuitaret, iſtud teſtimonium veritatis & ſapientię ad eiuſdem verbi amorem omnibus ſufficere potuiſſet.

F *Contemplatiuā eſſe perfectiorē actiua probatur ex tribus.* Sexta doctrina, quod ex ſententia infallibilis iudicis contemplatiua eſt perfectior actiua. Ait enim Maria optimā partem elegit, & hoc probatur ex tribus, ſcilicet ex vnitate, neceſsitate, & duratione. Prima duo tanguntur ibi, porro vnum eſt neceſſarium. Tertium ibi quæ non auferetur ab ea. Primo enim valde commendabile eſt in vna manſione vel hæreditate cum vineæ agri, & cætera ſimul ſunt. Contemplatiua in vno habet omne *Exod. 14* bonum: *Ego oſtendam tibi omne bonum*, & tenet iuxta fontem dulcedinis diuinæ, ſicut ille, qui dicebat: vnam petij à Domino. Actiua vero diſpergitur guttalē dulcedinem quærens in creaturis. Inde Auguſt. anima humana delectationis auida, cum rerum qualitate ſatiari non poſsit, rerum varietate ſatiari deſiderat. Secundo id quod elegit Maria neceſſarium eſt. Primo ad viuendum, quia ſi ſubtraheret ſe in nihilum redigerentur omnia. Se- *2. Cor. 3* do ad bene viuendum, quia: *Non ſumus ſufficientes, ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, & cum cogitare primum bonum opus ſit, ad illud non poſſimus, multo minus ad alia. Tertio ad beate viuendum, quia ſecundum Auguſtinum, nemo poteſt eſſe beatus, niſi bono maiori ſe. Tertio durabile eſt non ſicut temporalia bona quæ cito auferuntur, quod nunc incipit habere hic contemplatiua, ſed perfectius habebit in patria. Quod enim nunc contemplatiua ſpeculatur per fidem, tunc videbit per ſpeciem, vbi ceſſabit actiua.

*SERMO IIII. DE EODEM FESTO, & in ord. XLIV. Per The. præcedens.*
*Maria optimam partem elegit. &c.*

INterrogabat quidam ſolennis doctor, quid eſt quod hodie de mundo non ejicimur, ſicut Adā de paradiſo propter vnum peccatum eiectus eſt, & tamen nunc tot peccata facimus. Cur aquis non ſubmergimur per diluuium, cum luxuria peramplior regnet. Cur lingua non confundimur, cum maior ſuperbia & tyrannis vbique regnet. Cur igne non incendimur ſicut filij Iſrael in deſerto, cum tamen pluſquam illi præcepta tranſgrediamur. Nullum enim vitiū ceſſauit, ſed continue omnia deteriora fiunt, quare ergo differt Deus punitiones ſuas magis quam olim? Reſpondet idē doctor, quod hoc ideo maxime putat, quia nobis nunc compatitur Maria in cælum aſſumpta, & ſuis precibus nos ſubleuat, vtpote qui optimam partem elegit, ſcilicet miſereri ſemper & parcere. Ait enim Dominus, ceſſante ira eius poſt diluuium. *Arcum meum ponam in nubibus cæli, in ſignum fœderis inter me & te.* Arcus iſte Maria eſt à quo nobis pluunt gratiarum abundantiæ, qui hodie non ſolum in nubibus cæli, ſed in ipſum cælum poſitus eſt, in ſignum fœderis inter Deum, & genus humanū. Vnde & tempore B. Dominici cum ipſe vellet diſperdere mundum, obuia fuit mittens prædicatores per orbem ad conuertendum peccatores. Figurata enim eſt per Heſter. Cum enim Aſſuerus diſperdere vellet populum, iram Aſſueri mitigauit, & ne populus deleretur impetrauit. Hinc Auguſt. in ſerm. de Aſſumpt. qui incipit, multæ filiæ congregauerunt diuitias. Niſi tanta interceſsione mundus fulciretur, iuſto Dei iudicio ſubuerſus iam fuiſſet, ſicut olim Sodoma & Gomorrha diuino igne perierunt, & ſicut populus Iudaicus in deſerto cęleſtibus plagis abſorptus eſt. Ecce enim eædem iniquitates quæ illis erant cauſa perditionis multo amplius per vniuerſum mūdū multiplicatæ ſunt.

*A Maria maxime ſuſtinet vitam mundi ſuis precibus.* *Gen. 9.* *Gen. 19.*

Ecce

Ecce quomodo suis intercessionibus vitā sustinet mundi. Præterea, sua potestate præseruat à ministris iræ Dei. Sicut enim puer timens canē fugit, & clamat ad matrē, sic vehementer tentatus timens morsum diaboli, cito currit ad matrem Dei, & nostram, dicens ei illud quod Iosaphat. 2 Paral. 20. *In nobis quidem non est tanta fortitudo, vt possimus huic multitudini resistere, qui irruit super nos, sed cū ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* Psal 56. Dicamusque ei illud Ps. *In vmbra alarū tuarum sperabo, donec transeat iniquitas diaboli.* Alæ eius sunt virginitas quę incendium luxuriæ, & humilitas quæ ventū superbiæ extinguūt. Inde in litania eā tripliciter inuocamus, & differenter dicendo, sancta Maria, sancta Dei genitrix, sancta Virgo virginū, ora pro nobis, contra triplicem pestem vitiorū, qua nos inficit diabolus. Primo inuocamus Mariā, quæ interpretatur maris stella, illuminās noctem, & quæ modica est in comparatione ad terram, contra superbiā quæ hominem excęcat. Secundo Dei genitricem appellamus piam & misericordē, contra auaritiæ crudelitatem. Tertio Virginem virginum contra luxuriæ immunditiam. Hæc enim est Iudith quæ sola potuit occidere Olofernē, & liberare populū suū. Iud. 13. Vnde dicitur: Quod luna sub pedibus eius luna, id est diabolus, quia: Apo 12 Eccl 27 *Stultus, vt luna mutatur*, de claritate paradisi in obscuritatē inferni, & de dignitate Angeli in miseriā diaboli. Tertio quia licet peccatores cōuersi sint à Deo, iuxta illud: Psal 76. *Hæc mutatio dexteræ excelsi*, id est bonæ manus Dei, tamen ipsa suis precibus erga Deum validissimis est eorū mutationis causa dicens filio: Prou. 12 *Vere impios, & non erunt*. Inde in Cāticis de feris & montibus dicitur coronari, & postea in Apocaly. de stellis, quod non est aliud nisi quod feræ, id est peccatores bestialiter viuētes, & montes, id est superbi fiunt stellæ Mariæ precibus, id est magni viri & sancti, vt sicut ex lapidibus Matt. 3. virtute Dei creantur, & suscitantur filij Abrahæ, sic de bestijs precibus eius fiant stellæ. Sępe enim vbi abundauit delictum superbundat & gratia. Præterea, ante assumptionē Mariæ in cælum aduocata nostra separata erat à nostro iudice, cū ille sederet ad dexterā patris, & ipsa adhuc maneret in terris, ideo multas causarum nostrarū, defectu aduocatę nostrę, perdebamus, & propterea miseris nobis vtile erat vt mediatrix nostra inter nos & filiū immediate iudici assisteret. Quod Psal 44. in assumptione factum est, quando astitit regina à dextris eius in vestitu deaurato, id est in corpore glorificato, vt ei valeat ostendere ventrem, qui eum portauit, & vbera quæ eum lactauerunt, quæ mirabiliter (teste Bernardo) in cælis pro peccatoribus intercedunt & perorant, & persuadent, ne iustitia diuina conterātur. Hinc Esa. *Delectabitur infans ab vbere.* Esai 11. Et ita, ne sicut olim percutiat, decentissime posita est Regina misericordiæ iuxta solem iustitiæ, nubes soli opposita, ne nos rectitudo radiorum eius lædat. Vnde & Cantic. *Paululum cum pertransissem eos*, scilicet An- Cant. 3. gelos in assumptione mea, *Inueni quem diligit anima mea, tenui illum*, quia perpetuo cum eo ero, & ipse mecum, *nec dimittam eum ferire*, peccatores sicut meruerūt. Ad eius igitur misericordiā recurramus, &c.

Nunc restat dicere. Primo quomodo Maria iuxta tenorem Euangelij primo Dominum recepit in hospitio suo, secundo quomodo hodie recepta est in hospitio Dei.

B Pro primi elucidatione videndum est in primis quomodo Maria fuit castellum Maria castellū Christo. Christo. Est enim castellum locus refugij in quo se recipiunt pugnaturi. Sic in ea Christus se recipit propugnator ve- Esai. 63. niens ad saluandum, & ad debellandum fortem qui custodiebat atrium. Consue- Luc 11. tudo enim guerrariorum est, quod quādo aliquis cupit inuadere regnum alienum vel sibi ablatum regnum acquirere, primo sibi quærit, vel præparat refugium opportunum. Sic & Christus virginem gloriosam, de cuius securitate dicit Salomon: *Confidit in ea cor viri sui.* Prou. 31

Hoc

Psal. 90. Hoc etiam dicit Psal. *Altissimum posuisti refugium tuum, non accedet ad te malum*, secundum Ansel. castellum dicitur quælibet turris, & murus in circuitu eius, quę duo sese inuicem defendunt, ita vt hostes per murum ab arce, & à muro per arcẽ tueãtur. Tale castellum fuit beata virgo quã virginitas corporis, & mentis ita vallauit vndique, vt nullus vnquam esset libidini accessus nec sensus eius aliqua corrumperetur illecebra. Et quia virginitatem cum libido non possit, solet impugnare superbia. fuit in eadem virgine turris humilitatis quæ à muro virginitatis omnẽ repellebat superbiã. Et quia humilitatẽ cum superbia non possit, solet impugnare libido, murus virginitatis à turre humilitatis omnem reppellebat libidinẽ Intrauit ergo Iesus in quoddam castellum, quoddam, id est singulare, quia singulariter virgo, & mater est. Inde canit Ecclesia, virgo singularis. Et si quæras quomodo. Sicut radius in fenestram vitream, vt dicit Augustinus, sicut lux solis in oculum sanum quem non excæcat, sed magis illluminat: sicut verbum aurem, sicut vox locum conclusum, sicut facies intrat speculum. Huius autẽ castelli porta fuit fides. Quia enim credidit, perfecta sunt quæ dicta sunt à Domino.

C Maria exhibuit se Martham Christo. Secundo videndum est quomodo Maria signetur nomine Marthæ. Primo igitur potest dici Martha, quia Martha interpretatur prouocans. Sic & ipsa prouocauit Dominum sua virginitate, & humilitate, vt veniret misericordiam exhibiturus populo. Psal. 28. Dicunt quidam naturales vnicornem ferocissimum animal in gremio virginis mitescere. Sic Christus dilectus quemadmodum filius vnicornium & cuius fortitudo sicut fortitudo rinocerotis sæuus, & indomitus videbatur, quando pro superbia Luciferum de cælo, & Adam, de paradiso ejecit, & sodomitas combussit, & sic seuire apparebat, donec mulier ista Martha intrantem in quoddam castellum, id est in vterum virgineum excepit illum in domum suam scilicet mentis virgineæ longe excellentius ab alijs exhibens ei opera misericordiæ. Vnde Ansel. in homilia. Alij quemlibet hospitem in domo suscipiũt, ista non quemlibet, sed proprium Dei filium, qui non habet vbi caput reclinet, non in domo tantũ, sed in vtero suscipit. Tum, quia de nullo, sibi superfluo, sed omnino necessario opus pietatis faciens filio suo pauperrimo, & peregrino de proprijs suis sanguinibus purissimis tunicam polimitam fecit, imo toti generi humano opus pium contulit, quando ad reparationem eius in vtero factus est reparator. Alij nudũ quemlibet veste mutabili atque corruptibili operiunt, ista verbum Dei carne incorruptibili vestiuit. Alij quemlibet esurientem, & sitientem cibo vel potu exteriori reficiunt, ista Deum, & hominem indigentem non solum exterioribus cibis vel potibus pauit, sed etiam proprio lacte aluit, nudũ carne & pannis operuit, esurientem pauit, sitientem lacte potauit, infirmum per infantiam, & ætatem non solum visitauit, sed etiam balneando, fouendo, limendo, gestando frequentauit, comprehenso, & crucifixo quasi in carcere posito affuit, imo ad sepulturam ipsa interfuit. Secundo nunc continue est Martha satagens circa frequens ministerium, quæ nõ desistit suum officium facere donec prodigos filios reconciliet patri. Canit enim Ecclesia, quoniam peccatorum mole premimur, & non est, qui adiuuet, nisi tu scilicet. Nũc enim eos recõciliat, & durabit tempus miserendi vsque ad diem iudicij, & vsque ad illud tempus regnum misericordiæ eius se extendet. Augustinus ad fratres in Eremo. Fratres videamus vacui veniamus ad hoc tremendum iudicium. Tunc enim misericordia fugiet à gemma paradisi, scilicet Maria. In libro. 51. de apibus cap. 28. inter religiosos quosdam spiritu feruentes, sermo de Maria fuit. Alius eius timorositatem iuxta illud turbata est in sermone ponderabat, alius prudentiam inquirendo modum conceptionis,

ceptionis, alius humilitatem vbi se ancillam nominat, laudauit. Tunc vnus cum lachrymis, & applausu. Ego (inquit) dicā meam sententiam de virgine gloriosa. Nihil ea dulcius in creaturis reperitur, quia omnes fere peccatores ad eius pietatem confugiunt. Tertio simul erat Martha insistendo actiue, & Maria insistendo contemplatiue, quod nulli sororum cōpetebat. Martha enim quæ circa ministerium occupatur diuinæ contemplationi non vacabat. Maria quæ ad pedes Domini sedebat, verba Domini audiebat, nec fatigatam sororem iuuabat, nec actioni intendebat. Sed Maria cum omnia actiue vitæ opera filio exhiberet, à diuina contemplatione nō recedebat, & hęc fuit angelica perfectio. Nam Angeli ad nos missi sic ministrant exterius, quod tamen à Dei contemplatione non recedunt interius. Fuit ergo Martha prægnanti cognatę seruiens: Maria audiendo & conferēdo quæ prædixerant Prophetæ. Martha fuit quādo turbata est circa plurima, videns filiū suum comprehendi, ligari, conspui, flagellari, irrideri, spinis coronari, crucifigi, sepeliri solicita naturali compassione satagendo eum liberare, sed soror illius cōtemplans diuinam voluntatem cui se cōformabat consentiens, vt ita fieret. Sic in Maria velut in arca erat manna, id est, dulcedo diuinæ contemplationis, & virga, id est rectitudo perfectæ operationis. Virga enim Aaron fronduit, & fructum fecit, quia actiua se multiplicat, sed contemplatiua solitaria est. Sed maxime contemplatiue vixit, & forte à statu primi parentis non fuit aliquis homo, qui duxerit vitam contemplatiuam æque perfectam sicut ipsa fecit continue eleuando mentem suam in Deum, & hoc patet. Primo. Nam si Mariæ Magdalenæ concessum est, vt multo tempore eleuaretur à terra, nec terram corpore sicut nec mente tangeret, multo magis hoc dicendum est de Maria virgine. Ipsa enim merito plus dilexit Deum, & plus ei adhæsit quam Magdalena. Quod probatur ex iudicio

*D Maria simul insistebat actiue, & contemplatiue.*

*Nota.*

Domini in parabola de duobus debitoribus, quia cui plus donauit Deus, ille plus tenetur diligere, sed Mariæ super omnes creaturas plus donatum est, vt scilicet esset mater Dei, igitur cum semper adimpleuerit præcepta Dei, plus ei adhæsit per contemplationem & amorem. Tum secundo, quia hoc habemus ex casu primi parentis, quod vix eleuamus mentes nostras in Deum, & cum putamus erigere sursum statim relabimur in terrena. Ipsa autem fuit exempta ab illa maledictione.

Sed quæritur quomodo potest dici Martha. Marthę enim dictum est Domino, turbaris erga plurima, non autem potuit esse turbatio in virgine, quia dicit Ps. *Iustus non conturbabitur*, scilicet *quicquid ei acciderit*. Similiter stoici dixerunt in perfectum non cadere passionem. Respondetur quod quadruplex est turbatio. Vna est turbatio voluntarie assumpta, & ista est hominum contritorum, & detestantium sua peccata, quando cum lachrymis & suspirijs ipsa ejiciunt ex corde, de qua Psal. *Miserere mei Domine quoniam infirmus sum, sana me Domine quoniam conturbata sunt ossa mea, & anima mea turbata est valde*. Et ista turbatio procedit in peccatore ex angustia spiritus, iuxta illud Ps. *Anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum*. Et sic Magdalena turbata est, vt etiam non cogitaret de conuiuantibus. Sed sic non est turbata Maria cui dicitur, tota pulchra es, & macula non est in te. Secunda est turbatio, ex passione procedens, & quandoque ex ira mala prouenit, & talis periculosa est populo cum regnat in principe, cui conueniret illud: *Conturbatus est ira oculus meus*, ita vt non possit cernere verum, *anima mea*, vt non possit diligere populum, *& venter meus*, vt non possit saturari prædatione super populum, & hæc aliquando consurgit in principibus, & periculosa est populo, & ipsis apud Deum. *Fundamenta montiū conturbata sunt & commota sunt, quoniā iratus est ei*, scilicet hominibus armorum, qui sunt

*Psal. 10.*

*E Turbatio quadruplex.*

*Psal. 6.*

*Psa. 142*

*Vbi sup.*

*Psal 17.*

eorum fundamenta, & iterum postea sequitur in Psalm. *Misit sagittas suas, & dissipauit eos*, id est consilia eorum, *fulgura multiplicauit, & conturbauit eos*. Omnia autem propter quæ conturbantur sunt vanitates, honores, pompæ, dominationes,
Psal. 38 secundum illud Psal. *Veruntamen vane cõturbatur omnis homo*. Aliquando ex bona passione procedit turbatio, sicut aliquando ex zelo Dei, vel detestatione peccati, vt patuit de Christo, vbi dicitur quod turbauit semetipsum, & infremuit spiritu. Aliquando ex timore aut verecundia, & sic Maria turbata est quando non est
Psa. 76. loquuta Angelo, iuxta illud Psal. *Turbatus sum, & non sum loquutus*. Tertia turbatio est horrenda, & hæc quadruplex. Quædã ante iudicium Dei, quando apparebunt
Psal. 64. signa horribilia, de quibus Psal. *Turbabũtur gentes, & timebunt, qui habitant terminos à signis tuis*. Alia erit sequens signa in extrema necessitate, & morte. Primo ex cõsideratione furoris Domini, propter quod
Psal. 6. Psal. dicebat: *Turbatus est à furore oculus meus*. Secundo ex infirmitate. Inde Psal.
Psal. 30. *Infirmata est in paupertate virtus mea, & ossa mea conturbata sunt*. Tertio ex derelictione amicorum omnium, & derelictione
Psal. 54. vigoris corporalis. Psal. *Cor meum conturbatum est in me, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum*. Quarto ex memoria peccatorum aduersantium peccatori.
Psal. 41. Psal. *Ad meipsum anima mea conturbata est*, ideo tunc recurrendum esse docet ad Dominum cum subiungit: *Propterea memor ero tui de terra Iordanis, & si non possis loqui apud me oratio Deo vitæ meæ*. Quinto ex consideratione inimici animã
Psal. 54. expectantis. Psal. *Conturbatus sum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris, quoniam declinauerunt in me iniquitates, & in ira molesti erant mihi. Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me*. Alia erit turbatio horribilis in comparando
Sap. 5. iudicio Dei, de quo Sap. *Turbabuntur ti-*
Psal 47. *more horribili*. Psal. *Ipsi videntes quæ prius non videbant, sic admirati sunt, commoti sunt*, &c. *Ibi dolores, vt parturientis*. Loquebantur prius minas populo, & non audebat loqui populus, sed tunc tacebunt, quando tunc *loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo* Psalm. 2
*conturbabit eos*, & qui non fecerunt iustitiam, qui turbauerunt pauperem, viduã, & orphanum, tunc secundum Psal. *Tur-* Psal. 67.
*babuntur à facie eius patris orphanorum, & iudicis viduarum*. Et quid dicent in iudicio? Certe nihil, quia Psal. *Anima eorum in ma-* Psa. 106
*lis tabescebat*. *Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est*. Quarta turbatio horribilis erit, cum mali damnabuntur perpetuo, contra quos Psal. *Ita persequeris illos in tempestate tua, &* Psal 82.
*in ira tua turbabis eos*. Et iterum: *Dominus in* Psal. 20.
*ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis*, & populus qui ante timebat dicat illud Ps. Psal 45.
*Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris*. Sed verum populus orabit pro eis. Non, sed dicat illud Psal. *Erubescant, & conturbentur* Psal. 82.
*in sæculum sæculi, & confundantur, & pereant*. Quinta turbatio patienter portãda ex tẽtationibus, & tribulationibus procedit, de qua Psal. *In me transierũt iræ tuæ, & terrores* Psal 87.
*tui conturbauerũt me*, & tãto magis, quanto homo est in statu altiori. *Exaltatus autem* Ibidem.
*humiliatus sum, & cõturbatus*. Et quia Maria fuit in statu altissimo post Christũ maxime habuit tribulationes. Sed istę sunt patienter portãdæ à populo, quia scriptum est. *Ego Dominus, qui conturbo mare, & intu-* Esai. 51.
*mescunt fluctus eius*. In secũda parte videndum est, quomodo Maria introducta est in hospitium Dei scilicet in cælum. Circa quod quæritur. Primo quare Dominus Mariam non duxit secum cum in cælum ascenderet. Nonne multo plus honoraretur à matre quam à latrone, quem secum duxit? Nonne maioris erat meriti quam Patriarchæ, & Prophetæ, quos secum ducebat? Respondetur, quod propter multa non duxit eam secum, sed dimisit diu in miserijs mundi. Primam rationem assignat Anselmus, libro de excellentia virginis, capit. septimo, dicens. O bone Iesu quomodo pati potuisti, vt te in regnum gloriæ remeante, il-

F Mariam nõ duxit secum Dominus, sed dimisit diu in mundo propter multa.

te, illam quasi orbatam in miseriis mundi relinqueres. Et assignat causam dicẽs. Fortassis Domine tuæ cœlesti curiæ veniret in dubium cui potius occurreret, tibi videlicet Domino suo tunc primo regnum suum in assumpta carne petenti, an ipsi Dominæ in ipsum regnum iam suum materno iure effectum, ascendenti. Nã si in partes suo occursu divideretur, vt pars tibi, pars illi obsequeretur, non decere existimo, præsertim cum tota sit tua totaque per te cœlestis curia sit sua. Prudẽtiori ergo & dignori consilio vsus præcedere illam volebas, quatenus ei locum immortalitatis in regno tuo præparares. Secundam rationem assignat idem, vt locum matri suæ prepareret. Ait enim. Et quidem non est absurdum credere ipsum ideo matrem suã præcessisse, cum ipse idem vnigenitus huius beatissimę virginis promiserit discipulis si abiret se eis locum in cælestibus præparaturum. Si ergo locus ab eo præparabatur ad honorem, & gloriam discipulorum, quomodo nõ prępararetur ad honorẽ, & gloriam matris suæ Dominæ, & reginæ Angelorũ? Hæc Ansel. Tertia ratio quare dimisit eam diu in hoc mũdo est, vt oraret, pro Ecclesia Dei nouella aduersus eius persequutiones. Credendum enim est quod superuenientibus persequutionibus mittebant ad eam Apostoli

Iud. 8. dicentes: *Mulier sancta es, ora pro nobis*, quã feruentes, quam penetrantes, in altũ erãt orationes illius, quæ in terris posita corpore, tota in intẽtione versabatur in celũ, & quæ tota transformabatur in amorem Dei, & vt nũc experta Ecclesiæ periculosa negotia attẽtius erat pro ea. Qui enim fuerunt in periculis, libenter cõpatiuntur, & succurrunt eis qui similia patiuntur.

Quarta ratio, ne turbentur fideles si diu in tentationibus, & tribulationibus, meroribus, & languoribus huius seculi dimittantur, quãdo matrem suam super omnia dilectã sibi, tandiu dimisit lãguere in hoc seculo. Vita enim fidelis christiani in hoc mũdo, nõ est nisi labor, & languor, & angustia, iuxta illud: *Hoc labor est* Psal. 72. *ante me donec intrem sanctuariũ Dei*. Hinc & August. dicit quod omnis vita christiani, qui secundũ Deũ viuit, non est nisi martyrium, cui consonat apostolus: *Omnes qui* Psal. 119 *pie volunt viuere in Christo Iesu persequutionem patiuntur*. Inde quærebatur ille qui dicebat, *Multum incola fuit anima mea cum his, qui oderunt pacem*. Hic enim affliguntur boni à malis imo bonos torqueat mala malorum, dum videntur ab eis fieri, & impunita remanere, imo imperare, & iubere alijs videntur.

Quinta ratio, quia Dominus matrem suam elegerat ad summum præmij gradum in cœlestibus possidendum inter omnes puras creaturas. Vt igitur pluriũ meritorum operatrix esset, necesse erat dilatare desiderium, & consequenter eius affectum, & per consequens mentis capacitatem ad illud tale, & tantum præmium recipiendum. Ad hoc autem necessarium erat tempus vitæ dilatari post suã ascensionem, propterea ipsum dilatauit Dominus. Et hæc ratio tãgitur in gloria. Quod desiderans nondum vides, sed desiderando capax efficeris, vt cum venerit quod videas implearis. Sicut enim si velles implere sinum alicuius, si nosti, quod magnum est quod dabitur, extendis sinum, & extendendo facis capaciorem. Sic Deus differendo rem extendit desiderium, desiderando extendit animã, extendẽdo facit capaciorẽ. Septima ratio quia iuxta Mariæ canticum, Dominus solũ replet esurientes bonis, diuites dimittens inanes. Amor vero (vt dicit Bernardus in quadã epistola) ex copia parit inopiã dum ex prægustatis delicijs amplius in desiderijs exardescit, quæ & si dẽtur ad plenitudinem, nunquã tamen ad satietatẽ, quia qui edũt me adhuc esurient, & qui plus de gustãt plus esuriũt, exemplo mundani amoris, quo qui plus habet plus esurit. Qui vero Deũ nõ degustãt nec ipsum esuriunt, quemadmodũ multi, qui solum terrena degustant, & de

cælestibus nihil sapiunt, quæ si saperent forte hæc omnia terrena eis amara essent, quia gustato spiritu desipit omnis caro.

G
*Maria ascendit in cælũ via compendij, scilicet innocentia & martyrij*

Secundo quæritur per quam viam Maria ascendit in cælum. Dicitur quod duplici via itur in cælum, via cõpendij scilicet & via publica. Via compendij duplex est, scilicet via innocentię, & via martyrij. Vtraque via compendij Maria ad cælũ euolauit. Nos vero via publica pergimus, sæpe declinãtes ad dexteram vel ad sinistram, ad superabundantiam vel defectũ, imo omnes sancti & sanctæ comparatæ virgini transierunt per viam communem bestijs & hominibus, quia vnusquisque viam carnis aliqualiter sequutus est, saltem peccando venialiter, & sic indigebat pecunia, quę nunc est via publica in cęlũ, & sic cum motibus bestialibus aliqualiter incesserunt. *In ipsa pertransibũt omnes bestiæ siluæ.* Sola Maria per compendiũ dimissa ab omni motu & fomite bestiali absoluta est. Aug. Si omnes sanctos & sanctas dum hic viuerent congregare possemus, & interrogare vtrum essent sine peccato, quid dixissent? Putamus illud Ioã. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus ipsi nos seducimus,* excepta beata virgine, de qua propter honorem filij cum de peccatis agitur, nullã prorsus volo fieri mentionẽ. Secundo via martyrij, quæ plus quam Martyr passa in passione filij sui, ibi dolores sustinuit quos non habuit parturiens, vt vult Damasc. sexto senten. sed & illos continuauit vsque ad mortem sustinendo Scribarũ & Pharisæorum iniurias, & opprobria, & hanc viam communiter egit cum Martyribus.

*Psa. 103*

*1. Ioã 1.*

Est autem via compendiosa, sicut si quis in Aluerniam deueniret per mõtes, breuior est via, sed difficilior. Qui vero circuit, inuenit viam longiorem sed faciliorem. Sic qui per alias virtutes & opera misericordiæ cælum ingrediuntur. Et si quæratur an progressus iste in cælum sit ascensus vel descensus. Responderur, quod est descensus mentis in sui fragilitatem humiliando se. Superbus vadit de monte in montem, de officio in officium, de dignitate in dignitatem, vt exemplo gigantum possit tumulare montem super montẽ. Maria vero humilem viã incessit, licet meritis dignissima. Arbores enim quanto altius exaltantur, tanto profundius radicantur. Vnde quãuis sit eadem via qua ascenditur ad aliquem locum, & descenditur ab illo in corporalibus, nõ tamẽ in spritualibus. Via enim descendendi de cælo est superbia, via ascendendi est humilitas. Istam viã ambulauit continue in terris mente, & corpore cum filio suo, qui quamuis velociter curreret, iuxta illud: *Exultauit vt gigas ad currendã viam,* nunquam tamen lassata est, sicut cęlum semper voluitur, & nunquam lassatur, neque tedio est affecta. Dicitur secũdo, quod via ista est ascensus in Deũ, quia quia descẽdit in seipsum cognoscẽdo, quia de se nihil sit, continuo, ascendit in Deum cognoscẽdo, quia ex ipso multus sit Psal. *Ad meipsum anima mea conturbata est,* quia nihil se esse ex se ipso cognouit, ideo sequitur, propterea memor ero tui à quo mulctus sum.

*Psal. 18.*

*Psal. 41.*

## *SERMO QVINTVS DE EOdem festo Assumptionis, & in ordine XLV. Per Thema.*

*Cant. 4.*

VEni de libano sponsa mea veni de libano, veni coronaberis. Quæritur vtrũ maius fuerit gaudiũ Mariæ vel in Assumptione, quando assumpta est in cælũ, & illic à Deo coronata, vel in conceptione filij Dei. Et videtur, quod in conceptione, quia tunc mater Dei ordinata est. Tunc enim matrem se lętã cognoscit quę se nescit vxorẽ, sed nullus maior titulus poterat ei attribui, quam quod mater Dei appellaretur, & nihil maius communicari potest creaturæ post vnionem verbi Dei ad carnem, quam quod esset mater Dei, igitur fuit ei maius gaudium. In oppositum arguitur sic. Primum gaudium compatiebatur secũ tristitiam, istud autẽ non, igitur maius habuit gaudium in Assumptione

A
*Maria an fuit maius gaudiũ in assumptione quã in conceptione filij Dei.*

ſumptione quam in conceptione. Reſpõdetur primo quod magnum fuit ei gaudium, & in cõceptione, & in aſſumptione. Magnũ fuit in conceptione quando mulier amplexata eſt ſolẽ in vtero, quando fœmina circũdedit virum, magnũ fuit in aſſumptione quando mulier amicta eſt ſole tota ſcilicet in corpore & in anima, glorioſum ſibi fuit in vtero ſuſcipere regem gloriæ tanquã hoſpitem glorioſum fuit in aſſumptione hoſpitari à rege gloriæ. Primum fuit occultius, *Quando omnis gloria filiæ regis erat ab intus.* Secundum fuit manifeſtus, quando à rege cum regia magnificentia ſuſcepta eſt. Primũ gaudium ſecretius eſt factum, quãdo non innotuit principibus, & poteſtatibus in cœleſtibus. Sed iſtud ſecundum fuit ſolennius quando viderunt eam filiæ ſyon, id eſt, angelicæ poteſtates, & beatiſsimam prædicauerunt, & reginę laudauerunt eam. Secundo dico, gaudium Mariæ in cõceptione filij Dei fuit maius cauſaliter, id eſt cauſa maioris gaudij, quia illud fuit cauſa tantæ exaltationis Mariæ ſaltem partialis, ita vt poſsit dicere Maria: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, fuit etiam illud opus noſtrę redẽptionis, & ſic gaudium vniuerſæ terræ. Gaudium autem aſſumptionis Marię ſibi ſoli appropriatũ eſt. Relinquitur ergo, quod illud gaudiũ maius fuit cauſaliter. Tertio dico, quod gaudium aſſumptionis fuit ſimpliciter ſibi maius. Patet primo, quia tunc perfectam habuit viſionem, & non ante, quod quidem gaudium nullam ſecum naturaliter permittit triſtitiam. Gaudium autẽ quodcumque poteſt haberi in hac vita paucum eſt in comparatione ad illud quod habetur in alia, & ſemper eſt admixtum alicui triſtitiæ. Vnde gaudium ſuum eſt caminus in Hieruſalem, vbi tamen eſt igniculus in ſyon, igitur. Tum ſecundo, quia tunc ei melius fuit quam quando primo cõcepit aut peperit Chriſtum, eo quod hodie ſuo fini coniungebatur, & complebatur eius deſiderium, quando eleuata eſt ad tãtam dignitatem tantum gaudium, tantum ſtatum, quod non poteſt pura creatura ad ſtatum illũ, & gloriam peruenire in qua eſt poſita. Licet enim aliqui homines poſſent per aliqua merita continuata, & gratiam Dei peruenire ad ordinẽ ſeraphicũ, qui ſunt altiores, non tamen ad dignitatem, & ſtatum Mariæ. Tum tertio, quia gaudiũ illud quod habuit in aſſumptione includebat gaudiũ illud de conceptione, quia in conceptione filij Dei cognouit ſe electam in matrẽ Domini, ſed hoc à nemine aut à paucis cognoſcebatur, vnde minus ſe gaudium extẽdebat. Nunc vero ſe matrẽ cognoſcit à filio honoratã, & à cũctis cognitã hominibus, & Angelis. Vnde Maria in ortu ſuo adhuc paruus erat fons, ſed in conceptione filij Dei creuit in fluuium, quãdo illum continuit qui mare, & abyſſos cingit. In lucem autẽ conuerſa eſt in purificatione ſua, quando in tẽplo lucem quæ illuminat omnem mundum attulit. Sed in aſſumptione in ſolẽ cõuerſa eſt, quãdo mulier illa fuit amicta ſole, & in aquas plurimas redundauit, quas ſuper ſibi deuotos diſtillare non ceſſat, iuxta illud Eccliſ. *Rigabo ortum plantationũ mearũ*, igitur maius fuit ei gaudiũ ſimpliciter in aſſumptione quam in conceptione. Vt igitur illius gaudij participes efficiamur, ad eam reuertamur, &c.

Pſal 44. Sap. 7. Eſai. 31. Eccl. 24. Cant. 6.

Solent tria hominum inuitatorũ genera cito venire, pauperes, amici, & propinqui; cito veniunt pauperes vocati ad conuiuium, nec ſe faciunt multum rogari, diuites vero multũ, quia impediuntur vſuris, & rapinis, ſimiliter amici cito veniunt, & propinqui. Et quia Maria fuit pauperrima in hoc mundo, quia de bonis huius ſæculi nihil habuit, & quia fuit ſumme amica Deo, vt de ea dicat Dominus, *Vna eſt columba mea perfecta mea.* & etiã quia ſumme propinqua ſibi fuit quia de eius carne facta eſt eius ſubſtãtia, & nulla ei creatura in parentela cõiunctior, cum ſit mater Dei, & hominis, ideo vocata venit ad cõuiuium cito. Inde propter hanc triplicem inuitationem dicitur ter veni,

 in the-

in themate. *Veni de libano sponsa*, &c. Primo dicemus de assumptione Mariæ. Secundo de eius coronatione.

B Maria exhibitus est honor multiplex in assumptione. Quoad primum dicetur de honoribus sibi impensis in sua assumptione. Fuit autem ei multiplex honor, & à multis exhibitus. Primo exhibitus est ei à Christo triplex honor. Primus fuit, quia honorauit eam sua præsentia veniens in propria ad assumendum eam. Et hoc probatur multipliciter. Primo auctoritate Ecclesiæ hoc dicentis. Iesus inquit, & ipse festiuus occurrit. Secundo auctoritate scripturæ, quia habetur de Christo in sensu mystico. *Sacculum pecuniæ secum tulit in die plenæ lunæ reuersurus.* Dies autem plenę lunæ est dies assumptionis Mariæ, quæ hodie plena fuit, & gratia, & gloria. Tertio, ostenditur figura, quia si Dauid qui Christi imaginem gerebat, gaudebat, psallebat, citharizabat, & saltabat coram arca veteris testamenti, quando transtulit eam in domum suam, nonne & Christus gaudebit, & pręsens erit, cum arcam noui testamenti in domum æternæ hæreditatis transtulerit? Quarto probatur rationibus. Prima est Hieronymi, quia legimus de pluribus, quod propter eorum merita Christus ad eorum mortem, & finē præsentem se exhibuerit, vt narrat Greg. 4. dialog. capit. 17. de sancta Trasilla virgine, quæ hora exitus sui cum nobilis esset multis assistentibus sursum respiciens vidit Iesum venientem, & magna voce circumstantibus clamare cœpit. Recedite, recedite, quia Dominus venit, & tunc anima illa egressa est à corpore, igitur à fortiori Mariæ maioris meriti præsens fuit. Secunda ratio eiusdem Hieronymi in sermone, quia nisi sic, nō videtur quomodo impleuerit quod ipse in lege præcepit scilicet honorare patrem, & matrē. Quod autem patrem honorauerit ipse testatur. *Ego gloriam meam non quæro, est qui quærat, & iudicet, sed ego honorifico patrem meum.* De matre vero Lucas ait, *& erat subditus illis.* Quomodo ergo matrem non honorasset, qui non venit soluere legem, sed adimplere. Tertia ratio. Communiter dicitur, quod in necessitate comprobatur amicus. *Si possides amicum in tentatione posside illum.* Talem amicitiam habuit Maria ad Christum, quia quando Christus in vltima necessitate fuit, scilicet in Cruce, nec homo, nec mulier, nec amicus, nec amica cum ipso remāsit ibi, quin aliquantulum elōgaret se ab eo aut corporaliter aut spiritualiter à fide ipsius, nisi Maria quæ semper in illum credidit, & cum eo ad pedem crucis remansit. Inde dicitur Esaiæ: *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum*, non dixit mulier. Si ergo non defecit ei in necessitate quin præsens fuerit, sequitur quod in eius extrema necessitate quæ est mors, non defuit Christus, imo manifestū est, quod filius qui curam eius habuit inter passionis vulnera quando commendauit eam discipulo, quod in gloria existens ipsius curā gereret, & qui voluit in partu flere, & matrē gaudere, iuxta illud quod canit Ecclesia dum paris, & gaudes cantant cæli agmina laudes, &c. sequitur, quod in morte voluit eam per se solatiari. Tertio honorauit eam Christus (vt Inquit de gersono super magnificat) in hoc, quod in eius assumptione, & coronatione multam de purgatorio captiuitatem secum adduxerit, imo pro tunc totum purgatorium euacuauerit. Probatur dupliciter primo, quia videmus dum imperatrix aut regina regni terreni principalem regni ciuitātem ingreditur, vt coronetur, carceres aperiuntur, & captiui & malefactores, qui prius detinebantur, ob reuerentiam nouæ imperatricis liberi recedunt, quanto magis creditur Dominum vniuersæ terræ, & totius orbis ob honorem nouæ coronationis illius, quæ regina mundi & imperatrix est, hoc fecisse? Melioris enim est conditionis quam terreni reges, qui hæc facere solent. Secunda ratio. Iustum est reginam in coronatione sua, in possessione regni sui constitui, vel saltem dotari, sed ipsa est regina misericordiæ, vt de ea cantat

Marginalia: Prou. 7. — 2. Reg. 6 — Ioan. 8 — Luc. 2. — Eccl. 6. — Esai 63. — C Purgatorium fuit euacuatum in Mariæ assumptione.

tantat Ecclesia, salue regina misericordię, ideo decens fuit, vt in tantæ reginæ coronatione thesaurum misericordiæ aperiret, & captiuos liberaret. Vnde duæ sunt partes in regno Dei scilicet iustitia, & misericordia. *Duo hæc audiui quia potestas tibi est, & tibi Domine misericordia*, Ipse autem potestatis, & iustitiæ thronum tenet, ipsa vero misericordiæ sedem possidet. Et hoc figuratur per Hest. cui dictum est ab Assuero. *Pete quod vis. Hester. Etiã si dimidiam regni mei partem petieris, impetrabis*. Sic etiam illa quæ solita erat pro miseris, misericordiam petere, partem misericordiæ potiorem elegit. Ideo miseri, & captiui in purgatorio detenti sub rigore iustitiæ, tunc potuerunt appellare ad curiam misericordiæ, & liberari per reginam nouam.

Psal. 61

Hest. 7.

Secundo honorata fuit ab Angelis, & cælestibus ordinibus tripliciter. Primo associando eam. Probat hoc Anselmus, quia moris est inter homines vnumquẽque bonum seruum alicuius potentis Domini, eo maiori gaudio in aduentu Domini sui exultare, quo ipso Dominũ suum cognoscit aduenientem amicum magis amare. Si ergo hæc ita se habent apud homines, in quibus si aliqua bonitas est, longe tamen supernorum ciuium bonitati impar est, contempletur homo modo quo potest gaudio, qua festiuitate iubilant omnes beatorum spirituum ordines, quando videlicet matrem Domini sui aduentare, & ipsum Dominum Deũ suum videbãt ei gloria sua decoratũ velle occurrere. Secundo honorauerunt eã portando animã eius ad cœlestia. Probat Hieronymus, quia legimus ad funera multorũ sanctorũ Angelos aduenisse, & exequijs eorum obsequia præstitisse, & animas electorũ vsque ad cęlos cũ hymnis, & laudibus detulisse, vbi frequenter vtriusque sexus chori memorãtur audici, vt de Romula recitat Gregorius, libro quarto dialog. quanto magis hoc matri Christi factum est, quę excellentiori merito claruit. Vnde triplex est modus quo assumuntur animæ in cælum. Nam quædam per vnum Angelum assumuntur. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui custodiat te in via, & inducat te in terram quam promisi patribus tuis*, & hæc est pars bona. Secũdus est quo à multis deducuntur. *Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinu Abrahæ*, & hic est est melior; sed optimus est, quãdo cum Christo omnes Angeli virginem portant in cælum. Tertio honorauerunt eam laudando, & admirando. Si de Christo admirati sunt Angeli cum ascenderet in cælum dicẽtes: *Quis est iste, qui venit de Edon*, &c. quanto magis de Maria quæ erat pura creatura. Item si Ioannnes clausus adhuc in vtero matris (qui & Angelus Domini dictus est, & quo non surrexit maior in terris) gaudens exultabat, & gestiebat in occursum Mariæ, oportet ergo, vt liquefiant Angeli vocẽ Mariæ audituri, & eius pręsentia fruituri, & laudent eam. Vnde in singulis tribus Hierarchijs per admirationem de eius tam nobili assumptione mouetur quæstio. Dicebant de prima Hierarchia Angeli illud quod scribitur. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus mirrhæ, & thuris?* Mundus est desertum iuxta illud Psalmistæ, *In terra deserta inuia, & inaquosa*, &c. vbi dicitur terra deserta propter absentiam virtutum, *Omne quod est in mundo aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ*. A principio fuit plantatus hortus virtutum in mundo, sed martyres secum patientiam tulerunt in cælum, ita quod nos debemus conqueri de eis, & iustitia, vt dicunt Poetæ, prius erat in villis, & vrbibus, sed tandem villas dimisit, & apud simplices homines in suburbijs remanebat. Nunc vero succrescente hominum malitia nec in villis nec in villagijs inuenitur, sed discessit ab hac terra. Sic suo modo de alijs virtutibus. Mirantur ergo Angeli quomodo de deserto huius mũdi procedit mulier quasi virgula fumi. Fuit enim virga Maria in natiuitate ex grossitia

Exo. 14.

Luc. 16.

Esa. 63.

D

Nota.

Cant 3.

Psal. 62.

1. Ioã 2.

Esai, 11. sitiæ corporis iuxta illud Esa. *Egredietur virga de radice Iessæ*, sed in Assumptione fuit virgula attenuata gloria corporis, fuit iterum virgula per humilitatem, odorās velut fumus aromaticus per famā in cōspectu Dei, Angelorum, & hominum, & vniuersi pulueris pigmentarij, id est omni genere virtutum ornata. Transcendēdo secundam Hierarchiam quærebāt illi de secunda, illud Cant. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata*, quasi dicerent. Quæ est ista, ita admirabilis, quæ consurgit sicut aurora medians inter noctem peccati, & lumē gratiæ, quæ facit fugere latrones diabolos. Si subito apparuerit aurora arbitrantur vmbram mortis, pulchra vt luna, quæ illuminat peccatoris in nocte tenebrosa huius sæculi, electa vt sol, qui similē non habet, nec ipsa similem habitura est in æternum, & terribilis propter dæmonum fugam: sed veluti quando aliquis magnus Dominus venit ad aliquam societatem, quilibet assurgit, & dicit ei: Non est hic locus vester, sed oportet vos ascendere superius. Sic gloriosa Virgo cum esset in secunda Hierarchia, dicebant ei Angeli. Domina non est hic locus vester, sed oportet vos vlterius transire. At illa dicere poterat: *Transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei*. Sed quæri posset ab ea. Quid trāsibis vel per quos beatissima modo. Transibo (inquiet) ordinem Patriarcharum, à quibus fui secundum lineam generationis propagata. Transibo ordinem Prophetarum, à quibus futurorum præsagio fui prænunciata. Transibo ordinem martyrum, quibus fui consimili martyrio coëquata. Transibo ordinem confessorum, quibus fui diligenti studio comparata. Transibo ordinem virginum, de quarum collegio fui virgo virginum per excellentiam prædicata. Transibo ordinem Angelorum, super quos ero in cælis exaltata. Ad hanc itaque vocem ad tertiam, & supremam hierarchiam cum tripudio conscendit.

Cant. 6. — Iob 24. — Psal. 41.

Tertio itaque, qui de suprema Hierarchie erāt admirabantur dicentes: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto delitijs affluens, innixa super dilectum suum*. Causa autem admirationis Angelorum fuit duplex. Prima, quia ascendebat de deserto mundi, qui ad modum deserti transeuntibus est horribilis, ita vt timeant viri sancti transitum huius sæculi propter laqueos & muscipulas: *Creaturæ in odium factæ sunt, & in tentationes animæ hominum, & in muscipulam pedibus insipientium*. Est etiam deficiens omnibus bonis, ita quod vna gutta aquæ gratiæ non potest haberi in hoc deserto, nisi de cælo veniat, nec potest sitis vnius animæ sedari ex omnibus bonis huius mundi, quia secundum Augusti, animam Deo capacem nihil minus Deo replere potest. Est etiam tertio habitatio potius bestiarum quam hominum, quia multæ beluæ sunt ibi, & pauci viri. Vnde Augustinus. Beluinus es ô homo amando talia, qualia beluæ. Multa enim sunt ibi venenata animalia per malignitatem, multi Leones & Vrsi per rapacitatem. *Leo rugiens, & Vrsus esuriens princeps impius super populum pauperem*. Multæ sunt ibi vulpes per dolositatem, sicut ille de quo Luc. Dicite vulpi illi, scilicet hærodi. De hoc deserto omnes solebant descendere in infernum. Alij per ambitionem, vt Dathan & Abiron. Alij per amorem diuitiarum, vt diues, qui sepultus est in inferno. Alij per amorem delitiarum, vt diues Epulo. Multum itaque admirabantur Angeli, quod ascendebat cum affluentia tanta de loco in quo erat tanta penuria, & cum delitijs de valle miseriæ, & afflictionis, & quod in eis non inueniebantur tales delitiæ, quos in ciuitate Domini fluminis impetus lætificat. Delitiæ istæ erant magnæ gloriæ, quia paradisum voluptatis eam fecerant, vt filius Dei in ea habitaret. Plantauerat enim paradisum voluptatis à principio, vbi primum hominem posuit, sed nobiliorem paradisum parauit secundo homini filio suo. Sed cessent admirari Angeli, Nā, quæ fuit

Cant. 8. — Sap. 14. — Prou. 28. — Luc. 13. — Num. 16. — Luc. 16. — Genes. 2.

fuit olim desertum humana natura, facta est in Maria hortus delitiarũ: *Ponet desertum eius delitias, & solitudinem eius quasi hortũ Domini*, vt merito de ea dicere possint ciues angelici: *Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, ideo benedicta eris in æternũ*. Ad hanc autẽ quęstionẽ angelicam respondet Augustinus. Cum quæritur quæ est ista, quę ascendit de deserto. Mater (inquit) Dei, Regina cæli, domina mundi, porta paradisi, mater Dei, quem non solum humana, verum etiam creatura angelica veneratur & adorat. Regina cæli de spolijs inferni ruinas reparans Angelorum. Non sicut quædam mulieres faciunt, quæ propter statum suum manutenendum ruinas magnas faciunt in populo Domini, & rapinas procurant. Bernard. per te cælum impletum est, infernus spoliatus est, ruinæ Hierusalem restauratæ. A principio mundi cæli regem habuerunt, sed non reginam. Hodie vero regina Hester sublimata est ad regnum Assueri. Domina mũdi, quia per ipsam reparatus est mũdus. Inde Aug. loquens ad eam. Tuo singulari merito mũdo succurristi perdito. Porta paradisi est, quia antequam ipsa esset, nullus paradisum intrauit. Ideo cantat Ecclesia: Tu regis alti ianua, & porta lucis fulgida. Secunda causa admirationis Angelorũ fuit, quia mirabantur plenitudinem gratiæ esse in muliebri sexu, qui solebat esse exosus mundo, eo quod mulier fuerat causa perditionis humanæ, & etiã exosus Deo, quia prima transgressa est suum præceptum, & tamen vident mulierem tam Deo familiarem, vt innixa esset, & appodiata super dilectum suum. Si discipulus quem diligebat Iesus, in hoc apparuit familiaris Christo, quod supra pectus eius recubuit, non mirum si Maria ampliori dilectione innixa sit super dilectum suum, qui etiam super matrem suam cum puer esset pluries innixus fuerat. Et in hoc mirantur Angeli, quod ipsa ei inhæreat, à quo Angelicæ potestates reuerendo resiliunt, per quod intelligitur matris potestas. Qui enim alicui vnitur, virtutẽ eius quodammodo sibi assumit, & ea vtitur. Tertio fuit Maria honorata à Discipulis, & Apostolis ipsam laudando & benedicendo. Nondum enim dispersi erant in longinquas rationes, & pie creditur ipsos congregatos fuisse ad obsequendum corpori in terris. Hoc enim quod dispersi essent sicut quoddam apocriphum Græcus dicit, sed hoc Latinus non recipit. Vnde de ea dicitur: *In die defunctionis suæ benedicetur*. Non solum autem ab eis benedicebatur, sed etiam Apostolis imprecabatur benedictionem. Hinc ait Damianus in sermone. Illa ad filium conuersa ait: Tu dilectis filijs quos fratres appellare placuit de meo discessu dolentibus fias consolator, & per impositionem manuum tuarum appone benedictionem super benedictionem eorum.

Esai 51. Iud 15. Eccl. 8.

Pro secunda parte dicendũ est de prerogatiuis datis Mariæ in assumptione, & & possunt assignari octo. Prima est glorificatio in corpore, & anima. Quod autem ita sit probatur multipliciter. Primo auctoritatibus, quarum prima est Ps. precãtis, & dicentis: *Surge Domine in requiẽ tuã*, scilicet cũ glorificatione corporis, & animæ, *Tu & arca sanctificationis tuæ*, scilicet Maria, in qua sanctus receptus es, & conceptus. Quasi diceret propheta Christo, quod surrexeris cum corpore, & anima est certũ, an corpora sanctorũ, qui tecum surrexerunt, redierint in puluerẽ est dubium, sed de corpore matris impiũ esset credere, quod in puluerẽ redijsset, igitur surge Domine, &c. Secunda est Apocal. *Apertum est templum in cælo, & visa est arca testamenti eius in templo*, hoc est Maria in corpore & anima. Non enim solum requieuerat in ea Christus spiritualiter in mente, sed etiã corporaliter, quapropter debuit esse in cælo arca illa tota, & integra secundũ corpus, & animam. Tertia est auctoritas Miletis Sardensis Episcopi, qui scribens ad Laodicenses dicit se audiuisse B. Ioannem Euangelistã simpliciter prædicantem, quod tertia die trãsitus sui

E Maria fuit glorificata in corpore & anima. Psa. 131. Apoc. 11.

sui suscitauerit filius Dei suam beatissimã Genitricem. In cuius figura videtur esse illud: vbi dicitur, quod tertia die Hester, circũdata est gloria sua. Quarta est auctoritas Ecclesiæ, quæ illud pie credit. Vnde quidam religiosus diu sic credidit, sed dũ verba Hieron. legeret, qui de hoc dubitare videtur, vel pro non determinato relinquere, cæpit de hoc dubitare. De cuius corde beata virgo volens dubietatis amputare vulnus, corpus suum palpabile, & visibile ei ostẽdit, quærens quid sentiret vel videret. Cui ille. Corpus (inquit) carneum ex ossibus, & carnibus solidũ. Cui illa. Si tantum ostendissem Hieronymo, nunquam de corporis mei Assumptione dubitasset, & sic in illa fide stabilitus est. Sed nihilominus adhuc probatur idem rationibus. Prima est, quia boni filij est amplius parcere matri quam sibi, immo communiter etiam mali filij hoc faciunt, vt filij infidelium à lege naturali edocti. Si autem mali hoc faciunt, quis audeat illud negare de optimo filio Christo, quod si pepercerit sibi à corruptione corporis, quin multo magis matri? Secundo quomodo credendum est, quod vllo modo fuerit corruptioni subiecta, quę gessit eũ, qui omnis incorruptionis est causa? Imo potius credendum est, quod sicut Dominus non dedit sanctum suum videre corruptionem, sic nec sanctam suam, de qua natus est sanctus suus. Vnde secundum Originem, corpus humanum post mortem hominis habet socium, scilicet necessitatẽ putrefactionis, anima similiter socium habet, scilicet desiderium vnionis. Sed hoc fuit priuilegiũ speciale matris, vt corpus suum à socio suo dissociaret Deus, & animæ suæ socium suum sociaret. Nam corpus non permisit putrefieri, & animã statim corpori reuniuit, & hi sunt illi duo nexus à quibus deprimi non potuit, vt dicitur in collecta. Tertia ratio opprobrium humanæ conditionis est putredo, & vermis. Si ergo (vt inquit Augu.) Iesus quem scimus omnia posse, voluit integrũ in matre virginitatis seruare pudorem, cur non velut incorruptam à putredinis seruare pudore? Si pudorem legis, & opprobrium vitauit, quare non magis naturæ, quod maius erat? Quarta ratio. Indecẽs erat, quod in coronatione cælestis reginę deesset ornatus sui gloriosissimi corporis, cum rex cælestis in ornatu tali appareret, conueniensque fuit, vt sicut in corpore regis scriptum erat, Rex regum, & Dominus dominãtium, sic in corpore reginæ scriptum esset, Regina reginarũ. Similiter dicitur Prou. *Rex iustus erigit terram suam*. Cum ergo Christus sit ille qui iustus est, & iustitias dilexit, erigere debuit terram suam, quæ fuit caro Mariæ ex qua natus est. Quinta ratio Christus voluit totus esse matris suæ secundum carnem, vt scilicet patrem carnalem non haberet, voluit etiam matrem totam suam esse vt alios filios secundum carnem non generaret. Qui autẽ ex ea noluit generari filios, nunquid voluit ex ea generari vermes? Qui gloriosam matrem suam noluit communicare homini, nunquid voluit communicare vermi? Sexta ratio, nullus vestimenta sua permitteret corrodi à vermibus, sed corpus Mariæ fuit vestimentum Christi, quia ex purissimis sanguinibus Mariæ fecit sibi Christus vestem humanitatis, non ergo permisit illud corrodi à vermibus. Similiter si ita est, quod calix vbi reponitur sanguis Christi, & corporale quod tangit hostiam sacrã, non debent tangi nisi manibus sacris, & mũdis, debẽtque ab omni erugination, putrefactione, aut vermium corrosione illibata seruari, quanto magis corpus Mariæ in quo filius Dei nouẽ mensibus requieuit? Septima ratio, secundum Bernar. qui amat ardentius currit velocius, & peruenit citius, sed ipsa amauit ardentius, ideo cucurrit velocius, & peruenit citius omnibus ad brauiũ gloriæ animæ & corporis. Octaua ratio, vt mulieribus daretur spes resurrectionis. Si enim conueniens fuit, vt gloriosa Christi resurrectio accelararetur, vt per hoc viris spes suæ resurrectionis daretur, sic necesse fuit Mariæ resur-

Hest. 15.

Prou. 29

resurrectionẽ accelerari, vt muliebri sexui naturaliter magis pusillanimi, & maiorem materiam diffidendi habenti, eo quod fuisset occasio perditionis mundi, spes suæ resurrectionis daretur. Vterque enim sexus de paradiso terrestri eiectus est, ideo vterque in cælo debuit apparere in signum perfectæ reparationis. Et credere pium est, quod qui ad honorẽ mulierũ, mulieris, & nõ viri filius voluit esse, & post suam resurrectionem mulieri primo apparere, humanam naturã exaltare voluerit in corpore & in anima, in muliere ad inimicorum humani generis confusionem, ad eiusdem generis humani honorem & reparatoris ipsius laudem. Nona ratio. Maria optimam partẽ elegit. Gloria autem quam dat Deus sanctis suis tres habet partes. Prima est qua glorificat eorum corpora in terris, & hæc est pars

Eccl. 44. bona, de qua Eccl. *Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt*. Secunda est qua glorificat animas eorum in cælo, & hæc est melior,

Apoc. 6. de qua Apoc. *Datæ sunt eis singulæ stolæ albæ*. Tertia est qua glorificat vtrunque, & hęc est optima, quã Maria elegit. Decima ratio, aliqui tantũ demeruerunt, quod descenderũt in infernũ viuentes in corpore

Num. 16 & in anima, vt Dathã & Abiron, ergo aliquis potuit tantũ mereri, quod in cælum in corpore, & in anima ascendere posset, sed hoc maxime videtur matri Dei cõuenire, igitur dicendum est quod ipsa illud meruerit, & cũ Deus sit pronior ad miserendũ quã ad vindictã, Deus ei illud cõcessit. Vltima ratio, quia animę quæ sunt in gloria sine corpore, licet sint sine macula, non tamẽ sine ruga, quia habẽt adhuc quandam inclinationem ad corpora sua reassumanda, sed beata virgo fuit in pace in hoc mũdo sine macula & sine ruga, igitur congruũ est, vt etiã sit in plena quiete in paradiso sine macula & sine ruga & in gloria consummata, vt possit

Luc. 19. dici de ea: *Et quidẽ in hac die quæ ad pacẽ tibi*.

Secunda prærogatiua quod est super choros Angelorum exaltata. Hoc patet. Primo auctoritate Ecclesiæ dicentis. Exaltata est sancta Dei genitrix super Choros Angelorum. Secunda auctoritas est: quam poterat dicere, *Paululum cum pertransissem eos*, scilicet ordines Angelorum: *Inueni quem diligit anima mea*, & Eccl. dicit ipsa: *Quasi palma exaltata sum in cades*. Quãto palma inferius in radice plus premitur, tanto superius in ramis & frondibus exaltatur. Et quia Maria vna cum filio suo maxime fuit oppressa & humiliata, ideo nunc in cælis maxime exaltata. Cæteri enim sancti migrantes ex corpore recipiuntur inter choros Angelorum, hæc vero super choros exaltatur. Tertio ipsa dicitur electa vt sol. *Thronus eius sicut sol*, sed sol præfertur cæteris luminaribus, igitur & ipsa cæteris beatis. Quarta auctoritas. *Filij ædificatio ciuitatis confirmabit nomen, & super hanc*, scilicet ædificationem ciuitatis, *Mulier immaculata computabitur*, hoc est virgo Maria. Vnde in illa cœlesti Hierusalem quasi triplex ædificium potest assignari, scilicet atrium, palatiũ, thalamus. Atrium conuenit illis Angelis, qui discurrunt ad nos in ministerium. Palatium illis, qui semper assistunt creatori. Thalamus summę trinitati, in quo Thalamo credẽda est Maria collocata ad dexteram filij. Quinta est auctoritas: *Eleuata est magnificentia tua super cælos Deus*, id est super ordines Angelorum. Maria autem ideo dicitur Dei magnificentia, quia de parua, & humili magnam fecit eam Deus, & in ea magnificentiam compleuit, quando maximum operum suorum in illa fecit. Vnde sicut iuxta climata terræ habitabilis ponunt Astrologi alia duo prope ardores solis, sic vltra mansiones nouem ordinum Angelorum est vnus status perfectè contentus à Maria, quæ sola Dei mater est, & cui ratione dignitatis nõ potest alter addi. Nõ enim est congruũ plures esse Dei matres, sicut nec plures Christos Dei filios. Secũdus est in quo Christus Dei filius residet in ardoribus beatissimæ Trinitatis quæ totũ replet orbem, & sic Maria fecit vnũ ordinẽ per se, cui nihil potest addi. Sexta est

E

Maria est super omnes choros Angelorum exaltata.

Cant. 3.

Eccl 24.

Cant. 6.

Psal. 88.

Eccl 40.

Psalm. 8

Cæle-

Eccl. 24. Celestini super illud: *Ego in altissimis habito dicentis*. Merito habitas in altissimis virgo sublimis quasi nobilissima, & dignissima, luces in secretissimo consilio quia sapientissima, admitteris in districtissimo iudicio quia misericordissima, lætaris in familiari contubernio quia priuatissima. Nihil ergo te præter Deum altius, quia præter te in creaturis nihil amat dulcius. Secundo, hoc idem probatur figura. Nam Gen. dicitur: *Requieuit arca super montes Armeniæ*, per hanc arcam Maria, per montes Armeniæ ordines Angelorum. Secunda figura est de propitiatorio, quia propitiatorium erat super arcã. Sic Maria, quæ est propitiatorium peccatorum super totam Ecclesiam, & consequenter super Angelos exaltata est. Quia enim Maria est stella maris ducens ad portum, vt ab omnibus videretur, longe in alto debuit poni, non sub modio. Tertio, idem probatur similitudinibus. Prima est de cado. Cadus enim plenus terra positus in aqua descendit ad fundũ propter grauitatem terrę, sed plenus aëre ascendit sursum supernatans propter aëris leuitatem. Sic cor plenum terra cupiditatis ad infernum descendit, sed è contra cor plenum Deo. Cum ergo Maria fuerit maxime, & super omnes plena Deo, consequenter debuit esse excelsior. Secunda similitudo est de vite, quæ quo maiori ligno fuerit innixa eo magis ascendit, sed beata virgo super omnes innitebatur Deo, qui est vitis illa excelsissima, quæ dicit: *Ego sum vitis vera*, ideo plus cæteris ascendisse credenda est. Quarto hoc probatur rationibus. Prima est, secundũ magnitudinem gratiæ debet esse magnitudo gloriæ in cælo, sed ipsa summam gratiam apud Dominum, propter quam habuit singulare priuileginm matris Dei, igitur debuit habere maximam gloriam inter puras creaturas. Secunda ratio, quia ipsa parauerat filio Dei locum prętiosiorem totiur mundi, ideo decebat, vt filius eius vice versa pararet ei locũ pulchriorem cæli. Hinc est quod Bernardus dicit. Nec in mundo locus dignior virginalis vteri templo, quo Maria Dei filium suscepit, nec in cælis regali solio quo Mariã Mariæ filius sublimauit. Tertia ratio, quia fuit socia passionis Christi. Fidelis societas facit omnia communia damnũ, & lucrum, dolorem, & gaudium. *Sicut socij estis passionis, sic eritis, & consolationis*. Iustum autem est, vt qui fuit regi propior in bello in tribulatione, postea sit propior in festo in consolatione, sed persona sibi propinquior tempore passionis fuit Maria quæ cæteris fugiẽtibus stetit iuxta crucem. Igitur fuit conueniens, quod in consolatione regni cœlestis staret iuxta filium super omnem creaturam. Quarta ratio est ex humilitatis magnitudine. Modus enim stateræ est quod quãto vna pars magis declinat deorsum, tanto altera sursum eleuatur. Sic in statera diuinæ iustitiæ humiles se deprimentes eleuantur, & superbi se extollentes deprimuntur. Exempla sunt in scriptura sacra, quia Saul propter superbiam à regno expulsus est, & Dauid humilis substitutus. Aman propter superbiam & sæuitiã suspendio interijt, & humilis Mardochæus ad honoris fastigium sublimatur. Maria autem inter cæteros magis depressit se & humiliauit, igitur debuit plus cæteris exaltari. Quinta ratio, iustum est, vt qui plus seruiuit plus remuneretur, sed Maria plus seruiuit quam cæteri, scilicet de substantia corporis sui ad Filij Dei corpus formandum, igitur plus cæteris debuit remunerari, & de facto remunerata est. Tertia prærogatiua est omnium regnorum imperium & dominatio. Hoc patet primo per illud Sap. quod de Maria intelligi potest, *præposui illam regnis & sedibus*. Regnis vt coram ea flectatur omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorum, & sedibus iudicum cæli, qui sedebunt super sedes duodecim, &c. Illa enim magis eleuata sedebit in Throno in figura matris Salomonis, Et secundum quod canit Ecclesia. *Veni electa mea, & ponam te in thronum meum*. Et in Psal. *Astitit regina*

Gen. 8.

2. Cor. 1

*G Maria imperiorum & regnorũ dominatrix.*

Sap 7.

3 Reg. 2

Psal. 44.

*regina à dextris tuis.* Secundo hoc probatur per illud Eccles. quod de se dicere poterat. Eccl 24 *In omni terra steti, & in omni gente, & in omni populo primatum habui.* Tertio vocatur Regina cælorum dicente Ecclesia, super salutem, &c. Et Regina cælorum vocari digna es, & sequitur, gaudent chori Angelorum, sed tristabantur catervę dæmonum, exemplo auium diurnarum & nocturnarum. Aues enim diurnæ & mundę adueniente aurora excitantur & melius solito canunt, aues autem nocturnæ & immundæ adueniente aurora fugiunt & se abscondunt, sicut bubo & vpupa. Sic Angeli lucis plurimum gaudebant de gloria Assumptionis virginis, dæmones vero propter eam torquebantur, similes illis, de quibus Iob. Iob 24 *Si subito apparuerit aurora arbitrantur vmbram mortis.* Secundo, hoc probatur ratione, quia dicit Psal. de Psa 144 Deo quod *miserationes eius super omnia opera eius*, sed ipsa est Regina misericordiæ, ergo est super omnia opera Dei, & per consequens dominatur omnibus regnis & imperijs mundi. Tertio sic, quod iure ei debeantur omnia regna terrarum. Patet, quia filius eius in instanti suæ conceptionis monarchiam totius obtinuit & promeruit orbis, vt restatur Propheta Psa. 138 dicens: *Domini est terra & plenitudo eius.* Iure igitur conceptionis incumbebat ei illud procurare & administrare, quod ex tunc filio datum est, vsque ad ætatem legitimam filij sui, vt volunt iura aliqua, licet non administrauerit, sicut nec filius voluit administrare, & etiam quia ad Domini seruitium se totã disponebat. Similiter cum filius in cruce moreretur, cũ nullum haberet in terris qui ei iure succederet, mater secundũ omnia iura successit, & sic principatum omnium obtinuit, nec hanc successioné vsque legimus reuocatam, sed quotidie eam cernimus expressius elucidari, dum eam Reginam mũdi, vel dominam prędicamus. Etiam tunc eã dominari mundo specialiter cognouerũt christiani, quãdo eius medio vicerũt Saracenos & terram sanctam sibi acquisierunt duce Gaudefredo de Billon & regnante in Francia Philippo rege, & tunc secundum Ptolomæum de Luca in Historia scholastica noua, ab Vrbano secundo in concilio Claramontensi ordinatum est, & hoc scribit Martinus in Cronica, vt horæ beatę virginis quotidie dicantur, & quod eius officium diebus Sabbati solénniter fiat, & hoc fuit anno Domini millesimo octogesimo nono. Sed quod dæmonibus imperet probatur primo auctoritatibus. *Pauebit Assur*, id est diabolus Esai. 30. *virga percussus*, illa scilicet de qua dicitur, *egredietur virga de radice Iessæ*, quam instar Esai. 11. canum fugiunt. Et: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.* Quasi Cant. 1. diceret Dominus Mariæ. Feci te similem Angelicis spiritibus qui sunt velut equitatus meus, seu equites mei, in curribus Pharaonis, id est diaboli subuertẽdis, sed hoc est in potestate dæmonis reprimenda, quinimmo ad hoc faciendum subiecti sunt ei Angeli sancti. Secundo hoc patet duabus figuris. Prima habetur Iud. vbi dicitur: *Vna mulier fecit confusionem in domo* Iud 14. *Nabuchodonosor regis*, hoc est Maria in regno principis dæmonum. Secunda habetur Iud. In muliere quæ interfecit Abi- Iud. 9. melech. Tertio quia (vt dicitur in vitis Patrum) cum quidã homo rabidus vexatus à principe legionis dæmonum curãdus perduceretur ad B. Antoniũ, respondit hoc opus esse Pauli simplicis discipuli sui, non suum. Si ergo ita est quod magni dæmones fugantur à simplicibus & humilibus & eis subijciuntur, cum Maria fuerit inter omnes humillima, consequẽs est dicere quod ei amplius subdantur & subiiciantur.

H — *Horæ virginis dicuntur ex ordinatione Concilij Claremont.*

Quarta prerogatiua quod est omnium illuminatrix. Hoc patet primo quia iuxta Dionisium, Deus ita ordinauit vt superiores illuminarent inferiores, sed ipsa est suprema inter omnes creaturas, igitur & illuminatrix omnium creaturarũ. Secundo, de ea dicitur in figura Apoc. *Ciuitas hæc nõ indiget sole, neque luna, sed claritas Dei illuminabit eã, & lucerna eius est agnus.* Apo. 22

I — *Maria omnium illuminatrix.*

Per

Per solem enim illuminatio angelica, & per lunam humana intelliguntur, quibus non indiget, quia illuminatur immediate à Deo, & inde dicitur: claritas Dei, &c. Et si arguatur, quod Maria fuit illuminata ab Angelo, quando ei reuelatum est mysterium incarnationis filij Dei. Dicitur primo secundum Thomam 3. part. quæst. 30. quod Maria superior erat Angelis, quantum ad dignitatem ad quam diuinitus eligebatur, sed quantum ad statum præsentis vitæ erat inferior, quia & ipse Christus ratione passibilis vitæ modicum est ab Angelis minoratus. Veruntamen quia Christus simul fuit viator & comprehensor, quantum ad cognitionem diuinorum non indigebat ab Angelis instrui. Sed mater Dei non erat in statu cõprehensorum, ideo de diuino conceptu per Angelos instruenda erat. Dicitur secundo quod tunc nondum erat mater Dei, ideo nec super Angelos dignitate exaltata, quia nondum erat ei subditus Dominus omnium, sed restabat consensus. Nunc autem ratione dignitatis maternæ super omnes creaturas in cęlis sublimata, non indiget cuiusquam illuminatione, nisi solius Dei, sed habet cæteros illuminare. Et quia paratissima est illuminare ignorantes, ideo *sicut oculi ancillæ in manibus dominæ*, ita oculi Ecclesiæ ad eam vt illuminentur. Propter illam enim prõptitudinem ad illuminandum & succurrendum indigentibus, dicitur pulchra vt luna, vt sicut luna est propinquissima terræ lucens his qui in nocte sunt, ita designetur esse inter Sanctos paratissima illuminare his qui in vmbra mortis sedẽt, & in nocte peccati. Sicut etiam luna est mediatrix luminis, cum aliquid opacum interponitur inter solem & terram, quia tunc à sole lumen recipit & illud communicat mundo, sic Maria Dei filium quasi radium à vero sole procedentem suscepit, & humanitatem obumbratam mundo dedit. Bernar. Cum tu dignus nõ eras cui filius Dei daretur, datus est Marię, vt per eã acciperes quicquid haberes.

Nota.

Psal. 122

Quinta prærogatiua est ab omnibus generationibus benedictio. Primo hoc Spiritus sanctus longe ante prædixerat. *Viderunt eam filiæ Syon & beatissimam prædicauerunt, vir eius, & laudauit eam.* Secundo hoc patet per Canticum suum, vbi ait: *Ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, ita vt verificent illud: *Non recedet memoria eius, & nomen eius requiretur à generatione in generationem*, & illud: *Eleuabitur super colles, & fluent ad eam omnes gentes.* Nec mirum, quia misericordiam quasi naturalem habet ad subueniendum omnibus. Cæteri autem Sancti habent virtutem subueniẽdi quibusdam, non omnibus in particularibus locis, non in omnibus, sed in locis sepulturæ, & de quibusdam infirmitatibus, nõ de omnibus. Hęc autẽ est quasi oliua speciosa in campis, quia communis est omnibus personis, omnibus partibus, omnibus morbis, omnibus locis, omnibus tẽporibus. Sexta prærogatiua est omnium thesaurorum regis distributio. Dicunt sapientes huius mundi quod sufficit vnus dator in vna domo. Non sic iudicauit Deus pater, imo voluit quasi habere adiutorium liberalitatis suæ, & fecit Mariã eleemosynariam suam, & commisit ei thesaurum filium suum, volens vt esset datrix ipsius, sicut est mater omnium filiorum suorum spiritualium dicente Domino Ioanni: *Ecce mater tua.* Et ideo sæpe debet dicere illi filij, monstra te esse matrem. Ipsa enim dicit: *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* Septima est singulare refugiũ, & perpetuum omnium peccatorũ. Primo ad miracaculose operandũ circa eos. Exemplũ de Damasceno cui manũ abscissam restituit, & ita de plurimis alijs. Secundo vt oret pro ipsis Dicit autem ipsa illud Ps. *Memor ero Raab & Babylonis scientium me.* Nam si adhuc in terris viuens tam sedule orabat pro nobis, secundum illud: *Erant perseuerantes in orationibus & mulieribus & Maria matre Iesu*, quanto magis est nunc solicita? quam dulcis autem & grata sit Domino eius oratio, ipse insinuat quærens:

K. Maria ab omnibus benedicitur. Prou. 31. Luc. 1. Eccl. 39. Esai. 2. Nota. Ioan. 19. Cant. 2. L. Maria refugiũ peccatorum. Psal. 86. Act. 1.

Cant. 2. quærens: *Sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis.* Sed quã sit efficax patet per Eccl. 43. illud: *In sermone eius*, id est ipsa pro nobis oráte, *siluit ventus*, id est cessauit diabolica tentatio, *& cogitatione sua*, id est quãdo deuote cogitamus de ea, *placuit abyssum*, id est cor peccatoris profundũ & tenebrosum. Et B. Thomas Cantuarien. sic orat. Gaude nexu voluntatis & amplexu charitatis iuncta sic altissimo, vt ad votum consequaris, quicquid virgo postularis à Iesu dulcissimo. Tertio trahendo peccatores ad se, & tractos sustinẽdo ne relabantur. Trahit enim & inuitat ad se dicens illud: Eccl 24. *Transite ad me omnes qui concupiscitis me.* Sicut enim oculi Domini super iustos, ita oculi Mariæ super peccatores. Quod eius sit sustinere peccatorẽ ne cadat, vel subleuare lapsum, confitetur Ecclesia orans. Succurre cadenti, surgere qui curat populo. Et Dan. dicitur: *Cum qui e corruerint,* Dan. 11 *subleuabuntur auxilio paruulo*, sed beatæ Virginis, quæ paruula dicitur propter eius humilitatem. Quarto ingerendo se inter nos & patrem percutientem. Hinc dicitur collum, quia sicut collum mediat inter caput & membra, sic Maria est mediatrix inter Deũ & hominẽ. Quinto ad ad resistendum inimicis & eos confutandos. De hostibus corporalibus patuit in Iuliano apostata qui minatus fuerat Basilio & ciuitati eius postquã reuersus fuisset de bello persico, quẽ præcipit occidi à B. Mercurio, vt habetur in legẽda eiusdẽ B. Basilij. Similiter de imagine B. Mariæ apud Cõstantinopolim & subuẽtione cõtra Saracenos. De inimicis vero spiritualibus scilicet dæmonibus, quod iuuet contra eos, patuit per innumera pæne exempla, & singulariter vnum refert Episcopus Ianuensis in suo mariali de quodam graui peccatore, qui in visione deductus ad iudiciũ per humani generis inimicum, qui tendebat ad finem damnationis eius, & hoc propositione sua tribus rationibus fulcita. Primo vi legis cõditæ à summo iudice & sententiæ promulgatæ iuxta illud: *Quacunque hora come-* Genes 2. *deritis, morte moriemini*, & cum iste peccator sit de eadem progenie, iure legis præfatæ debet mori. Secundo ratione præscriptionis, quia multis annis ipsum possedit in seruum, quia qui facit peccatum, seruus est peccati. Tertio ratione proprietatis ipsius peccati, quod sic ponderosum est quod trahit altum in infimum. Quare maiora & ponderiosiora sunt eius peccata quam bona gesta, & ad hoc demonstrandum afferatur statera. Cuius articulis obuiat Maria. Contra primam rationem dicens ipsum inimicum ipsam legem, seu instrumentum falsificasse, & propterea ad agendum contra hominẽ tanquam falsarium fore repellendum. Secundo ad præscriptionẽ illatam dixit nõ esse veram, sed frequenter interruptam per rationem contradicentem & reluctantem seruitio tam crudelis Domini. Tertio ad ponderositatem peccati dixit meritum passionis filij sui fuisse validius, etiam ad stateram allatam. Et sic confusus recessit aduersarius, & ille euigilans vitam suam in melius cõmutauit. Iuuat etiam contra tentationes diaboli. Vnde sicut Salomon per matrem 3 Reg. 2 præualuit contra Adoniam, qui impedire volebat ne regnum consequeretur, sic vere pacificus Maria mediante, obtinebit victoriam in tentatione contra diabolum, & regnum acquiret æternum. 2 Reg. 4 Alioquin qui non habuerit eam adiutricem, facile subneruabitur à dæmone. In cuius figura legitur de Miphibosech filio Ionatæ, quod cum esset infans de manibus nutricis suæ ceciderat, & ideo claudus erat. Sic enim quando nutrix nostra Maria hominem non iuuat sed in tentationem cadere permittit, statim diabolus in eo claudicationem inconstantię malitiæ introducit. Ideo dicat deuotus illud: *Pone me iuxta te, & cuiusuis* Iob 17. *manus pugnet contra me.* Octaua prærogatiua est sibi deuotorum imo & omnium ciuium cælestium finalis præmiatio. Sicut enim in visione speciosi forma prę filijs hominũ lætabantur beati, & præmiabantur

M Maria est quædam præmiatio accidentalis beatorum.

bantur præmio accidentiali secundum
Ioan. 10 illud: Dictum de beato, *ingredietur* per visioné diuinæ essentiæ, *& egredietur* per visionem humanitatis assumptæ, *& pascua inueniet*, sic & deuoti Mariæ, & omnes sancti in cælo gaudebunt, & præmiabuntur quodam premio accidentali, vi visione illius, quæ speciosa est præ filiabus Hierusalem. Patet primo, quia ipse est ar-
Eccl. 43. cus de quo dicitur Eccli. *Vide arcum, & benedic Deum, qui fecit eum, Valde enim speciosus est in decore suo*. Videns enim beatus istum arcum tam lucidum, & speciosum multum lætatur, & inde prorumpit in benedictionem Dei. Secundo, quia ipsa est luna, de qua ibidem dicitur. A luna signum diei festi, per quod denotatur quod in visione virginis fit magnum festum, & gaudium magnum habetur in cœlo.

## DE EODEM FESTO SERMO VI. & in ordine. XLVI. Per Thema.

Cant 8. QVæ est ista, quæ ascendit de deserto delicijs affluens innixa super dilectum suum. Quæritur vtrum hodie debeamus Mariam salutare salutatione Angelica? Salutamus enim quę sunt prope nos, & non quæ longe. Cum ergo hodie sit elõgata à nobis ascendens de deserto huius mundi vsque ad cęlũ, quomodo eam poterimus salutare? Responsio, quod Maria licet corporaliter longe sit à nobis, tamẽ per inspirationes bonas, & deuotiones nobis à filio suo datas: sæpe nos salutat,
Psal. 43. quia ille est secundum Psal. *Qui mandat salutes Iacob*, dicens per filias Hierusalem,
Cant. 5 id est per Angelos. *Filiæ Hierusalem nũciate dilecto*, id est amatori, & deuoto meo, *quia amore*, salutis suæ *langueo*, Dicitur secundo, quod nunc sibi magis proprie cõpetit, aue, cum assumpta est in cælum, quam quando peperit filium aut concepit. Patet deducendo per singulas partiunculas illius salutationis. Primo conuenientius ei dicitur aue, id est, sine væ doloris, & culpæ. Licet enim viuens

*A Maria assumpta magis competit aue Angelicum quã ante assumptionem.*

esset sine væ culpæ, à maledictione tamen, & vę pœnę non erat immunis. Tũc enim iuxta Symeonis prophetiam remanebat ei ille passionis gladius trãsuerberaturus cor eius. Secundo potius dicitur Maria, id est maris stella quam ante, quia proprium est stellæ esse in cælo, ideo nunc magis proprie, quam tunc dicitur Maria, maris stella quãdo assumpta est in cælum. Tertio potius dicitur gratia plena, quod ante dupliciter. Primo quia licet eius anima præ cæteris sancta esset, & corpus nobilitatum illo fructu nobili super omnes benedicto, erat tamen corpus fragile, & mortale. Nunc autem tota pulchra, & in corpore, & in anima, quãdo sicut animæ sic & corpori ad beatitudinem nihil deest. Maior igitur apparet gratia quando maior gloria, quæ gratiæ correspondet. Secundo quia ipsa se testatur in cellaria paradisi introductam, non Cant. 8. in cellarium tantum, vt petrus contentus est cellario apostolorum, id est mansione apostolorum, sicut, & quilibet ordo angelorum sua mansione. Sed Maria quodam priuilegio in omnia introducta est, ita vt sicut omnium merita, sic & omniũ præmia credatur assecuta, vt pote cui nec continentia virginum, nec confessorum sobrietas, nec martyrum victoria, & animi constantia, nec Apostolorum Zelus, nec Angelorum puritas creditur defuisse. Tertio conuenientius dicitur ei Dominus tecum, quam ante. Primo quia non est qui Marię possit dicere, quod ei vires ad liberandum non suppetant, quia Dominus est cum ea, adhuc eius per omnia obsequens voluntati, paratus misereri cui ipsa voluerit, propter quod ei dicimus, Dominus tecum. Quasi diceret ei filius, sicut in die resurrectionis in persona eius loquentis ad patrem, resurrexi, & adhuc tecum sum, sic idem dicere potuit matri suę post assumptionem. Recte igitur ei memoratus, Dominus tecum, quæ nos nunc amplius iuuare potest apud ipsum, quam antea posset.

Secundo, quia in hoc nunc ostenditur maxima

maxima virginis prærogatiua. Cum enim sit magnum cuilibet sancto esse cum Domino, iuxta illud Apostoli. *Cupio dissolui & esse cum Christo*, & illud: *Simul rapiemur obuiam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus*. Maria tamen excellentius non tã dicitur esse cum Domino, quam Dominus cum ea. In quo notatur honor quem Dominus in propria domo matri suę exhibet. Hic est Assuerus, qui epulatur cum regina Hester, vbi audit á rege: *Pete quod vis, & quicquid petieris, impetrabis*. Quarto conuenientius nunc dicitur, benedicta tu in mulieribus quam ante, quia benedictę sunt mulieres ex fructu suo, sed maledictionem aut saltem amaritudiné, & minoritatem suæ benedictionis vidêtur incurrere, quando perdunt fructum suum. Maria vero fructum visa est amisisse in passione, dum audiuit à filio suo, *Mulier ecce filius tuus*. Tunc enim supponebatur ei alius. Nunc autem, & hodie cum peruenit ad thronum filij audit à filio. Maria ecce filius tuus, ecce quem genuisti vides in tanta maiestate fulgentem. Quis enim gaudij locus antea erat, vbi proprius tollebatur filius, & alius superponebatur? Sed hodie hæc prima abierunt, quia iam hodie restituta est ei præsentia filij, notitia & affectus, & dicitur ei: Maria ecce filius tuus. Secundo in mundo, dum viueret paucam matri familiaritatem ostẽdit, adeo vt in nuptijs in Chana Galileæ non matrem, non Mariam, sed mulierem vocauerit, in cruce similiter, ostendens cum mulieribus modicam habendam esse familiaritatem. Nunc autem ex quo ostendit ei præsentiam suam, & faciem suam in cælestibus ait: *Sonet vox tua in auribus meis*, intercedendo pro peccatoribus. *Vox enim tua dulcis mihi*, dulcis etiam peccatoribus, dulcis etiam Angelicis spiritibus audientibus quasi diceret: *Pete à me quod vis mater*. Neque enim fas est vt auertam faciem meam à te, non sicut Salomon, qui postquam matrem iussit petere, repulit, sed ipse vlterius ei præstat, quam promittit. Nunc autem potius dicitur bene-

Phil. 1. 1 Thes. 4. Hest. 7. Ioan. 19. Cant. 2. 3 Reg. 2.



dictus fructus, &c. quia sic est benedictus, quod nec Iudæorum nec aliorum maledicto sicut ante subiacet, sed est totus gloriosus, & exaltatus in sæcula. Quod autem terminamus salutem nõ in eo quod dicimus, benedicta tu, hoc est ne in ipsa virgine videatur affectio humana quiescere debere. Sed additur de benedicto fructu quo solo fruẽdum est, nec nisi eo habito alibi beatitudo est speranda, Ideo in Antiphona, salue Regina, recte in fine dicitur, & Iesum benedictum fructũ, &c. Reficimur fructu arboris non arbore, licet benedicatur fructus ex arboris benedictione. Vt igitur ipsa pro nobis intercedat, sicut dicimus patri nostro, pater noster qui es in cælis habitationis cælestis faciendo mentionem, vt circa huius incolatus miserias paternum inclinemus affectum, sic matri nostræ dicamus aue, id est, quod est sine maledictione culpæ & pœnæ, in quas nunc incidimus. Scit enim & intelligit vno verbo quid dicamus, vt sicut patri memoramur illam habitationem, in qua est omne bonum, vt memoretur vbi sumus, scilicet vbi malum abundat, sic & ipsi dicamus, aue, vt nostri memoretur in loco miseriæ, vbi sumus pleni væ. Dicamus igitur Aue, &c.

Quæritur vtrum hodie debeamus lugere vel gaudere de ascensu Mariæ à nobis in cælum. Et videtur, quod lugere. Primo, quia hodie prętiosius iocale quod terra habebat, ablatum est à terra, gaudium scilicet & exultatio vniuersæ terræ. Secundo videmus per experientiã, quod vnaquæque Ecclesia quantum potest cõseruat suas reliquias, & si forte pro graui causa transferatur aliquod reliquiare de vna Ecclesia in aliam, fit solum festum in Ecclesia ad quam transfertur. Cum ergo pretiosissimum reliquiare sit hodie trãslatum de Ecclesia militante in Ecclesiam triumphantem videtur, quod solum debeat fieri solennitas in illa Ecclesia superiori triumphante, & non hic. Sed nihilominus dicendũ est, quod hodie maxime gaudere debemus. Primo, quia secundum

B Maria assumptio est cum gaudio celebranda.

cundum Bernard. iuit ad parandum nobis locum, ita vt possit nobis dicere: *Si diligeretis me gauderetis vtique, quia vado ad filium*. Non enim habemus hic ciuitatē manentem, sed futuram inquirimus. Secundo quia facta est domina cælorum. Si ergo sumus sibi deuoti serui, spes est vt serui sequantur dominam. Non autem sumus boni serui nec deuoti illi, nec digni eam sequi, nisi de sua promotione gaudeamus, & congratulemur ei in die suæ exaltationis ac cū lætitia seruiamus. Boni enim serui tantū studiosius dominis suis seruiūt, quanto eorū potestatē cognoscūt augeri. Cū igitur hodie ceperit potestatē super omnes, qui in cælis & in terra sunt, debemus illi hodie præcipue cum exaltatione seruire. Sed aduertendum est quod beata Virgo de tribus discis seu generibus ciborum (vulgo *de trois mes*) passa est seruitium. Primum fuit ferculum pœnæ, quod promisit Symeon in purificatione, & exhibitum est ei in filij sui passione. Certe morsellus amarus sed bonus, de quo Psal. *Tribulationem & dolorem inueni, & propter hoc nomen Domini inuocaui.* Secundum fuit ferculum gratiæ, & hoc fuit sibi ministratum in conceptione & annunciatione, quia tunc cibata est gratia Dei. Primus cibus amarissimus pascebat, & corpus & animam. Secundus animam tantum. Tertium fuit ferculum gloriæ, quo hodie cibata est in corpore & in anima, cibus quidem dulcissimus & sibi & nobis magis complacens. Primus cibus transitorius nec satians. Secundus spiritualis, nec plene satians. Tertius æternus & satians. Ideo Maria in suis contemplationibus dicere poterat filio suo. Satis est dilecte mi, quod hucusque potasti me potu amaritudinis. Cum enim te vidi patientem, potum meum cum fletu miscebam, & cum subsannarent me Scribæ & Pharisæi post ascensionem tuam, *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte*. Non satiat me cibus gratiæ tuæ, quamuis me tua gratia repleueris, & in me sit omnis gratia viæ & veritatis, tantummodo satiabor cum apparuerit gloria tua. Semper enim sitiuit anima mea ad te Deum fontem viuum, quousque veniam & apparebo ante faciem tuam. Non enim sine magno labore ad magnam peruenitur gloriam, vt patet in his qui honorantur à rege. Primo pro rege laborem assumunt. Secundo recipiuntur in gratiam. Tertio in honorem sublimantur. Cum igitur serui libentius suis dominis de melioribus ferculis ministrent, si sint fideles, & cum inter omnia melius sit ferculum gloriæ, debemus ei offerre hodie cum maxima iucunditate ferculum illud ei congratulando. Tertia causa gaudij est, quia plures causas habemus in illa cælesti patria, ideo necessarium fuit vt esset aduocata nostra prope iudicem, quæ loqueretur pro nobis, nec permitteret causas nostras perdi, quod hodie impletum est, ideo, &c. Quarto quia factum est hodie fœdus inter nos & cælum, quando cælum suscepit hodie pretiosum munus terrę nostrę, scilicet matrem Domini, quod fœdus est maxime desiderabile, quia sic dum confœderantur cælum & terra, communicant sibi mutuo bona sua, sicut solet fieri in regionibus pacificatis, quod vna alteri mittit munera & è contra. Sic etiam dum cælum suscepit humanitatem Christi, dedit dona sua hominibus. Ita similiter hodie sperandum est, quod habebimus munera à Maria in cælis residente, si munus orationis nostræ ad regionem illam mittamus. De orationibus autem & requestis satis habemus hic inferius, & de gratia satis est superius, ideo communicemus orationes nostras, & nobis communicabitur gratia. Quod ipsa virgo habeat distribuere gratiam Dei, ipsa testatur. *Introduxit me rex in cellaria sua*, sequamur ergo cum Ecclesia dicentes, exultabimus & lætabimur in te memores vberum tuorum, & cum admiratione dicamus, *quæ est ista quæ ascendit de deserto delitijs affluens*, &c. Admirantur Angeli de tribus quæ videbant in virginem, scilicet de ascensu, de delitiarum affluentia, & quod innixa esset

Ioan. 14
Nota.
Psal. 114.
Psal. 41.
Cant. 1.

esset dilecto. Primum mirabile. Secundum mirabilius. Tertium mirabilissimum. Ascensus mirabilis, quia pauci ascendunt. Psal. *Quis ascendet in montem Domini*, quasi dicat, pauci. Pauci enim electi, sed fere omnes descendunt. *Descendent fortes, sublimes gloriosique ad eum*. scilicet infernum. Secundum mirabilius, quia pauci ascendunt affluentes delitijs, quia fere omnes pedibus, id est affectibus lutosis descendunt ad minus in purgatorium. Tertium mirabilissimum quod innixa esset super dilectum, quod nulli alteri datum est creaturæ. Et hæc sunt tria puncta quæ deducentur in præsenti sermone.

Psal 23. Esai 5.

Pro prima parte notandum quod sicut ter interrogauerunt Angeli de Christo ascendente in cælum. Primo, *Quis est iste rex gloriæ?* & quia in passione tanquam fortis bellator apparuerat, responsum est, *Dominus fortis, Dominus potens in prælio*. Secundo iterum interrogauerunt: *Quis est iste rex gloriæ?* & quia virtuose egerat in deprædando infernum, & prædam reducendo ad gloriam in resurrectione sua, ideo responsum est, *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ*. Tertio interrogauerant dicentes: *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de bosra, iste formosus in stola sua*, &c. Et quia veniebat ad patrem pro salute humani generis imploraturus, ideo respondet ipse, ego qui loquor iustitiam & propugnator sum ad saluandum. Sic suo modo ter interrogauerunt Angeli de Maria ascendente. Primo, *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens?* Quia enim à deiectione Adæ vsque ad natiuitatem Mariæ tenebræ factæ sunt per vniuersam terram. Vnde canit Ecclesia, video nebulam totam terram tegentem. Psal. *Posuisti tenebras & facta est nox*. Et Iob dicitur: *Sit nox illa solitaria nec laude digna, qui non vidit ortum surgentis auroræ*, id est Mariæ. Sed quando nata est Maria virgo, tunc illuminatus est mundus, & eius vita gloriosa lucem dedit sæculo, quia eius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias. Et responderi poterat Angelis. Ista est pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata. Secundo interrogauerunt, quæ est ista quæ ascendit quasi virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris vniuersi pulueris pigmentarij? & poterit responderi. Ista est mulier quam præparauit Dominus filio Domini mei. Tertio in assumptione interrogauerunt, quæ est ista quæ ascendit de deserto delitijs &c. & responderi potuit. Ista est speciosa inter filias Hierusalem, sicut vidistis eam plenam charitate & dilectione. Causa admirationis angelorum subditur cum dicitur, ascendit de deserto, id est mundo propter carentiam omnium bonorum spiritualium.

Vbi sup. Esai 63. Cant. 6. Psal 103. Iob 3.

Sed cum mundus sit ita aridus & priuatus bonis spiritualibus, nonne causauit ariditatem mentis vel diminutionem amoris Mariæ erga Christum filium suum ex absentia eius & dilatione assumptionis suæ? Et videtur, quod sic, quia dilatio amati fastidiosa est amanti, fastidium vero de amore diminuit secundum quod dicebat illa anima, dormitauit anima mea præ tædio, id est paululum ab amore cessauit, igitur hæc dilatio amorem diminuit Mariæ. Secundo secundum Aristotel. 19. Ethicor. incommunicatio dissoluit amicitias, igitur hæc dilatio absentiæ, quæ est incommunicatio quædam, diminutio fuit amoris quo Maria languebat. Tertio dolor & angustia diminuunt de actu efficaci amoris, ita vt propter angustiam non ex toto feramur in amatum, sed Maria summe doluit de absentia filij sui. Si enim vehemens fuit dolor ex absentia ipsius paruuli & incogniti, secundum quod ipsa confiteri videbatur dicens, ego & pater tuus dolentes quærebamus te, sequitur quod multo maior fuit in tam longa absentia filij iam toti mundo famati. Respondetur per tres propositiones. Prima est. Numquam aliqua mater ita tenerrime filium suum dilexit, & integerrime sicut Maria Christum

D Mariæ amor an diminuebatur ex absentia filij & dilatione.

 amore

amore naturali aut alias magis sensitiuo, Probatur, quia nos corpus nostrum à patre & matre participamus, ideo amor in patrem & matrem patitur, sed Christus ex toto à Maria carnem assumpsit igitur plus cæteris illo amore dilexit. Secundo ad idem. Vbi erat maior dilectionis occasio, non dubium quod illam non prætermittebat Maria, sed omnibus matribus habuit maiorem dilectionis occasionem, quia cæteræ matres serpentino fætu rumpuntur cum maximis doloribus & angustijs, hæc vero sine dolore cum integritate peperit & accepit, igitur maiorem dilectionis occasionem habuit, & per cõsequens magis dilexit. Quod si dicatur, quia secundum Arist. 2. Thopic. magis amatur quod non est facile sumere, & 1. Polit. hi qui de nouo ditantur illiberaliores sunt his qui ex antiquis, quia cum labore diuitias acquisierũt, igitur cũ Maria sine labore acquisiuit, sequitur quod minus dilexerit. Respondetur quod nũquam filius fuit cũ tanta difficultate habitus, cum maioribus lacrymis, suspirijs, & quærelis, quam vnigenitus Dei patris. Ideo cum maximo labore quæsitus, licet sine difficultate à matre conceptus & natus. Nec tenet illa regula Thopica, vbi bonum est tam excellens facile acquisitum, vt dona gratiarum quæ quis facile acquirit magis amabilia sunt, quam bona temporalia, quæ cum difficultate acquiruntur. Secunda propositio. Amore supernaturali & diuino seu charitatiuo Maria dilexit summe vnigenitum suum, vt nulla vnquam dilectio in pura creatura maior fuerit. Patet primo, quia amor reciprocus est ex sui natura. Cum igitur clare cognosceret se à filio summe dilectam, vtpote tanquam electam in eius matrem, quem credebat verum esse Deum, sequitur, quod summe diligebat eum. Secundo dicitur Prou. *Filius stultus mæstitia est matris suæ*, igitur per consequentiam à contrario, delectatio, *& amor matris est filius sapiens*, igitur sapientissimus filius est summus amor matris. Sed Maria cognoscebat hunc esse sapientiam patris, & sanctissimæ honestatis, igitur. Tertio si ex obdormitione Ioannis super pectus Domini Iesu tanta gratiarum & charitatis fluenta hauserit Ioannes, vt inde per sacræ Scripturæ testimonium dictus sit primo, Discipulus ille quem diligebat Iesus, & non ante, multo magis Maria ad cumulum, & magis mare magnum hausit, quæ non vnico osculo contenta, sed nunc in sinu quiescentem sustinebat, tunc gerulæ fungebatur officio, nunc amplexabatur amore per totius suæ iuuentutis cursum. Non igitur mirum si inter omnes maxime dilexit eum. Si enim illa mulier emoroissa sensit virtutem, quæ de Domino exijt, quę solam tamen vestem tetigit, quantam virtutem credimus obtinuisse ex contactu frequentissimo totius humanitatis Christi Mariam matrem eius. Si ad pedes Domini Iesu sanata est mulier meretrix, vt fieret sancta, & præcipua eius dilectrix, quid dicemus de illa quæ toties omnia membra eius tenuit, palpauit, ligauit, amplexata est? Quod si dicatur ex teneritudine materni amoris esse, vt si contingat filium opprobrium aliquod pati, puta suspendium vel capitis truncationem, quod non possit illud videre, sed magis fugere & abscondere ne videat. Maria vero opprobrio filij sui præsens fuit, & sic non eum summe dilexit. Respondetur, quod ideo matres filiorum opprobria videre non possunt, non solum quia eos tenerrime amant, sed ex vecordia, & pusillanimitate earum, quia cor talia videre non potest. Maria vero ex magnanimitate hoc fecit, vt præ cæteris matribus cor virile ostenderet, ne suo vnigenito in extrema necessitate deficeret. Non enim satis videtur amare, qui in extrema quantumcunque opprobriosa deficit necessitate. Tertia propositio. Dilatio, & abscentia corporalis dilecti diminuebant in Maria de amore sensitiuo. Probatur, quia Ioan. dicebat Dominus Apostolis. *Si ego*

Prou 10

Ioan. 16 *Si ego non abiero, paraclitus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Quaſi diceret. Si ego non abiero, non eſtis perfecti vt ſitis capaces plenitudinis Spiritus ſancti propter affectum carnalem, & amorem quem ſolũ extenditis ad meam humanitatem. Si auté abſens fuero, tunc diminuetur ille amor, & extendetur diuinus amor in Deũ. Sicut aui nobili tollitur præda inferior, vt aſpirare valeat ſuperius ad nobilem prædam. Inde dice-
2. Cor. 5 bat Apoſtolus. *Si cognouimus Chriſtum ſecũdum carnem, ſed nunc iam non nouimus.* Cum igitur Maria ſumme amabat Chriſti humanitatem, quam traxerat Chriſtus ex carne ſua, ſequitur, quod neceſſario erat amouenda ab oculis corporeis, vt mens eius dilataretur, & magis in Deum eleuaretur. Quarta propoſitio. Amor diuinus ex longa abſentia corporali Domini Ieſu in Maria augebatur continuo. Tum primo, quia licet dilatio incerta de habendo deſideratum affligat expectantem, certa tamen de habédo adauget deſideriũ, ſed deſiderium eſt amor licet nõdum cõſummatus, igitur in abſentia filij corporali cum plus deſideraret eum plus augebatur amor. Tum ſecundo, quia ſecundum Auguſtinum, hoc facit amor in ſpiritibus quod pondus in corporibus, ſed grauia corpora propter pondus grauitatis quanto magis appropinquant ad locum deſideratum tanto velocius mouentur, igitur quanto amor diuinus appropinquat ad optatũ finem tanto augetur, & ardet. Cum igitur Maria ſciret per reuelationes appropinquare terminum vitæ ſuæ quo coniuncta eſſe debebat Deo per fruitionem, ſequitur, quod continue amor ille per dilationem augebatur. Tũ tertio, quia ſecundum magiſtrũ ſenten. quanto quis magis cognoſcit, tanto magis diligit, & hoc in affectibus bene diſpoſitis. Sed Maria habuit affectioné optime regulatam. Et inter omnes mundi creaturas magis cognoſcebat dulcediné Domini Ieſu, & quotidie creditur multas ab eo, & Angelis eius conſolationes,

& reuelationes habuiſſe, imo ſecundum D
linconienſem. lib. 4. Angelicę Hierarchiæ. Nota.
c. 6. creditur rapta aliquando ad viſiones Dei. Ait enim. Nec heſitandum exiſtimo, quin ei beatiſsimæ me contingerit in hac vita pluries manifeſta, & nõ per enigmata ſeu figuras diuinę eſſentiæ viſio. Quod
ſi obijcitur, *non me videbit homo, & viuet.* Exod. 33
Reſpondet, in momento viſionis huius quo videt, non viuit homo, quia nõ prægrauatus nec prepeditus mole carnis propter actum ſupremæ potentiæ humanæ naturæ. Túc enim viuit ſuper hominem. Igitur ex huiuſmodi cognitionibus cõtinuis quibus ferebatur in Deum. quæ nõ erant impeditæ præſentia carnis Chriſti aut per carné propriã, ſequitur, quod continuo inflãmabatur amore. Tũ quarto, quia licet eſſet diſtantia corporis Chriſti ad Mariã, tamen animus Mariæ continue iungebatur diuinitati, & animę
Chriſti per amorem. *Qui enim adhæret Deo* 1. Cor. 6
*vnus ſpiritus eſt cum eo.* Nullus autem vnquam perfectius adhæſit animæ Chriſti, & eius diuinitati quàm Maria, teſtimonio Symeonis dicentis, animam Mariæ
eſſe animam Chriſti. *Tuam* (inquit) *ipſius* Luc. 2.
*animã pertraſibit gladius.* Quaſi diceret. Tua anima quæ ipſius eſt, gladio paſsionis ſuę tranſuerberabitur. Sed tunc perfectius vniebatur, cum nihil carnale impediebat, igitur tunc magis inflammabatur amore. Et licet dilatio amati aliquando generet faſtidium, non tamen in perfecte amantibus, quorum idem eſt velle, & nolle. Sciebat autem Maria illic eſſe vbi videbat Deũ quem præ cunctis amabat magisve ille, ideo vbique erat ipſa in Deo, & Deus in ea iucundabatur. Hæc Anſel. Dicitur vltra, quod Maria primo triſtabatur de abſentia paruuli filij ſibi in cuſtodiã tunc à Deo patre traditi, ſicut ſolent matres eſſe ſolicitæ de ſuis paruulis. Cum vero creuit, de eius abſentia non doluit, ſicut nec matres de filorum abſentia, quando per dignitatem exaltantur in curia regis. Pro ſecunda parte videndum eſt de delicijs Mariæ.

Fuerunt autem multiplices delitiæ eius, Primæ delitiæ est ipse filius eius, qui vice versa in ea plurimum delitiabatur. Si enim delitiæ eius esse cum filijs hominũ, à fortiori singulares delitiæ fuerunt esse cum matre sua de qua carnem assumpsit. Si enim in Sanctis sit per gratiam, excellentius tamen in Maria, quæ gratia plena. Secundo in ea fuerunt delitiæ Angelorum, quorum singulorum ordines in se virtutibus exemplauit. Cum omniũ officium Angelorum sit ministrare, ista est quæ ministrauit Elisabeth. Maior minori, sicut Angeli maiores nobis minoribus, imo quæ ministrauit ipsi Dei filio: *In habitatione sancta* corporis sui *coram ipso ministraui*, vel in habitatione sancta illorum Sanctorum virorum coram ipso quem in vtero meo gestabã, ministraui. Sed & Angelorum & Archangelorum officium cõpleuit, cum minora ministris in nuptijs, & maiora Apostolis post ascensionẽ nunciauit. Virtutes excessit cum in passione cæteris fugientibus corpore aut mẽte sola imperterrita mansit iuxta crucem, licet gladio passionis transfossa. Potestates vero cũ caput serpentis sua humilitate contriuit. Principatus cum paupertate spiritus totius mundanæ cupiditatis potestatem contempsit, cantans illud: Deposuit potentes de sede, &c. Dominationes, cum spiritus carnis dominatus est perpetuam exercens virginitatem. Thronos vero descripsit, cum sedes facta est omnipotentis. Chærubim autem quando in se recepit eum: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei*. Seraphin, quando filium ascendentem, & post ascensionem magno amoris ardore prosequuta est dicens: Trahe me post te, &c. & Angelis visa est dicere. Filiæ Hierusalem nunciate dilecto, quia amore langueo. Tertio habuit delitias hominum omnium & virtutum, ita vt potuisset ei applicari illud Ecclesi. *Omnia flumina*, scilicet gratiarum & virtutum, *Intrant in mare*, hoc est Mariã. Maria enim interpretatur mare amarũ. Quarto habuit delitias superexcellentes Angelo.

E *Maria delitia multiplices in assumptione.*

*Eccl. 25.*

*Collos. 2*

*Eccl. 1.*

Nam Angelos nusquã apprehendit Christus, sed semen Abrahæ in virginis vtero. Præterea superior Angelis honore. Tum quia genuit Regem Angelorũ. Tũ quia filius super Angelos exaltatus est. Superior virginitate, quia in carne fragili angelicam vitam duxit, quod non Angeli. Superior reuelatione, quæ secreta incarnationis intimius quam quicunque Angelorum cognouit experientia. Preterea nulli Angelorũ dixit aliquando pater, filius meus es tu, hoc dixit filio Mariæ pater in baptismo & transfiguratione, imo ipsa mater ei dixit: Præterea hodie colocata est proxima Trinitati. Signũ enim magnum apparuit in cælo cum pura creatura super omnes Angelorũ choros est exaltata. Iã enim Dominus super eos ascẽderat. *Quis est iste qui venit de Edõ?* Sed non fuit tam magnum miraculum, cum in vna persona esset Deus, & homo, cuius est super omnes cælos ascendere. Non mirum ergo si pro eius assumptione admirati sunt Angeli dicentes: quæ est ista quæ ascendit, &c. Præterea, erat alia ratio quare admirabantur Angeli, quia Angelus, qui homine superior est, ad Deũ se conuertere potest. Non enim exemplũ ab homine accipit cui se conformet. Homo vero qui est secunda creatura intelligentia vtens, ad Deum & ad Angelum se conuertere potest, ad Deum tanquam ad suum finem, ad Angelum tanquam ad finis ipsius viam. Ad Angelos per conformitatem vitæ, ad Deum per cognitionis & dilectionis perfectionem. Et quia Angeli Mariam ascendentem respiciebant, in qua exemplum virtutũ & perfectionum accipere poterant. Ideo de delitijs eius mirabãtur dicentes, quæ est ista, &c. Pro tertia parte aduertendum, quod Maria multis de causis dicitur innixa super dilectum suum. Primo quia à dilecto suo stabilita in æternum. Sicut enim qui labenti innititur, necesse est, vt cũ labente labatur. Qui enim innititur temporalibus, mobilibus, & mutabilibus, & ea diligit, est sicut naufragus, qui hæret herbis in aqua,

*Esa. 63.*

F *Maria quomodo dicitur innixa super dilectũ filium.*

in aqua, quæ sunt fragiles, quæ non solũ ei deficiunt, sed implicant pedes, & citius perire faciunt. Sic qui immutabili & arduissimo bono innititur, ab eo trahitur, & stabilitur, & eleuatur. Secũdo innitebatur in hoc mundo super dilectũ suũ tanquã ab eo confortata, & erecta ne caderet in peccatũ. Frustra enim nititur in bonũ agendũ, qui ei nõ innititur, sed & omnia potest, qui ei innititur, sicut ille, qui dicebat omnia possũ in eo, qui me confortat. *Sine me* (inquit) *nihil potestis facere.* Qui enim in se cõfidit, & in virtute sua statim cadit. Ibi enim ceciderũt, qui operantur iniquitatẽ, sed humiles erigit, & cõfortat. Tertio innitebatur, vt exaltaretur. Qui enim summæ veritati innititur, in fine exaltabitur. Similis enim est veritas ligno in aqua, quod secundum naturam natat super aquã, & tamẽ quandoque tenetur violẽter in fundo per aliquid graue superpositũ, sed finaliter ascendit. Sic veritas licet quãdoque deberet superponi, tamẽ quandoque supponitur falsitati, & hoc aliquando facit aurum vel argentum graue, sed finaliter præualet, quia in fine, *super omnia vincit veritas.* Ideo bonum est se appodiare, ipsi licet aliquãdo pro ipsa, & cum ipsa deprimatur homo. Cum igitur Maria sciret filium suum esse summã veritatem propter quam sequuta est ipsum per mundũ prædicãtem, innixa est ei, licet pro eo & cũ eo depri-meretur, vt tandẽ exaltaretur. Sic autẽ inniti Deo facit humilitas. Vnde Ber. in ser. Id sola facit humilitas cordis, vt non sibi fidelis anima innitatur, sed deserens semetipsam ascẽdat iã de deserto innixa super dilectũ. Quarto quia in conceptione prius fuit innixus dilectus super eã. Ideo nil mirũ si reddens vices nunc innixa est super dilectũ. Est enim illa schala, quã vidit Iacob, tangens cælum & terram, quasi cõiungens naturã diuinam & humanam in suo vtero, vel magis complectens, & vidit Dominum innixum schalæ. Latera eius opposita virginitas & fœcunditas, quæ scalam faciunt, cum gradibus iungũtur id est sex virtutibus, quæ combinatæ notantur. Verecundia, & prudentia, ibi, *quæ cum audisset turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset,* &c. Tertio modestia sermonis *quomodo fiet istud,* &c. cũ breuiter loquuta est nõ multa velut loquax, Quarto immobile propositum virginitatis, cũ dixit, *quoniã virum,* &c. Quinto humilitas, cum dixit, *Ecce ancilla.* Sexto magnanimitas, cum dixit, *fiat mihi secundum.* &c.

[Margin: Ioan. 15; 2. Esd. 3; Gen. 28; Luc. 1.]

DE S. BARTHOLOMAEO SER. *vnicus, & in ordine XLVII. Per Thema.*

*Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua.* Tempore iustitiæ currentis non inuenio nisi duos modos perdendi hæreditatem, vnus est confiscando eam propter trãsgresionem legum & mandatorum Principis. Secundo alienando eam, aut propter malum regimen aut propter necessitatem. Nunc autem quodcunque malum fiat semper est tẽpus iustitiæ Dei cũ misericordia. Quia (vt dicunt doctores) nullũ est Dei opus in quo nõ reluceat eis misericordia & iustitia. Et propter hoc hæreditatẽ animę nostræ, de qua debemus habere possessionem, non possumus alienare nisi duobus modis. Primo per confiscationẽ transgrediẽdo pręcepta Dei, & isto modo perditur anima, & datur diabolo tãquã tortoris in possessionem, sed custodiendo præcepta Dei redigitur in possessionem nostrã iuxta illud: *Anima mea in manibus meis semper,* id est, in possessione mea semper, & subdit causam, *quia legem tuam non sum oblitus,* sed semper fuit in corde me ad meditandum, in ore ad loquendũ, in manibus ad operandũ. Sic fecit Bathol. qui non solum præcepta seruauit: sed etiã consilia, ideo habuit plenam animæ suę possessionem. Secundo perditur hæreditas animę per alienationem, & hoc fit dupliciter, Primo per malum regimen, cũ quis Dominiũ eius alteri tradit, maxime per impatientiã vbi homo nõ dominatur animo suo, sed sibimet aufert dominiũ, ita quod nõ est sui Dñs, sed magis dæmonium irę.

[Margin: Iob. 2. Hæreditas animæ perditur duobus modis. Psal. 118]

Sed iustus sicut B. Bartholomæus per patientiam sicut per frenũ regitur ideo dicitur: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Sic fecit Bartholomæus, qui mala sibi illata patienter tulit. Sed aliquando homo cogitur necessitate alienare hæreditatem suam, sicut qui vi opprimitur. Sicut etiã sancti Martyres nisi fuissent gratia Dei præuenti, coacti fuissent negatione fidei vendicare animam suam cultui dæmoniorum. Sed illi dederunt omnem substantiam pro anima sua sicut Bartholomæus, quia corpus exposuerunt, pro anima pellem corporis pro pelle animæ expensas pro principali. Corpus enim nõ facit nisi expendere, & anima est principalius in hæreditate. Et quia difficile est sæpe seruare istud principale, & dimittere expensas, quia communiter dicitur, bonum ius bene indiget adiutorio, ideo quando nos vrget tẽtatio grauis, qua diabolus vult alienare animam nostram, debemus ad Deum & ad Sanctos recurrere, & præcipue ad illam quæ est mater refugij, de qua Ps. *Misericordia mea & refugium meum.* Ad illam igitur recurramus, &c.

*Luc. 21.* *Nota.* *Psa. 142*

In præsenti prędicatione duo dicemus. Primo qualiter spoliauit Bartholomæus diabolum, & pelle sua excoriauit eũ. Secundo quomodo diabolus per ministros suos excoriauit Bartholomęum, ita quod diabolus credidit ei reddere quod fecerat sibi. Sed deceptus est, quia postquam Bartholomęus exutus est à ministris diaboli pelle sui corporis, habuit meliorem pellem scilicet gloriæ in anima sua. *Neque enim Salomon coopertus est in omni gloria sua,* scilicet pelle gloriæ, *sicut vnum ex istis.* Vnde diabolus tunc in tribus quasi in pellibus habitabat. Primo in idolis homines decipiendo. Secundo in corpore humano ipsum torquendo. Tertio in anima, ipsam à vera vita, quæ Deus est, separando, & per consequens iam interficiendo. Primo igitur habitabat dæmon in idolis. Et quod hoc sit verum patet de idolo Astaroth & Berith, & dicatur ibi historia tota de illis duobus dæmonibus, & quod Astaroth nulla dabat responsa templorum Pontificibus, cuius taciturnitatis causam dixit alius dæmon Berith esse præsentiam Bartholomæi. Circa quam historiam quæruntur tria difficilia. Quæritur primo vnde processit tanta hominum fatuitas, & insania, quod adorarent dæmoniũ & idola. Dicitur ad hoc quod hoc ex duobus potuit contingere. Primo ex hominum ignorantia. Mortuo enim Belo Rege Assyriorum, & patre Nini, qui Niniuem magnam fundauit, & ex nomine suo eam vocauit. Ninus imaginem patris sui ad releuandum dolorem suum lapide insculptam fecit, & inde legẽ protulit quod quicunque criminis reus ad illam imaginem confugeret, quam Bel nomine patris sui vocauerat, aut etiam eam salutaret, ab omni noxa liberaretur. Quod populus idiota frequentans, tandem lapsus est ad illam ignorantiã, quod in illa imagine aliquid esset propter quod dimitterentur peccata. Secundo hoc potuit contingere ex dæmonis malitia, quĩ desiderat adhuc quemadmodum Deus adorari. Ideo illo tempore videns hominum ignorantiam, in illis imaginibus habitare cæpit. Et quia homines multum volunt scire futura & occulta, ideo eis reuelabat aliqua talia quandoque dicens verum, & quandoque non sicut in hac historia patet, vbi aliqua vera dicit de Apostolo, sed tamen in languentibus fallebat decipiendo, imo de Apostolo plura mentitus est, vt patebit. Secundo quæritur quomodo tenetur diabolus ligatus cum nulla sit potestas, quę ei valeat comparari super terram, vtrum funibus ligetur & catenis ferreis. Ad hoc dicatur quod dæmones ligari non est aliud quam quod virtute diuina siue sit ad preces alicuius sancti siue non, eorum virtus, & substantia arctetur ad essendum in aliquo loco, ita quod vel locum illum exire nõ possunt, vel virtutem suam exercere. Secundo dicitur quod dæmon dicitur tẽneri aut ligari tripliciter. Vno modo virtute tantum, & hoc modo omnes sunt ligati,

*Matt. 6.*

B *Adoratio dæmonum & idolorum vnde procedebat antiquitus.*

C *Dæmonem ligari quid sit, & quot modis ligetur.*

gati, sed differenter. Nam quidam, ita ligantur vt non noceant tantum homini, quantũ vellent, ita quod eis prohibetur imperium super corpus, & super animã, & hoc facit Deus communiter, qui facit in tentatione prouentũ. Facit enim Deus sicut puer quando tenet paruam auem ligatam ad pedem filo paruo, & tenui, & tunc auis credit volare in aere, sed retinetur à filo. Sic dæmon aggreditur hominem ipsum tentando, & eum vinceret, nisi fidelis esset Deus qui non permittit nos tentari supra id quod possumus, sed retrahit eum cum videt iustum in periculo casus, & sic deluditur diabolus, sicut puer deludit auem. Ps. *Draco iste quem formasti ad illudendum ei.* Secundo minus ligatur eius virtus, quando non solum potestatem habet suggerendi mala, & tentandi spiritualiter, sed etiam assumit potestatem super corpus ad affligendum ipsum, sed tamen ligatur quo ad animam, ne in frenesim deducat hominem, vel expertem rationis faciat. Sic datus est Iob in manu dæmonis. Vnde cum datum est sibi corpus dicit Dominus, veruntamen animam illius serua, super quo Cassianus libro de colationibus patrum, veruntamen animam illius serua, id est tantum amentem eum ne facias debilitato animę domicilio, & obruas intellectum eius, principali scilicet cordis eius pondere præfocato. Sic inuasit diabolus Martyres, & Bartholomæum excoriando eum, & vsque ad mortem persequendo omnes, sed animas eorum non tangebat, quia: *Iustorum animæ in manu Dei sunt.* Nullus enim tangere audet quod in manu Regis positum est Psal. *Custodit Dominus animas Sanctorum suorum, de manu peccatoris,* scilicet diaboli *liberauit eos.* Tertio adhuc minus ligatur diabolus, quando virtus eius se extendit super corpus, & super animam, non autem ad perditionem, sed ad castigationem. Tunc enim diabolus torquet corpus, & etiam animam ebetat, vt non intelligat. Vnde Esitius lib. 11. super Genes. Serpens non intelligebat verborum sonos, qui ex illo fiebant, quando eo prima parens à dæmone fallabatur. Sic nec ipsi homines quorum natura rationalis est, cũ dæmon in eis loquitur. Sicut enim asina Balaam loquebatur rationabilia verba nec intelligebat. sic diabolus in ore possessi loquitur, & vt plurimum quæ loquitur non intelligit. Sed tamen sicut dicit Isidorus lib. 4. de summo bono ca. 5. quidam ob incorrigibilem iniquitatem, eo quod sponte non corriguntur immundis spiritibus tradũtur vexandi, ita vt arripiendi eos dæmones corporaliter habeant potestatem, terroribusque eorum afflicti humilientur, & pœniteant, & saluentur, vt Apostolus tradidit Corinthium sathanæ in interitũ carnis, vt spiritus saluus fieret. Vtile enim (inquit) est quosdam peccantes sathanæ corporaliter deputari, quatenus ex præsenti correctione futurũ iudicium timeant, & de cætero delinquere caueant. Et ita quidã potestati dæmonũ ad emendationẽ deputantur, quidam vero ad solã perditionem traduntur. Hæc Isidorus. Secundo dicitur detineri diabolus loco tantum, & sic nulli tales inueniuntur. Licet enim sathan detineatur in inferno, vt inde non possit exire, tamen cum hoc etiã detinetur virtute ne nobis noceat, licet virtus eius sit explicata super impios ad eorum cruciatũ, & exterminationem. Tertio modo dicitur detineri loco & virtute, & sic à Raphaele ligatus est dæmon Asmodeus in deserto superioris Ægypti. Sic legitur de quibusdã sanctis, qui præceperunt eos abire in desertum locũ. Sic iste dæmon detinebatur præcibus Bartholomæi per virtutem diuinam aut angelicam, ne se mouere posset ab idolis, & ne amplius noceret eis, aut etiam eos falso curaret. Tertio quęritur vtrũ B. Bartholomæus fuerit indutus collobio albo clauato purpura, & in portiunculis quatuor fimbriarum habuerit gemmas. Et videtur, quod non, quia sancti non sic in principio Ecclesiæ induti sunt, imo de eis dicitur: *Circuierunt in melotis in pellibus caprinis,*

Marginal notes: Psa. 103 (beside "puer deludit auem"); Sap. 3. (beside "quia: Iustorum"); Psal. 96. (beside "Regis positum"); Tob. 8. (beside "tute, & sic à Raphaele"); Heb. 11 (beside "eis dicitur").

*caprinis*, id est, circuibant deserta vestiti melota, quæ est vestis contexta ex pilis cameli, & induti etiam pellibus caprinis, & hoc satis patuit in Ioanne Baptista, qui sic fuit vestitus. Item erat etiam Bartholomæus imitator Christi facto & verbo, Christus autẽ non sic fuit gẽmatus. Similiter Bartholomæus habuit prædicare paupertatẽ & concilia, quæ nõ bene prædicatur ab homine gẽmato. Item etiã erat de primis religiosis Ecclesiæ, & sic ex vestimento suo religiosis dedisset pessimũ exemplum. Ad hoc respondendũ est per propositiones. Prima propositio. Vilitas & austeritas exteriores, & generaliter quilibet harũ rerum tẽporalium vsus restrictior tunc laudabilius est, quãdo nec publicos mores illorũ inter quos viuendum est nec personę modũ excedit, alioquin vituperabilis est, quia magis sapit arrogantiã & hypocrisim, & magis vanã gloriam quam humilitatẽ ostendit. Vnde Augu. 3. de doctrina Christiana. Quisquis rebus prætereuntibus vtitur restrictius quam se habent mores eorũ cum quibus viuit, aut intemperans, aut superstitiosus est. Et Hier. li. de virginitate ad Eustoch. Nec affectatę sordes, nec exquisitę mũditiæ conueniũt Christianis. Et quia Ioãnes Baptista non excedebat mores publicos aliorũ cum quibus cõuersabatur, quia nõ erat eius conuersatio publica, sed priuata in deserto & similiter alij sancti patres, de quibus postquã dictum est circuierunt in melotis, subditur in solitudinibus errantes, &c. Tales poterant vilem habitũ portare & asperũ. Et quia etiam monachi nõ publicam, sed à populo separatã habent conuersationem, ideo possunt portare habitum vilem & asperũ & austerũ, nec hoc excedit publicos mores, cũ non habeant, vel s. Item non debeant habere tales, hæc patent 16. qu. 1. placuit. Mulieres vero & viros, secundum patriæ laudabilem consuetudinem conuenit ornari & vestiri, & etiam viros Ecclesiasticos, nec hoc est in eis reprobandũ. Et hoc modo potest dici quod B. Bartholomæus vestitus est gemmis & purpura, obseruando modum vestituræ indorum qui erant ditissimi, & in talibus abundantes. Secunda propositio. Ista dicendo diabolus potuit mentiri, ne scilicet agnosceretur. Magis enim credibile est quod Apostolus suis precibus & prædicationibus & miraculis & etiam vestium distinctione sit agnitus ab Indis, quam per dæmonum reuelationẽ, vel hoc fuit in legenda eius insertum ab hæreticis, sicut putat August. factum de illo qui percussisse refertur B. Thomam Apostolum in maxilla, & hoc magis verisimile est. Secundo, habitabat dæmon in corporibus obsessorum & dæmoniacorum ipsos flagellando, vt patet ex legenda ipsius Bartholomæi. Sed præsentia Apostoli eos tenebat igneis catenis religatos, & cum vellet dæmon eum prædicare dicebat Apostolus: Obmutesce, nolens à dæmonibus prædicari, & dicatur ibi tota Historia. Circa hoc quæritur primo vtrum diabolus possit omnes curare infirmitates, dicitur primo, quod omnes infirmitates naturaliter curabiles quantũ Deus permittit curare potest, & citius quã quicumque medicus, quia ipse scit herbarũ virtutes, & in talibus maxime expertus est, & ipse scit applicare actiua passiuis, igitur. Dicitur secundo, quod ea quæ per naturã fieri non possunt diabolus curare nõ potest, nisi apparẽter, tãtum, & hoc vt decipiat, vt patet in istis carminatoribus, gallicè *charmeurs*, qui creduntur sanare, & tamẽ nõ sanãt, vt sępius docet experiẽtia, quod post longa tẽpora plagæ illę, quæ videbãtur sanæ aperiũtur & vulnerati miserabiliter moriuntur. Est enim diabolus inimicus naturæ, nec est credendũ, quod velit curare, nisi vt magis lædat. Ideo istos quos lædebat apparẽter curabat ille diabolus Astaroth vel Berith, sed quãdo non poterat, tunc magis lædebat. Secũdo quæritur quomodo sanctorũ orationes incendũt dęmonẽ. Dicitur primo quod orationes ex vehemẽti charitate prolatæ vadũt vsq; ad thronũ Dei sicut nuncij. *Intret oratio mea in conspectu tuo Dñe.* *Psal. 87.*

Et tunc

*D Vilitas & austeritas exterior quando sunt laudabiles.*

*E Dæmon curare potest omnes morbos naturaliter curabiles.*

*Nota.*

Et tunc orationes audiuntur & exaudiũtur, & orationũ merito Angeli dæmones cruciant adhibendo actiua passiuis, puta ignẽ vel sulphur vel aliud genus tormenti. Et quia nõ aliter possunt nobis ista reuelare, nisi per ea quæ videmus & sentimus. Ideo dicebant dæmones se catenis igneis religari, hoc est in tormento ignis detineri. Secũdo dicitur quod dæmones qui in isto aere caliginoso dimittũtur ad nos tentandũ & ad exercitiũ nostrũ, non ita puniuntur hic ac si essent in inferno. Ideo rogabat legio Dominũ dicẽs, rogamus te ne mittas nos in abyssum sed in gregẽ porcorũ. In inferno enim detinentur loco hic autẽ non, & in inferno etiam maiori & acerbiori igne puniũtur quam hic. Et quia vidẽt dęmones quod hic aliquando à Dei virtute cruciantur mirabiliter, & hoc cognoscunt sibi procedere propter merita sanctorum, ideo se exclamãt ab eorũ orationibus incẽdi. Dicitur tertio quod orationes sanctorũ habent virtutẽ calcandi super dæmones vt patet in exorcismis, non ex vi quæ sit in verbis, sed ex institutione diuina & merito dicẽtis. Dicitur quarto quod sæpe dęmones malũt aliquã talẽ pænã portare quam ab obsessis corporibus discedere. Vnde gl. Sicut Amorrei & Gabaonitę habitãtes cũ Israel magis volebãt pænas & flagella sustinere quam recedere, sic quandoque dæmon obsidens corpus alicuius & mentẽ sopiẽs adhibitis multis orationibus, multis ieiunijs, multis exorcistarum pænis ex diuini nominis inuocatione tormẽta potius eligit quã discedere. Tertio habitabat dæmon in anima possidendo eã scilicet per infidelitatem & idolatriam. Erant enim omnes illi infideles & idolatræ. Sed B. Bartholomæus astitit regi & instruxit eũ de fide, & deinde ad populũ prædicauit & ostendit idolum & postea cõuertit omnes de prouincia, & rege baptizato dæmon fugatus est. Et si quæratur, quare non ostendit diabolum ita bene sub specie pulcherrimi hominis, sicut sub forma Æthiopis. Dicit. Guil. *Nota.*

Paris. libro de fide & legibus, quod est ad terrendum miseros idololatras ne se committant tã turpi creaturæ, & sic vilificatæ per peccatũ. Vnde Euæ nõ permisit apparere in specie pauonis vel colũbi sed serpentis. Similiter istis sortilegis in specie catti nigri vel hirci, vt resipiscant à suis malis operibus & idololatrijs. Secundo videndum est quomodo diabolus fecit beatum Bartholomæum excortari, vt patet ex eius historia procurantibus idolorum pontificibus apud Astiagem fratrẽ regis conuersi. Circa quod notandũ quod triplicem pellẽ Bartholomæus dimisit, & triplicẽ pellẽ pro triplici pelle dedit. Primo veterem pellem cõuersationis mundanæ ante discipulatum mutauit in cõuersationem apostolicam, ita quod veterem hominum commutauit in nouum, & hoc per pænitentiam quæ est arctum foramẽ. Exemplum de serpẽte qui volens dimittere veterem pellem transit per arctum foramen. Sic de beato Bartholomæo, cuius vita monstratur exemplum hominibus, iuxta illud: *Extendens cælum*, id est Bartholomæum virum cælestem, *sicut pellem*, quæ ostenditur in stallo tanquam bona ad emẽdum. Sed multi sunt qui nolunt excoriari. Tales autem sunt in multiplici differentia. Nã quidam sub pelle veteri accipiunt nouam. Hi sunt hypocritæ similes vulpibus de quibus vulgo dicitur, *regnart affiube de la peau d'vn peau*, hoc est vulpes cooperta pelle agni: *Veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*. Alij sunt qui induuntur pelle leonis, sicut Samson legitur fuisse indutus. Tales sunt qui persequuntur Ecclesiam, sicut Paulus cum persequeretur Ecclesiam Dei quasi leo sæuiebat in eam, quousque pellem agni induerit. Alij sunt qui nunquam mutarent pellem aut cambirent qualecunque lucrum inde possent habere. Isti essent mali pelliparij, & isti sunt obstinati in malum, vt concubinarij & senes auari & raptores, de quorum quolibet conquæritur Dominus: dicens, *Leuauit*

*F Pellis triplex dimittida.* *Psa. 103* *Matt. 7.*

Psal.40. *Leuauit calcaneum suum contra me*. Calcaneum enim est vltima pars hominis, gallicè *tallon*. Leuat autem calcaneum contra Deum, qui in vltima ætate sua, scilicet senectute impugnat eum rapiendo, aut fornicando, & sic de alijs. Turpissimum autem est garsioni calcaneo percutere tantum Dominum, plus quàm percutere manibus, aut alijs partibus, ideo peius erit eis.
Hier 13. *Si potest Aethiops mutare pellem suam & pardus varietates suas, sic & vos poteritis bene facere cum didiceritis malum*. Alij sunt qui nouam habent pellem, sed periculũ est ne vermes colligantur in ea. Ideo sæpius, vt faciunt pelliparij oportet eam percutere, sicut patuit in Bartholomæo qui multum fuit percussus. Isti sunt iuuenes adolescentes & pueri qui nouę tunicam innocentiæ induerunt, ideo oportet multum super eam percutere, ne in ea colligatur vermis malorum morum. Pelliparij etiam super pellem percutiũt, vt tollant indecretam & malos pillos. Sic puerum oportet virga super cutem percutere. Exemplo B. Benedicti, de quo Gregor. 2. dialo. recitat quod quidam nouitius stare non poterat in cellula ad orãdum, sed dum alij orarẽt recedebat & vagabatur. Nunciatum est beatissimo patri, ille veniens ostendit B. Mauro quemdam Æthiopem puerum tenentem illum nouitium & educentem eum extra oratorium. Tunc beatus vir virga percussit nouitium, & ex tunc omnis tentatio abscessit. Sic oportet percutere super nouã pellem puerorum, ne in ipsa vermes superueniant, oportet etiam in illa pelle scribere mores, honestatem, & scientiam, quia secundum Aristot. 3. de anima, pueri anima est tanquam tabula in qua nihil scriptum est. Alij sunt qui libenter suam pellem commutant, exemplo Bartholomæi, & isti sunt boni mercatores qui pro pellibus transitorijs pelles mercantur æternas. Non enim debent pelles nimium veterascere. Et isti sunt boni viri qui sępe conteruntur & confitentur de peccatis suis. Tales exponũt pellem corporis pro pelle animæ, exemplo boni principis qui in obsidione partem debiliorem exponit pro seruanda fortiore.

Secundam pellem dimisit temporaliũ bonorum & delectationum pro pelle spiritualium bonorum quibus anima vestiretur, & hoc fuit quando Christo adhæsit. Nouerat enim aliqualiter bonum illud quod mensurauerat B. Paulus tribus vlnis, & necdum mensurari potuit, quia vlnæ illæ erant nimis curtæ & breues. Tres autem ille vlnæ erant oculus qui multum longe videt, auris quę de remotissimis audit, & cor quod quasi quędam abyssus est, quibus voluerat mensurare præmium æternũ quod dant his qui bonis spiritualibus replentur, & tamen non valuit. Nam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quæ præparauit Deus diligentibus se. Ideo propter hoc omnia bona relinquit & sese excoriauit bonis temporalibus vt illis pauperes indueret, & hoc quãdo sequutus est Christum, de quo thema, pellem bonorum temporalium pro pelle corporis saluanda, & pellem corporis pro pelle animæ, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua saluanda. Sed multi sunt qui numquam se excoriare nolunt, & ratio est, quia alios consueuerunt excoriare. Non enim sunt isti sicut oues quæ vt alios induant se exuunt, sed magis sicut carnifices qui alios exuunt. *Audite hæc principes domus Iacob, & duces domus Israel. Numquid non vestrum est scire iudiciũ, qui odio habetis bonum, & diligitis malum, qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnem eorũ desuper ossibus eorum. Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriauerunt, & ossa eorum confregerunt. Tunc clamabunt ad Dominum & non exaudiet eos, & abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinuentionibus suis*. Mich. 3. Tales enim sunt sicut cornix, quæ ab alijs auibus fingitur plumas accepisse, & inde gloriata est. Sic diuites & excoriatores populi ab vno vnum solidum, ab alio alium, &c. accipiũt, & ex istis vestimenta pretio-

G

Nota de tribus vlnis

Contra prædatores populi.

pretiosa & prædia magna sibi vendicant vnde gloriantur. Sunt enim sicut coquini quorum tunica est de pluribus petijs. Sic isti de vno paupere tunicam acceperunt, de alio ocrea, de alio pilleum, & sic de alijs. *In alis eius inuentus est sanguis animarum pauperum & innocentū.* Tales autem in fine denudati sicut cornix furtiuis nudata coloribus, erunt in confusionem, imo etiam excoriabuntur pelle sua.

Hier. 2.

Tertiam autem pellē, scilicet corporis dimisit B. Bartholomæus pro pelle gloriæ bonorum æternorum & dotū corporearum dicitur: *Sicut pelles Salomonis*. Per istas enim pelles de quibus faciebat Salomon tentoria, quæ erāt valde pulchra, significantur pelles gloriæ & donum corporis. Vnde legitur de S. Ioseph quod in manibus adulteræ chlamidē reliquit, & nō nudus, sed incontaminatus abscessit. Similiter in Euāgelio alter adolescēs reiecit sindonem, & à persecutoribus nudus profugit. In vtroq; adolescentia addit ad meritum, eo quod huiusmodi ætas lubrica esse soleat & infirma B. Bartholomæus cū hoc pellem deseruit, vt animā custodiret. Per eū qui reliquit chlamidē possumus intelligere eos qui æquanimiter sustinēt carere superfluis, sic tamen quod huius vitæ perfruantur necessarijs. Necdū enim nudus est qui chlamidē deserit, sed qui sindonē, nudus sequitur Christū. Ille vero felicissimus est qui homo modo chlamidē reliquit, sindonē proiecit, sed & patiēter ipsam corporis pellē amisit. Nullū deinceps aduersus huiusmodi hominem calūniæ locū inimicus inueniet, vt sic dicat, pellem pro pelle, &c. Pellē enim corporis dimittere spiritualiter loquendo est amorē quēcumq; carnalē deserere. Quod non solū fecit B. Bartholomæus, sed cum hoc dimisit pellem corporalem propter Christū. Vnde propter quatuor dimisit Bartholomæus pellē sui corporis. Primo propter periculum animæ, quia inter latrones erat. *Inuenerunt me custodes ciuitatis percusserant me, & vulnerauerunt me, tulerūt pallium meū custodes murorū*, id est, peccatorum, & peccantiū ne Deus intret ad eos. Exemplo illorū, qui sunt inter latrones, qui cum accipiuntur per tunicā, fugiunt relinquentes tunicam. Sed multi oppositum faciunt Bartholomæo, quia ille exiuit corpus, vt indueret animam, sed isti exuunt animā, vt induant corpus, vt mulieres nimis ornatæ, quæ melius diligunt pellem cati quam catū, ornatū suum quā animā, & forte melior est pellis, quia residuum nihil valet. Secundo quia sciebat se illam recuperaturū, & ideo fides stabiliebat eum, ita quod poterat dicere: *Scio quod Redemptor meus viuit, &c. Et rursum circumdabor pelle mea.* Tertio, vt haberet vestimenta gloriæ. Sicut enim sacerdotes celebraturi prius capitiū vel birrū aut aliud aliquid deponūt, & sic amictum, stolam, &c. Indumenta sacerdotalia sumunt, sic Bartholomæus pellem corporis deposuit cum de se oblaturus erat sacrificiū Deo, antequam sumeret stolā gloriæ. Quarto, vt nos indueret. Erat enim de illis quibus dictū est à Domino. *Ecce ego mitto vos sicut oues inter lupos.* Differentia autē est inter pellē ouis vel agni, & lupi, quia prima tondetur, & seruit ad induēdum homines, sed alia nō seruit, nisi vt sit cū carne eius in patibulo. Sic pellis Bartholomæi tanquā veri agni seruit ad induendū nos meritis, & virtutibus, si cōsideremus quanta, & quā patiēter sustinuit in detractione pellis suæ & eū in sua patiētia imitari voluerimus cū occurrunt nobis aduersitates, sed pellis luporū tyrannorum non seruit, nisi vt sit cū eis in patibulo inferni. Quia vero Bartholomæus voluit facere perfectum sacrificiū, ideo totā substantiā corporis cū pelle dedit pro anima sua, & ideo post excoriationem decapitatus est. *Detracta pelle hostiæ artus in frustra concident.* Sic Bartholomæus post pellem eius detractam concisus est in duas partes, ecce quantum dilexit Bartholomæus Deum, qui pro dilectione eius se totum dedit, vt de eo verificetur illud Cant. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione quasi nihil despiciet eam.*

Cant. 1. H Nota de istis tribus generibus hominum.

I Pellem corporis quare dimisit Bartholomæus.

Cant. 3.

Iob 19.

Luc. 10.

Leuit 1.

Cant 8.

IN

IN DIE DECOLLATIONIS S. Ioannis Baptiste Sermo. I. & in ordine. XLVIII. Per Thema.

Esai. 57 A Natiuitas Ioannis Baptista solemnius celebratur quà mors.

*IVstus perit, & non est, qui recogitet in corde suo.* Cum omnium aliorum sanctorum mortes, & martyria clarius & celebrius festiuet Ecclesia quam quæcunque eorum festa, quare tamen festiuius celebratur Ioannis natiuitas quam eius martyrium, cum etiam clare scriptura vtrũque describat. Ad hoc respondetur, quod potest assignari quadruplex causa. Prima est, quia etsi Ioannes mortuus est pro Christo, nihilominus tamen manifestius natus est pro ipso. Licet enim mortuus sit pro testimonio veritatis ferẽdæ, quæ quidã veritas Christus est, qui dixit, ego sum veritas, & vita, non tamen ita manifeste sicut cæteri martyres, qui fidem Christi publice profitendo obierunt, hic autem pro moribus, & veritate tuenda, Natus est autem Ioannes specialiter ad testificandũ de Christo, iuxta illud: Ioan. *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioãnes, hic venit, vt testimonium perhiberet de lumine,* Ioan. 1. ita vt eum digito demonstraret. Ideo eius natiuitas magis Christo attribuitur quam eius martyrium, & propterea solennius celebratur. Secunda ratio, quia Ioannes in natiuitate sua natus est nobis, & pro nobis. Vnde dicit pater eius: *Præibis enim ante faciem Domini parare vias eius, ad dandam scientiam salutis plebi eius,* &c. Luc. 1. Inde & totus populus ad audiendum eum, & ad baptismum eius confluebat. In hoc autem festo natus est his, qui erãt in limbo. Ideo eis fuit gaudium maximum hodie, cum delata sunt eis noua de suæ redemptionis propinquitate, Et quia sancti martyres post Christi passionem euolabant ad gaudium æternum, ideo tunc solennius eorum agimus festa cõformando nos seruitio matricis Ecclesiæ supernę Hierusalem, non autem de Ioannis martyrio, qui hodie descendit ad limbũ. Tertia ratio, quia Ioannis ortus, & occasus in scriptura recitatur eo quod ipse sit ortus noui testamenti, & occasus veteris, iuxta illud: Math. *Omnis lex, & prophetæ vsque ad Ioannem.* Matth. 11. Plus autem lætãdum est de maiori bono nobis collato, quam de minori, sed plus nobis collatum est ex noui testamenti ortu, quam ex veteris occasu. Natiuitas autem Ioannis figura erat ortus noui testamenti, & eius mors occasus veteris, igitur. Quarta ratio. Festum mutatum: gallicè *feste remuee*, non ita solemniter celebratur sicut si fieret in die suo. Et quia occubuit Ioannes circa festum Paschæ per annum ante passionem Christi, & circa illud tempus, vbi tunc nõ potest solennizari eius passio, ideo mutata est vsque in hunc diẽ, & propter hoc non ita solenniter celebratur. Considera igitur Mariam quantũ dolebat audire tantũ virum parentem suum, quem etiam in matris vtero existentem visitauerat, sic turpiter ad voluntatem mulieris saltatricis occubuisse. O quam tunc timebat dilecto filio suo, quem videbat vndique ad mortem insidijs appeti. Quæ enim Ioannem gratia sanctitatis, & correctionis fraternæ videbat occubuisse, quomodo de filio nõ dubitaret, cuius sanctitas, & doctrina in reprehensione vitiorum in infinitum excedebat? Ad illã igitur recurremus, &c. Sed quid est quod dicit Esai. *Iustus perit, & non est qui recogitet,* quid vult Esai. 57 quod recogitemus in corde nostro. Respondetur, quod quinque. Primo iustus perit, id est, moritur, & nemo est qui recogitet in corde suo compatiendo morienti, quemadmodum Iob qui dicebat flebam quondam super eo, qui afflictus erat. Non sic modo multi, qui: *Bibentes vinum in fialis,* Amos 6 & optimo vnguento delibuti nihil patiuntur super cõtritione Ioseph. Secundo nõ est qui recogitet verba eius, exempla, & monitiones, vt ea retineat, & imitetur. Quando enim nullus est qui operetur ad lumen, tunc extinguitur lumen, quia tunc de nihilo seruit lucerna, quæ ardet si nullus circa eam operetur. Sic Dominus extinguit sanctos, & præcipue Ioannem Baptistam, quando nulli aut

B Recogitanda sunt quinque in morte iusti.

li aut

sicut pauci eum imitabantur. Ipse enim erat lucerna ardens, & lucens. Tertio nō est qui recogitet, quam pretiosa sit mors eius, quam fructuosa collectio eius. Est enim sicut messis matura soli iustitiæ exposita, ideo non est mirum si ipsum paterfamilias colligat in horreum suum in morte falce martyrij vel alterius generis mortis. Non sicut mali, qui colligūtur sicut stipula ad ignem. Arescit enim messis malorum, iuxta illud Apoc. *Mitte falcem tuam & mete, quia venit hora vt metatur, quoniam aruit messis terræ.* Sed messis bonorum albescit. *Leuate oculos vestros, & videte regiones, quoniam iam alba sunt ad messem, & sic colliguntur boni ad horreum, mali autem ad incendium.* Quarto non est qui recogitet in quanto periculo sit peccator, quādo iustus sic cum ignominia perit, quia: *Si iustus vix saluabitur*, id est, *cum magnis pœnis*, vtpote qui ex vtero sanctificatus est, qui nullum vmquam etiam leue peccatum fecit, ita transit ad vitam, impius & peccator vbi parebunt? Istud enim festū præcipue ordinatur vt cogitemus nobis, quoniam sine pœnis & laboribus non transibimus in æternam vitam. Si enim temporalem non habemus nisi cum labore, cum quantis laboribus æternā habebimus? Nunc autem omnes ad delitias transimus, ideo nunc dici potest, iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo, bene in corpore suo, bene in lingua sua, vt bene vestiant corpus, bene comedant & bibant, bene loquantur, sed non vt corde per amorem sancti vitā, & mores consequantur, & hoc fuit thema præassumptum, iustus perit, &c. Primo dicemus quomodo recogitabimus ignominiam carceris, & incarcerationis B. Ioānis Baptistæ. Secundo quomodo ignominiā vindictæ in eum post mortem, & hęc secundum textū Euangelij hodierni. Quo ad primum dicitur in principio Euangelij. *Quod misit Herodes ac tenuit Ioannem, & ligauit eum in carcerē propter Herodiadem,* &c.

Apo. 14

Ioan. 4

1. Pet. 4.

Marc. 6.

Nota quæstionem.

Sed hic quæritur propter quā causam Herodes incarcerauit Ioannem, cum tamen sciret eum virum sanctū, & iustum, & à populo dilectum. Quomodo etiam populus dimisit talem ac tantum virum sic turpiter tractari, Ad hanc quęstionem respondetur per propositiones. Prima est quod causa huius, quod populus dimisit Ioannem ita turpiter tractari, est inconstantia, & mutabilitas plebis. Vnde Poëta, mobile mutatur semper cum principe vulgus. Licet enim Ioannes tot, & tanta fecisset eis bona, nec haberent occasionem male loquendi de eo, aut male tractandi eum, imo eruendi eum, tamen tāta est mutabilitas populi, quod ad leuem occasionem male loquuntur sine causa, de quibus prius bene senserunt. Poterāt enim dicere de eo. Non oportet, quod taliter loquatur principibus, oportet eum habere per alium modum, licet videatur prudens, tamen in hoc non ostendit se esse prudentem. Et quicquid sit, semper, qui bonus est respectu populi habet aduersam iniustitiam. In quo ostēdit Dominus nullam in plebe, imo in homine esse debere fiduciam, secūdum exhortationem. *Nolite confidere in principibus, nec in filijs hominum, in quibus non est salus.* Si enim sanctissimus omnium, qui fuerunt post Christum, & Mariam tantam habuit populi sequelam, tantam reuerentiam, tantam famam, nihilominus tamen sine omni adiutorio, & liberatione per multa tempora incarceratus, & incatenatus nullum habuit proloquutorem, qualem fiduciam habebit in hominibus, qui pro Christo loquitur, si veritatem ostendat vel principibus, vel prelatis? Certe statim reputabitur fatuus. Secundo hoc potuit esse, quia ad populum non multum spectat de gestis magnatum loqui aut intermisceri. Multa enim fiunt occulto Dei iudicio, ad quæ intellectus eorum non se potest extendere, ideo in gestis magnatū debent moderate loqui, & moderate se interponere. Verum est tamen quod res aliquando sunt ita patentes. *Quod asina Balaam percussa calcaribus, & videns gladium Dei docet Balaam, & clamat contra eum.*

Psal. 145

Nu. 22

Legi-

Legimus enim in sacra scriptura solum de duobus qui viderunt gladium Dei volentem ferire, scilicet de asina Balaam vbi Dominus eius non videbat, qui tunc malam causam habebat, sed asina, id est, populus vidit. Nihilominus super principes Moab, & populum cecidit ille gladius, quia eum non viderunt maiores. Sed quando vident maiores, vt Dauid tunc bonum est, quia se corrigunt, & sic auertitur à populo gladius Dei. Dicitur secũdo, quod hoc fecit Hærodes propter, quatuor causas, scilicet propter timorem, amorem, odium, & errorem. Mirabile est autem cum ille, qui regit ducitur passionibus suis. Non est tam sanctus in populo quem curet, & quem non interficiat, vt assequatur regere iuxtas suas passiones. Primo quidem propter timorem, vt dicit Iosephus. 18. antiquit. populus promptus erat facere, quidquid Ioannes voluisset. Ne ergo populus exaltaret eum in regem, & ne quod vltra voluntatem suam accideret, retrusit eum in carcerem. Secundo propter odiũ correctionis. Alti enim animi fugiunt libere, & plane corrigi. Quia enim Ioannnes libere, & plane corripiebat, odiũ concepit in eum, & cogitauit interficere eum, & ne palam fieret inclusit eum, quam difficile est tangere oculum. Semper enim renuit medici contactum. O quam multi sunt nunc Ioannes nomine, sed non re, & effectu, & proprietate nominis. Quot mala nunc fiunt in Ecclesia, quot abusus in iustitia, quot tyrannides in republica, & quis est Ioannes qui arguit? quis pro populo loquitur? Nemo certe. Quærit Dominus quis est, qui se sepem interponit, & non est. Ipse enim francus architenens est. De architenentia patet in hoc, quod trahit aliquando ad latus aliquando inferius, aliquando superius, de libertate patet, quia vbi voluerit, & quando voluerit percutit liber ab omni tributo. Mortuus enim est semel, & amplius non morietur. Sed nullus est vir aut mulier, qui resistere audeat istis architenentibus, ita nec nunc est vllus bonus Ioannes. Et si dicatur, quod beatus Ioannes visus est male loqui, & nimis dure. De quo & culpatus est Ioannes Chrisostomus, vt patet ex decimo li. histo. tripar. cap. 15. Dicitur, quod imo bene, quia ita sancte, & iuste loquebatur, quod audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. Non enim debet homo alium corrigere, nisi suspicetur, quod ille correctionem accipiet. Sed Hærodes libenter eum audiebat, & audito eo multa faciebat, & in hoc erat capax disciplinæ, & aliquid se sperabat proficere. Et in hoc sunt multi peiores bestijs, quæ cum habeant auditum, vt dicit Aristoteles primo metaphis. sunt disciplinabiles, & tamen homo habens auditum, & vltra hoc rationem, est incorrigibilis. In isto notantur multi, qui peccata redarguunt pauperũ, & superioribus parcunt, quasi eos vngẽtes oleo adulationis, quod tanto refugiebat Psal. dicens: *Oleum autem peccatorũ non impinguet caput meum*. Sed exemplo Ioannis debent audacter corripere prælati, & boni confessores, quia homo magnus, & si in principio molestetur propter correctionis asperitatem, finaliter tamen lætatur propter sequentis correctionis vtilitatem, quia: *Qui corripit hominem gratiã postea inueniet apud eum* magis quam ille, qui per linguæ blandimenta decipit. Exemplum de Augusto, qui habuit gratiam, vt ait Policraticus. libro. 1. exprobranti sibi militi, eo quod tympanizare in cęna. Sed illi qui à sapientibus correctionem recipere nolunt mansuetam, & misericordẽ, in die iudicij recipient correctionem duram, & seueram. *Impij secundum quæ cogitauerunt correctionem habebunt, qui neglexerunt iustum, & à Domino recesserunt*. Peccatores, qui à Domino recedunt contemnendo eius bonitatem, in die iudicij ipsum reperient experiẽdo eius potestatem: *Qui autem ludibrijs, & increpationibus non correcti sunt, dignum Dei iudicium experti sunt*, quemadmodum Hærodes, qui non est correctus, sed odio correctionis inclusit Ioan-

Margin notes: D Principes multa mala faciunt quando ducũtur suis passionibus. — Psal. 140. — Prou. 28. — Sap. 3. — Sap. 12.

Ioannem in carcerem. Tertia ratio fuit amor turpis mulieris. Amor enim quam habuit Adam ad mulierem, fuit occasio ruinæ, & mortis in mundo. Sic amor Herodis ad hāc mulierem fuit occasio mortis innocentiæ & sanctitatis. Vnde dicitur in textu, quod Herodias insidiebatur ei, & volebat eum occidere nec poterat. Timebat enim ne Herodes compunctus ad eius prædicationem, eam remitteret fratri suo, ideo insidias ei tendebat. Herodes autem metuebat eum sciens eum virum iustum & sanctum. Mali enim timent bonos, & eos quicquid faciant reuerentur. Vnde quamdiu nostri priores post diluuium fuerunt boni, dictum est eis. Terror ac timor vester sit super cuncta animantia terræ, id est super minores, & super volucres cæli, id est altiores, vir enim sanctus semper habetur in timore & reuerentia. Erat autem huius conuersatio tam sancta, quod timorem incutiebat malis. Nihilominus tamen non est malitia super malitiam mulieris, quamuis vir compungeretur, non tamen mulier à malitia arcebatur, sed semper insidiabatur Ioanni. Quarta ratio est propter errorem. Non enim existimabat aliam vitam esse, ideo tam sanctum virum quē videbat esse pauperem, & à nullo requisitum reclusit, & occidit. *Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore, auferuntur iudicia tua à facie eius, omnium inimicorum suorum dominabitur, dixit enim in corde suo, non requiret.* Si enim scirent aut crederent multi esse aliam vitam non facerent tanta mala. Psalm 9

E Itaque incarceratus est Ioannes. Mystice autem incarceratur Ioannes. Primo quando veritas incarceratur, & hoc ab Herode, id est à principibus, & regibus, & cōsulibus, & hoc est propter Herodiadem quam sibi vsurpant vxorem, id est propter vsurpatum regimē populi, quasi sit eis vxor, & hi nihil volunt audire cōtra voluntatem suam, neque de bonis audire sermonem. Vnde quia Achior Dux filiorum Amō commendauit filios Israel quamuis esset hostis eorum, contra eum irati sunt magistratus Assyriorum, & traditus est hostibus suis. Qui enim fastu mundi superbiunt, præconia veritatis audire non possunt. Nam non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris, quæ versantur in corde eius. Secūdo quādoq; incarceratur à ministris & lateribus aquilonis, qui non permittunt veritatem introire ad aures Principis. Exemplum in Isidoro de concilijs de Theophilo, & de comite fouente partes Nestorij, qui non permittebat ad Imperatorem deferri literas concilij. Vnde multi erant Prophetæ tempore regis Achab, sed vnus eorum tantum scilicet Michæas ausus est dicere veritatem, quādo de correctione loquebatur. Tunc enim habent principes guttam in aure, & tamen ille non est libenter auditus, sed increpatus & incarceratus. De hoc conquæritur Apostolus: *Inimicus factus sum vobis verum dicens*: Ezech. *Posuerunt leonem in carcere, ne audiretur vox ipsius amplius super montes.* Secundo incarceratur Ioannes quando bonum consilium & rectum iudicium viget in anima, sed propter diuitias & voluptates huius mundi ad effectum exire non permittitur, vt dicat, qui huiusmodi est illud Roman. *Velle quidem mihi adiacet, sed perficere bonum non inuenio. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Peccator enim naturaliter iudicium propriæ consciētiæ expauescit, quia sit iustum, & bonum, & nonnulla, quę dictat conscientia plerunque facit. Sed tamen quærit eum interficere nec potest, quia & si aliæ gratiæ mori possunt in anima, hoc tamen rectum iudicium, quod ad sinderesim pertinet, mori non potest. Hic est nūcius, qui post stragem omnium, quæ fuerunt, Iob solus remanet, & nunciat mortem aliorum. Sed quare incarceratus est Ioannes, declarat textus, quod hoc esset, quia reprehendebat Herodē. Dicebat enim (inquit) herodi Ioannes. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Et si dicatur, quia licebat suscitare semen fratri suo. Verum est defuncto sine semine, sed non superstiti, quia

Ioannes mystice incarceratur multipliciter.

Iud. 6.

Gal. 4.

Ezec. 19

Rom 7.

Iob 1. & 2.

Deu 25

quia: *Turpitudinem vxoris fratris non reuelabis*. Iste autem Herodes iam Iudæus erat, & dato quod duxisset Gentilem vitá, tamen adhuc hoc erat contra legem naturæ, scilicet non facias alijs quod tibi fieri non vis. Sed forte etiam dicetur sicut isti armigeri dicunt, quod iste Philippus erat pessimus paillardus, quare non poterat sibi satis mali fieri. Respondetur primo, quod malis mala facienda sunt, sed iusto modo, quia Deut. *Quod iustum est iuste exequere*. Dicitur secundo, quod iste Philippus frater Herodis erat bonus, saltem eum commendat Iosephus lib. 22. antiq. de clementia dicens: quod triginta duobus annis ita mansuete rexit Prouincias quatuor, quod nullas oppresiones subditis fecit, cum paucis & grauibus personis maturitate & scientia visitauit, & ad portas processit, proferens iusta & deliberata iudicia in causis. Si alicuius oppresionem audiebat, statim sedens in solio eius causam disceptabat, iustę partis adiutor, iniuste punitor. In itinere occursantibus, & ope egentibus impigre subueniebat. Propter quod non est mirabile si bonis & iustis aliquãdo aduersatur fortuna, quando huic viro ita iusto aduersabatur etiam vsque ad mortem propria vxor. Sequitur. *Herodias autem insidiebatur ei, & volebat eum occidere*. Non est malitia super malitiam mulieris. Sic Iezabel interemit Prophetas, sic Naboth, sic & Elyam occidere voluit, sed non potuit. *Breuis est omnis malitia super malitiam mulieris*. Vnde & quidam iudices ad mandatum dominarum falsa iudicia fecêre, & innocentes occidêre. Sunt enim peiores & acriores ad puniendum quam viri, exemplo apum de quibus dicitur, quod feminæ inter ipsas acrius pungunt quam masculi. *Non est ira super iracundiam mulieris*. Ista mulieris malitia ita alte saltauit, quod abstulit Ioannis caput.

Lev. 16. Nota. Reg. 19. Eccl. 25. Ibidem.

Quo ad secundum scilicet ignominiam, mortis Ioannis dicitur in textu. Cũ dies oportunus accidisset. In hoc Herodes apparet fuisse conscius doli cum Herodiade, quia diem oportunum quærebat. Homo enim, qui ad illam turpitudinem luxuriæ in publicum deuenit, nihil est mali quod non perpetret. Nam ille qui ex vtero matris Spiritu sancto repletus est. Qui non solum Propheta, sed etiam plusquam Propheta à Saluatore dictus est, qui ab eo Angelus vocatus est, quo inter natos mulierum non surrexit maior, quo mundus dignus non fuit, qui meruit esse Baptista Saluatoris, qui Spiritum sanctum in specie columbæ vidit, & vocem patris dignus fuit audire, qui in tota vita sua maculam non contraxit, & tamen ita male eum tractauerunt, quod longõ carcere eum fatigauerunt, nec tamen à prædicatione & doctrina cessabat, & tandem ignominiose capite truncauerunt.

Luc 2.

Herodes natalis sui cænam fecit principibus, & tribunis, & primis Galileæ. Vbi quæritur vtrum licitum sit celebrare diem natiuitatis suæ, & videtur, quod sic, quia illo die acquisiuit homo esse in mundo, quod fuit bonum sibi, de bono autem lætandum est, igitur. Respondetur, quod propter duas causas potest quis celebrare diem suæ natiuitatis. Primo ad pompam & superbiam, vt Pharao & Herodes, quasi hic habeant in mundo felicitatem suam, & istud est malum. Primo quia ista conuiuia sæpe fiunt ex bonis & rapinis pauperum. Non enim possunt in Ecclesia aut etiam in sæcularitate tam grandia conuiuia. & in tanta pompa celebrari, quin vel bona pauperum diripiantur, vel non eis prout expedit & tenetur quis, expendantur. Secundo quia sæpe post ista conuiuia consurgunt lites & dissensiones, & consequenter homicidia vt apparuit in istis. Tertio quia in hac vita magis gemendum est quam gaudendum, & illo die, scilicet natiuitatis, maxime cum debet homo dicere, Ecce in iniquitatibus conceptus sum. Omnes enim nascimur filij iræ. Inde & Hier. maledicebat diei in qua natus erat, & Iob dicebat: *Pereat dies in qua natus sum*. Intrat enim

F Dies natiuitatis an possit rite celebrari. Hier. 20 Iob 3.

enim homo in die qua natus est bellum periculosissimum, etiam vsque ad mortem durās, propter quod debet plus flere quam gaudere. Magna ergo superbia Herodis celebrare illū diem, qui in peccatis totus natus erat & conceptus erat. Mirabile etiā est quod faciāt homines cōuiuia illo die quo eos natura flere docuit, scilicet die natiuitatis. Vnde Sapiens: *Ego natus accepi communem aerem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans.* Recitat enim August. lib. de ciuit. Dei, quod nullus puerorum natus est ridens pręter Zoroastem, quod fuit malum signum, quia adinuenit artes magicas & sortilegia, quibus nihilominus non potuit se custodire quin turpiter mortuus sit. Vnde & Valerius commendat Græcos Thraciæ, quia multum dolent in natiuitate puerorum, sed in morte ost édunt magnum gaudium, quibus concordat Salomon dicens: *Melior est dies mortis quam dies natiuitatis.* Secūdo modo potest fieri propter pietatem, quia eo die Christianus baptismum suscepit, & à peccato purgatus est, & quasi ad pristinam innocentiam restitutus & ad amorē Dei & gratiam, reddendo gratias Deo, & propter hoc benefaciendo pauperibus, propter Deum qui eis hoc contulit beneficium. Et tunc potest fieri (moderate tamen) aliqua celebritas, quia nemo scit an odio vel amore dignus sit, & si post innocentiam cadat in peccatum. Nemo enim deberet de hoc facere festum, quod aliquando fuit rex, cum nunc sit rusticus per peccatum, imo propter suum statum deberet erubescere potius cecidisse ab illo statu. Sequitur in textu. *Cumque introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset & placuisset Herodi simulque recumbentibus, rex ait puellæ. Pete à me quod vis.* Hoc notandum est quod nominat eam filiam Herodiadis sed non Herodis, quia istarum meretricum filij aut filiæ nesciuntur communiter cuius patris sunt, ideo Scriptura non nominat nisi filiam Herodiadis. Mirabilis res. Vnde debuit erubescere complacentiam accepit. Sed ita contingit de ribaldis, quod credunt omnibus suam turpitudinem placere. Vnus fetidus non sentit fætorem suū, quem alij percipiunt, nec est quod miser ribaldus nō det amasiæ suæ si petat. Et iurauit illi, quia quicquid petieris, etiam si dimidiā regni mei partem, dabo tibi. Qui non vult dare Deo obolum, offert garsiæ dimidium bonorum suorum, & garsia plus vult peccatum quam temporalia bona. Mirabile est quod pro saltu mulieris princeps sit ita prodigus. Sed non debet esse mirabile, quia sæpe hoc factum est dare lecatrici millia. Totum autem regnum constat in corpore & anima regentis. Dimidium ergo regnum promittit, cum pro laude carnali animam perire permittit. Similiter ei qui bene saltat per orationem & contemplationem dat Deus dimidium regni sui id est misericordiam, quia secūdum Psal. duo hæc audiui, quia potestas tibi est, & tibi Domine misericordia, vel charitatem quæ non est nisi dimidia, quia alia pars est gloria. Sequitur. Quæ cum exisset dixit matri suæ. Quid petam? At illa caput Ioānis Baptistæ. Qualis mater, talis filia. Nihil peius pessimo mulieris consilio. Illa enim fuit causa dissentionis & bellorum inter Herodem & regem Aretham, nec propter sanguinis effusionem destitit, fuit causa mortis tanti hominis, fuit etiam postmodum causa perditionis regni & mortis sui viri. In scriptura autem caput cum sit superior pars, accipitur pro prælato vel regente rempublicam, Herodias, ergo hoc est superbia quærit caput id est superiores & Prælatos. Est enim quasi quædam tinea quæ solet occupare caput, non pedes; & sic moritur Ioannes, id est gratia Dei, Cumque introisset statim cum festinatione ad regem, dixit:

Volo vt protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ. Et contristatus est rex, apparenter tantum. Vnde Hieronymus recitat de quodam Flaminio duce Romanorum, qui cum esset quidam

[Margin notes: Sap. 7. — Eccl. 7. — G Superbia est quasi quædam tinea capitis, id est superiorum. — Nota Histor.]

reus capitalis criminis, & mulier quædam meretrix in conuiuio diceret se nūquam vidisse hominem decollatum, ipsum vt videret, in conuiuio inter epulas decollauit. Propter hoc à censoribus à curia eiectus est, quia miscuit epulis sanguinem, & satisfecit voluntati meretricis delitijs eius. Si ita fecerunt Gentiles, ignari, quanto magis debebat iste arceri qui habebat literas. Sed sub specie religiositatis voluit malitiam suam exercere. Inde sequitur: *Propter iusiurandum & propter simul discumbentes noluit eam contristare, sed misso speculatore*, &c. Ecce quomodo locusta (cum tamen prius locustas Ioannes ederet) tantum saltauit quod saltando caput Ioannis extulit. Ait Psalm. Domino.
Psal. 82 *Qui te oderunt extulerunt caput*. Herodes extulit caput diem natalis sui celebrando, filia Herodiadis extulit caput dissolute saltando, Herodias extulit caput suæ filiæ saltatrici, vt peteret caput Ioannis præcipiendo, & de ipso se vendicando, & iterum Herodes caput suum extulit, cum caput Ioannis abstulit. Sed Christus caput Ioannis extulit, non solum in hac vita, sed etiam in æterna, quia secundum
Ps 109. Psal. *De torrente in via bibit*, scilicet Ioannes, *propterea* Christus scilicet *exaltauit caput eius*. Sequitur, *& decollauit eum in carcere, & attulit caput eius in disco, & dedit illud puellæ*, &c. Hic posset fidelis, ad tantam iniustitiam & ignominiam Innocenti illatam à tam iniquo rege & tam impudentibus meretricibus admirari, & dicere
Hier. 12. Domino cum Hieremia: *Iustus quidem tu es Domine, si disputem tecum, veruntamen iusta loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui præuaricantur & inique agunt. Plantasti eos & radicem miserunt, proficiunt & faciunt fructum*, & cum Abac. *Qua-*
Abac. 1 *re taces impio conculcante iustiorem se, & facis homines quasi pisces & quasi reptilia non habentia ducem*. Ad idem facit illud Eccl. *Iustus*
Eccl 7. *perit in iustitia sua, & impius multo viuit tem-*
Psal. 62 *pore*, & Psal. ait: *Mei autem pene moti sunt pedes*, &c. *Quia zelaui super iniquos pacem peccatorum videns*. Vnde & propter hoc Tullius negauit diuinam prouidentiam. Quis autem sanctior quam Ioannes Baptista, quem tamen impius Herodes conculcauit, & ita ignominiose ad preces vnius saltatricis interfecit? Quomodo ergo Domine ita tuo regno prouides, vt sic iusti dimittantur in manus impiorum? Respondetur primo, quod licet iustorum corpora sint in manu tortoris, & res in manu raptoris animæ, tamen sunt in manu creatoris, & sic nihil aut paucum possunt præualere aduersus iustos, quia Dominus habet animas in manu, & sic sunt securæ, & cum hoc exponit tantummodo minus principale ad seruandum magis principale, sicut exponitur vile & debile castrum & inutile pro forti. Dicitur secundo quod non propter hoc diuina sapientia in suo regimine deficit, si per talem viam perueniant sancti ad regnum cæleste, scilicet ignominiam & mortem vilem. Non enim tales attendunt quod aurum in igne purgatur, lapis ad ædificium politur tonsionibus, & granum ad ponendum in horreum flagellis præparatur, & ferrum lima clarificatur, & ferro calido & candenti mallei adhibentur. Vnde Esa. *Dicitur iusto quo-* Esai. 3.
*niam bene*, scilicet quicquid illi accidit. Sicut enim gloria malorum in ignominiam commutatur, vt dicitur Oseæ. *Ego gloriam* Osea 4.
*eorum in ignominiam commutabo*, sic Dominus suis facit è contrario, sicut miles multipliciter in vultu vulneratus in illo gloriatur, quamuis hoc visum sit ignominia. Ideo iustus perit in ignominia, & nemo est qui recogitet in corde suo quanta ex hoc illi est gloria. Quo ad vltimum, scilicet de sepultura beati Ioannis, cui fuit talis ignominia facta ab Herode & Herodiade, quod non permiserunt insimul sepeliri caput & corpus, ne forte ipse resurgeret, dicit textus loquens de solo corpore capite secluso, quod post decollationem Ioannis accedentes discipuli eius, tulerunt corpus ipsius scilicet de carcere, & posuerunt illud in monumento apud Sebastem Palestinæ vrbem

H Dominātur his impij & persequūtur nostra. Ea Dei prouidentia.

1 vrbem, vbi plurimis claruit miraculis. Herodes enim credidit extinguere lumẽ eius sed non potuit Erat enim testimonio Christi *Lucerna ardens & lucens.* Ratio autem quare hæc lucerna non fuit extincta est, quia modicus ignis cito extinguitur vel per sufflationem vel per aquę appositionẽ, sed ignis magnus & fortis propter aquam modicam siue ventum, non solũ non extinguitur, sed fortius inflammatur. Sic sanctitas parua & modice virtutis cito extinguitur per aquam tribulationis aut ignem passionis vel ventum vanæ gloriæ, non sic sanctitas perfecta sicut Ioannis, quæ tanta fuit vt non solum luceret in vita per actus virtutũ, sed etiã post mortem per operationes miraculorum. Cõsuetudo autem est vt ille cui irrogatur iniuria conqueratur illi qui auctoritatem habet & potestatem emendãdi & iustitiam faciendi. Sic discipuli audita decollatione Ioannis nunciauerunt Iesu. Sic debent facere boni christiani postquam iniuria irrogata est eis, vt cum patientia dicant Iesu, vt quicquid voluerit faciat. Per eum enim fit iustitia. Inde ait. *Mihi vindictam & ego retribuam.*

*Lucerna ardenti comparatur sanctus. Ioan. 6.*

*Rom. 12*

## SERMO II. DE EODEM Festo, & in ordine. XLIX. Per Thema.

INimicitias ponam inter te & mulierẽ, ipsa conteret caput tuum. Quæritur quare mors sancti Ioannis celebratur, cum tamen sanctorum mortes veteris testamenti minime celebrentur. Respõdetur primo quod mors Ioannis recitatur & celebratur propter multa. Primo ad exemplum nostrum, vt videamus quantum sit pro veritate & iustitia certandũ, quia vsque ad mortem iuxta illud: *Vsque ad mortem certa pro iustitia.* Si enim tantus & tam sanctus homo vitam ponderãs cum veritate maluit & melius esse iudicauit vitam perdere quam veritatem, quid debent iudices & principes & prælati, qui tantæ bonitati & vitæ comparari nõ possunt timere exponere vitam pro veritate tuenda? Si enim essent qui pro populo vitam exponerent & pro veritate iustitię obseruanda, forte paucorum virorum mors preciosa diuinam iustitiam compẽsaret pro mortibus decẽ vel viginti milium hominum. Secundo vt ostendatur amor quem habuit ad Dominum, vt nos eodem amore inflammemur. Non enim potuit plus facere Deo quam fecerit, nec Deus ab eo plus exquirere quam mortẽ eius, iuxta illud: *Maiorem charitatem nemo habet quam vt animam suam ponat quis*, &c. Portauit enim agnum adhuc viuentem, cum alij portauerint iam mortuum. Antequam enim Christus moreretur pro Ioanne, Ioannes mortuus est pro Christo. Et ideo bene depingitur quod agnũ portet moriens, quem demonstrauit viuens. Sunt enim qui illum non portant sed demonstrant solum, vt doctores qui demonstrãt innocentiam quam non seruant. Alij solum pelles agni portant vt hypocritæ: *Veniunt ad vos in vestimentis ouium.* Alij sunt qui aliquando portãt per pænitẽtiã, sed vt onerosum ipsum proijciunt, quia cito pœnitentiam abijciunt. Ioannes autem portauit eum adhuc viuum, nos vero nec mortuum pro nobis & passum & tostum in cruce & assatum volumus portare. Tertio recitatur vt ei cõpatiamur. Videmus enim in hoc mũdo quãdo aliquis sanctę vitę & magni nominis moritur, vel ab inimicis iniuste interficitur, quod solet plangi sanctitas, & bonitas eius recitari. Sic iste quantæ vitę & sanctitatis fuerit, sciunt omnes. Interfectus est autem ab Herode, ideo non est mirũ si Ecclesia post mortẽ plangit eũ & commendat dicens: *Hic mundus obijt per omnia confisus in Domino.* Et plangit vituperia ei facta ad suggestionem meretricis & saltatricis filiæ petentis, da mihi caput Ioannis in disco. Quarto quia quodam modo Ioannes ad nouum, quodam modo ad vetus testamentum pertinet. Mortuus enim est antequã Dominus ipsum terminaret, quia terminauit illud cũ nouum sacrificium dedit in sacramento &

*Genes. 3*

*A Ioannis Baptistæ mors nõ abs re celebratur.*

*Eccl. 4.*

*Ioan. 15*

*Nota.*

*Matt. 7*

*2 Mach. 7.*

in ara crucis, & in hoc pertinet ad vetus. Quia tamen regnum cœleste prædicauit, & eum qui auctor erat noui Testamenti demonstrauit, quodam modo ad nouum spectat, & maxime quia eius vita & mors in nouo Testamento recitatur, ideo tanquam sancti noui Testamenti hodie eius mors à christianis celebratur. Quærat ergo Ecclesia à Christo, quod filia meretricis ab Herode, da mihi caput Ioannis in disco. Discus enim in festiuitate conuiuij præsentatur, id est da mihi digne celebrare martyrium & decollationem B. Ioannis, hoc autē facile nobis concedetur medio Mariæ, cui propterea dicemus Aue.

8 Nota istas rationes. Licet isto die decollatus non fuerit Ioannes Baptista, sed circa dies azymorum, recte tamen facta est translatio festi ad hunc diem, & hoc propter quatuor. Primo quia tali tempore decollatio eius celebrari non poterat propter dominica sacramenta, quæ tunc recoluntur ab Ecclesia. Oportet autē, quod minor cedat maiori. Secundo propter ossium eius cōcremationem & collectionem, quæ hac die secundum quosdam fuerunt cōcremata, & à fidelibus ex parte recollecta, in quo quasi secundū martyrium patitur, quando in suis ossibus concrematur, & ideo Ecclesia tanquam secūdum martyrium, hoc festum celebrat. Vt enim legitur in 11. li. Hist. Ecclesi. c. 28. cum discipuli Ioannis corpus eius apud Sebastem vrbē Palestinæ inter Elysæum & Abdiam sepelissent, & ad eius tumulum multa miracula fierent, iubente Iuliano Apostata gētiles eius ossa sparserunt, & cum miracula non cessarent, postmodum collecta & in igne cremata in puluerem redegerunt, & per agros ventilauerunt. Quidam vero monachi à Hierosolymis venientes latenter Gentilibus se immiscuerunt, & magnam eorum partem tulerunt, & deinde Episcopo Hierosolymitano tradiderunt. Digitus autem ille qui Christum ostendit, ardere non potuit. Tertio propter ipsius capitis inuentionē, quod hoc die dicunt fuisse repertum. Post enim truncationem capitis Herodias fecit deferri caput eius in Hierusalem, ne si forte cum corpore sepeliretur sicut Propheta resurgeret, & hoc iuxta Herodis habitaculum Hierosolymitanum. Tempore vero Martiani principis, Ioannes caput suū duobus monachis reuelauit Hierosolymam venientibus, qui ad palatium ipsius Herodis properantes, caput ipsius Ioannis inuenerunt saccis cilicinis inuolutū, vt æstimatur vestibus quibus induebatur in deserto, quod deinde multis alijs ostensum est. Quarto propter ipsius digiti translationem, & Ecclesiæ dedicationem. Vnde digitus ille, qui ardere non potuit à monachis ibidem existentibus apportatur, quem sancta Tecima (vt dicitur) asportauit inter alpes in Ecclesia Mauritaniæ, & ibidem in honorem S. Ioannis fabricauit Ecclesiam, quam Ecclesiam hac die dedicatam asserunt fuisse. Inde est quod à Domino Papa dicunt hunc diem institutum fuisse celebrandū. Sed nunc (proh dolor) magis cum saltibus & tripudijs, quibus mors Ioannis procurata est, festū facimus, in quo multum inimicamur, & aduersamur B. Ioanni, & quasi illum iterato decollamus cum illa muliere Herodiade, cui applicari possunt verba thematis præassumpti, inimicitias ponam inter te, & mulierem &c.

Quia iam dictum est de inimicitia, & causis inimicitię huius mulieris Herodiadis aduersus Ioannem, dicetur solum quomodo illa inimicitia. Primo peperit incarcerationem Ioannis. Secundo decollationem eius. Herodias enim concepit contra Ioannem odium, & peperit incarcerationem & homicidium, multo tēpore tulit illud odium in ventre cordis, & postea peperit oportuno tempore. Psal. *Concepit dolorem*, scilicet odij, *& peperit iniquitatem* incarcerationis & homicidij. Igitur de primo, scilicet incarceratione Ioannis dicit Euangelium. Misit Herodes ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcerem propter Herodiadem, &c. Moraliter loquendo per Herodem, Psal. 7.

(qui

(qui interpretatur glorians in pellibus) intelliguntur Principes & Prælati, quos propter pelles, & mutatoria vestiū multi sequuntur. Soli enim tales, qui sic gloriantur in tali multitudine pellium, & vestium, & qui pascunt, & vestiunt malos, & adulatores, digni prælatura iudicantur. Quod notatur Esa. cum dicitur: *Non sum meditus, & in domo mea non est panis, neque vestimentum, nolite me constituere Principem super vos.* Vnde Herodes iste habuit multas conditiones pessimas, quæ inueniri solent in malis principibus & tyrannis. Prima conditio est iuxta sui nominis interpretationem, quia impij & tyranni solent in pellibus & spolijs innocentum, & simplicium gloriari, quando possunt eas rapere, & suis satrapis distribuere, & propter hoc multi eos sequuntur, exemplo canis qui sequebatur vetulam dum portaret omasa. Sic iste rapiebat super populum, vt faceret conuiuia suis primatibus. Secunda conditio est, quod tyranni & mali homines solent sanctorum virorum laudes moleste tolerare. Inde de isto Herode legitur Matth. 14. & Marc. 6. Paulo ante textum nostri Euāgelij, quod audita fama Iesu credidit Ioannem esse resuscitatum, & propter sanctitatem eius meruisse virtutem miraculorum. Et ideo moleste ferens sanctitatem eius, & famam quam crediderat auferre, voluit interficere Christum, & propter hoc nunciatum est Domino: *Exi & vade hinc, quia Herodes quærit te interficere*, & ait Dominus nunciantibus: *Dicite vulpi illi, ecce dæmonia eiicio, & sanitates perficio hodie, & cras, & tertia die consumor, quia non capit Prophetam perire extra Hierusalem.* Tertia conditio est turpitudo vitæ & infamia. Peccatum enim carnis incæstus & adulterij commisit, incæstus quia cum vxore fratris, adulterij quia cum vxore aliena, quod interdum sequitur secundum Gregorium ex abundantia diuitiarum. Psal. *Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum.* Vnde narrat Iosephus, quod cum iste Herodes Romam pergeret, pertransijt domum Philippi fratris sui, & considerata pulchritudine Herodiadis vxoris eiusdem Philippi, quę erat filia Aristoboli & soror Agrippæ, alloquutus est eam de matrimonio & promissione inter eos facta, vt cum rediret, acciperet eam in vxorem, iter suum compleuit. Quod non latuit primam vxorem Herodis filiam regis Arethæ in Arabia, & statim mandauit patri suo vt mitterentur qui occurrerent ei in Macherunta, & ita factum est, & indicauit patri voluntatem Herodis, quod postea probabit experientia. Nam illam Herodiadem transtulit de domo fratris sui & accepit sibi vxorem. Ex qua die facti sunt inimici Philippus & rex Aretha, & dictus Agrippa, & inde ortum est bellum per regem Aretham, in quo occubuit pars Herodis per fugam eorum qui missi sunt à fratre suo Philippo in auxilium.

Esai. 3. | Principum malorum cōditiones enumerātur | Luc. 13.

Quarta conditio est, amor proprij periculi. Amat suum periculum, qui non potest sustinere cuiuscunque correctionem, & Eccl. *Qui amat periculum peribit in illo.* De his dicitur Amos. *Odio habuerunt corripiente in porta.* Eccles. *Qui odit correctionem, vestigium est peccatoru*, id est, valde similis est diabolo qui anthonomatice peccator dicitur, sicut vestigium valde simile est pedi. Diabolus enim insusceptibilis est correctionis. Equus scabidus timet strigilem, sic Herodes. Dicebat autem ei Ioannes. Non licet tibi habere vxorem fratris tui, ipso scilicet adhuc superstite & viuente. Ecce quomodo Ioannes voluit ligare Herodem in manicis ferreis, sed non potuit. Vulpes enim erat quæ hoc instrumento ligari non nouit. Manicæ enim ferreæ sunt mandata Dei inflexibilia, sicut erat illud de non dimittenda vxore vt alia ducatur, & illud, quod Deus coniunxit homo non separet, & iterum, alligatus es vxori noli quærere solutionem. Refugiebat & hæc vincula plusquā vulpina Herodias, imo propterea insidiabatur Ioanni & volebat eum occidere,

D | Obstinatus immo tes vestigium diaboli. | Eccl. 3. | Amos 5 | Eccl. 21.

Nota. ſed tamen non poterat. Vnde Chryſoſt. de decollatione Ioannis contra Herodiadem. Nulla beſtia in hoc mundo ſimilis eſt mulieri malæ. Quid leone inter quadrupedia ſæuius, quid ſerpentibus aut draconibus atrocius? Sed hæc animalia ei in malo inferiora ſunt. Iuſtum Danielem in lacu leone reueriti ſunt, iuſtū Naboth Hiezabel interfecit. Cete Ionam in ventre cuſtodiuit, Dalida Samſonem circumuentum illecebris raſo capite deformatū Philiſthæis tradidit. Dracones & aſpides ſurdæ & cornutæ Ioannem Baptiſtam in deſerto viuentem ſubdita feritate timuerunt. Herodias vero caput Ioannis abſcidit, & tanti viri caput in pretium ſaltatricis accepit. Elyam corui pauerunt, & Iezabel poſt reddita terris pluuiam & fame depulſa ab humano genere per ipſum, cuius etiam beneficio licet ipſa indigna viuebat, ipſum perſequebatur, vt pœnam mortis ei redderet.

Sed quomodo dicitur quod volebat eum occidere nec poterat. Videtur enim quod ſaltem hoc poterat per maritum ſuum. Quare ergo non interfecit Herodes Ioannem immediate, quod loquutus eſt contra eum & mulierem, nonne gladium in manu portabat? Reſpondet textus, quod Herodes metuebat Ioannem ſciens eum virum iuſtum & ſanctum, & libenter eum audiebat, &c. In quo notatur primo quod etiam infideles reuerentur Sanctos & religionem bene obſeruatam. Inde & Achior quamuis eſſet hoſtis Iudæorum, multa bona de eis dixit: Hoc enim habet naturæ oleum, quod licet aquam contrarietur, tamen ab aqua defertur. Sic veritas licet ſit contraria malis, tamen ipſi eam quandoque defenſant, & ſi non ore, ſaltem corde. Et ſi religio eſſet talis qualis debet eſſe, & ſimiliter Prælati & viri Eccleſiaſtici, poſſent forte contra tyrannides principum. Dicitur ſecundo quod Ioannes eum non arguit in publicum, ſed in priuato, in quo notantur qui publica prædicatione notant perſonas, ita quod poſſunt perpendi, qui quamuis habeant zelum, ſed non ſecundum ſcientiam. Magis hoc eſt diffamare quam eos conuertere. Dicitur tertio quod ad correctionem principum requiritur quod poſsint redarguere, ita quod non ſint in malo notabiles. Propter quod dicit Euāgeliſta, quod Herodes metuebat Ioannem, ſciens eum virum iuſtum. Secundo quod principes ſint diſciplinæ capaces, vt non ſint ſicut vetus peluis, in qua quando quis credit ponere vnam petiam facit quinque, ideo ſubdit, libenter eum audiebat. Tertio quod corrigendus ſit capax non ſolum auditu, ſed etiam effectu, alioquin correctio quanto plus fieret, tanto ad damnationem maiorem eſſet, ideo ſubditur, & audito eo multa faciebat, contra multos qui indiſcrete quādoque aggrediuntur principes, & non conſiderantes quod catulus leonem cum latratu inuadens, ſtatim ab eo diſcerpitur. Et hæc circa primum, ſcilicet de incarceratione Ioannis.

E

*Boni reuerentur ſæpe mali.*

Nota.

Circa ſecundum punctum inueniuntur, ſecundum textum Euangelij, aliæ conditiones in Herode deteſtabiles. Prima eſt ſuperbia, cum diem natalitium celebrauit, in quo natus erat ad miſeriam & totus in peccatis, cum etiam natiuitates bonorum rariſsime celebrentur. Vnde Hieronymus, nullum alium inuenimus obſeruaſſe diem natalis ſui niſi Herodem & Pharaonem, vt quorum erat impietas, eſſet vna ſolemnitas. Hinc Beda ait: Melius eſt diem mortis ad memoriā reuocare, quam diem natiuitatis. Homo enim naſcitur ad laborem in mundo, electi ad requiem per mortem tranſeunt è mundo. Secunda conditio vel vitium eſt gula, cum conuiuium præparauit optimatibus ſuis, in quo lubicra audiuit & geſticulationibus ſaltatricis viſum accōmodauit. Vbi fatuitatem ſuam oſtendit, quia non fecit conuiuium indigentibus, ſed Principibus tribunis & primis Galileæ, volens replere plena, & ſatiatos ſatiare, & in mare aquam mittere vt impleret. Non ſic docet Saluator dicens:

*Cum*

Luc. 14. *Cum facis prandium aut cœnam noli vocare amicos tuos, neque cognatos, neque vicinos, neque diuites, ne fiat tibi retributio, sed voca pauperes, debiles, & clau\-dos, & beatus eris quia non habent retribuere tibi. Retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum*, contra illos qui multa expendunt in cœnis & prandijs frustra, vnde multi pauperes essent refecti & nutriti, & illa perduntur. Sed quæritur vtrum licitum sit facere grandia conuiuia publica, aut eis interesse, sicut iste Herodes fecit suis primatibus.

Respondetur primo quod conuiuia pomposa nec facienda sunt nec frequentanda. Inde Propheta Hier. *Non ingrediaris domum conuiuij*, & Eccl. *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij*, & hoc propter multa. Primo quia ibi bona opera destruuntur, quod significatum est in filijs Iob, qui fuerunt igne consumpti, dum essent in conuiuio. Per filios enim Iob intelliguntur bona opera. Secundo quia ibi sensus exteriores opprimuntur à vino, & ideo hortatur Sapiens: *Ne opprimaris in conuiuio.* Tertio quia ibi multiplicia peccata committuntur, & multa inhonestates: *Separatum est conuiuium eorum, fornicatione fornicati sunt. Delitiis affluentes in conuiuiis suis luxuriantes.* Ibi enim decollatus est Ioannes, occisus à Ptolomæo Symon & filij eius Iudas & Ioannes. Amon etiam filius Dauid, filij & filiæ Iob, Godolias præfectus regis Babylonis ab Hismaele. Ibi etiam est pompa ministrorum, luxuria saltantium & corizantium, & talibus choreis prohibetur clericis interesse. dist. 34. Presbyteri, diacones, subdiacones, vel deinceps quibus ducendi vxores licentia modo non est etiam aliarum nuptiarum euitent conuiuia, nec his cætibus misceantur, vbi amatoria cantantur, & turpia aut obscœni motus corporum choreis & saltationibus efferuntur. Quarto, quia propterea opera Dei negliguntur, sicut seruitiũ diuinum & subuentio pauperum. *Cythara & lyra, tympanum & vinum in conuiuiis vestris, & opus Dei non respicitis*, quia ibi oportet esse vasa aurea & argentea, tapeta, & aliam supellectilem pretiosam, vbi pretium talium debuerat distribui pauperibus, & similiter taliter conuiuantes fiunt inepti ad seruiendum Deo. Quinto, quia ira Dei & vindicta manet tales. Hoc patuit in conuiuio Balthasar Regis Assyriorum, in quo per tres articulos manus scribentis prædicta est vindicta Dei, quæ debebat irruere super eum, & Naum dicitur: *Sicut spinæ se ad inuicẽ complectuntur, sic conuiuiũ pariter portantiũ consumetur quasi stipula ariditate plena.* Vnde propter ista conuiuia damnatus est diues epulo, qui pro superbis ministris quos habuerat in conuiuijs suis, & ornatu, & superbia eorum, & alijs bonis, non potuit habere vnum ministrum vlcerosum, scilicet Lazarum, vt ministraret ei aquam. Sexto, quia talia conuiuia sumptuosa sunt contra instructiones & exempla Scripturæ sacræ. Nam (vt ait Hieronymus) Elyas cũ fugeret à facie Iezabel, & sub quercu iaceret lassus, suscitatur ab Angelo, vt comederet, & inuenit ad caput suum panem subcinericium, & vas aquæ, electos autẽ cibos, & vinum conditum non misit ei Deus. Elyseus filios prophetarum inuitat ad prandium, & herbis agrestibus eos alens consonum prandentium audiuit clamorem mors in olla vir Dei. Non iratus est coquis. (Lautioris enim mensæ consuetudinem non habebat) sed farina desuper iactata amaritudinem dulcorauit. Sed, & illos qui ad compræhendendum illum venerant cum oculis pariter & mente cæcatis Samariam induxisset, pane, & aqua refici imperauit. Sed & Danieli potuit de regijs ferculis mensa trãsferri, sed Abacuc ei mœstorum prandium portat, arbitror rusticanum. Sic ergo apparet quod Deus suis non sumptuosa cibaria, sed rusticana semper præparauit.

Dicitur secundo, quod conuiuia moderata, & quæ ex charitate fiunt, nõ sunt reprobanda. Vnde Gregorius d. 44. conuiuia (inquit) quæ ex intentione impendendo

Marginalia: Hier. 6. F — Conuiuia pomposa sunt vitanda. — Eccl. 7. — Eccl. 3. — Osee 4 — 2. Pet. 2 — 2. Re. 13 — Iob 1. — Hier. 41 — Esa. 5. — Naum 1 — Nota exempla — 4. Reg. 4 — 4. Reg. 6 — Dan. 14 — G Cõuiuia moderata ...

dentiæ charitatis fiunt, recte vestra fraternitas in suis Epistolis laudat. Sed tamẽ sciendum est quia tunc ex charitate veraciter prodeunt, cum in eis nulla absentium vita mordetur, nullus ex irrisione reprehenditur, nec in eis inanes negociorum secularium fabulæ, sed verba sacræ lectionis audiuntur, cum non plusquam necesse est seruitur corpori, sed sola eius infirmitas reficitur, vt ad vsus exercendę virtutis habeatur. Hæc itaque si vos in vestris conuiuijs agitis, abstinentium (fateor) magistri estis. Quicquid sit, non est honestum clerico passim ire ad cõuiuia. Inde Hieronymus. Facile contemnitur clericus, qui sæpe vocatur ad prandium, & ire non recusat. Numquam petentes, raro accipiamus rogati. *Beatius enim est magis dare, quam accipere*. Nescio etiam quomodo ipse, qui deprecatur vt tribuat, cũ acceperis viliorem te iudicat, & mirum in modum si eum rogantem contempseris, plus te posterius veneratur. Et hoc fuit vnum documẽtum quod dedit Ambrosius Augustino ne iret frequenter ad conuiuia, quia scilicet ibi raro seruatur mensura, & ne etiam vilesceret apud alios. Tertia conditio viciosa Herodis fuit temeritas, cum iurauit puellę dare quicquid peteret, & maxime quia hoc iurauit vili personæ, & pro vili opere, cõtra illos qui facile donant histr onibus. Remunerauit enim adulatores promissione, & dono adimpleuit, cum salientem puellam capite Ioannis donauit. In quo dedit puellæ plusquam dimidium regni sui, imo plusquam totum regnum suum, quia caput illud preciosius erat toto regno suo. Quarta fuit proditio, quia condixerant sibi mutuo ipse, & Herodias, quod se iuramento sic obligaret quasi ignarus coram simul discumbentibus, vt sic occasionem haberet occidendi Ioannem.

Nota.

Act. 20

Quinta est simulatio, quia contristatus est rex, id est visus est contristari, cũ intus haberet lætitiam, sed propter iuramentum, & propter simul discumbẽtes [illegible] eam contristare. In quo secundum Bedam. Voluit omnes discumbentes sui sceleris participes esse. Sed quæritur vtrum iuramentum Herodis teneri debuit, & videtur quod sic, quia alioquin fuisset periurus, periurium autẽ est peccatum mortale, igitur. Respondetur primo, quod iuramentum est assertio dicti humani, quod ipsum sit verum, & hoc per inuocationem diuini nominis vel ęquiualentis. Quia enim nõ creditur homini, adducit testem qui nec falli nec fallere potest. Et sic irreuerentiam ei facit, quando adducit eum in testẽ mendacij vel tanquam ignorantem veritatem, vel tanquam volentem testificari aliquid falsum, quia sic quasi non omnino scientem vel veracem eum reputare videtur. Dicitur secundo, quod duplex est iuramentum. Vnum assertorium, & per istud aliquando quis asserit pro certo quod dubium est sibi, & tũc peccat mortaliter, aliomodo quod scit non esse verum, & sic iterum dupliciter peccat. Aliud est iuramentum promissorium, & est multiplex. Quoddam est dolosum, quando quis iurat se aliquid facturum non intendendo se obligare, & illud est peccatum.

Iuramẽtum quid sit, & quotuplex est.

Aliud est incautum quod transit super materiam illicitam, & hoc dupliciter vel illicitam de se, & si homo iurando peccat non tenetur implere, imo peccat implendo iuramentum. Et ibi habet veritatem dictum Ysidori, in male promissis rescinde fidem, & in turpi voto muta decretum. Propterea peccauit Herodes iurando, & peius fecit implendo suum iuramentum, quamquam potuisset aliqualiter (licet non omnino) excusari iurando, si non iurasset fraudulenter, quia iuramentum eius non cadebat directe super materiam illicitam, imo debebat eã excludere, & sic intelligi, quicquid petieris, scilicet licitum, dabo tibi. Alio modo talis materia non est de se illicita, non est tamen licita materia iuramenti, sicut sunt opera perfectionis, & sic peccat quis iurando non se talia

talia facturum, nec tenetur iuramento. Alio modo promittit quis per iuramentum se facturum impossibile, quod tamẽ dum iurat putat se facturum, & si illud sit simpliciter impossibile constat quod nullo modo tenetur, si autem sit impossibile pro tempore pro quo iuratur, sed nõ pro semper, imo illud aliquando poterit facere, tunc tenetur cum cessat impossibilitas, sicut si quis iurauerit se visitaturum limina Apostolorum Petri & Pauli infra annum, si toto anno decumbat in lecto vi morbi, tunc clarum est quod nõ tenetur, sed bene cessante infirmitate & legitimo impedimento, aliquando tamẽ materia est talis quod ex indiscretione homo peccat, sed facile dispensatur cum eo. Est etiam iuramentum coactum coactione quæ cadere potest in constantem virum, & tale non obligat, sicut si quis ex tali metu promisisset cum iureiurando se accepturum Bertham in vxorem, non tenetur eam accipere. Sexta conditio vitiosa est homicidij crudelitas, quando misso speculatore præcepit afferri caput Ioannis, & adhuc in disco, ita vt quẽ non audebant tangere serpentes & viperæ, meretrix inuerecunde tetigit. Vnde Theophilus. Vide quantum operatur cõcupiscentię rabies, quia cum Herodes haberet Ioannem in reuerentia sciens eum sanctum & timeret, fit immemor vt suæ fornicationi prouideret. Et secundũ Remigium, minus peccatum in hoc factum est causa maioris peccati, iuxta illud, qui in sordibus est sordescat adhuc, quia libidinosa voluntas coëgit in illum manum mittere & occidere. Tunc impletum est quod prædixerat Ioannes significãs qua morte esset clarificaturus Deum. *Illum oportet crescere, me autem minui.* Bene enim imminutus est Ioannes, quando capite truncatus, Dominus autem in ligno extensus ita vt dinumerarentur omnia ossa eius, quodammodo creuit. Ioan. 3.

Sed quæritur cum Ioannes iuuenis esset, cur ita cito permisit eum occidi, scilicet anno trigesimosecundo suæ ætatis, cũ tamen esset amicus eius. *Amicus spõsi stat & gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Respondetur quod hoc fuit propter quatuor. Primo propter malitiam tunc habitantiũ in Iudæa & Galilæa. Vnde & Dominus hoc testatur dicens: *Sic erit generationi huic pessima.* Mali enim merentur vt boni doctores eis subtrahantur. Sunt enim indigni. *Quibus dignus non erat mundus.* Hinc Greg. in pastorali, malitia remanentium in mundo meretur, vt hi qui prodesse poterant festine subtrahantur. *Posuit terram salsuginem à malitia inhabitantium in ea*, in salsuginem, id est in sabulum, vbi tota pinguedo terræ amouetur. Secundo propter malitiam quam Deus vult mittere in terram, malitiam quidem pœnæ. *A facie mali collectus est iustus, sicut paterfamilias quando habet fructus in loco hostili, & immunito, vbi fures occurrere possunt, tempestiue eos colligit ne surripiantur.* Ita Dominus cito assumit suos ne videant mala, quæ eueniunt mundo. Frumentum enim cito in horrea reconditur à facie superuenientis tempestatis. Vbi sup. I Sancti sæpe cito subtrahuntur à mũdo. Mat. 12. Heb. 11. Psa. 106 Esa. 47

Exemplum habemus de B. Augustino, qui subtractus est è mundo vandalis occurrentibus ciuitati suæ. Similiter de B. Ambrosio legitur, quod imminente eius morte Comes Italiæ timens ne eo decedente Italia deperiret, fecit eum rogari, vt postularet à Domino spatium adhuc viuendi. Sic & subtractus est Ioannes, ne affligeretur videndo mala quæ debebant fieri Christo. Mala enim malorum affligunt bonos. Tertio quia iam plenus erat meritis. Non est autem mirum si triticum maturum cito in horreo recondatur, & si vas fabricatum cito recondatur in thesauro. Quarto quia præco erat Christi ipsum præcedens nascendo. Non autem destituitur ab officio in regis curia bene recta, nisi offenderit præco regem. Cum igitur in eo nullum fuerit lætale crimen, sequitur, quod necesse erat ipsum in officio præconis Dominũ præcedere moriendo.

DE EODEM FESTO SER. III. & in ordine L. Per Thema.

Mat. 6. A Ioannes Baptista restaurauit ruinam luciferi triplici corona coronatus.

HErodes misit ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcerem. Vulgo dici solet, quod nunquam Deus habuit amicum, quin eum exponeret confusioni. Et quia fuit iste summus amicus Dei, ideo Deus exposuit eum confusioni, & hoc, vt probatus inuentus, ad ordinem Angelorum veheretur, sicut probantur, qui ad ordines, & dignitates assumũtur. Vnde dicunt quidam luciferum esse supremum Angelum, & quia descendit, quod eius ruina restaurata est per eum quo inter natos non surrexit maior. Ioãnes enim super cæteros est eleuatus, & coronatus in gloria, secundũ illud hymni. Sexta terdenis alios coronãt aucta crementis, duplicata quosdam, trina centeno cumulata fructu, te sacer ornant. Licet enim alij sancti simplici, vel duplici corona coronentur, iste tamen triplici: Vna enim debetur martyribus, quæ huic collata est speciali modo. Si enim bonus est miles Petrus qui Christum sequitur in prælio, melior est Ioannes qui ipsum in eodem præcedit. Si bonus est miles Stephanus qui passionem reddidit Domino, melior est Ioannes, qui ante moritur pro Christo. Si boni sunt omnes sancti martyres, qui mortui sunt pro defendendo fidem, melior & audacior Ioãnes qui mortuus est inuadendo Herodem. Secundo aureola doctorum præ cæteris doctoribus dotatus est. Nã licet de Christo cæteri vaticinati sint, iste tamen ita plene docuit, quod etiam digito demonstrauit. Inde Matth. *Vocat eum Dominus nõ solum Prophetam, sed etiam plusquam Prophetam.* Item inter prædicatores nouæ legis primus fuit, & tãtæ auctoritatis, vt Christus crederetur, qui est summus magister. Erat enim lucerna ardens, & lucens. Tertio aureola virginum sibi perfectius attributa est, quia alij nascuntur corrupti, & infecti, iste vero replebatur Spiritu Sancto ex vtero matris, & in tota vita sua non est cõtaminatus aliqua leuitate, iuxta illud. Antra deserti, &c. ne leui saltem maculare vitam famine posses. Ideo est speculum virginum post beatam virginẽ eius parentem, cui dicemus: Aue, &c.

Matt. 11

B Vulpis natura, & in & moribus Herodis referentia. Luc. 13.

A tempore quo vulpes cœperunt in villis manere, gallinæ villarum non fuerunt securæ. Herodes autem iste testimonio Saluatoris erat vulpes. *Dicite vulpi illi*, ideo non est mirum si Ioannes (qui erat bona gallina Domini) non fuerit securus coram eo, sed tenuit eum ligauit, & occidit. Sed differenter se habent vulpes in campis, & in villis. Vulpes in campis nõ curant quam gallinã comedant, siue macram, siue pinguem, dummodo habeant, sed in villis non comedunt nisi pingues gallinas, & positas in muta, Gallicè *en mue.* Secundo in campis vulpes sub pelle vulpis rapinam facit, sed non in villis, sed sub mantelo iustitiæ, & sanctitatis, ita quod vulpes videtur Eremita. Tertio quia vulpes campi non comedit plumas, sed solum carnem, sed hic sufficit de plumis, non curant de carne, nisi forte, qui sunt multum denaturati, & deprauati, ita vt imitentur naturam vulpium syluestrium, sicut iste Herodes ad solam carnẽ Ioannis deuorandam aspirabat. Inde est, quod misit ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcerem. In hoc sermone duo tangentur. Primo quomodo Ioannes quasi gallina fuit in muta, id est incarceratus. Secundo qualiter sub mantello iustitiæ deuoratus, & hæc duo simul tangentur ostendendo quomodo Herodes habuit conditiones vulpis. Igitur dico, quod assignari possunt duodecim conditiones vulpis quas habuit Herodes. Prima est, quia vulpes pellicea est. Sic iste glorians in pellibus, & abundantia rerũ. Venatores autem non sequuntur vulpes nisi propter pelles, non propter carnes, sic nec plurimi, qui eos sequuntur, nisi propter bona temporalia. Vulpes etiam sunt mulieres, quæ gloriantur in pellibus suis, & pulchritudine. Sed terribile erit in iudicio cum excoriabũtur, & perdent

C Vulpis conditiones.

dent pellem. Tunc enim turbabuntur pelles terræ madiam. Secunda conditio, vulpes latet in fouea, & Herodes ad insidiandum simplicitati Christi, & Ioannis.
Psal 10 *Sedet in insidijs cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem.* Sedebat enim in prādio cum diuitibus, & magnatibus regni sui in occultis, insidiando per occulta consilia, & machinationes, vt interficeret Ioannem innocentem.

*Religio & curia differenter se habent ad suos nouicios.* Sed nonne erant aliqui magnates aut ministri Herodis, qui defendenbāt Ioannem? nonne erāt aliqui boni? Forte multi boni erant antequā intrarent curiā Herodis, sed secundum ducem populi sic & ministri eius. Vnde differenter religio, & curia regum suscipiunt nouicios. Religio malos facit bonos, è conuerso curia. Videtur enim idem esse de curia sicut de ingressu maiorum Ecclesiarum. Nam maiores Ecclesiæ habent duplicē ingressum. Primus est inferior, & bassus, & ille latus, & communiter rectus, & hunc ingressum bene assequitur homo recte incedendo. Alius ingressus est superior quo homo ascendit ad campanile vel superiores testudines, & iste est obliquus. Sic ingressus in curijs principum, quo homo vocatur ad seruitium, est latus & rectus, & bonæ personæ iurantes, quod fideliter agent, & consulent, de quo ingressu dicitur Esai. *Aperite portas, & ingredietur gens iusta custodiens veritatem.* Sed alius est ingressus quo ascenditur ad maiora officia, & gradus est arctus, & pauci intrant nisi oblique, & numquam recte. Tertia conditio, quod vulpes est animal fœtidum. Sic iste fœtidæ vitæ, & luxuriosæ, adeo vt Ioannes odoratus pati non posset, sed argueret ipsum dicens, non licet tibi, &c. Apud eos qui sunt mali odoratus, & qui sunt continue in stercoribus, stercora nihil aut paucum sentiunt vel olent, sed bene apud eos, qui sunt honestæ vitæ, & notabilis famæ, Sic apud stercoratos luxuriosos non sapit eis male eorum vita aut saltem parum, sed bene apud homines honestæ famæ putet, & fœtet.

Esai. 26

Vnde dicitur, quod animal istud stercorizat caudam suam, ne canes venatici appropinquent ei propter fœtorem nimium. Sic & isti volunt omnes sui sequaces, & familiares esse lubricos, & viles ne sancti viri quouis modo velint appropinquare, & ad eos accedere, & semper non solum in cauda, sed in ore stercus illud luxuriæ habere. Fœtidus autem est vulpis anhelitus, fœtida pellis, fœtidus in quo habitat locus. Sic fœtida sunt verba luxuriosi, fœtida vita, & fœtida loca in quibus commoratur. Quarta conditio, quod vulpes habitat in desertis locis. Sic isti in desertis locis ab hominibus, qui fructum exercent in populo. Non enim videbis in domibus eorum qui eos arguat. Sic iste incarcerat Ioannem, ne eum arguat, & in domo sua habitet, in quo potius faciebat de domo sua domum carceris tenebrosam, quando excludebat ab ea talem lucem, quę ipsam illuminare volebat. Lux enim opere, & effectu communis est, quia omnibus indifferenter se communicat. *Sol illuminans per omnia respicit,* Eccl. 42. *contra illos, qui prædicare volunt diuitibus non pauperibus.* Similiter lux indifferenter omnia visibilia manifestat, omnium maculas reuelat. *Omnia quæ arguuntur à luce manifestantur,* Ephes. 5. quod est contra illos qui manifestant, & arguunt peccata pauperum non diuitum, quamuis maior candela soleat accendi coram diuitibus, quam coram pauperibus. Non sic Ioannes Baptista qui non solum prædicabat diuitibus, sed etiam pauperibus, non solum manifestabat aut arguebat peccata pauperum, sed etiam diuitum sicut Herodis. Sed superceciderat ignis luxuriæ, & ideo non potuit videre lucem istam, sed ipsam incarcerauit. Quinta conditio est, quod vulpes incaueat se in terra. Sic iste pro terra sua tutanda (quia timebat ne populus sequeretur Ioannem, & constitueret eum regem) ipsum Ioannem interimit. Sic multi sunt qui pro terra tuenda, & vt incaueantur, & locentur in ea, po-

ea, populum deprædãtur, spoliant, & interficiunt, ideo de talibus verificabitur illud Psal. *Introibunt in inferiora terræ*, scilicet in caueam inferni, *tradentur in manus gladij* æternæ damnationis, *partes vulpium erunt*. Sicut enim populus fuit pars eorũ, & substantiam populi partiti sunt, sic & isti vulpium infernalium partes, & portiones erunt. Vel sic. Vulpes incaueat se in terra, & delectatur ibi. Sic iste de hoc, quod in terra erat incaueatus per natiuitatem gaudebat, & cauam faciebat. O cœna pessima in qua sanguis effusus est. Multiplex autem est cæna mala. Vna est crudelitatis, sicut ista in qua Ioannes Decollatus est, & multi spiritualiter mortui sunt, quia consenserunt morti eius, & in hoc eis parauit foueam & causam dedit Herodes in quo grauissime peccauit. Sicut enim parare viam vbi plures transeunt est maximum meritum, sic parare foueam vbi plures cadunt est maximum demeritum, quod fecit Herodes, qui voluit omnes conuiuas esse sui sceleris participes. Alia cæna mala est voluptatis in qua homines inebriantur, de qua: *Vnusquisque cænam suam presumit ad manducandũ*, & Iudith: *Olofernes fecit cænam seruis suis, & inebriatus est*. Tertia est ambitionis in qua superbi extolluntur de quibus: Math. *Amant primos recubitus in cænis*. Quarta est superstitionis, & erroris in qua dęmones coluntur. *Si quis infidelium vocat vos ad cænam*, &c.

Psal. 62 — D — *Cæna mala est multiplex.* — 1. Co. 11 — Iud 12. — Mat. 23. — 1. Co. 10

Sexta conditio est, quod magnam caudam habent. Sic iste magnam societatem primatum ad cooperiendum turpitudinem suam, de qua: Esa. *Disperget Dominus ab Israel caput, & caudam incuruantem, & deprauantem die vna.*

Esa. 9.

Septima conditio est quod prædam affert suis paruulis. Sic iste puellæ saltanti promisit, & dedit caput Ioannis O rapina execranda. Caput sancti viri quod suũ non erat, vili saltatrici dedit Herodes. O domus impudica, & male directa in qua saltationibus vacatur. Vnde Remigius. Consuetudo est non solum diuitum sed pauperum mulierum ita pudice filias suas nutrire, vt vix ab extraneis videantur. Hæc autem impudica impudice filiam suam nutriuit, quam non docuit pudorem sed saltationem, Nec minus repræhendendus est Herodes, qui oblitus est domum suam esse aulã regiam, quam prædicta mulier fecit theatrum.

Octaua conditio, quod vulpes est animal fraudulentum, & tortuose incedit. Sic vt ad crimen intentum perueniat Herodes, incaute iurat, & dolose. Talis est consuetudo procedere in iudicijs fraudulenter, tortuose, & per vias obliquas Non enim aliter veritas intercipi solet, nisi per circuitiones, vnde in istis iudicijs propter accessorium perditur principale scilicet anima propter bona terrena. Sed in circuitu impij ambulant, & nunquam volunt ad rectum accedere quasi vulpes, boni vero per vias rectas incedunt. De hoc autem, quod in fraude iurauerit Herodes dicit Hieronymus sic. Ad hoc forte iurauit, vt occasionem reperiret qua videretur facere inuitus, quod faciebat spontaneus. Non enim hoc impleret de aliquo amico quod impleuit de propheta isto. Quia vero fraude interemit Ioannem, ideo etiam fraude parentis sui Herodis Agrippæ captus est cum iuit Romam, & ad Viennam galliæ ciuitatem in exilium deportatus, vt dicit Iosephus libro 18. antiquitatum, vel vt dicit Egesippus libro 2. de cladibus Iudæorum, in hispaniam fugatus ibi mærore animi consumptus est. Sic sæpe fit malis principibus, & dolosis. Inde Hier. quando loquitur de causa destructionis regni Iudææ ait. *A maiore vsque ad minimum cuncti faciunt dolum.* Hier. 6.

Nona conditio, quod simulat se mortuã. Sic iste se contristatũ, sub specie pietatis pallians impietatem, nolens propter iusiuradum negare puellæ quod petit, quod tamen iuramentum non erat obseruãdum. Vulpes enim simulat se mortuam vt capiat cornicem quando famelica est.

ea est. Sic iste famelicus interficiendi Ioannem se simulat contristatum, vt Ioannem deuoret, & interimat. Exemplum de vulpe qui se simulauit mortuã, vt infra quadrigam proijceretur ad halecia comedenda. Decima conditio est, quod taxum inuadit & foueam eius stercorizat. Sic iste Deum, & sanctos eius inhonorat, & contemnit. Timuit enim cõtristare puellam, & simul discumbentes & Deum & sanctum virum illum non timuit contristare. Vnde & spreuit, & illusit Christum cum exercitu suo, imo se adiunxit cum Pilatò ad Christi necem.
*Iud. 15.* Vulpes enim Samsonis habebant posteriora vnita, licet facies vario modo tenderent.

Habebant enim vulpes isti contrarias intentiones de seruãdo regnum suũ, sed circa innocentem eandem habebant, vt eum interficerent. Vndecima conditio est, quod gallinas persequitur, deuorat, & comedit. Sic iste Ioannem. Ioannes autem vna erat gallina, quæ pullos Christi sub alis voluerat congregare, & tamẽ persequutus est eam & in fine deuorauit. Sic modo fit. Solebat gallina habere alas, & alte volare ne vulpes acciperet, modo ordinantur vulpes ad custodiam gallinarum, id est gentes armorum quæ deplumant gallinas ne volitare possint.
*Tren. 5.* *Propter montem Syon quia disperijt vulpes ambulat in eo.* Vnde maxima Herodis crudelitas apparuit, quod non sufficiebat ei Ioannem decollari, nisi inter conuiuas caput eius faceret afferri, quasi faciẽs inde ferculum discumbentibus. Beda. In luxurioso conuiuio cruentæ epulæ deferuntur.

Vulpes ergo Herodes deuorauit Ioannem ipsum decapitando. Sed tripliciter Ioannes decapitatur. Primo cum ab eo in quo erat gratia Christus, qui caput est Christianorum per mortale peccatum separatur. Secundo cum dominium rationi aufertur, sicut fit in multis in quibus loco huius capitis caput asininũ vel porcinum vel caninum assumitur. Caput asininum assumit in quo stultitia dominatur, caput porci in quo gula, caput canis in quo odium, & sic de alijs vitijs.

*E Ioannes decapitatur tripliciter.*

Tertio cum charitas, quæ tanquam caput est gratiarum, abscinditur. Duodecima conditio, nisi sit multum famelica prope suum locum numquam deprædatur, sed bene longe à sua habitatione, ne insiliant in eum, & inde expellant, domestica tamen animalia sæpius deuorat, raro siluestria. Sic iste suos familiares non vexabat, sed Ioannem longe à sua conuersatione existentem interfecit. Videbis enim garsionem pessimum suis moribus similes non vexare, sed solum eos qui boni sunt, & dissimiles in conuersatione abhorrent. Domesticata tamen animalia, quæ de domo Dei sunt, quibus dicitur, vos estis ciues sanctorum, & domestici Dei, illi sunt qui ab eis deuorantur, raro illi qui sunt extra domum Dei quasi syluestria animalia.

## *DE S. AEGIDIO SERM. VNIcus, & in ordine LI. Per Them. 1.*

A*B infantia mecum creuit miseratio.* Sicut in naturalibus ad hoc, quod aliqua arbor crescat, aut fructificet quatuor iuuant, & proficiunt. Sic ad hoc, quod homo, qui est arbor euersa, crescat in virtutibus, & principaliter in miserationibus, & misericordijs quatuor iuuant. Primum congruitas regionis, quando est in bono territorio, *contrée* gallicè. Quædam enim arbores crescunt in vna terra quæ non crescunt in alia. Sic quidam inter honestos parentes crescunt qui inter malos non crescerent, nec fructificarent. Vnde & Ægidius ex bonis parentibus erat, & honestis. Videant parentes quale exemplum filijs ostendãt, & si in orto eorũ digna sit crescere planta Dei. Secundo ad crementum iuuat vbertas irrigationis. Sine humore nihil crescit, vt patet in tempore sicco. Ideo

*Iob 31.* *A Crescere faciunt quatuor quæ mystice sensus reducuntur.*

Ideo senes, quia in eis, non viget humidum radicale, non possunt ad maiorem magnitudinem peruenire. Iste est humor gratiæ deuotionis. Quando enim homo habet deuotionem in corde ad ea quæ Dei sunt talis faciliter crescit: *Fructus eius & frondes creuerunt ex aquis multis*. E cõtra ariditas cordis causat infertilitatem animæ. Sed iste in deuotione à principio semper in orationibus continuus, ideo creuit in templum sanctum in Domino. Tertio requiritur quod arbor sit multũ radicata aliter ad modicum ventum caderet. Abores enim non multum radicatæ non multum crescunt. Sic qui non est radicatus in amore Dei, ad quemlibet ventum tentationis cadit. Charitas enim calor est spiritualis, mediante quo fit crementum. Membra enim tenera & ossa tenera expenduntur calore naturali, quando est in feruore suo. Ideo iuuenes crescunt & ad magnitudinem perfectam perueniunt, quia in eis regnat calor naturalis. Inde iubet Apostolus: *In charitate radicati & fundati*. Vnde quanto domus bene fundatur, tanto potest altius ędificium construi. Sic qui radicatus est in amore Christi potest vsque ad cælum crescere. Hinc est illud Ephe. *Superædificati super fundamentum Apostolorum & prophetarũ nisi summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templũ sanctum in Domino*. Quarto sędulitas putationis, quando bene purgantur mali botri. Ortulanus enim in arbore quam vult crescere, amputat circumquaque malos ramunculos, qui eius nutrimentum impediunt. Sic omnem malam inclinationem in iuuene à principio debemus amputare. Alioquin non habebit suum crementum. Multum autem ad hoc valet bonum nutrimentum gratiæ. Quod vt habeamus à matre nostra requiramus dicentes Aue.

Ezec 19 · Ephes. 3. · Ephes 2.

Notandum quod annus est vita hominis. Infantia & pueritia est ver, in quo est botrus & flores, adolescentia & iuuentus æstas, in qua flores & botri formantur in fructus vel cadunt & plures perduntur imbribus, veneno, æstu, gula. Tertia pars virilis ætas, in qua homo maturescere debet prudentia & non stultitia. Quarta hyems, in qua frigus viget & mors appropinquat. Sic dicemus quomodo miseratio creuit in isto istis quatuor partibus anni, etiam in senectute. Maximum autem bonum in homine est miseratio, quæ assignat vnicuique locum Paradiso, secundum illud: *Omnis misericordia facit locum vnicuique secundum meritum operum suorum*. Secundo coronat testante, *Qui coronat te in misericordia & miserationibus*. Tertio est refugium in vltima necessitate & aduersitate iuxta illud Psal. *Misericordia mea & refugium meum*. Parui enim paruorum miserentur, sed communiter magni paruos comedunt. Ideo festum facimus hodie de quibusdam magnis qui paruorum miserentur, quorum vnus dicebat. *Ab infantia mecum creuit miseratio*.

B · Misericordia est maximũ bonum. · Eccl. 16. · Ps. 102. · Ps. 143. · Iob 31.

Primo dicemus quomodo in eo creuit miseratio in infantia & pueritia & fuit plantata. Nam ex honestis & claris græciæ parentibus ortus est patre Theodoro matre Pelagia, vtroque stirpe regia genito & christianissimo. Ex bona planta non nisi bonus fructus procedit. Ideo continuantur ab hortulano bonæ plantę, sed inutiles nõ sinuntur fructificare. Inde est quod lupi & tyranni non multum fructificant, sed bene oues & simplices viri. Ibi fieri potest quæstio an sit laudãdus de nobilitate, vide sermo, Vincentij. Hic autem quadam die ad Ecclesiã pergens cuidam ægro iacenti in platea tunicam dedit, qua indutus ęger illico sanitatem cum veste recepit.

Sed circa hoc quæritur vtrum de hoc sit laudãdus Ægidius. Videtur quod nõ, quia tunc minor erat annis, sed secundũ doctores minor annis & sub tutela parentum non potest dare eleemosynam, & si quis eam receperit tenetur ad restitutionem, igitur. Respondetur primo quod si ille pauper erat in extrema necessitate vt videtur fuisse, quia erat nudus &

C · Eleemosyna an licite dabatur ab Ægidio cum esset minor annis.

nudus & infirmus iacens in platea, tunc fecit Ægidius dando alteri quod suum erat in necessitate, & opus erat institię, nec alius ad restitutionem tenebatur. Quilibet enim ex iustitia tenetur alteri in necessitate subuenire, sicut vellet quod sibi subueniretur. Secundo dico quod si iste nó fuit in extrema necessitate, adhuc potuit istud bene fieri instigante ad hoc ipsum diuina virtute, quæ intus latebat propter multa. Primo vt innotesceret virtus diuina in eo latens, & hoc apparuit ex illo quod alter per vestem sanatus est, & hoc etiam apparuit in hoc quod requisitus de veste vbi esset, ita solerter respondit, quod non est mentitus dicens: quendam non sibi notum illam asportasse. Secundo vt cognosceretur qualis esset in futuro, & quã misericors populo, qui sic à principio misericors erat. Vnde tales multum debent laudari à populo, sicut laudat Sapiens: *Hi sunt viri misericordiæ, quorum iustitiæ obliuionem non acceperunt.* Sicut è contrario crudeles vituperantur ab omnibus. Si enim laudatur Martinus à Domino & populo, quia dedit dimidiam vestem, quantum iste qui totam dedit? Ille incepit ab adolescentia, iste ab infantia. Tertio vt viderent parẽtes, qualem plantam ex sua honesta conuersatione genuerant. Tales enim communiter sunt fructus bonorũ matrimoniorum. Nihil enim magis aromaticum quam cor pium redolens odoramenta confortantia patrem & matrem & alios, sicut nihil fætidius corde immundo & crudeli. Tertio igitur dico quod parentes videntes talem inclinationem in iuuene bono debent lætari, & gaudere, & gratias agere Deo, & approbare factum, cum discretione tamen. Vident enim illum iam sequi conditiones patris sui cœlestis, cuius proprium est misereri, de quo Dominus: *Estote misericordes sicut & pater vester cælestis misericors est.* Vnde Prouer. *E studijs cognoscitur puer.* Si enim videas puerum pronum ad picturas faciendas, ex cõmuniter accidẽtibus iudicabis fore pictorem. Si ad molendina, molendinarium, vt etiam patuit de illo qui ex molendinario & Regina natus erat. Si ad pugnam, communiter vacabit pugnæ & bello. Si ad Ecclesiam, communiter in ætate matura erit Ecclesiasticus vel diligẽs Ecclesiam. Ideo cum vidissent parentes optimum principium in isto infante debebant lætari & approbare, exemplo illius de quo recitat Gregor. qui matris suæ horrea distribuit pauperibus. Inde August. ad Faustum dicit, quod quando agricola videt terram esse incultã & plenam herbis nociuis, ex herbis tamẽ quæ ibi crescunt, iudicat quandoque terram esse optimam, & ad fructum conuenientissimam, vt patuit in Moyse qui laudatur de interfectione Aegyptij, quæ tamen non erat bona. Nunc igitur dato quod actus ille non fuisset multum bonus, tamen erat signum optimi animi & futuri profectus. Inde & ei à parentibus faciliter venia data est, & hoc recitat Ecclesia non tanquam bonum, sed tanquam futuri boni maximum indicium. Dicitur quarto quod istud factum non est in cõsequentiam trahendum, vt scilicet pueri inducantur de bonis parentum dare secreto vel aliter, quia hoc ad eos non spectat, & qui eos inducunt ad hoc & qui recipiunt, tenentur ad restitutionem. Secundo dicendum quomodo in adolescẽtia secum creuit miseratio. Nam parentibus suis defunctis quorum obitum parũ ante præsciuit Spiritu sancto reuelante, Dominum fecit hæredem, sæculum derelinquens, & soli Deo inhærens. Bonum enim est viro cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua, quod Dominus consulit suis portare. Ait enim: *Tollite iugum meum super vos. Iugum enim meum suaue est.* Nobiles dum sunt iuuenes, honorabile est seruire, non dum sunt senes, quia non sunt ita apti. Sunt enim multi sicut filij rusticorum, qui dum sunt paruuli, sunt domini, sed quando sunt magni, sunt serui, & vadunt ad aratrum. Secundo quia facilius portatur à iuuentute. Vulgo

Eccl. 44. — Luc. 6. — Act. 6. — Iuuentutem dare Deo optimũ est — Mat. 11.

Vulgo dicitur, male trahit qui id non didicit. Et ideo suaue est iugũ Domini his qui illud portare didicerunt. Carbo de iuuene ligno melius valet ad inflammãdum amore diuino. Nam vulgo dicitur, *tousiours se sent la pouche du harenc*, secundum illud, quo semel est imbuta recens seruabit odorem testa diu. Si enim quis à iuuentute assuescat in bono semper retinebit illam bonam consuetudinem, & quasi vertetur in naturam, è cõtra si in malo. Tertio quia sibi vtilius est. Dominus enim bouem suum trahentem ad aratrum pœnitentiæ postmodum ducit ad stabulum & refectionem. Nam postquam dixit, tollite iugum meum, subdit, & inuenietis requiem animabus vestris, & iterum non timeatis iugum, sed *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*, ex vna parte refectorium, & ex alia parte dormitorium. Sed multi tunc portant iugum diaboli, adolescentiam luxurię dantes, deinde virilem ætatem superbiæ, & senectutem auaritiæ. Tunc enim maxime inhiant tẽporalibus acquirendis, & domibus ædificandis, & postea moriuntur. Communiter dicitur in sene cum ædificat, quod statim sit moriturus. Sicut diues qui horrea ampliauerat, & fructus congragauerat, audiuit. *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te*. Sed quæritur primo nonne Deus videtur cum seueritate magna agere cum sanctis suis, & seruis quando eis adhuc adolescẽtibus orabat eos parentibus suis. Perdunt enim tunc magnam lętitiæ sæculi partem, & adiutoria. Nam prædantur à suis domesticis, tutoribus, & executoribus. Videant tamen executores ne dum comederint suum, & alienum, comedantur postea, secundum illud: *Partes vulpium erunt*, & temporalium, & infernalium. Dicitur quod Deus sæpe facit eis magnam misericordiam auferẽdo ab eis parentes in iuuentute, vel adolescentia sua. Primo, quia crescentibus pueris crescit amor parentum ad eos. Ideo quandoque tantus est amor naturalis ad filios, quod extinguit charitatem ad Deum, & sic propter filios ad eos ditandos, & conseruandos incidunt in magna peccata, & latrocinia. Propterea ne filij boni sint occasio futuræ damnationis parentibus, Dominus ex misericordia sua subtrahit eos. Secundo ne sint causa damnationis filiorum. Filij enim aliquando detinentur vinculo naturalis amoris ad parentes, ne libere sequantur Christum. Exemplum de Melania nobilissima Romanorum, quæ orbata marito, & filijs sub vno die, dedit se seruitio Christi, dicens. Scio quod quæris, o bone Iesu, Partitus erat amor meus in te maritum, & filios, sed nunc totum quæris, & totum habebis. Sic & iste parentibus orbatus libere secutus est Christum, totum se ei tribuens. Volunt enim communiter parentes, quod filij sint de opificio patris. Si pater procurator, quod procuratores, si aduocatus, aduocati, si mercator, mercatores, & huiusmodi.

Mat. 11

Luc. 12.

Psal. 62. E

Inuentibus pueris cito auferũtur parentes ex summa Dei misericordia.

Secundo quæritur fueritne Ægidius fatuus dimittendo bona sua, & distribuẽdo pauperibus? Dicitur primo, quod sic reputatione mundi. *Si quis vult sapiẽs esse stultus fit vt sit sapiens*, stultus est omnis homo à scientia Dei. Dicitur secundo, quod sicut terrenus homo semper in terram vadit. *Terra es, & in terram ibis*, sic cœlestis homo cuius portio Deus est, semper in cœlum vadit. Vnde similis est homo speculo, cui rei se obijcit, illam effigiat, vt si terræ terram, si cælo cælum. Si ita est, quod nunc videatur aliquis amore bonorum temporalium & officiorum ita affectus, vt indifferenter omnia mala faciat, quæ cum difficultate facit resistentibus bonis, & etiam quandoque malis, & etiam ipsa conscientia, vt videmus in quibusdam huius regni, qui tamen sciunt, quod male inde soluentur aut paucum habebunt, quid inde putamus de amore sanctorum virorum, quãdo Deus incendit mentes eorum ad bonum? Quid enim tunc erit quod non dimittant, vt Dei faciant voluntatem? De pri-

P Bona mũdi relinquentes stulti sunt apud mũdum.

Gen. 3.

Nota.

De primis multi inueniuntur, de secundis pauci cum Ægidio nostro, cui non satis fuit si in adolescentia fons miserationis cresceret in fluuium dando omnia sua pauperibus, nisi & eam virtutem quã interius habebat, ministraret indigentibus & infirmis. Inde & quemdam à serpête percussum oratione sanauit, & alius à dæmonio vexatus ab eo liberatur, & plures ad eum confluebant infirmi quos sanabat. Sed cum multi sint nũc percussi à serpente diabolo, in quos immisit virus inuidiæ, rixarum, contentionũ, & huiusmodi, quare eos non sanat? Ipse enim dixit, & facta sunt. Respondetur, quia nolunt sanari, sed continue volunt in febre continua rixæ manere, quia non habent cor ad reijciendum malum. Exemplum de ceruo, qui secundũ opinionem vulpis non habebat cor, quia venerat ad mãdatum leonis timens eum, & tamen cũ fuit coram leone occisus est. Tãdem vero ne Ægidius surriperet quæ Dei sunt, scilicet gloriam suam, & inde superbiret. Nihil enim magis timẽt sancti quam illam vanam gloriam quæ sicut sagitta cito percutit cor. Ideo cito fugit patriã suam, & venit ad litus maris, & ibi dum periclitãtes nautas videret, orauit pro eis, & eos liberauit. Qui venientes ad portum, videntes se suis orationibus liberatos, ei gratias reddiderunt.

Sed quæritur, quomodo cognouerunt hoc factũ fuisse suis orationibus. Respõdetur, quod cognouerũt forte, quod mare erat adhuc turbatum circumcirca prę- ter quam in littore quo debebant appropinquare vbi erat Ægidius. Sicut nautæ videbant nauem vbi erat Ionas periclitari præ tumore maris, & tamen aliæ naues erant in tranquillo. Tunc ille mare pertransijt, & ad quandam insulam veniens illic in sabulo vestigium hominis inueniens cum socijs inquirit & cernit ibi in antro Eremitam legenté, qui per duodecim annos crudis herbarum radicibus, & herba sustentatus erat. Ibi B. Ægidius legit quam vitam sectari vellet, admiratus tanti viri asperitatem. Difficile erat vt caperetur à diabolo, quia dure se tractabat, quia canis ferrato collo capi non potest à lupo, è contra est de auallatoribus vini, & molliter viuentibus. Ecce nos cũ Ægidio videndo vitam sanctorum admiramur, & considerantes nos gnanos in respectu eorũ, quærimus venire ad summitatem illorũ. Nullus enim gnanus est, qui non vellet esse maximus, & pulcherrimus homo, & si natura hoc posset, quis non niteretur vt fieret? Quanto magis cũ videmus alios viros magnos, nitamur, vt simus eis similes? Deinde nauẽ regressus post triduum venit Missiliam, & deinde progressus est Arelatem vbi tunc Pontifex bonæ memoriæ Cæsarius. Hospitatus est pænes viduam theocritam, vbi filiam eius theocritam sanauit triennio febricitantem inuocato nomine Domini, quæ tamen in medicos multum profuderat, ibique cum illo sancto præsule biennio mansit. Tertio videndum est quomodo in virili ætate creuit in eo miseratio. Nam biennio facto recessit à pręsule. Vix enim in curijs magnatum potest, quis pœnitentiam facere, & transacto Rodano secus ripam Guardõnis fluuij inuenit quemdam Eremitam Veredemium nomine in quodam rupis concauo, cum quo cõuersatus est Ægidius. Sicque tunc miseratio eius crescebat, vt omnes attingeret. Nullus enim æger ibi portabatur, qui non sanaretur. Sterilitatem etiam terræ oratione fugauit. Sicut autem vox incantatoris animalia fugat venenosa, sic oratio Ægidij omnem terræ malitiam profugauit. Veredemio autem absente oblatus est paraliticus, vt sanaret eum, sed dixit nequaquam opus suum esse, sed sui socij, nihilominus insistentibus offerentibus sanauit. Non enim potest contineri fons quin exeat. Sed nonne melius fuisset, quod cum magnis præsulibus, & regibus mansisset quam cum Veredemio? Nonne multos lucratus fuisset? Nõne melius fecisset si illam magnam prædã duxisset ad vitã? Respondetur, quod non melius

*Nota de asperitate vitæ.*

*O Curia periculosior est solitudine.*

melius fecisset manere, sed cũ maiori periculo mansisset. Coruus enim exiens ab arca, stetit ad cadauer, & columba etiam totiés luit, quod stetit ad fructum. Sic periculum est exeunti à claustro vel deserto, ne stet ad cadauer temporaliũ, & fructũ voluptatis mundanæ, sed tutius moratur in solitudine. Peruenit autem Ægidius ad interiorem eremum, vbi solus ignotus cum feris in antro se reclusit prope fonticulum, vbi triennio de radicibus vixit, aqua sola contentus, excepto quod Dominus ei præparauit ceruã, quæ præbebat ei lac. Cum autem serui regis Gothorum flaui venarentur illic, ter propulsata cerua veniebat ad eum quasi ad subuẽtionem. Pium enim animal est homo, & contra naturã eius est, quod sit crudelis hominibus, quando bruta docent eius naturam. Nullius autem canis intra iactũ lapidis appropinquare audebat, & sic secundo reuersi sunt domum casso labore. Post hæc rex cum Episcopo venit, & canibus refugientibus, vt prius quidam incaute dirigens sagittam, virũ Dei percussit in femore. Sed quæri posset quomodo Ægidius reputatur sanctus, cum nullam videatur habuisse aduersitatẽ, sed omnia sibi ad nutum succederent. Dicitur quod imo habuit. Primo quia tota vita sua erat aduersitas & austeritas. Secũdo vt magis pateretur, orauit vt nunquam sanaretur vulnus illud. Quod si dicatur illud indiscrete factum, quia tũc minus habilis erat ad opus diuinũ. Respondetur quod parua læsio semper reducebat eũ ad memoriam fragilitatis suæ, & ad humilitatem. Exemplũ de Alexandro Magno, qui vulnere percussus in bello meminit suæ fragilitatis dicens: Omnes me dicunt filium Iouis, sed vulnus hoc indicat me mortalem. Nec illud vulnus multũ impediebat eum à diuino seruitio, & per consequens non male egit orando, vt nunquã sanaretur. Oblatas à rege pecunias contempsit, sed ex eis monasteriũ construi persuasit, in quo tandem Abbas constitutus est, & tunc in lucem conuersus est, quando monasteria rexit subditis suis lucẽ bonæ doctrinæ, & conuersationis sanctæ præbẽs. Quarto in senectute in solem conuersus est quando reges illuminauit. Vnde Carolus Imperator audiens eius famam voluit eum videre, & cum veniret Aurelianis in Ecclesia sanctæ crucis Euergumi-num curauit dicentem se cruciatum orationibus suis. Vbi quæritur an dæmones crucientur sanctorũ orationibus. Respõdetur quod sic, primo, quia orationes impediunt dæmones à mala voluntate sua, ex quo cruciantur, quia nequam volũtatem non implent. Exemplum in vitis patrum de Publio monacho, qui per decem dies impediuit dæmonem missum à Iuliano Apostata ad occidentem, vt inde aliquod responsum referret, itaque illis decem diebus transire non potuit per locũ in quo dictus monachus habitabat obstante illius oratione cõtinuata nocte dieque. Secundo quia per præsentiam Angelorum bonorũ aliquando incendũtur, & puniũtur acrius, & acrior eis gehenna infligitur. Facinus regis delatũ est in scedula quod non erat ausus confiteri, etsi de eo pœniteret, dictum est iam Ægidij precibus dimissum. Deinde suscitauit post reditum suum filium principis vrbis Renensis, postmodum prædicta subuersione sui monasterij, Romanorum pontificem adijt, à quo accepit duo ostia cupressina, in quibus erant sculptæ imagines Apostolorũ Petri, & Pauli, quæ sine ductore per aquas Tyberis dimissa in monasterium suum deuenerunt. Finaliter reuelatum diem sui obitus nunciauit fratribus, & die dominica media nocte migrauit ad Christũ cãtantibus Angelis. Quod si dicatur, quod gaudiũ maius est super vno peccatore quã super nonaginta nouẽ iustis, & tamẽ nõ audiuntur cantare, quãto minus pro isto iusto. Respondetur quod gaudiũ de iustis etiã de peccatoribus in hoc seculo nõ est securũ quia etsi cõuersi, vel iusti, possũt iterũ cadere, ideo nesciunt Angeli an odio, vel amore digni sint, sed in alio sęculo, vel cũ exeũt, sæculum,

sæculum sciunt quod tunc digni sunt, qui reparet ruinas eorum. Igitur ex prædictis apparet quomodo B. Ægidius ad modum arboris bonæ creuit omni tempore vitæ suæ. Sunt enim quædã arbores quæ in æstate habent viriditatem sed in hyeme eam perdunt, & tunc deturpãtur nec sunt recreatiuæ. Sunt, & aliæ quæ semper seruant suam viriditatem, & in hyeme, & in æstate, & istę sunt gratiosæ, quia viror confortat visum. Sic sunt aliqui qui in iuuentute seruant virtutes, & bonam vitam, & tamen in senectute postea fiunt mali, & immisericordes, timentes ne eis bona desint. In istis non crescit miseratio, licet aliquando in eis fuerit plantata. Alij sunt, qui seruant illam, & in iuuentute, & crescit vsque ad senectutem. Et istos libenter respicit filius Dei tanquam gratiosos præstantes vmbram, & refrigerium pauperi, sicut patuit in Martino, & Ægidio, & eis concedit visionem suam in gloria.

*H Crescũt sancti vsque ad mortem.*

## DE SANCTO LVPO SERMO *vnicus in ordine. LII. Per Thema.*

*Esai. 52*

SErvus meus exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valde. Quæritur cũ simus omnes serui inutiles & omnes iustitiæ nostrę sint sicut pannus menstruatæ, quod potuit esse seruitium tam excellés, propter quod beatus Lupus meruerit exaltari, eleuari, sublimari valde. Respódetur, quod multiplex est seruitium seu ministerium. Quoddam est magni laboris, & parui commodi, sicut eorum, qui portant fasciculos. Et istud est seruitium, quod impendunt auari mundo continue laborãtes pro congregandis diuitijs, qui in fine nihil lucrantur, sed deprimuntur ab onere diuitiarum, & ruunt sub pódere descendentes vsque ad infernum. Aliud est seruitium nobile parui laboris, & magni honoris, vt qui exercentur in auro, & argento, & lapidibus preciosis, & de huiusmodi seruiunt regibus, & principibus. Istud est seruitium charitatis, dilectionis Dei, & proximi, deuotionis, ac aliarum virtutum, quibus maxime seruitur Christo. Et hoc seruitium assumpsit beatus Lupus, isto modo seruiendo Christo ex toto corde, & ideo meruit exaltari, eleuari, & sublimari, præsupposita tamen diuina benignitate, quę dignatur huiusmodi seruitia, licet de se insufficiẽtia, & inutilia, acceptare. Vnde istud est seruitium ex acceptione Dei nobile, quod debemus Deo ratione feudi nostri, quod nullus recte soluit nisi sit liber regis. Inde hortabatur Samuel, *Præparate corda vestra Domino, & seruite illi soli, & liberabit vos de manibus inimicorum vestrorum.* 1. Reg. 7 Præparate (inquit) corda, quia nobilis auis non quærit nisi cor de præda. Nutrix autem pomum petit à puero, non vt auferat, sed vt melius custodiat. Sic Dominus cor petit dicens: Prou. *Præbe fili cor tuum mihi*, vt ipsum melius conseruet. Cor autem ministramus Domino nunc assatum igne charitatis seu dilectionis, nunc elixum aqua lachrymarum, nunc conditum aromatibus deuotionis. Sed debet dari soli Deo, quia vulgo dicitur nullus partem habet cum rege. Ansel. quia fecisti me, debeo me tibi totum. Qui autem sic fecerit, ex Dei benignitate non solum liberabitur de manibus inimicorum suorum, sed etiam exaltabitur, sicut & beatus Lupus. De cuius exaltatione, vt aliquid salutiferum dicamus recurremus ad Mariam dicentes: Aue.

*A Ministeriũ multiplex.*

*Prou. 23*

Exaltatus est beatus Lupus in populo per nobilitatem carnis, & mentis, eleuatus est in Ecclesia per dignitatem prælationis, sublimatus valde in cælo per adeptionem gloriæ eminentis.

Primo igitur exaltatus est per nobilitatem carnis, quia de regali stirpe progenitus est in territorio Aurelianen. cui tamen nobilitatem mentis adiunxit, quia ab ineunte ætate totum se Christi seruitio mancipauit, sciens: *Quia bonum est viro cum portauerit iugum Domini ab adolescentia.* Quadruplex enim exinde bonum prouenit. Primum est securitas quadruplex. Thren. 3

B *Iuventutem consecrans, Deo multiplex inde bonum consequitur*

plex. Vna est à timore quo cruciantur, qui in peccatis morâtur, ne à morte præoccupentur. Hinc Seneca ait: Pulchrum est ante mortem consummare vitam, deinde expectare securum reliquam temporis partem. Secunda est à timore casus. Minus enim casum timere debet, qui in adolescentia bonus fuit, cum habeat bonitatem magis adhærentem. Iuxta illud: Quo semel est imbuta recens seruabit

Prou 22 odorem testa diu, & Prou. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Tertia est ab igne purgatorij quem facilius euadunt. Quarta est à dubietate in qua sunt, qui in fine pænitentię. De cuiusmodi dicit Augustinus. Duæ res sunt, aut ignoscitur, aut non ignoscitur. Quid horum tibi futurum sit, nescio. Tene certum & dimitte incertum. Idem Augustinus, quoniam multa sunt quæ impediunt, & languentem retrahunt, periculosissimum est, & interitui intimû ad mortem protrahere pœnitentiæ remedium.

Secundum bonum est consuetudo, difficilia ad facilitatem reducens, secundum illud. Quod male fers, assuesce, feres. Et sapiens. Optima forma viuendi eligenda, est, quam iucundam reddet assuetudo.

Eccl. 6. Inde hortatur Scriptura: *Fili à iuuentute tua excipe doctrinam, & vsque ad canos inuenies sapientiam.*

Tertium est magnitudo tam præmij, quam meriti. Qui enim Deo seruit diutius, remunerabitur melius.

Quartum est, quod seruitium talis Deo gratius est, cum de flore vitæ suę Deo offerat. Qui enim florem iuuentutis suæ à Deo auferunt, & fæcem senectutis sibi reseruant, timere habent ne bibant de fæce infernalis miseriæ. Primo autem cępit B. Lupus à maceratione carnis, vt seruiret Deo. Sciebat enim primam fuisse impugnationem diaboli, circa peccata carnalia in primis parentibus, & in Christo. Secundo misericordiæ operibus insistebat, dans exemplum similiter faciendi. Nulla enim virtus magis de diabolo triumphat. Gloss. super illud Psalm. *Misericordia mea & refugium meum*, ait: de Ps 143. nulla re sic vincitur diabolus, vt de misericordia.

C *Nota de misericordia.*

Secundo eleuatus est in Ecclesia per dignitatem episcopalem, quia fama virtutum eius crescente, post Artemium factus est, & ordinatus Senensis Archiepiscopus. Sed quomodo Lupus electus

D *Lupi conditiones malis superioribus competentes.*

est in dignitatem Ecclesiæ, quomodo Lupus assumptus est in pastorem. Hoc videtur esse contra naturam. Respondetur, per veritates. Prima est, Lupus iste habebat conditiones omnino contrarias conditionibus lupi materialis, & eorum, qui sequûtur eius naturam. Primo, quia Lupus discerpit oues sicut faciunt mali Prę-lati, de quibus Act. *Scio quod post discessum* Act. 20 *meum intrabunt lupi rapaces non parcentes gregi.* Sed Lupus iste diligebat suos. Secundo Lupus viuit de rapina, sicut illi de quibus Ezech. *Principes eius in medio eius* Ezec. 22 *quasi lupi rapaces ad effundendum sanguinem, ad perdendas animas, & auare sectanda lucra.* Primum quo ad Principes terrenos. Secundum quo ad Ecclesiasticos. Tertium quo ad mercatores. Sed hic rapinam impediebat. Patuit quando campanæ sonitu milites regis Clotharij ab vrbe Senonensi repulit. Tertio lupus lupum non rapit, sed oues. Ita mali rectores non sibi similes rapiunt, sed simplices modica occasione inuenta. Exemplum de Lupo existente prope fontem cum agno, qui accepit occasionem deuorandi agnum, quod diceret eum turbasse fontem eius. *Qui recessit à malo, prædæ patuit.* Sicut enim Esai. 59 est piscis in aqua alios deuorans, vt Lucius, sic isti. *Beniamin Lupus rapax mane comedit prædam, & vespere diuidet spolia*, quia Gen. 49. in morte vnus vnum & alium deuorabit, vt de bestia carnificis quam comedunt canes, & familia. Sed iste lupos rapiebat, vt patuit in exilio de duce Pagano Bolone Landegisilao, quem conuertit cum exercitu suo, & multo alio populo. Quarto lupus intrans in ouile oues omnes interficit, cum tamen vna sufficeret. Sic mali superiores, de quibus Soph. *Iudices eius* Soph. 3. *lupi*

*lupi vespere, non relinquebant aliquid in mane.* Sed iste prohibuit lupos ducum Clotharij, & milites eius ne intrarent in ouile.

Quinto omnes clamant contra lupum dum intrat in ouile. Non sic de isto, sed cum reuersus fuit de exilio omnis populus Senonensis ei obuiam processit. Simile contingit in beato Chrysostomo ab exilio reuertenti, & in beato Ioanne Euangelista. Sexto Lupus sub specie canis venit in ouile, & caute procurat prędam, sicut ille de quibus Matth. *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Sed modo veniunt, non sub specie tali, sed vi & violentia. Sed iste institutus est ad preces cleri, populi, & regis propter virtutes suas non fictas. Septimo lupus raucos facit canes ne latrent contra eum. Sed iste docebat clerum, vt contra peccata populi latraret. Octauo lupi manent in syluis, modo tamen sunt in villis. Sed iste in diocœsi inter homines, ita quod lucerna eius lucebat coram populo.

Matt. 7.

E Luporũ genera duo.

Secunda veritas. Potest nihilominus dici, quod beatus Lupus mystice habuit conditiones aliquas lupi, quę conueniunt bono pastori animarum. Sed assignari poterunt duo genera luporum. Vnum cruentum, aliud violentum. Primo modo non nunc pastores lupi, sed semper sunt lupi. Semel lupus induit pellem ouis, & mactauit omnes oues, sic nunc faciunt multi Prælati. Secundo modo fuit iste pastor lupus violentus. Primo trahendo per amorem, & dando omnia ouibus. Secundo more lupi deuorando omnia scilicet vitia per prædicationem, & ostendendo dentes, vt fugerent oues à vitijs. Ostendendo etiam dentes contra hostes visibiles, scilicet ducem Clotharij, & suos, & contra hostes inuisibiles. Patuit in conclusione dæmonis in vase aquario, eo quod sibi sitim immiserat, & alia vice, quãdo repulsus est à suis clericis quos igne luxuriæ inciderat. Tertio incorporãdo eos Christo per bonũ exemplũ.

Tertia veritas, non videtur maius inconueniens quod ex lupo fiat pastor, quam quod ex lupo fiat ouis. Sed quod ex lupo possit fieri ouis declaratur. Nam duo sunt in nobis quæ sibi aduersantur, natura, & consuetudo. Natura enim homo animal mansuetum est, sociale, & gregale, vt dicitur primo politicę, ideo naturaliter ouis sed consuetudine fit lupus. Potest autem homo ad naturam reduci ouis per bonam doctrinam, & exemplum vitæ prælatorum, quibus inducitur ad imitationem morum. Inde Dominus vocauit Apostolos suos oues dicens eis: *Ecce ego mitto vos sicut oues* Mat. 10
*in medio luporum*, quos etiam constituit pastores onium suarum cum ait: *Quæcunque* Ioan. 20
*ligaueritis super terram erunt ligata & in cælis*, &c. Et Ioan. *Quorum remiseritis peccata* Ioan. 21
*remittuntur eis*, & Petro, *Pasce oues meas*. Sic beatus lupus erat ouis Christi per simplicitatem, & innocentiam, & nihilominus constitutus est ab eodem Domino pastor gregis sui. Nam (vt in eius vita habetur) ante eius natiuitatem reuelatum est diuinitus parentibus ipsum futurum pastorem seu Episcopum.

Pascebat autem gregem suum non solum verbo & exemplo, sed etiam temporali subsidio maxime pauperes, quibus pæne omnia sua erogabat. Et inde, quia misericors, omnia bona sibi succedebant. Patuit in quodam conuiuio. Vbi vino deficiente, allati sunt eius precibus centum modij vini prope fores domus in qua discumbebat.

F Nota ista.

Tertio sublimatus est valde in cœlo, per eminentem gloriam. Primo essentialem quæ consistit in visione & fruitione Dei, quam meruit propter multa. Primo propter diligentem administrationem, sicut Dominus seruum fidelem sublimare solet, postquam eum diu probauit in minoribus officijs, dicens Matth. *Euge serue bone & fidelis, &c. intra in gaudium Domini tui*, & è contra seruũ inutilem damnat. Exemplum de gallina Mat. 25

& falcone. Nā gallina, licet vtilis sit Domino, & ponens multa oua, conculcatur tamen & repellitur, sed tamen decocta ponitur in mensa Domini ad epulandū. Falco vero delicate nutritus, dum moritur proiicitur super fumum. Secundo propter eximium amorem suum erga Deum, sicut mater sublimat ad amplexus filium quem diligit, & sicut rex subleuat primogenitum in solio regni. Secundo sublimatus est ad accidentale præmium, quando ei datum est suis orationibus iuuare sibi deuotos, & curare à diuersis morbis, & præcipue à quodā malo, quod solet dici malum S. Lupi. Duo autem sunt alta mala. Primum est altum malum exterius, quę est tinea in superiori parte capitis existens. Aliud est interius, quod prouenit ex fumo grosso & venenoso, & istud est deterius primo. Primum est malum superbiæ, exterius quid curatur aliquando cito, sed nunquam interius, quin ibi remaneat superbia. Hinc Psal. *Non veniat* (inquit) *mihi pes superbiæ*, sequitur ibi, *Ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem.*

*Superbia est altum malum capitis.*

*Psal. 35.*

DE S. MEDERICO SERMO *vnicus, & in ordine LIII. Per Thema.*

*2 Mach. 15*

A

*Mundus sumitur dupliciter.*

HIc *est fratrum amator, hic est, qui multū orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate.* Queritur quomodo festum facimus S. Mederici, cum ipse contempserit mundum. Nonne restat, vt mundus iste ipsum contemnat, secundū illud Esa. *Væ qui spernis. Nonne & ipse sperneris?* & sicut Paulus contemnens mundum, contemnebatur ab eo. *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Respondetur, quod duplex est mundus. Quidam est, qui pro mundialibus mūdialiter viuentibus accipitur, cuius diabolus est princeps, iuxta illud Saluatoris. *Venit enim princeps mundi huius*, &c. *Qui dum vniuersum mundum lucrantur, animæ suæ detrimentum patiuntur.* Et isti spernunt sanctos, nec multum curant de eorum festiuitatibus, quia festo & feria non desinunt peccare, fraudare, luxuriari, ingurgitari, iniustitias agere, aut ad eas meditari. Sic etiam sancti non multum curāt de eis. Alio modo capitur mūdus pro hominibus habitantibus in mundo, & sic Medericus non spreuit mundū, sed multos labores assumpsit pro lucrando hunc mundum, non sibi sed Deo. Si igitur Alexandri, Romuli, & Iulij Cęsaris gesta recitamus, & eorum memoriā agimus, qui tamen sua fecerunt propter mundi gloriam transitoriam, & ad destructionē, & sui, & proximi, sicut quotidie fit in bellis, quanto magis gesta Mederici præclarissima quæ fecit ad honorē Dei, & ædificationem proximi? Si illa gesta præclara magnificamus, quæ olim magna sunt in oculis mundanorū, & qui sunt strabones solo corporali oculo videntes, quāto magis ea magnificare debemus quæ in conspectu Dei, & supernorum ciuium magna reputantur? Secundo eorum memoriam agere debemus, qui memores sunt nostri, aliter ingratitudinis argueremur. Sed Medericus est memor nostri. Nam hic est fratrum amator, &c. Igitur de eo festum facere debemus. Quod vt debite fiat, & in eo anima salutari pabulo reficiatur inuocabimus auxilium eiusdem, & virginis gloriosę dicentes Aue gratia.

*Esai. 33*

*Gal. 5*

*Ioan. 14.*

*Mat. 9.*

Primo dicitur quomodo Medericus fuit fratrum amator, id est eorum, qui se diligunt, vt fratres. Secundo quomodo orat pro populo isto & ciuitate.

Quo ad primum aduertendū est, quod amicitia fratrum cōsistit in quatuor. Primo in vnitate cordis & corporis, secundū illam exhortationem. *Vnanimes estote fratrum amatores.* Quod cognoscens Medericus, & sciens illud Ps. *Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum*, adhuc puer, annorum scilicet tredecim, etiā inuitis parentibus fratrum religiosorum consortio voluit associari in ciuitate Eduensi. Vbi quæritur vtrum pueri ante annos pubertatis debeant aliquid agere inuitis parentibus. Et videtur, quod nō, quia opus sine discretione non est laudabile,

B

*Amicitia fratrum in quibus consistat.*

*1. Pet. 3.*

*Ps. 132.*

bile, nec Deo acceptum. Sed pueri intra tales annos sunt communiter indiscreti, & ad actus eorum dirigendos requiritur parentũ discretio, ergo tunc nihil debent agere inuitis parentibus. Preterea Aristoteles dicit 1. Ethicor. quod iuuenes non sunt conuenientes auditores Philosophię moralis propter inexperientiam, quia male iudicarent de agibilibus. Debent igitur secundum consilium parentum nõ caput proprium insequendo agere quæ faciunt. Respondetur primo quod vbi Dei, & parentum consilium discrepant, dimittendi sunt pueri sequi Dei consiliũ non parentum, quia Deus pater est principalis pueri, & qui curã eius gerit principaliter. Secundo, quia melius est consilium Dei quam parentum. Ideo parentibus prohibentibus iuuenes suos venire ad Christum indignatur ipse Christus. Vnde & discipulis prohibentibus, Christo offerri paruulos, indigne tulit dicens: *Sinite paruulos venire ad me, & nolite prohibere eos*, & hoc propter multa. Primo, quia bonum est viro cum portauerit iugũ Domini ab adolescentia sua, quia vix subjiciet quis colla sua iugo Christi in senectute, qui in iuuentute non didicerit. Inde Aristoteles Ethic. 2. non parum refert iuuenem sic, vel sic assuefieri. Tum quia in eis nondum inherent radicitus perniciosæ adinuentiones, sed sunt vtres noui & recentes pro liquoribus optimis, & nouellæ plantationes, quæ sequuntur manũ ducentis quocunque deflexerit. Parentes verò si videant filios suos nunc frequentare Ecclesiam aut viros bonos, timent filijs ne perdantur, quod tamen laudatur in Mederico. Nunc autem in eis laudatur inuerecũdia impurũ os, & blasphemũ, in gestu dissolutio, procacitas, & dolositas, & reprobatur simplicitas. Isti sunt parẽtes senes pleni diebus malis, qui potius frangerẽtur quam flecterentur, imo proponunt eis turpia ludrica, nec de verbis lubricis eos increpant, timentes ne filij sui pudicitiã sequantur. Ideo dicit Satyricus, maxima debetur puero reuerentia.

C *Pueri quando dimittẽdi sunt sequi ardua.*

*Mat. 17.*

Dicitur secundo vbi pueri in iuuentute anhelant ad sequenda ardua vitæ initia, debent discrete à parentibus tractari, vt nec nimium eos distrahant, nec etiam nimium suæ consentiant voluntati. Primo, vt videant si ex Deo est opus illud, an nõ, *Quoniam si ex Deo est*, per longã continuationem *non dissoluetur*, vt dicitur Act. Tum etiam quia quandoque hæc subditis motibus proueniunt, & contingit quandoque, vt ea quæ fiunt ita leuiter & incõsiderate, bene incipiãtur, & male terminẽtur. Ideo dicebat quidam in vitis patrũ. Si viderem iuuenem modo volentẽ duobus pedibus ingredi in paradisum, eum arriperem per vnũ pedem antequam intraret. Et hoc quia iuuenes non considerant aliquando quæ faciunt. Processu autem tẽporis his consideratis, & visis discernitur si fiat continuatio, hoc esse à Spiritu sancto cui non est contradicendum, imo tunc negligendũ est imperium parẽtum propter Dei consilium, quod absoluit tunc ab illo imperio. Medericus autẽ à Spiritu sancto ducebatur, & sic inuitis parentibus mundum contempsit, & religioni probatæ se dedit. Cõtra eos, qui in aere corrupto & in domo corrupta volũt viuere inter leprosos. Factus autẽ monachus pœnitentiæ mirabili operam dedit, ita vt in Hebdomada non nisi bis, edulij quicquam caperet, quod non nisi pane ordeaceo, vel quod vilius reperire poterat, & aquæ modico fiebat, & cilicio asperrimo carnem domabat. In hoc non est sequendus Medericus, sed mirãdum. Hæc enim proponuntur vobis, vt ostendatur mirabilis Deus in sanctis suis. Sicut enim paulo ante dictum est in omnibus discretio est adhibenda. Et inde est quod parentes quando vident filios suos, & filias fatuos, in nimia abstinentia versari, debent cauere à periculo capitis. Exemplũ de Antonio, qui facta quæstione quæ esset virtus potior, discretionem cæteris prætulit, eam in omni opere seruandam decernens. Sed contrarium Mederico faciunt monachi moderni, qui de portione qui de poq:

D *Pueri anhelantes ad difficilia opera sunt discrete tractandi à parentibus Act. 5.*

E *Religiosorũ portio est* ...

murmurant, & plebicitant. Nunquam enim hoc fecisset Medericus. Sed forte hoc bene facerent, si iuxta pręcedentium patrum instituta viuerent, vt scilicet residuum pauperibus daretur. Erat enim portio religiosorũ, & pauperum simul. Nunc vero commendatarij comedunt omnia simul, & pauperes nihil habent. Secundo consistit amicitia fratrum in mutua supportatione secundum illud: *Alter alterius onera portate.* Sic supportabat Medericus fratres, in multis se illis conformans, ne eos scandalizaret. Nam cilicium tegebat, de super alijs similis. Ad ostendendum, quod qui sunt in eadem communitate debent se conformare alijs bonis viris, non quærere nouos modos viuendi, sed formam antiquorum patrum, quia Psal. *Posuisti terminum quem non transgredientur.* Contra etiam viuentes in sæculo, præsertim mulieres, quæ indui volunt alijs modis, & formis quam aliç, in hoc volentes esse singulares. Et istud est vitium superbiæ. Tertio consistit in multa eruditione. Medericus autem Abbas effectus sic erudiebat suos, vt ad famam sanctitatis eius multi confluerent vt erudirentur. Sic ad bonum magistrũ debent mitti iuuenes vt erudiantur, sicut plantula ligatur ad rectum stipitem, vt recta fiat. Mirabantur tunc homines Medericum propter sanctitantem. Sic & antiquitus prælati mirabantur. Modo vero quia nihil sanctitatis habent mirantur ex vestibus sericis ex multitudine hominiũ talium qualium post eos, ex multitudine equorum expensarum, ciborum, & aliorum. Quarto consistit in mutuo adiutorio exempli & boni operis. Medericus vero sicut bonus pastor anteibat oues exemplo & opere, ducendo eos per exempla, & opera sua per viam mandatorũ Dei, & consiliorum. Sciebat enim quid Dominus dixisset de bono pastore, *pastor ante eas vadit; & oues illum sequuntur.* Si dicas, quomodo hoc dicit, quia oues semper præcedũt pastorem, vt ad sensum videmus. Respondetur, quod pastor debet, & præcedere, & sequi oues. Pręcedere excellentia vitæ, & doctrinæ, & forma viuendi tanquam speculum. Inde est, quod oues ad sibilum pastoris, sæpe sequuntur. Sed sequi debet per solicitudinem circa eas. Sic enim de alio multum solicitus, dicitur semper eum sequi, & esse post tergum eius. Ita erat multum solicitus Medericus de suo grege pusillo. Quandiu religiosi fuerunt grex pusillus, non habebant vnde timerent, quia euadebant maculas retis, & transibant omnes sęculi tentationes, imo in reti eorum homines, & temporalia bona capiebantur. Nunc vero postquam grossi facti sunt, & superbi, habent vnde timeant, quia nunc nihil in rete eorum intrat. Non homines boni, sed rapaces, & milui cõmendatarij. Nõ bona temporalia, quia nunc omnia cadũt. Præsules tunc tẽporis erant soliciti de prouidendo his, qui partem oneris habere debebant, sed nunc nõ curant. Ideo dicere poterunt tales accusando prælatos sicut ille qui dicebat. *Domine hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam.* Vnde non sic faciebat Medericus, cognoscens se per assumptionem abbatiæ suscepisse magis onus quam honorem. Honor autem cum H, scribitur, non onus, quia omnes aspirãt ad honorem, non ad onus. Ideo indifferenter iuuenes cuiuscumque ętatis prouehuntur ad onera formidãda Angelicis humeris, quia si considerent onus, nõ aspirarent ad honorẽ. Inde est, quod quando veniunt ad extrema vellẽt fuisse porcarij. Si enim videmus pastorem necessario reddere computum coram patre familias de ouibus, quomodo non Dominus quęret rationem de ouibus suis, quas plus in infinitũ dilexit, quando dedit pro eis seipsum. Dicet enim eis: *Vbi grex, qui datus est tibi, vbi pecus inclytum tuum?* Et tunc obmutescet, quia & nunc vix respondere posset ad argumenta hominum, quo modo ergo ad argumenta Dei? Sanctitatem autem Mederici, & meritorum excellentiã approbauit Deus per miracula.

Nam

Margin notes: Gal 6. — Psa. 103 — Nota cõtra Prælatos modernos — Ioan. 10. — Prelatus quomodo, & precedere & sequi debet oues. — Ioan. 5. — Hier. 13.

G Nam cum monachus quidam libididine grauiter tentatus, fere ad desperationem vsq; traheretur, tunica eius induta liberatus est dæmone tentatore excusso. Iste monachus indicauit patri suam tentationem. In quo est documentum & hoc dicit Cassianus in collationibus Patrum, quod homo debet secretum suũ, si quid grauet conscientiam suam, aperire sapiẽtibus, vt inde curetur. Non est ita turpis locus in te, quem non ostenderes chirurgo, vt sanareris. Et quãdoque ita est quod illa quæ turbant hominem, nihil sunt. Tunica sancti induitur, & sanus efficitur. Non erat tunica scarleti, non floccus sericus, sicut habent moderni, qui se simulant monachos, sed tantum habent apparentiam, sicut simia quæ vultum hominis, & opera figurat. Hæc non moderat luxuriam, sed magis inflammat. Sed illa Mederici erat aspera, & virtus diuina assistens fugauit dæmonem tentantem, & forte asperitas vestis, quia Eccl. *Malitia vnius horæ*, id est angustia parua, vnius horæ *obliuione facit luxuriæ magnæ*. Clamat dæmon se succensum, sed sanctus dicit obmutesce. Sed quare hoc dixit sanctus, nonne veritatem dicebat, licet coactus? Respondetur, quod hoc dixit, ne per dæmones inquiramus veritatem, quamuis aliquando verum dicant aut coacti, aut vt decipiant. Secundo propter Dei prohibitionem, qui prohibuit ne à phitonibus, & diuinis inquiramus veritatem, qui diabolico spiritu aguntur. Aliud miraculum fuit de quodam monacho, qui durare non poterat in oratione, quem tandem reliquijs panis sui cibatũ emendauit. Illa infirmitate sunt multi infirmi, & etiam multæ mulieres quæ exeunt ante finem missæ, ita quod videtur tædere eas seruire Deo. Dicunt quod propter pueros recedunt. Ad quod dicendum, quod si sint infantes, necesse est eorum curam gerere. Sed potest prouideri infantibus conducendo alias quæ foueant eos, quamdiu intersunt missæ diebus festiuis. Si non suppetant facultates, portent ad Ecclesiam, & si forte clamauerint, & turbauerint officium, tunc dispensantur exire.

*Tentatio aperiẽda est sapiẽti.*

*Eccl. 11.*

*Deut. 18*

H

Si vero iam grandiusculi fuerint, possunt eos adducere, & tunc eis ostendere debent per signa, vel alio modo, qualiter debeant reuereri Deum. Sed maius his miraculum fecit in se ipso Medericus, quando honoratus ab omnibus, honores respuit, & Abbatiam dimittens fugit in solitudinem & desertum locum. Hoc enim esset mirabile modo. Sed bene dicitur quod tempora mutantur. In tempore illo dimittebantur abbatiæ, & vix inueniebatur qui vellet accipere onus, nunc vero è contrario, pro vno inueniũtur decem, & tamen tempore illo nihil omnino constabant ad habendum, nunc autem multum, secundum quod mercãtia valet. Tunc temporis fugiebant turbas, & tumultus, nunc non quærũt aliud. Videbis enim in parlamento vbi est maximus tumultus, maximam religiosorũ partem. Tanta multitudo est signũ magnæ mortalitatis, quando scilicet in publico videntur tot mortui insepulti. Sed in parlamento videntur sine habitu, & sepultura eorum tot mortui ambulare. Miror, quod Domini in parlamento, aduocati, & procuratores non fugiunt, videntes ibidem tot mortuos ambulare. Sed est pinguedo quam de pinguibus abbatijs asportant, & quia illa vnguntur manus eorum, ideo parati sunt illos mortuos tangere. Si quæratur quare ita loquor de monachis. Respondeo primo, quia occurrit vita vnius monachi veri, & boni prædicanda, & vellem quod omnes essent ei similes. Secundo, quia status ille dicitur perfectionis. Si sit tanta deordinatio in illo statu, quanta poterit esse in laicis, & sæcularibus, qui minus sunt propinqui Deo? Iste autem bonus Abbas requisitus à monachis, vt rediret, non dubium quin ad reformandum, noluit. Modo non requiritur bonus Abbas à monachis, quia nolunt reformari, imo detestantur reformationem.

*Monachi causidici tantur.*

Coactus

Coactus tamen Medericus, per præceptum Episcopi, cui resistere non poterat, reuersus est ad suos. Pro secunda parte orat Medericus pro populo. Primo, vt Deus aperiat ostium misericordię peccatis nostris. Si enim aperuit ostium furibus, quanto magis suis seruis & subditis? Vnde post aliquantum temporis, disposuit Medericus venire Parisios orationis causa, non ad plebicitandum, vel vt esset bene nutritus, sicut multi qui dimittunt oues suas, deinde transiens qer Meledunum, captiuos ostijs carceris, apertis, liberauit.

Damnā di ad mortem an liberari possunt

Sed quæritur vtrum bene fecerit aperiendo carceres & dimittendo noxios. Videtur enim hoc esse contra iustitiam, vt fures liberentur donec reddiderint quod debent. Item debet de talibus fieri punitio. Alioquin incurreretur illa sententia diuina contra Achab prolata. *Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima illius.* Respondetur quod multa fecit Deus ad sanctorum suorum instantiā, quæ non sunt trahenda in consequētiam. Ipse enim qui est Dominus vitæ & necis, potest cui vult parcere. Si ad instātiam alicuius ducum vel baronū rex dat gratiam alicui latroni vel homicidę, quāto magis Deus pius ad instantiam seruorum suorum sibi dilectorum. Sed in hoc est differētia, quia quod facit Deus eis remittendo, semper bene facit, sed nō principes, quia in eos quādoque cadit illa sententia regi Achab dicta. Si enim Deus impunitum pro tunc aliquid dereliquit in illis latronibus vel hoc puniuit Deus postea, vel iam punitum erat in seruo suo Mederico. Reges autem qui dimittunt eos non postea puniunt illos. Nec Deus necessario innititur præcepto suo nec obligatur, sicut rex qui iustitiam debet facere & neminem acceptare. Nisi enim sit, vel bonum publicum, vel causa pia, vel spes euidens magnæ correctionis futuræ, non debet dare remissionem. Si enim non venarētur vulpes, nullæ essent gallinæ, si lupi quieti manerent, nullus viuere posset. Ita pariter, si latrones & raptores non persequerentur iudices.

3 Reg 20.

De ista materia vide plura sermone 73. huius secundæ partis. Secundo orat Medericus vt Deus præcludat iram suam, & vindictam tenet suis orationibus. Si enim precibus suis māsuescere fecit indomitū taurum nihil intelligentem, quanto magis precibus suis Deum suū nostras miserias & suas preces intelligentem? Vnde cum venisset Parisios, vnus obtulit vaccam, alius taurum indomitum, qui statim mansuetus factus est. Māsuescunt feræ ad præsentiam sanctorum, & non mansuescunt homines. Iam tibi præsens est Medericus, cum vita eius præsens est & narratur, & tamen non mansuescis, vt parcas, sed magis intumescis vt odias. In quo te non esse hominem ostendis, quia dicitur: *Homo, homo de domo Israel*, intus & extra homo, per mansuetudinē parcendo & intus, & extra. Si etiam oratio Mederici ita fortis fuit, vt nec vectus ferrei resistere possent, quāto magis nunc oratio magis feruens, cum crescat desiderium, nostra delicta destruet & vindictam diuinam compescet? Tertio orat vt Deus nostris subueniat miserijs & infirmitatibus. Nam quemdam febribus vexatum, mulierem etiam à dæmonio agitatā, & captiuum furem viuens liberauit. Si igitur tunc tanta erat charitas subueniendi, & orandi pro non suis, quanta nunc virtus orationis eius, & charitatis succurrendi suis, vbi cognoscit diuinam esse voluntatem & nostram vtilitatem. Si sic furi tunc aperuit ostium misericordię, credendum est quod seruis suis aperire dignābitur & procurabit ostium diuinæ pietatis & compassionis. Quarto, orat vt patientia nobis donetur in aduersitatibus & infirmitatibus. Ipse enim patienter morbum diuturnum sustinuit in orationibus pernoctans & perdurans, vt nos suis orationibus muniret & fulciret in aduersis, vnde duobus annis & mensibus nouem in loco in quo nunc quiescit Parisijs, qui dicebatur cellula B. Petri, in infirmitate perma-

Ezec. 14.

permanens, post plenus dierum obijt orando, sub Othone Imperatore tertio.

Sed queritur, quare Dominus talem & tam longam infirmitatem mittit sanctis suis & dilectis, & qui alios saluos faciũt, quare non se sanant. Respondetur quod Dominus mittit corporales infirmitates propter sex vtilitates. Prima est, quia infirmitas impedit peccatum ne fiat, vel si fiat, vt citius surgatur à peccato. Sicut enim vna infirmitas aliam pellit, vt febris spasmum, sic ęgritudo corporis ęgritudinem animæ, secundum illud Mich. *Infirmitas est in bonũ, quæ habitat in Marach*, id est in amaritudine, & Ecclesi. *Infirmitas grauis sobriam reddit animam*. Sic mediante virga exit asinus de luto. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt*. Et hoc modo Medericus has infirmitates nõ recepit. Secundo ad facilius recipiendum Christum in corde suo. Explorator considerat locum castri debiliorem & infirmiorem per quem facilius intret & totũ castrum occupet. Sic Christus non potẽs intrare cor hominis per viam fortitudinis, & potentiæ, quia quamdiu fortis est & potens non curat de Christo, nec eum permittit intrare; per viam debilitatis, & infirmitatis statim ingreditur, & ei aperiuntur iuxta illud. *Cum occideret eos, querebant eum, & reuertebãtur*. Nec hoc modo Mederico missa est infirmitas. Tertio humilem reddit, vt patet in eo, qui dicebat: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi*, scilicet humilitas, ob quam conseruandam sibi datus fuerat stimulus carnis, id est passio iliaca secundum aliquos. Quarto constantẽ efficit ex assuetudine patiẽdi, sicut artifex, & terræ cultor, & stipendiarius ex continuatione exercitij fortiores redduntur. Sic Paulus. *Cum infirmor, tunc fortior sum, & potens*, scilicet contra tentationes, & nequitias dæmonum. Et Mat. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*, quia infirmitas carnem domat, & spiritũ roborat. Quinto perfectionem generat, & ad perfectionem adducit. *Virtus in infirmitate perficitur*. Nam contemptum mũdi generat, sicut amaritudo cibum contemnere facit. Hinc Hier. *Coram me infirmitas, & plaga erudire Hierusalem*, quia hominem pacificum contemnere facit sæculum, vt perfectus fiat. Sexto ad purgandum si quid criminabile erat, & hoc est maximum indicium amoris diuini. Sic fecit sanctis suis, vt Chrysost. August. & Mederico. Magnum amoris indicium, quando Dominus hic punit, ne puniat in purgatorio. Hoc petebat Augu. Domine hic vre, hic seca, vt in æternum parcas. Et licet Medericus potens fuisset rogare Dominum, & forte obtinuisset, hoc tamen non erat sibi vtile, sed vtilis erat sibi morbus ille, quemadmodum dictum est Paulo pro infirmitate roganti, sufficit tibi gratia mea. Fuit ergo Medericus infirmus, nec se sanauit non quia non potuisset, sed quia expediebat.

K. *Infirmitas corporalis mittitur à Deo propter sex vtilitates.* — Mich. 1. — Eccl. 31. — Psal. 15. — Psal. 77. — 2. Cor. 12. — 2. Co. 12. — Mat. 26. — 2. Cor. 12. — Hier. 6.

## IN FESTO NATIVITATIS *gloriosæ Virginis, Sermo I. & in ordine LIIII. Per Thema.*

R*Adicaui in populo honorificato*. Quæritur vtrum debeamus celebrare natiuitatem beatissimæ virginis. Et videtur quod non, quia dicit Iob. *Pereat dies in qua natus sum*, & Hiere. ait. *Quare me genuisti mater mea virum rixæ, & discordiæ*. Item cum hodie sit natiuitas filiæ videtur quod multo minus festum sit faciendum. Vulgo enim cũ nascitur filius homines gaudent dicentes palam, & audacter, natus est pulcher filius. Cum vero filia nata est, vix audent loqui, sed cum quæritur cuius fuit natiuitas, respondent illius quod placuit Deo. Respondetur quod propter quatuor causas celebratur natiuitas Mariæ. Prima est vt nos cõformemus Ecclesię triũphanti. Nam (referẽte Ioãne Deleth) circa principiũ Ecclesiæ quidẽ sanctus martyr dũ esset in oratione, audiuit Angelos gaudere præter modum, & in cælis solẽnizare, & dũ inquireret causam audiuit responsum, quod hoc esset quia tali die nata fuerat virgo Maria.

Eccl. 24. — Iob 3. — Hier. 15. — *Mariæ natiuitas celebratur propter multa.*

Maria. Ille autem summo Pontifici hæc narrauit. Qui videns virũ esse sanctissimę vitæ, ordinauit vt per vniuersam Romanã Ecclesiã hæc celebritas hac die fieret, conformando nos illi cœlesti Ecclesię. Secundo vt cognoscat Ecclesia se quodãmodo restituram in pristina dignitate. Nam in innocentiæ statu fuerũt in gratia creati homo & mulier. Vt ergo status reparationis primo statui responderet, hodie ostendit Ecclesia, quod sicut in productione mundi homo, & mulier fuerũt in gratia producti, sic in reparatione vir, scilicet Christus, & Ioãnes quorũ natiuitates celebrantur, fuerunt in gratia creati, & mulier, scilicet Maria, cuius hodie celebratur solennitas. Aliorũ vero natiuitates nõ celebrantur, quia in gratia creati nõ fuerũt. Et de huiusmodi loquebãtur Iob & Hieremias in auctoritatibus allegatis. Tertia ratio, vt cognoscamus initiũ pacis inter Deum & hominem. Dicitur enim in persona eius. *Facta sum*, id est nata sum, *coram eo quasi pacem reperiens*, quam libenter facimus ignes pro pace, & gaudemus quãdo clamatur. Hodie vero principiũ est pacis, & reparationis nostræ. In principio, scilicet redemptionis creauit Deus cælum & terrã, id est Mariam, quæ est cælũ per puritatem virgineã, quæ tũc sola erat in cælis, & per Mariã hęreditauit in terris, terra vero per fæcunditatẽ, vt sit simul mater & virgo. Hodie enim iacta sunt fũdamẽta nostræ reparationis. Hodie facta est funda qua percussus est hostis antiquus, hodie fons scaturiuit è terra Iudæorũ irrigans vniuersam superficiẽ terræ. Cum igitur Mariæ natiuitas tã vtilis fuerit mũdo, nõ est mirũ si celebretur, licet sit filia vel sexus muliebris. Ipsa etiã supra mulierẽ se gessit, quæ viriliter caput serpẽtis antiqui contriuit. Quarto vt designetur nostra natiuitas spiritualis. Triplex enim est nostra natiuitas spiritualis. Prima per aquas baptismi, quæ per Ioannem designatur, qui primus baptizauit. Secunda per mare pœnitentiæ, quæ per Mariã designatur, quę mare amarũ interpręt atur.

Cant. 8.

B Natiuitas spiritualis triplex.

Asia est spiritualis in statu gloriæ, quæ per Christi natiuitatem designatur, *Cuius gloriam vidimus, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Vt igitur de hac natiuitate quicquam digne loqui possimus ad illam cuius est natiuitas recurramus dicentes: Aue, &c.

Ioan. 1.

Maria inuenitur in duplici populo radicasse multum honorificato, videlicet in populo Iudæorum, & Christiano. In populo quidem Iudęorũ carnaliter in Christiano spiritualiter, & secũdum hoc mane dicetur quomodo radicauit in populo Iudæorum. Secundo quomodo in populo Christiano. Pro primo sermone quæruntur duo. Primo in quo populus Iudæorum est honorificatus. Respondetur quod in sex. Primo in sapientia. Inde dicitur de eo. *En populus sapiens, & intelligẽs,* Deut. 4. Ita quod omnis ferme sapientia aliarum nationum ab eo mendicata est. Nam Augustino teste in lib. de ciuitate Dei, omnes philosophi quicquid acceperunt naturaliter prius fuit in doctrina sacra, quæ etiam longe ante Philosophos fuisse probatur. Quod fuerit ante pręcipuos Philosophos, patet de Platone & Aristotele, qui non longe fuerunt ante tẽpora Christi, plurimi item alij percelebres venerũt post Moysem. Si quæstio sit de legislatoribus clare patet ex secũdo polit. Aristotelis quod institutor legum Lacedæmoniarum Hypodamus, & Solon Atheniensis non multo tempore præcesserunt incarnationem Christi, & similiter Pythacus, & alij multi. Secundo in nobilitate, quia nullus fuit populus, cuius nobilitas à longe magis sit descripta, quia ab Adam primo parente inuenitur descripta vsque ad Christum, vbi tot & tanti Patriarchæ & Prophetæ, & viri tam famati, quales nusquam alibi reperiuntur. Tertio in sanctitate, quia nullus fuit populus, qui magis appropinquauerit Deo. Hinc Moyses dicebat: *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis in cunctis obsecrationibus nostris.* Quarto in fama, quia fama eius vbique terrarum diffusa erat propter cultum Deut. 4.

C Iudæi in sex fuerunt honorificati à Deo.

tum

tum vnius Dei. Nam, & anno passionis Christi venerunt viri Iudæi in Hierusalē religiosi ex omni natione, qui sub cælo est. Quinto in potentia. Nam promissum
Leu. 26. erat eis: *Quinque ex vestris fugabunt centum alienos, & centum de vobis decem milia.* Sexto in iudicijs & cæremonialibus, & in hoc
Psa. 147 excessit alias nationes, dicente Psal. *Qui annunciat verbum suum Iacob, iustitias & iudicia sua Israel, non fecit taliter omni nationi.*
Deut. 4. Et Deut. dicitur: *Quæ enim est alia gens sic inclyta, quæ habeat cærimonias iustaque iudicia, & vniuersam legem quam ego propono hodie ante oculos vestros.* Secunda quæstio est vtrum Maria ex nobili genere & honorificatis parentibus procreata fuerit. Quod non videtur, quia aut ex nobilitate spirituali, quæ est morum, & hoc non, quia ibi narrantur reges pessimi idolatræ in genealogia ex qua descendit. Similiter mulieres mali regiminis. Si dicatur, quod ex nobili genere nobilitate carnis, apparet oppositum, quia ibi ponuntur multi, quorū nulla inuenitur nobilitas, & multi fuerunt proximi Christo, quorum nihil nobile texitur in historijs, & hoc satis apparet in parentibus Domini de quibus in Histor. Eccles. Euseb. lib. 3. cap. 20. Secun-
Prou vl. do dicitur de muliere forti & nobili. *Nobilis in portis eius, quando sederit cum senatoribus terræ.* Constat autem, quod vir Mariæ Ioseph erat pauper faber lignarius, qui parum curabat de iudicijs, nec sedere ei datum est cum senatoribus terræ, igitur.
1. Cor. 1. Tertio ait Apostolus: *Ignobilia & contemptibilia mundi elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ non sunt destruat.* Respondetur per
D Maria nobilissima fuit. propositiones. Prima est nulla nobilior
Psal 86. Maria nobilitate carnis. Patet primo, *quia fundamenta eius in mōtibus sanctis.* Nulla enim progenies in qua tot fuerint sancti Patriarchæ, Prophetæ, reges, & tā nobiles, & nobiliter à Deo visitati, de qua tam autentice, & tanta scripta sint, quæ fuerit ista antiquior, & durabilior, & permanentior, vtpote plusquam duorum milium annorum. Secundo hoc idē apparet quia terminus est ad quem perfectio est totius motus, omnis autem nobilitas illa tendebat ad Mariam, in signum cuius à tēpore nullus nobilis. Dictum enim erat
Dan 9. per Daniel. *Cum venerit sanctus sanctorum cessabit vnctio vestra.* Vnde & Albumasar dicit, quod quando est coniunctio maxima duorum planetarum Saturni & Iouis, quicunque nascuntur sub illa coniunctione efficiūtur reges aut duces, exceptis his qui sunt de gente Iudæorum. Tertio hoc apparet, quia non solum ex tribu regia se etiam ex dignitate sacerdotali descendit, & sæpe sacerdotes vices regias tenebant. Maria enim erat de tribu Aaron sicut patet ex Damasceno in quarto, qui dicit quod Anna, & Ysmeria sorores fuerunt, Ysmeria vero mater erat Elizabet, quæ fuit de filiabus Aarō. Nihil tamen inuenio amplius de ipsis scriptū, quia non Genealogizabantur mulieres. Nec erat inconueniens, quod tribus regia misceretur cum sacerdotali. Nā & secundi Paralip. vicesimo dicitur, quod Iosabeth filia Ioram regis Iuda erat vxor Ioiadæ Pontificis. Similiter & Aaron vnam vxorem duxit de tribu Iuda. Descendit etiam ex his, qui habebant dignitatem & excellentiam prophetalem, vt Dauid, Natham, & Salomon. Quarta ratio quia filia fuit nō solum naturæ sed gratiæ, ideo nobilissima. Quod esset filia gratiæ per preces impetrata congruebat, quia secundū Damasc. Maria à nullo illustriū vincitur. Si ergo per preces Anna sterilis peperit Samuelem, consequens erat vt per preces & promissiones pareret Anna Mariā. Multum ad bonum partum & perfectum faciunt bonitas parentum, & preces ex intimi cordis effusæ, sicut orabant isti. Et non solum ipsi, sed etiam sancti patres eam optabant filiam promissionis. Dicebat enim Symeon. Quando veniet illa nobilis virgo paritura filium Dei? Quando nouum faciet Dominus super terram? Quando veniet aurora quæ præcedet, & adducet solem iustitiæ? Quando egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet?

Quando

Quando veniet illa mulier, quæ conculcabit caput serpentis antiqui? Quando veniet illa mulier fortis de longe portãs panem suum? Sic orabat & Anna filia Phanuel. Quando veniet illa mulier quæ restituet honorem mulierum, quæ faciet vt nemo despiciat eam? Quando veniet illa desiderata quæ desideratum fructum afferet? Putas ne ero? Putas ne videbo?

E *Nobilitas animi ex multis perpenditur.* Secunda propositio. Nulla nobilior Maria nobilitate animi, & spiritus. Vnde ex sex cognoscitur homo nobilis illa vera nobilitate animi, quæ excellentissimæ reperiuntur in Maria. Primo ex liberalitate. Nihil enim nobilius quam dare. Inde Apostolus allegat dictum à Christo. *Act. 20* *Beatius est magis dare, quam accipere*. Hinc Deus nobilissimus est, quia maxime liberalis se communicans iustis, & iniustis, & sol dicitur nobilissimum sydus, quia radios suos non cessat communicare, calefacere, & vegetare res; & leo nobilissimum animal, quia partitur animalibus prædam, vt dicit Aristoteles libro de animalibus. Sed milites, & equites nostri temporis melius accipiunt, & nihil dant, sed rapiũt, ita vt nobilitas quasi videatur rapina, & sic passim milites quasi lupi innumerabiles currant. Qui omnes oues deuorant, non quidem sanguinem tantũ, sed omnem substantiam, in hoc peiores lupis. Inde quidam bonus pater cum videret milites ducentes porcos, & vaccas ex rapina, eis insalutatis pertransijt. De quo cum indignarentur, & quærerẽt cur non salutasset nobiles cum ante eos transijsset, respõdit. Parcite mihi, credidi vos esse subulcos, & bubulcos, & non nobiles, quia tales apud nos ducunt porcos, & vaccas, & nõ nobiles. Et quia tales persequũtur pauperes, ideo persequitur Dominus. Ad hoc est exemplum Plinij lib. 26. de naturalibus. c. j. de mentagra infirmitate, quæ solum nobiles suo tempore vexabat, vt sicut illi pessimi comedunt substantiam pauperum, ita morbus & vltio diuina ipsis viuentibus comedat substantiam eorum. Dominus enim scit dare pro meritis infirmitates. Beata autem virgo fuit ex hoc nobilissima. Patet, quia quicquid habemus ea mediante obtinemus. Inde omni die cum predicamus, gratiam medio eius petimus, & in orationibus nostris quotidie quærimus preces, & merita eius nobis suffragari. Et ipsa tanquam pijssima mater nobis assidue offert filium suum quem tenet in in manibus, nobis propter eam concessurũ quicquid recte petierimus. Hinc merito dicitur thesauraria, & eleemosinaria cæli. Dicitur communiter, quod in vna domo sufficit vnus eleemosinarius, scilicet hoc apud Deũ non sufficit, imo apponitur & virgo, vt de ea verificetur illud: Prou. *Facta est quasi nauis institoris de longe portans panem suum.* *Prou. 31.* Non tamen est datrix prodigia, quod putant illi, qui propter orationes quas ei porrigunt, absque hoc, quod faciant opera, credũt, quod eis impetrabit regnum cælorum. Neque est datrix nisi magnifica, ita vt ab ea peti non debeant nisi excellentia bona, quo contra faciunt, qui importune eam orãt pro temporalibus obtinendis. Primi qui laborare nolũt vt mereantur, indigni sunt tanto dono, sicut est regnum cælorũ, isti vero non quærunt donum dignum magnificentia virginis, & ideo non merentur accipere, quod petunt. Inde & Philippus Macedonũ rex repulit quendam *Nota.* pauperem qui quæsiuit ab eo marcã argenti dicens, quod non erat dignus tanto dono, qui propterea quæsiuit obolũ scilicet aduersatus est cum inquiens quod non erat regium donum. Sic si quæsieris à virgine cœlorum regnum, & laborare nolueris, dicet quod indignus es tanto bono, si etiam importune oraueris pro temporalibus, respondit, quod illorum datio non est digna magnificentia reginæ cæli, & sic tenendum est mediũ. Secundo cognoscitur nobilitas animi ex gratitudine, quando homo recognoscit beneficia sibi facta. Hinc sapiens quidam. Nobilis est animi beneficia recordari, ignaui beneficiorũ obliuisci. Sic ergo rusticum est non

est non recognoscere beneficia. Et propterea ingrati manumissi tanquam ignobiles in seruitutem reuocantur. 12. qu. 2. liberti. & cap. 8. Vnde & de ingratis, & qui contemnunt beneficia Dei dicit ipsemet Dominus. *Qui me contemnunt, erunt ignobiles.* Ex quo sequitur, quod illi qui persequuntur Deum & Ecclesiam eius, qui tamen eos exaltauit in hac vita, adeo vt se iactent esse nobiles, sunt nihilominus ignobilissimi & rusticissimi. Et inde est etiam, quod manifeste in fine ostenduntur fuisse tanquam coquini & vermiculosi. Sicut enim isti coquini sancti Innocentij comeduntur hic à suis vermibus, sic illi ad hanc coquinariam reducuntur. Huius exemplum recitat Vincentius lib. 21. speculi historialis. Et similiter Antonius in Chronica. 1. part. tit. 11. c. 10. paraph. 11. de Honorico Vuandalorum Rege, qui post persecutionem fidelium à vermibus corrosus expirauit. Sed beatissima virgo omnium fuit nobilissima isto modo, quia gratissima Deo reddens ei continue gratias de suis beneficijs. Hinc in suo cantico incipit à gratiarum actione, cum ait: *Magnificat anima mea Dominum*, & sequitur recognitio beneficiorum, *quia fecit mihi magna qui potens est.* De malis vero nobilibus & diuitibus, qui sunt ingrati Deo dicitur: *Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum, cum omnia dederit in manus eorum.* Tertio cognoscitur ex mansuetudine & misericordia in subditos. Nã Seneca teste, nullum magis ex omnibus, quam regem & principem clementia decet. In signum quoque mansuetudinis vnguntur Reges Christiani, extra de sacra vnc. c. 1. Vnde nihil est misereri preciosius, & lex ait: Nihil aliud est tam peculiare imperialis maiestatis, quam humanitas, per quam sola Dei seruatur imitatio. Exemplum de Iosaphat Barachiam constituenti in regem, qui dicebat. Maximam potestatem habens, iuxta possibilitatem suam datorẽ potestatis debet imitari. In hoc autem maxime Deum imitabitur, si nihil iudicauerit, quam miserericordia preciosius. Inde reges primo actum clementiæ in liberatione captiuorum, quam iustitiæ exercent. A contrario crudelitas in subditos signum est rusticitatis. Occasione cuius dicitur Prou. *Per tria mouetur terra, & infra, per seruum cum regnare cœperit*, id est per crudelem, qui suas sequitur passiones. Et hæc crudelitas procedit ex contemptu pauperum, & æstimatione sui, quia se magnificiunt nobiles, & pauperes nihil æstimant. Sed non debent contemni ab eis, quia multi ex ipsis venerunt ex pauperibus. Saul enim pauper erat custodiens asinas, & tamen fuit sublimatus in regem Israel, sic & Dauid, qui de se dicit. De post fætantes accepit eum, scilicet Deus, & duodecim patres paradisi, etiam ex pauperibus elegit Dominus. Vnde Cant. dicit sponsa nobilis *Introduxit me rex in cellaria sua*, & statim subdit: *Indica mihi vbi pascas*, ita quod de nomine regis declinat ad montem pastoris. Et Eccl. *De carcere catenisque interdum quis egredietur ad regnum, & alius natus in regno inopia consumitur.* Primum patuit in Ioseph, qui de carcere eductus, dominatus est in vniuersa terra Ægypti. Et Herodes seruus de domo idumæorum, tandem adeptus est regnum Iudæorum. Secundum etiam apparuit in multis, sicut in Priamo, qui in iuuentute magnis abundabat diuitijs & potestate, & in senectute multis affectus est calamitatibus, & de Creso rege Lidorum idem dicitur: Vnde aliquando nobilitas ortum habuit ex auaritia, & multitudine diuitiarum, ex quibus emebatur nobilitas, ita vt Philosophus dicat in politicis, quod nobilitas nihil aliud est quã ex antiquitate diuitiæ. Aliquando ex tyrannide & violentia sicut acquisierunt Nemroth, Ninus, Machometus, & Herodes, qui quia alijs fuerunt potentiores, statim facti sunt reges. Hinc Seneca: Quid est eques, aut seruus, aut libertinus? Nomina hæc ex ambitione vel iniuria nata sunt. Aliquando vero ex euentu belli, & à casu & fortuna. Hoc Plato testatur dicens: Omnia ista seruus & re-

Margin notes: 1. Reg. 2. — Matt. — Luc. 1. — Iob 12. — F Clementia & misericordia decet principẽ. — Prou. 30 — Cant. 1. — Eccl. 4

& reges longa varietas miscuit, & sursum deorsumque fortuna versauit. Beatissima autem virgo modo prædicto fuit nobilissima, quia ea nihil mansuetius. Propter enim clementiam suam suscepit Filium Dei. Nam Deum Patrem habebamus in cælis, sed nulla mater inueniebatur nobis, ideo hodie nobis in terra eam donauit. Inde dicimus ei. Monstra te esse matrem, & sic ipsa facit. *Facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* Sic & nos in mansuetudine suscipimus spiritualiter Deum secundum modum quem docet Iacobus in Canonica 1. cap. *In mansuetudine* (inquit) *suscipite insitum verbum.*

Cant. 8.

Iac. 1.

Quarto nobilitatem declarat virilitas & contra malos qui repugnant & Ecclesiam & Deum inuadunt. In signum huius datur ensis militi nouo, quo debet vti in hostes Dei & reipublicæ, non in subditos pacificos, & obedientes, vt habetur 23. qu. 5. miles, & qu. 7. vt pridem. Debent enim valere nobilia duo scuta ad defensionem duorum, scilicet Ecclesiæ & reipublicæ. Sed modo non sunt sicut aues nobiles, sed sicut milui. Aues nobiles domesticis auibus parcunt, si bene doctæ sint, ita nobiles bene docti. Nunc autem ita male docti sunt quod etiam domesticos fidei inuadunt, Deum, Ecclesiam, rempublicam, & humiles personas contemnentes & conculcantes. Sed beata virgo est recursus Ecclesiæ & populi. Quot enim villas in extrema necessitate eruit à grauibus periculis & hostibus crudelibus? Patuit in peste etiam Romana tempore Gregorij quando portabatur imago virginis & infirmitas cedebat. Vnde ait: *Ego murus & vbera mea sicut turris.*

Cant. 8.

Quinto perpenditur nobilitas ex timore opprobrij & seruitutis, vel turpitudinis vel proditionis. Vnde Ambrosius. Verecundia ingenuos prodit natales, sed modo non timent nobiles se subdere seruituti vitiorum & dæmonum. Inde Bragmani in Epistola ad Alexand. Tu pugnas cum hostibus quos exterius facis, & habes vt interius nutrias inimicos, & seruias eis quos intus habes. Et ex hoc patet quod nobilitas maxime consistit in bonitate & excellentia morũ. Hinc Iustinus in principio suæ historiæ dicit, quod in initio reges ad fastigium regiæ maiestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio prouehebat. Beatissima autem virgo fuit non solum timida, sed etiam assecurata ex custodia Angelorum contra istas turpitudines. Nam de ea dictum est. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel.*

Cant. 3.

Sexto, nobilem ostendit cordis magnitudo, qua quis modica contemnit & maxima appetit. Et è contra magna rusticitas est in modicis amorem suum ponere & magna negligere, vt patet in misero milite, qui amorem suum ponit in misera meretrice, vel in terra per eum violenter occupata contempto amore Christi & hæreditatis æternæ. Non sic Dauid dicens: *Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terrã*, & statim sequitur, *pars mea Deus in æternum.* Propter hoc debent nobiles exercitari in bonis operibus excellentibus. Sed Maria inter omnes fuit magnanima. Vnde dixit: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, &c. Nonne est animus altus consentire ad portandum Deum? Nonne animus altus esse præsentem suspendio eius. Quę enim mater hoc toleraret de alio? Quidam alteri improperauit quod erat rudis, grossi, & duri ingenij, & luxuriosus, sed respondit ille alter: In hoc me indicat commendabilẽ quãdo alterũ vici labore, alterum animi virtute. In hoc enim se maxime nobilem ostẽderat, quod seipsum vicerat. Ista etiã nobilitate animi de qua propositio nostra, pręsertim nobilis fuit Ioseph vir Mariæ vtpote omnibus virtutibus plenus, qui & erga Christi obsequium liberalis gratus & mansuetus fuit, eiusque hostes Iudæos valde exhorruit, qui etiam timuit opprobrium suũ & Marię, ita quod vtero eius intumescẽte voluit occulte dimittere

Psal. 72.

Luc. 1.

mittere illam, similiter magnis rebus vacauit, cum intendit nutritioni Christi, & cum vere senatoribus mundi, imo & cæli suis nepotibus Ioanne & Iacobo sæpe sedebat, & nunc sedet in excelsis quamquam etiam fuerit nobilis carne sicut Maria. Tertia propositio. De pauperibus quamuis nobilibus (licet ignobilibus reputarentur apud mundum) nasci voluit Dominus. Primo vt non spernantur pauperes nobiles, si fortuna paupertatis eis contingat non ex suo defectu sed ex fortuna temporis. Isti enim qui erāt proximi tempori Christi, non ex malo regimine sed bellis & regum fortissimorum potentia subditi erant. Secundo ratio, ad ostendendum quod paupertas est propinqua Deo & matri eius de propinquo voluit nasci de pauperibus. Et sic Deus nascitur in paupertate & de paupertate. Ideo melius est tenere se basse, in paupertate quam in altis montibus vbi sunt niues, id est frigiditates deuotionis. Ibi enim radicatur, non in alto, vbi etiam est periculum casus, Exemplum de tortuca quæ rogauit aquilam vt eam sub alis suis poneret & subleuaret, quatenus contemplaretur totum mundum, sed cum esset multum alte, vidit in quanto periculo esset ne rueret, & cepit timere casum dicens aquilæ. Vtinam essem adhuc in foramine meo. Cui aquila. Non conueni tecum, vt te illuc reducerem. Ea propter dimisit eam ruere, quæ ex casu totaliter confracta est. Sic multi qui in basso statu paupertatis tuti erant, in alto statu eleuati miserabiliter ruunt. Sed quicquid sit, contēnitur tamen paupertas & pauperes & diuites, licet sine diuitijs inutiles essent, extolluntur & honorātur. Nam homo alioquin ineptus & insulsus, addito titulo potestatis vel diuitiarum, reputatur maxime honorabilis. Quod forte in abbreuiatonibus orthographiæ aliquorum nominum significari potest. Episcopus enim nihil significat, sed addito titulo fit Episcopus & opus nihil significat, nisi forte terram, sed addito titulo fit opus. Ita modo fit, quod volunt homines arguere à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, hoc est per temporalia volunt deuenire ad administrationes spiritualium, & ex temporalibus arguere hominem virtuosum, cum tamen in primitiua Ecclesia argueretur è cōtra, & à positione antecedentis ad positionem consequentis, quia primo quærebatur bonum spirituale quod est antecedēs ad temporale, secundum quod docet exhortatione sua Dominus dicens: *Primum quærite regnum Dei, &c. & hæc omnia adijciētur vobis.* Math. 6 Quarta propositio, licet ex malis parentibus orta sit Maria, non tamen inde sequitur minus nobilis. Patet quia rosa non est minus nobilis si ex spina procedat, nec aqua minus dulcis, si ex duris rupibus scaturiat, nec triticum minus nobile si ex palea procedat. Vnde de ea dicit Fulbertus carnotensis, & canitur in Ecclesia. Sicut spina rosam genuit Iudæa Mariam, & Cant. dicit Christus de Maria. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Cant. 2.

*DE EODEM FESTO SERMO pomeridianus, & secundus diei, in ordine. XLVI. Per Thema præcedens.*

QVæritur quare Maria potius in Septembri nata est quam in alio mense. Cum etiam natus sit Christus in tempore immoderati frigoris, cur voluit Mariam nasci in tempore moderato. *A Maria congrue nata est tempore moderato.* Respondetur primo quod voluit Dominus Mariam nasci in tempore moderato. Nam astrologi dicunt quod sol in domo sua leonis postea descendit in signum virginis vbi moderatur. Quia igitur terribilis Deus quasi leo antiquitus moderandus erat in gremio virginis, conueniens fuit tempore moderato durante ipsius virginis mansiunculam temperatam facere. Ipse autem quia venerat instructurus quæ sit via in cælum, vt intelligerent homines non nisi per asperitates & tribulatio-

 tion-

tiones illuc se peruenturos, nasci voluit in tempore frigidissimi frigoris. Dicitur secundo quod nata est Maria in Septembri propter multa. Primo quia secũdum Doctores Hebręorum & opinionem magis famatam Latinorũ mundus fuit creatus in mense Septembri, quia tunc creatæ fuerunt arbores ferentes fructũ, quod fit in Septembri. Conueniens ergo erat quod recreatio mundi eodẽ tempore inciperet. Incepit autem à natiuitate Mariæ, in qua plantata est, & radicata arbor quæ tulit fructum reparantem mundũ. Secunda ratio, quia mensis ille est mensis abundantiæ in quo inuenitur omnium bonorum abundantia. Sic enim à natiuitate Mariæ incepit annus plenitudinis gratiæ, de quo Galat. *Ecce iam venit plenitudo temporis, in quo misit Deus filium suum in terris.* Ante in mundo caristia erat gratiæ Dei vsquequo venit illa gratia plena & abundans omni bono, de quo: *Venter tuus sicut acervus tritici*, quæ continuit granum illud frumenti tanquã horreum viri Ioseph, quod cadens in terram mortuum multum fructum attulit replẽs vniuersam terram. Tertia ratio quia mẽsis septembris erat totus solennis apud Iudæos. Nam primo die erat festum Neomeniæ, id est creationis mundi, & festum tubarum in quo liberatus fuit Isaac propter arietem hærentem cornibus, ideo in cornu clangebant. Die decima festũ propitiationis in quo affligebantur ieiunãdo vsque ad vesperam, quia tũc rediit Moyses ad populũ, insinuans eis Deum placatum pro adoratione vituli. Et erat tũc etiam festũ expiationis, quia aspergebantur sanguine & cinere vitulæ rufæ. Decimaquinta erat festũ tabernaculorũ, quod durabat septem diebus. Deinde festũ dedicationis templi Salomonis, quod totidẽ durabat. Maria autem nobis attulit festũ maximum. Hæc enim natiuitas (vt canit Ecclesia) gaudium annunciauit vniuerso mundo, & Psal. testes *Fundatur exultatione vniversæ terræ mons Syon, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* Vniuersæ terræ viuentium, quia per eam reparata est ruina eius & numerus Angelorum restauratus. Terræ morientium quia per eam saluatus est mundus & gratia illuminatus. Terræ mortuorum quia per eam extracti sunt de limbo & in Paradisum deducti. Sicut enim nauigantes viso portu maris lætantur, sic in ortu Mariæ homines quasi viso portu salutis. Quarta ratio est, quia mensis Septembris communiter plenus est magnis infirmitatibus, ideo nil mirum si illo tempore quo apparent pericula superuenit medicina & remediũ & apotheca omniũ charismatum contra omnem febrem & venenũ peccati. Tunc igitur ex incendio diuini amoris data est mater filiis infirmis. Hæc est de qua Eccl. *Vbi non est mulier ingemiscit æger.* Est enim mater sanctæ spei data in spem infirmorum & peccatorum. Quinta ratio quia nunc instant vindemiæ in quibus oportet vasa parare ad vindemiam colligendam, ideo conueniens fuit vas illud admirabile opus excelsi præparari. Vindemia autem illa collecta est filius Dei, cuius vinum germinat virgines & inebriat mundum, quo plenum est vas virgineũ, ita vt etiam superefluat. Igitur vt aliquid super nos distillet accedamus ad illud simulque pulsemus ipsum dicentes Aue.

Nota. Gal. 4. Cant. 7. Psal. 47. Psal. 67. Eccl. 36.

Priori sermone visũ est, quomodo Maria radicauit carnaliter in populo Iudęorũ honorificato. Nũc videdũ est quomodo spiritualiter radicauit in cordibus populi christiani. Igitur hic dicendũ est primo an populus Christianus fuerit honorificatus. Et dicitur quod inter populos maxime fuerit honorificatus etiam supra populum Iudaicum. Quod patet primo, quia scriptum est Genes. *Maior seruiet minori*. Populus autem maior est populus Iudæorum qui primo vocatus est ad fidem & cultum vnius Dei, qui ad literam seruit populo iuniori scilicet Christiano corporaliter, tamen etiam spiritualiter portando codices nostros & testimonia legis nostræ quasi librarii nostri, vt dicit Augustin. Item quæcunque

An Christiani plus honorificati fuerint quã Iudæi. Gen. 25.

habebant

habebant honestatis & doctrinæ & sapientiæ, hoc erat sequentis honestatis figura, vt dicit Apostolus: *Omnia in figura contingebant illis*. Secundo quia licet ille populus pro aliquo tempore fuerit honoratissimus quo tempore cognouit Dominum suum, tamen quando negauit eũ, *& homo cum in honore esset non intellexit, tunc comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*, quia sicut iumentum paratum est ad onus portandum nec contradicit, sic isti deteriores iumentis onera legis antiquę non solum non contradicũt portare, imo ea concupiscunt, à quibus liberauit nos Christus. Secundo sunt cõtenti sicut asinus & iumentũ paleas comedere, id est, litera superficie tenus, nec sua asinitate attingunt vsque ad granum. Nos autem ea palea non sumus contenti, sed grana intelligentiæ manducamus vt homines honorati. Granum vero in palea sensus in litera vt habet Origines super Cantica. Tertio quia ille populus, magis honoratur à rege qui magis dilectus est, sed populus christianus est magis dilectus à Deo quam iudaicus. Tum quia vltimus, & vltimus communiter magis dilectus est sicut Beniamin. Tum quia in consideratione & cognitione Dei magis insistit, vt de eo dicatur: *Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu*, Tũ quia à Deo carissime emptus, quia suo sanguine specialiter tanquam electus. Ideo in Psal. dicitur: *Dilectus quemadmodum filius vnicornium*. Quarto, quod fuerit magis honoratus, quam populus iudaicus videre est ex multis signis. Primo Deus, & si Iudæis loquebatur per Angelos in manu mediatoris. Nunc tamen locutus est nobis in filio. Secundo ex sacramentis, quia Sacramenta antiquę legis non conferebant gratiam, nunc autem conferunt ex merito Christi, imo sunt gratia, saltem in Eucharistia.

1. Cor 10

Psal. 48

Psal. 67.

Psal. 28.

Hebr. 1.

Tertio ex hoc, quod Deus in propria persona non erat cum eis, nobiscum autem manet vsque ad consummationem sæculi. Quarto ex multitudine beneficiorum, quæ longe maiora sunt. Nam filij Israel mare rubrum transierunt, & hostes corporales vicerunt, sed cælum non fuit eis apertum, sicut populo Christiano. Quinto ex reuelationibus, quia multiplicius, & clarius sunt reuelata diuina mysteria Christiano, quam Iudæis. Secundo quæritur quomodo potuerit radicare in populo Christiano, cum radicauerit in populo Iudæorum. Primo quia illi sunt contrarij legibus, & ritibus, & voluntatibus. Secundo præcipit ei Dominus: *In Iacob inhabita, & in Israel hereditare*, non ergo in populo Christiano. C Nota.

Eccl. 24.

Tertio cum ille populus iudaicus fuerit pessimus, non videtur quomodo esset nobis bona, si radicaret in nobis, *Cum arbor mala fructus ex se malos faciat*. Et fons naturam sapiat terræ per quam transit, vt dicunt philosophi. Respondetur per veritates. Prima est, quod tenella plantatio potest transplantari facile. Licet enim orta sit de iudæis in lege, & sub lege, quia pro tempore fuit sub lege, ipsa tamen transplantata est in populo christiano, cuius legem prima inter omnes tenuit. Inde potest de ea intelligi illud Prou. de nocte, scilicet Iudæorum, & tenebris ignorantiæ eorum. *Surrexit, deditque prædam domesticis suis*. Angelis, & hominibus deuotis sibi. Et illud: Psal. *Vineam de Ægypto transtulisti, eiecisti gentes*, id est, Iudæos, &c. sequitur, *Plantasti radices eius, & impleuit terram*, scilicet Christianorum. Secunda veritas. Maria in Iacob inhabitauit corporaliter, & mentaliter desiderans eorum salutem dicens cum Paulo. *Optaui Anathema fieri à Christo Iesu pro fratribus meis, qui sunt secundum carnem*, & hæreditatem suam proposuit filijs Israel, sed eam recusauerunt, ideo præceptum erat ei consequenter, in electis meis mitte radices. Et quia populus iudaicus non erat electus, iuxta illud Petri. *Quia vos iudicastis indignos vitæ æternæ, ecce conuertemur ad gentes*, & populus Christianus erat electus, ideo radicauit in eo. Vnde sicut custodia Angelica

Matt. 7.

Prou. 31

Psal. 79.

Rom. 9.

Act. 13

ea propter obstinationem populi Israel deseruit ipsum, vt auditum sit, transeamus ab his sedibus, sic Maria, & filius eius dimiserunt incredulum, & trāseundo ad Christianum transijt cum eis omnis dignitas & nobilitas. Fuit filia Iudęorum, iustum est, vt sit mater gentium, fuit filia synagogæ, iustum est, vt sit mater Ecclesiæ. Tertia veritas. Communiter contingit, quod quanto radix amarior est, tanto fructus dulcior. Fuit autem hæc radix Iudæorum Deo suo amarissima, ita vt de ea conquæratur Dominus. Hier. 2. *Quomodo conuersa es mihi in amaritudinem vitis aliena*. Item fons per saxosa transiens non propterea induit duritiem, sed eo magis dulcis est, & reficiens sitim. Ideo nil mirum est, si nobis est dulcis Maria, quamquam ex radice amara, & de duris, & obstinatis Iudæis prodierit. Tertio quæritur quo iure debet radicari in cordibus Christianorum. Respondetur, quod triplici iure. Primo iure naturali, quia mater. Dicit enim ipsa Eccl. *Ego mater pulchræ dilectionis*. Et Dominus dixit Ioanni loco Ecclesiæ, *Ecce mater tua*. Secundo iure gratitudinis, quia sicut à prima matre omnia mala processerūt, sic ab ista omnia bona, vt merito de ea dici possit illud Sap. *Bonorū omnium mater est*, ideo debemus eam festinare. Tertio iure ciuili, quia aduocata nostra, quæ agit causas nostras debiles, & facit eas valere suis meritis. Quam recte ordinauit Dominus, quia deerat aduocatus apud filium in curia sua, quasi dicens: *Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adiutorium*, id est, non sufficit vnicus aduocatus vel mediator cum tot, & tam periculosas causas habeat homo coram me, ideo faciamus ei adiutorium hoc est demus ei aduocatam.

D Maria triplici iure radicatur in cordibus Christianorū. Eccl. 24. Ioan. 19. Sap. 7. Gen. 2.

Cum igitur sit aduocata nostra laborat pro nobis, debemus ei salarium. Nihil autem præter cor ei dare possumus, cor inquam non carneum quia tale non quærit, sed spirituale. De quo Psal. *Cor (inquit) meum dereliquit me*, non carneum quia habebat secum, sed spirituale. Contra multos qui faciem præsentant beatæ Virgini, sed cor non loquitur. Non sic Psal. qui ait Domino. *Tibi dixit*, id est locutum est *cor meum, exquisiuit te facies mea*, quæ non sufficeret nisi cor loqueretur. Quarto quæritur de modo quo radicari potest in corde. Respondetur, quod quatuor requiruntur ad hoc quod arbor radices mittat in terra, quæ spiritualiter requiruntur ad hoc quod beata Virgo radicetur in corde nostro. Primum est bonus humor interior. Hoc requisiuit Maria in figura Axæ filiæ Caleph. Quæ sedens super asinam petijt à patre vt post terram arentem iungeret ei irriguam. Sed Maria prius habuit terram arentem, Iudæam scilicet de qua orta est, quæ non nisi spinas & tribulos germinauit filio suo & sibi.

Psal. 39. Psal. 26. E Maria quomodo radicata in corde nostra. Iud. 1.

Terram enim quondam fructiferam dedit in salsuginem à malitia inhabitantium in ea. Quæsiuit igitur à Domino, vt adiungeret irriguam, & adiunxit irriguam deuotum populum Christianum, de qua dicit Eccl. *Rigabo hortum plantationum mearum* rore gratiæ, *quia in me omnis gratia, viæ & veritatis*, scilicet vię Paradisi, & cognitionis eiusdem, & pluuia deuotionis. Vt dicant nunc fideles. Ad te clamamus exules filij Euæ, ad te suspiramus gementes & flentes in hac lachrymarum valle.

Eccl. 24.

De his enim qui sic sunt in valle miseriæ, maxime curandum fuit. Vnde & quando aliquis habet hortos diuersos, vnum plantatum magnis arboribus maxime clausum & irrigatum, de illo non multum curat nec solicitatur. Sed quando habet alium hortum minime irrigatum & nouiter plantatum in terra sicca, solet de illo specialem curam habere, & sibi de aquarum beneficio prouidere ne plantulæ nouellæ arescant. Sic Deus cœlestis hortulanus qui ita Magdalenæ visus est, habet diuersos hortos, scilicet Ecclesiam triumphantem plantatam Angelis quos per præsentiam fluminis impe-

Nota.

impetus lætificat. Sed est hortus Ecclesiæ militantis in terra deserta situs, quasi clamaret. Anima mea sicut terra sine aqua tibi, ideo Dominus prouidit eis de fonte humectante, qui est Mariæ fons, de quo: Cant. *Fons hortorũ, puteus aquarum viuentium*. Inde est quod dicit. *in terra deserta inuia & inaquosa, sic in sancto*, scilicet corpore virginis *apparui tibi*. Si igitur humorem ministrat Maria in cordibus nostris, nil propterea mirum si sic in cordibus nostris, radicetur. Præterea, Quis filius non habeat matrem radicatam in corde suo? Ipsa enim mater nostra est, vt dictum est, collata in passione Christi. Quis igitur non habebit eam in corde suo radicatam? Si beatam eam dicunt omnes generationes, omnes siquidem generationes cæli & terræ, maxime credendum est eam beatificare populum Christianum, per quam tot bona processerunt, vt possit dicere de ea Sap. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, scilicet Dominus Iesus qui est omne bonum. Mirabiliter igitur est radicata, & non nisi propter humorem que est in cordibus Christianorum. Est autem duplex humor. Aliquis enim est humor qui venit ab extrinseco id est, ab operibus pietatis extrinsecis, & tali humore humefacti sibi similes & pios & misericordes. Alius est humor qui procedit ab intrinseco, scilicet humor deuotionis qui procedit à gratia interiori. Qui alterum istorum humorum non habet, nec Mariam habet in corde radicatam. Alij possunt esse humores in corde sed magis noxij & impeditiui vitæ spiritualis quæ nobis per virginem ministraretur & conseruaretur. Vnde vt dicit Auerroys, multi fortes & robusti sunt, & tamen cito moriuntur, vbi multi debiliores diutius viuunt, & nihilominus consimilis sunt regiminis, sed differentia procedit ex corde repleto malis humoribus. Sic multi perfecti non perueniũt ad longitudinem dierum vitæ æternæ, quæ medio virginis daretur propter indispositionem cordis, sicut erat de quo Psal. *Cor eius congregauit iniquitatem sibi*. Sed alij habent cor bene dispositum, ideo viuent corda eorum in sæculum sæculi. Secundo requiritur influentia cælestis, & maxime solis. In multis enim locis arbores odoriferæ non possunt crescere, quia non habent conuenientem solis aspectum. Sicut in istis partibus non possunt crescere species & alia huiusmodi quæ deportantur à locis calidissimis. Vix etiam radicantur in terra Noruegiæ vites, quia sol nimis distat. Ideo necesse fuit solem appropinquare ad nos per eam. Est enim (vt dicitur in quibusdam historijs) arbor solis, id est quæ solem produxit. Hanc tamen cælestis influentia hodie produxit nobis.

Cant. 4. Psal. 62. Sap. 7. F Humor duplex pietatis & deuotionis. Psal. 40.

Primo ad decorem totius Ecclesiæ. Est enim plantula decorans hortum Ecclesiæ, quia cunctas illustrat Ecclesias. Secundo ad diuinam suscipiendam influentiam gratiæ. Vnde secundum prophetiam. *Hodie vinea facta est dilectio*, scilicet Christo, quæ scilicet facta dicitur in Psalm. *Plantasti radices eius & impleuit terram*, & bene quidem impleuit, quia nobis attulit plenitudinem omnis boni, id est Christum *qui est sufficientia nostra*. In cuius natiuitate incepit tempus plenitudinis, quo venit Christus plenus gratiæ & veritatis, quo venerunt sancti pleni gratia & fortitudine, quo venit ipsa plena gratia, vt sicut quondam fuerat diluuium aquarum & vitiorum, sit nunc diluuium ignis amoris & gratiarum. Hæc est vitis quæ extendit palmites vsque ad mare amaritudinis æternæ exclusiue, & vsque ad flumen propagines eius. Hæc est illa vitis quam vidit Astiages rex medorum quæ totam asiam obumbrabat, ante enim aduentum omnes ambulabant in tenebris peccati originalis vel actualis, quia nondum habebat natura humana in quo lumen illud ad eos descẽderet, ideo illuminari non potuerunt, quia sicut vult Philosophus, si esset vacuum inter solem & terram, sol non illumina

G Maria ad quid nata est. Esai. 5. Psal. 79. 2. Cor. 3.

luminaret habitantes in terra, eo quod non esset medium luminis delatiuum. Sic totum humanum genus corruptum fuit & gratia vacuum. *Terra erat inanis & vacua*, scilicet ante productionem Mariæ, & quasi pro defectu medij non illuminabatur, sed *tenebræ erant super faciem abyssi*. Sed ipsa nata Iudæis noua lux oriri visa est gaudium & exultatio. Et habitantibus in regione vmbræ mortis, per eam tanquam per medium lux orta est. Ortus enim Mariæ fuit quasi aurora, ortus Ioannis in tenebris peccati originalis, & adhuc de nocte peccati, sed ortus Christi plena dies. Vnde lux increata per illud medium ad nos descendit. Tertio data est Maria ad gaudium & exultationem, quia Ps. *Fundatur exultatione vniuersæ terræ*. Si mater pariat abortiuum seu fœtum informem & incompletum, in natiuitate non facit gaudium neque festum, sed magis dolet, quia talis natiuitas non est perfecta sed imperfecta, sed quando parit fœtum viuum & plene formatum, tunc fit festum & gaudium. Communis hominum natiuitas est partus abortiui, & fœtus informis, quia sine forma & decore gratiæ & virtutũ. Sicut enim abortiuum est mortuum, sic secundum naturam homo nascitur mortuus morte culpæ originalis, ideo communis natiuitas non est dies lætitiæ. Sed Maria in sua natiuitate fuit viua, & per gratiam formata, ideo Ecclesiæ gaudiosa est eius natiuitas. Multorũ autem natiuitas non est Ecclesiæ gaudiosa nec honorabilis, sed odiosa & confusibilis. Ipsi enim nascuntur sicut abortiui. Mater cogitur parere abortiuũ propter percussuram, quãdo grauiter percutitur, & propter pressuram quando premitur. Sic Ecclesia pondere munerum auri & argenti pressa, & principum & parentum carnalium precibus parit abortiuũ, pueros & ignorantes quasi filios habens suorum bonorum hæredes, & suæ hæreditatis possessores. De quo cõqueritur Bernard. in Epist. ad Henricum Senonensem Episcopũ in hunc modũ. Scholares pueri & impubes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promouentur ad ecclesiasticas dignitates, & de sub ferula transferũtur ad principandum presbyteris, lætiores interim quod virgas euaserint, quam quod meruerint principatum. Si autem volumus sentire bonas influentias stellæ huius cælestis Mariæ, oportet nos esse dispositos & non esse nimis frigidos per indeuotionem. Sic enim media regio aëris non calefit à sole propter suam indispositionem & nimiam frigiditatem. Tertio requiritur bonum nutrimentum plantæ vel ros, ad hoc vt radicetur. Ista est bona doctrina, de qua Deut. Moyses optabat. *Fluat vt ros eloquium meum*. Hoc modo mater S. Thomæ Cantuariensis radicabat in corde filij memoriam Mariæ. Sic & Monica in corde Augustini nomen Domini Iesu. Sed multi sunt aridi sicci & vacui ab illo rore bonæ doctrinæ, quorum quilibet dicere potest cum Psal. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi*. Quarto requiritur quod habeatur opinio de bonitate arboris, quod fit per fructũ, alioquin non radicaretur in horto. Primo habes opinionem de fructu huius arboris quod est medicinalis. Si quis autem sciret plantam in horto proximi sui, cuius fructus curaret omnes infirmitates currentes, vix posset continere quin pro ea rogaret, vt eam radicaret in horto suo & de eius fructu haberet. A principio mundi vsque ad Christum currebat grauis quædam infirmitas peccati originalis, nec erat remedium conueniens contra illam, imo fere omnes illa infirmitate capti moriebantur. Pauci enim euaserunt, vtpote populus Israel qui circũcisione & minutione sui sanguinis febrem illam euadebat. Omnes autem prope qui moriebantur, incidebant in frenesim dicendo ligna & lapides, &c. quæ in mundo apparent, esse deos suos & colebant ea, quod erat maxima frenesis, sicut qui sunt in frenesi indicant de festucis esse serpentes vel homines. Sed hodie plantata est in horto mundi arbor nobilissima, cuius fructus sic est

*Margin notes:* Gen. 1. — Psal. 47. — H Natiuitas cõmunis est partus abortiui. — Nota. — Deut. 32. — Ps. 142. — I Christus est fructus medicinalis suauis, & pulcher.

sic est medicinalis, quod etiam est vita mundo morienti, & sanauit ac sanat quotidie illam infirmitatem absque circuncisione & sanguinis nostri minutione. Nil ergo mirum si quilibet deuotus Christianus vult eam radicare in horto cordis sui. Secundo habes opinionem de dulcedine fructus huius arboris. Si cor amaricatum habes, etiam acetum eius dulce est cordi. Si cor tribulatum & infirmum, etiam passio eius dulcissima est cordi degustanti. Omnia enim amara eius nobis dulcia sunt. Inde dicitur Sap. *Non habet amaritudinem conuictus illius.* Nil mirum ergo si dulcis est arbor à qua procedit iste fructus. Propterea dicitur ei, vita dulcedo & spes nostra & o dulcis Maria. Et ipsa dicit de se Eccl. *Spiritus meus super mel & fauum dulcis, & hæreditas mea.* scilicet fructus meus super omnem rem temporalem & spiritualem. Inde est quod propter suam dulcedinem traxit ad se quasi totũ mundum, saltem Christianos. Est enim cometes caudatus hodie apparens, habens caudam & multitudinem populi post se currentis. Tertio habes opinionem de pulchritudine fructus arboris huius. Est enim speciosus forma præ filijs hominum. Et sic cum filius sit de matre sola & assimiletur matri, sequitur quod ipsa fuerit speciosissima, & magis spiritualiter quã corporaliter. Ideo solicitus in cordibus Christianorum radicanda. Quinto quæritur de signis quibus ostendi potest radicata in cordibus Christianorũ. Dici igitur potest quod sunt sex signa illud ostẽdẽtia. Primum est seruitiũ, quod ei quotidie exoluitur à Christianis. Et merito, quia ab ea quotidie cognoscimus nos habere panem nostrum quotidianum Dominum Iesum, quem tenet in manibus vt nobis eum ministret. Quia ergo quotidie esurimus & illo pane indigemus, necessario, quotidie ad eam recurrimus gratiarum actiones ei reddendo. Fuit autem officium illud beatissimæ Virginis ordinatum & iniunctum specialiter vt in Ecclesijs quotidie diceretur in concilio Claramontensi, contra ingruentia bella infidelium, qui iam terras Christianorum occupabant. Nec frustra quidem, quia statim repulsi sunt infideles, & Christianis victoria cessit. Secundum signum est ex multiplicibus Ecclesijs in eius memoriam consecratis. Non enim inueniuntur tot Ecclesiæ de quibuscunque alijs Sanctis, nec tam bene fundatæ & dotatæ optimis præbendis, sicut de beata Virgine, & hoc ad signandum, quod est mediatrix nostra ad intercedendum pro præbendis paradisi. Tertium signum est multitudo peregrinationum, quæ quotidie fiunt in honorem eius. Quæ omnia signant magnam fidelium deuotionem erga eam, vt verificetur de ea illud Machab. *Vt tempus affuit, quod sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur.*

Sap. 8. — Eccl. 24 — 2. Mac. 1

K. Maria offectuur ex multis esse radicata in cordibus Christianorũ.

Sol iste Maria est, qui quandiu fuit in via, quasi sub quodam nubilo fuit, quia tunc nec legitur miraculis claruisse, sed ex quo à filio suo clarificata est post assumptionem, feruor in eam deuotionis est accensus, ita vt sub feruore isto, sicut ad ignem perdices pingues, capiuntur pingues oblationes. Et hoc propter multiplicia nomina, quæ ei ad quæstum modo (proh dolor) attribuuntur, vt quãdoque nominetur nostra domina de virtutibus, quandoque de gratia, quandoque de victoria, &c. Quartum signum est ex multitudine solennitatũ, quæ fiunt in eius memoriã. Quinque enim eius solennitates recipit Ecclesia. Et merito quidem, vt qui virgini multa debemus, & tamen pauperes sumus, ad multos terminos ei vtcumque satisfaciamus, & in quolibet anni tempore pensum nostræ seruitutis ei exoluamus. Est enim eius natiuitas pro tempore autumni, conceptio & purificatio pro tempore hyemali, eius annunciatio pro verno, & eius assumptio pro æstiuo. Quintum signum est ex naturali instinctu, quo in subitis timoribus, & aduersitatibus siue periculis, quasi à natura moti clamamus nostra domi-

domina. Quis enim non radicaret in corde suo singulare suum refugium in tribulationibus quæ hic inueniunt nos nimis, cum tamen ( Philosopho teste) plus moueant tristibilia quàm delectabilia? Hoc certe refugium conuenientissime & misericordissime nobis prouidit, & quasi naturale indidit Deus pater misericordiarum & totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Quia enim dicebatur ei, altissimum posuisti refugium tuum, fecit sicut bonus pastor ouium solicitus de custodia earum, qui maxime quando oues iacent extra domum suam, facit sibi domunculam seu vmbraculum non fixum, sed ductile iuxta oues, vt ibi iaciat, & melius oues custodiat à lupis & prædonibus. Christus autem dixit de seipso: *Ego sum pastor bonus.* Ioan. 10 Et quia nos, qui sumus oues eius, in mũdo isto extra domum paradisi iacentes sumus, Christus fecit sibi Mariæ domunculam, vt in ea iuxta nos iaceret, & sic à lupis & prædonibus inferni melius per eam nos defenderet. Vnde non solum est refugium in tribulationibus corporalibus, sed etiam (& multo amplius) in tribulationibus spiritualibus, quæ proueniunt ex tentationibus mundi, carnis, & diaboli, quas statim extinguit, vel saltem mitigat, si ad eam ex corde refugiatur.

1 Nota ysa. Inde comparari potest arbori acrisij cuiusdam, scilicet Iudæi, de quo Fulgentius refert, quod habebat arborem, in qua tres suæ mulieres successiue se extinxerant & suspenderant. De quo dum conquæreretur proximo suo, & vellet eam eradicare prohibuit proximus dicens, multos esse in mundo, qui vellent inuenire talem modum se expediẽdi suis mulieribus. Iste tres mulieres sunt illa tria, 1. Ioã 2 de quibus Ioan. *Omne quod in mundo aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum aut superbia vitæ*, quæ si vrgeant, refugiendum est ad arborem istam, vt in ea extinguantur & suspendantur. Hinc ter inuocatur in Letania, & diuersimode, scilicet sancta Maria, sancta Virgo virginũ, sancta Dei genitrix. Maria maris stella illuminans oculos spirituales contra concupiscentiam oculorum, virgo virginum contra concupiscentiam carnis, & Dei genitricis, quia illud beneficium maternitatis præcipue adepta est propter humilitatem contra superbiam vitæ. Verum est tamen, quod dicunt doctores ter dici contra tres errores. Primus fuit eorum, qui dicebat Deum non esse creatorem visibilium, contra hoc dicitur, stella maris, id est Dei qui mare creauit. Secundus fuit eorum, qui dicebant ipsam non esse matrem Domini, sed contra hoc fuit ordinatum in consilio Ephisino, & consequenter in Calcedonensi, vt diceretur theotocos, id est Dei genitrix, & tunc ceciderũt araneæ multæ de cælo in signum, quod ceciderant erraneę errorum. Tertius fuit error Heluidij, qui dicebat matrem Domini genuisse aliquos filios post Christum, & sic non mansisse virginem perpetuam, sed contra hoc dicitur ei sancta Virgo virginum.

### DE EODEM FESTO NATIuitatis Mariæ, Serm. III. & in ordine LVII. Per Thema.

GLoriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Psal. 86. Duo modi hominum faciunt de se multa loqui & dicere: Vnus est facientium multa mala non personę singulari, non vni domui tantum, sed vni ciuitati vel communitati, sicut tyranni qui olim militauerunt in hoc mundo. Et isti cum hæc mala faciunt, putant se gloriosa fecisse iuxta quod dicebant huiusmodi homines. *Celebremus nomen nostrum in vniuersa terra.* Gen. 11. Sed de istis dicitur Prou: *Nomen impiorum putrescit*, Prou. 10 & bona huius ratio est, quia isti sunt ciuitas diaboli, non Dei, ideo non debet de eis dici, gloriosa dicta sunt, &c. Tales sunt de quibus dicitur: *Lætantur cum male fecerint*, &c. Prou. 2. Alius est modus hominum, qui non solum vni homini, vni domui, sed etiam vni ciuitati vel regno multa bona & pręclara faciunt

A Hominũ facientiũ de se loqui sunt duo modi.

sua

sua industria & sapientia. Et de talibus in bonum loquitur populus, & faciunt de
Prou. 10 se multa dici, sed gloriosa, quia Prou. *Memoria iusti cum laudibus.* Inde Sapiens ait:
Eccl. 44. *Laudemus viros gloriosos.* Si ergo de talibus qui vni ciuitati vel vni regno profuerunt gloriosa dicantur, quanto magis de vera ciuitate Dei virgine Maria, multa habemus dicere gloriosa, dicentes gloriosa dicta sunt, &c. imo mirabilia, quia statim in
Psal. 86. eodem Ps. dicitur: *Nunquid Syon dicet homo,* quasi dicat. Nunquid homo prædicabit Syon, id est Ecclesiæ, *Homo natus est in ea* ciuitate, *& ipse* idem homo altissimus, & omnipotens *fundauit eam. Dominus narrabit in scripturis populorum & principum*, &c. Sed non solum mirabilia de illa ciuitate & gloriosa, sed etiam pia dicuntur.
Vbi sup. Nam ipsa dicit in Psal. *Memor ero Raab*, id est animæ fidelis, & iustæ, sicut Raab quæ exploratores fideliter seruauit,
Iosue 2. *& Babylonis*, id est animæ peccatricis, *scientium me*. Ideo nos peccatores recognoscamus eam tanquam matrem nostram, & aduocatam pijssimam, vt sic nostri memoretur. Hoc fiet, si sæpe eam salutauerimus dicentes: Aue gratia plena, &c.

Secundum Augustinum 11. de ciuitate Dei, cap. 1. duplex est ciuitas, vna Dei alia diaboli. Ciuitas diaboli est periculosissima, quia eius rector regit eam tyrannide, omnibus modis quærens eam deuorare,
Psal. 58 de qua Psal. *Famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem ad perdendum & deuorandum.* Et non mirum, quia illa ciuitas est plena pessimo populo, scilicet malis cogitationibus, malis locutionibus, malis operibus & executionibus. De hac ciuitate & regimine eius non dicuntur gloriosa sed ignominiosa. Alia est ciuitas Dei

B Ciuitas duplex Dei & diaboli.

Psal 47. de qua Psalm. *Magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri*, quia ipse regit eam, ipse fundauit eam. Et de tali dicit
Psal 72. Psal. *Dominus in ciuitate tua imaginem ipsorum*, scilicet vitiorum, *ad nihilum rediges.* Sufficit enim quod in ea sit imago trini-
Ps 110 tatis. Et iterum Psal. *Disperdantur de ciuitate Domini, omnes operantes iniquitatem.* Si igitur gloriosa dicuntur de hac in qua Dominus magnus & laudabilis nimis requiescit solum in corde, quanto magis de illa in qua requieuit in corde & in ventre. Sed licet gloriosa dicta sint de ea in sua promotione, quando facta est sedes regalis Imperatoris cælestis, & hoc in annunciatione, & gloriosiora, quando facta est sedes sapientiæ, & vniuersitatis scrutinium scripturarum in sua purificatione, quando facta est libraria Theologorum in Christi natiuitate, quia scilicet tunc conseruabat omnia verba hæc, vt postea doceret Apostolos, & gloriosissima in sua exultatione vltima, quando facta est ciuitas refugij, ad quam omnes appellant de grauaminibus, ita quod si grauaris in curia iustitiæ Dei, appelles ad eam in curia misericordiæ eius, tamen pro nunc dicemus solum de fundatione huius ciuitatis, de qua Psal. *Fundatur exultatione vniuersæ terræ.* Psal. 47. Et quia fundamenta communiter sunt obscura & difficilia, hic paululum fodiemus faciendo duas partes, & quærendo duo.

Primo si gloriosa fuerit eiusdem ciuitatis hoc est virginis fundatio seu natiuitas. Secundo quæ miracula seu mirabilia in ipsa fundatione facta sunt.

Quo ad primum videtur, quod non fuerit gloriose fundata, quia fundata est super malum fundamentum, super fundamentum fœtidium, & marescosum, puta super Roboā stultum, super Achaz idololatram, super manassem homicidam prophetarum, super Iechoniam periurū, de quo Hierem. *Scribe virum istum sterilem*, Hier. 22 non est autem gloriosum ædificium cuius est malum fundamentum. Item multæ mulieres mali regiminis ponuntur in genealogia Christi, qui est & Mariæ, sicut thamar, & Raab, & Bersabee, licet vltima non ponatur sub nomine proprio, quæ fuerunt meretrices. Respondetur, quod licet fundamentum alicuius ciuitatis sit lutosum, & fœtidum, & in marescis, non tamen sequitur, quod ci-

uit-

C *Nobilitati non derogant mali progenitores*

uitas non sit nobilis. Hoc patet de ciuitate Parisiens. quę in commentarijs dicitur Lutecia Parisiorum. Et sic patet quod licet in marescو malorum sit ędificata, & fundata virgo tanquam in progenitoribus, tamen nō propter hoc est minus gloriosa, imo tales ciuitates sunt nobiliores, vt communius, & fortiores. Dicitur secundo, quod non sequitur si fundamentum sit bonum, & firmum, quod tamen ciuitas sit bona. Sic nec quicquid procedit ex bona radice generationis est bonum. Patet quia multi boni habuerunt malos filios. Adam enim primus, & nobilissimus Dominus totius terræ habuit Cain filium pessimum homicidam. Noë etiam fuit nobilis valde, & bonus, & tamen filius eius Cham pessimus, & filius filij ignobilis, & serui omnium fratrum suorum. Abraham fuit optimus, & tamē genuit Ismaëlem pessimum Isaac nobilis, & nobiliter genitus, & tamen filius eius Esau rusticus, & seruus fratris sui constitutus. Nec tamen mirandum est si sæpe bonus pater, cum bono filio generet malum. Nam non est domus perfecta sine latrinis, & secessibus, sic vix congregatio, communitas, aut domus sine malis, ita vt etiam in societate Christi inueniretur vnus malus. Secundo hoc fit ne pater nimis afficiatur erga filios, vnde relinquat amorem Dei. Sic enim malus filius datur ei in purgatorium, & exercitium, vt inde discat plus vacare operibus sanctis, quam generationi filiorum, cum sic se videat à filijs suis affligi. Tertio, communiter in bonis domibus sunt horologia excitantia mane, gallice, *reueille matin*. Sic mali qui excitant alios affligendo, & dant materiam merendi. Dicitur tertio, quod sicut ex radice procedit spina, & rosa, flos farinæ, & furfur, granum, & palea, & ex eadem terra vrtica, & lilium, nec à radice iudicatur nobilitas, sed ab effectu, fructu, & profectu, sic ex eodē patre aliquando proles nobilis, & ignobilis, vt ab eisdem Adam, & Eua Cain rusticus, & Abel nobilis, sed facta generosa generositatem probant, vt vere dixerit Dominus. *A fructibus eorum cognoscetis eos*. *Matt. 7.* Rosa enim nobilis dicitur, non quia exit à radice tali, sed quia appropinquantibus sibi non cessat odorem, & decorem suum communicare. Spina, & vrtica ignobiles sunt, quia propinquos sibi molestant, & pungunt. Sic nobiles ad modum rosę suis proximis benefacere non cessant, sicut corpora cælestia nobilia dicuntur, quia in circuitu suo lumen suum spargunt. Vnde ignobiles fructus putridi, & verminulosi, & nobiles sapidi, odoriferi ex eadem arbore procedunt. Et ex eadem carne procedūt pediculus, tinea, vermis, & homo nobilis. Et ita si ex carnis procreatione esset nobilitas vera, nobiles essent pediculi. Oportet ergo eam æstimare (vt dictum est) ex fructu & virtute. Dicitur quarto, quod defectus in vera, & gloriosa nobilitate maxime procedit ex educatione, quia Seneca teste educatio facit mores. Nobiles autem non tenētur sub virga, ideo verberantur grossa virga, vt Manasses, habent etiam plures impulsores ad malum. Nascuntur autem omnes cæci sicut canes, & catti, quia diuites nati non vident paupertatem suam, vbi pauper cognoscit cum Hieremia dicente: *Ego vir videns paupertatem meam*. Sic non *Thren. 3.* se videbat Roboam qui dicebat, quod digitus eius erat grossior dorso patris. Dicitur quinto, quod ideo ex aliquibus malis progenitoribus orta est virgo. Primo vt eius bonitas, & excellentia melius appareret. Nam non apparet bonitas alicuius excellenter, nisi per comparationē ad malum, & inde in rebus Deus malum permittit, vt inde clarius bonum appareat. Sic generatio tāti boni non fit peior propterea si ex malis aliquibus oriatur. Secundo, vt sicut est mater, & filia Dei, sic tanquam mediatrix ad Deum & hominem esset mater, & soror, & filia rei, & sic à natura inclinaretur ad miserendum peccatori. Propter hoc figuratur per arcum in nubibus cæli in signum fœderis inter cælum & terram. Non enim potuit Deus

D *Maria quare ex aliquibus mali progenita est.* *Gen. 9.*

Deus efficacius componere pacem cum peccatoribus, quam quod filiã peccatorum filio suo acciperet in matrem. Dicitur sexto, quod fundamẽtum generationis Mariæ præcipuum fuit optimum. Math. 1 Dicit enim Euangelista. *Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham*, quasi sanctus Patriarcha, & sanctus Rex sint principale fundamentum huius generationis. Isti autem duo præcipue ponuntur. Primo quia ad eos tantum facta erat repromissio. Sed prius nominatur Dauid, quia expressius sibi facta scilicet cum iuramento, secundum illud Psal. *Iurauit Dominus Dauid veritatem*, &c. *de fructu ventris tui*, &c. Et illud: *Iurauit Dominus & non pœnitebit eum*, &c. Hæc est ratio Ambrosij Nota. super Lucam libro 2. Et Chrysostomus super Matth. dicit, quod Christus tres dignitates erat habiturus. Fuit enim Propheta, rex, & sacerdos. Abraham fuit sa- Gen. 15. cerdos. Inde ad illum Dominus. *Tolle vaccam triennem*, &c. Et de filio præcepit quod sacrificaret eum. Fuit etiam Propheta. Vnde de illo dicit Dominus ad Gen. 20 Abimelech. *Propheta est, & orabit pro te*. Dauid autem fuit Rex, & Propheta, sed non sacerdos. Ideo vterque nominatus est in principio, vt vtriusque dignitas in eo cõprobaretur. Secundo istos duos nominat Euangelista, vt ostenderet dulcedinẽ vnde processit Maria. Fons enim sequitur naturam terræ per quam transit. Abrahã credidit Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Maria credidit Deo in re maiori, & facta est mater solis iustitiæ in sempiternum. De Dauid dicit Dominus, inueni hominem secundum cor meum, & Maria sola inter mulieres inuenta est secundum cor Domini vt fieret eius mater. Abrahã hospitalis fuit, & pater pauperum, ista hospitale Dei, & mater pauperum peccatorum. Dauid mitissimus, vt etiam parceret inimicis. Maria vero, & deuotis suis, & peccatoribus parata est subuenire. Et si quæratur, quare dicitur liber generationis, cum tantum primum capitulũ sit de eius generatione.

Dicitur, quod erat mos Iudæorum nominare librum ab initio, vt liber Genesis de procreatione naturæ, & tamen non nisi duo prima capitula. Matthæus autem Iudæus erat, & in Hebręo scripsit. Vel dicitur, quod iste liber est generationis Iesu Christi non solum temporalis, sed etiam spiritualis, quia in eo docentur homines spirituales, filij Dei fieri. Nec soli illi duo fuerunt boni, sed alij multi, in tantum quod plures fuerunt boni, quàm mali, quia omnes boni ab Abraham vsq; ad Salomonem vel Roboam, & qui circa finem fuerunt non leguntur fuisse mali, in medio vero fuerunt mixti mali cum bonis. Multi autem boni paucos malos saluant sicut transeunt aliqui mali denarij cum multis bonis. Non dico tamen omnes fuisse saluatos, sed eorum maiorem partem. Dicitur vltimo de mulieribus, quod in Genealogia saluatoris nominantur quatuor mulieres, quæ fuerunt magnæ virtutis. Prima est Maria de qua est quæstio, quæ in fine nominatur. Secundo nominatur Raab meretrix, quę in Nota Raab. scriptura Ios. commendatur, quia exploratores terræ sanctæ in domo sua in Hie- Iosue 2. rico abscondit pro fide vnius Dei Israel, ideo in Cathalogo Sanctorum Hebr. 11. nominatur. Nec meretrix ideo dicitur, quod infamis esse regiminis aut dissoluta corpore, sed quia erat hospitularia, in signum cuius hospitio suscepit illos exploratores. Terminus enim ille loco cuius ponitur meretrix in translatione nostra, in Hebræo est æquiuocus ad meretricem, & hospitalariam. Tertio nominatur Thamar, de qua posteaquam cognouit eam Iudas pater mariti sui, de ea dicit: *Iustior me est*. Quarta est Ruth, quæ Gen. 38. multipliciter commendatur. Primo, quia socrui suæ fideliter adhæsit, nec eam deseruit de terra Moab redeuntem in terram Israel. Secundo, quia eiecta gentilitate fidẽ vnius Dei suscepit. Tertio quia propter eius magnam castitatem, & famam à Booz Principe Bethlem accepta est in coniugem, de qua enim dicit Booz.

Ruth 3. *Scit enim populus qui habitat intra portas vrbis meæ mulierem te esse virtutis*. Bersabee autem proprio nomine non nominatur quæ licet peccauerit, tamen postea delictum lachrymis lauisse putatur. Non enim creditur à Deo suscepisse prolem tātam sicut Salomonem dilectum Domini, nisi prius satisfecisset de peccato. Et licet Hieronymus nullam sanctarum mulierum assumit in Genealogia Saluatoris, verius tamen videtur oppositū, vt declaratum est. Neque ei nefas est non adhærere. Nam secundum Augustinum ad Vincentium Donatistam loquentem de scripturis Sanctorum Doctorum. Hoc inquit genus scripturarum à canonicis distinguendum est. Non enim ex eis sic testimonia proferuntur, vt contrarium sentire non liceat. Verum est tamē, quod nulla prædictarum mulierum (excepta Virgine gloriosa) fuit sine peccato, etiam actuali, quia Raab & Ruth fuerant aliquando gentiles & idololatræ, Thamar meretrix, & Bersabee adultera, & ad hoc forte attendebat Hieronymus. Pro secūda parte dicendum est de mirabilibus, quæ facta fuerunt in fundatione huius ciuitatis, id est natiuitate Virginis Fuerūt autem sex, quorum primum est, quod de terra sterili processit optimus fructus, & maxime vtilis. Tunc enim posuit Dominus desertum gratiæ in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarū. Nā antea terra naturæ humanæ sic erat sterilis, quod non producebat nisi spinas, & tribulos peccati originalis, nunc autem produxit optimū fructum illo vitio non maculatum, & maxime vtilem, quia ex eo processit Saluator mundi, qui est flos secundum illud: *Flos de radice eius ascendet*, sed nobis flos est, fructus autem beatis, iuxta verbum Psal. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini filij merces, fructus ventris*. Nos quidē in odore eius currimus sicut braquetus paruus in odorem bestiæ, & hoc vsque ad montem Dei, sed beati gustant ipsum sicut fructum. Flos autem recte dicitur, quia sicut in flore est spes fructus, sic in Christo spes nostrę salutis, & sicut flos ad calorem solis, & infusionem roris producitur absque læsione arboris, sic B. Virgo operatione Spiritus sancti qui est amor, filium suum concepit absque detrimēto virginitatis. Fructus vero est beatis, quia eos reficit secūdum illud: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*. Maledicta certe erat terra nostra non solum quam calcamus, sed etiam quam portamus, sed nunc fuit benedicta ab eo qui non obliuiscitur misereri, nec continet in ira sua misericordias suas. Si esset aliqua terra, quæ talem fructum portaret homini, quod per eum sibi sufficienter ministraretur victus cum alijs vitę necessarijs, & dum hoc liberaretur ab omnibus debitis nūquam eam venderet. Terra Mariæ protulit nobis fructum, qui nos ab obligatione æternæ maledictionis liberat, insuper & nobis confert vitā æternam, nonne ergo debemus eam maxime appreciari, & laudare? Tu nunc curris ad miracula talia qualia, cur non magis ad ista, quæ sunt verissima? Ea certe quæ nunc fieri dicuntur apud beatam Mariā de campis, sunt magis miracula, gallice *mirracles*. Primo, quia illa raclent, hoc est radunt siue remouent pecunias de bursa. Secundo quia inducunt te ad duo, R, id est duos errores. Primus est quia inducunt te ad nimis leuiter credendum, antequam sit facta probatio ab his ad quos spectat. Et mirum est quomodo cito credis, cum mundus sit iam decrepitus & delirans, & sæpe approbet falsa pro veris. Secundus error, quia sic præpararis ad credendum Antichristo, qui veniet in signis, portentis, & prodigijs fallacibus. Et verisimile est, quod qui ad paruum signum nunc moueris, multo amplius moueberis ad signa Antichristi, quæ erunt multum apparentia. Secundum miraculum vel mirabile fuit, quod res paruissima visa est à longe, cum tamen solæ res magnæ videri soleant à longe. Beata Virgo erat paruissima humilitate, sed

*Marginalia:* 3. Mariæ natiuitas sex mirabilibus illustrata est. — Nota. — Esa. 11. — Psal. 126. — Ioan. 17. — Hoc fuit quando currebat rumor de S. Regina de Parisiis.

sed à longe visa est à Patriarchis & Prophetis, qui eam longo tempore præcesserant, sic tamen à longe, quod etiam de prope. In hoc enim differentia est inter videre Dei & mundi, quia Deus videt humiles de prope & de longe, superbos vero à longe, quasi eos non cognoscens, secundum illud Ps. *Deus humilia respicit, & alta à longe cognoscit*. Mundus autem videt solum magnos, id est superbos de prope, eos honorando & exaltando, humiles autem quasi de longe eos dedignando & spernendo. Humiles enim se exinaniunt, & (vt vulgo dicitur) se recullant, vt faciant locum Deo, & inde alliciunt Deum, vt sit prope eos, & cum eis, superbi autem se ingrossant quantum possunt, nec faciunt Deo locum in sua conscientia, ideo non est mirum, si longe recedat ab eis. Dicitur communiter, quod duo grossi non possunt esse in eodem loco. Deus est grossus per potētiam, & excellentiam, illi vero per superbiæ tumorem, propterea si simul stare non possunt nullus mirari debet. Vere potest dici superbo quod dixit quidam miles cuidā sacerdoti malo, qui dicebat se eo die quo loquebatur, locasse Deū in suo corde, quod scilicet Deus non dixerat patroloquium S. Iuliani, quia scilicet non inuenerat bonum hospitium illic. Non enim inuenit bonum hospitium cum superbis, & ideo nec ibi moratur. Vt ergo Deus habitet tecum, humiliare exemplo virginis gloriosæ. Ad hoc enim tibi proponitur humilitatis eius exemplum. Tertium miraculū fuit adeo nouum & stupendum, quod si nunc aliquis mimus vel histrio tale faceret, omnes vndequaque currerent, quia scilicet hodie formatū est secundū illud: *Vas admirabile opus excelsi*. Admirabile quidem propter tria. Primo quia admirabile esset vas quod maius seipso contineret. Hoc enim est contra totam experientiam naturæ, & contra illud Arist. 4. phisic. vbi dicitur quod locus debet esse æqualis locato. Nihilominus Virgo beata per opus artificis naturæ cōtinebat in vētre maius seipsa, secūdum dictū Ecclesię, quē totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo, & alibi, quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti. Sic & anima tua si dilexerit Deū, & mandata eius custodierit, maius seipsa spiritualiter continebit, scilicet ipsum Deū, quia ipse promisit dicens: *Si quis diligit me*, &c. *ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Et hoc modo anima tua erit ciuitas Dei solius, à qua omnia diaboli insignia, & imagines peccatorum propulsabuntur, sicut dicit Psal. Domino, *In ciuitate tua imaginem ipsorum*, id est peccatorum, *ad nihilum rediges*. Secundo mirabile esset si vinum, & aqua simul ponerentur in eodem vase, & tamen non commiscerentur. Sed hic simul steterunt aqua, & vinum sine commixtione, & cum coniunctione, vinum scilicet deitatis, & aqua humanitatis sine confusione naturarum vel proprietatum, & hoc canit Ecclesia dicens. Mirabile mysterium declaratur hodie, & sequitur, non commixtionem passus neque diuisionē. Tertio mirabile esset vas, quod manens clausum effunderet. Sed istud vas manens clausum quod continet effundit, clausum virginitate effundit gratiarum abundantiam. Non oportet nisi modicum trudere seu pulsare, id est, salutare vas istud virgineum, & statim effundet super nos de gratijs suis, & nihilominus manebit semper plenū. O si esset tale vas plenū optimo vino Aurelianensi aut Bernensi vel muscadeto, quod non oporteret nisi trudere ad extrahendum de eo vinum, & tamen semper maneret plenum, quale miraculum diceretur esse, & quis non illuc curreret? Hæc sunt miracula maxima, quæ fecit Virgo hic viuens, quæ maiora sunt, quam miracula Sanctorum, quibus illuminabant cæcos, & suscitabant mortuos. Licet post mortem similia Sanctis, imo & ampliora miracula fecerit, & faciat quotidie, sed & vsque ad futurum sæculum non desinet facere, subueniendo pauperibus peccatoribus,

Marginalia: G Videre Dei & mundi differūt — Psal. 137 — Nota. — Eccl. 43. — H Maria vas admirabile propter multa. — Ioan. 14 — Psal. 62.

bus, & spiritualiter, & corporaliter. Quartum miraculum fuit, quia licet spinę, & runciæ non portēt bonos fructus, hodie tamē portauerunt. Et hoc est quod Ecclesia canit, sicut spina Rosam genuit iudæa Mariam. Si nunc runcia produceret alicubi vuas, omnes illuc currerent. Cur ergo non curritur ad tam nobilem vuam, quam ex se Iudæa incredula produxit? Vere nobilis & perfecta valde Maria, quæ omnes creaturarum perfectiones compleuit, & in sua vltima perfectione consummauit. Licet enim Deus in creatione mundi omnia produxerit perfecta, sicut eorum exigebat natura, vltimæ tamen perfectionis consummatio vsque ad virginis partum reseruabatur. Omnia entia vnum ens nobilissimum appetebant, viuentia vnum nobilissimū viuens, sentientia vnum nobilissimum sentiens, conceptiones vnum nobilissimum conceptum. Natiuitates optimum nascibile, rationalia singularissimum rationale, & spiritualia excellentissimum spirituale, & sic singulares creaturæ appetebant singulæ vnum optimum creatum. Quibus omnibus existentibus imperfectis prouisum est mundo de vna femina super omnes benedicta, quæ vnico suo partu omnibus generibus rerum summam, & vltimam perfectionem adduxit, & sic potest quilibet dicere nunc, omnis consummationis vidi finem. Vere mirabilis operatio dexteræ excelsi, ex radice tam imperfecta tantam nobis perfectionem attulisse.

*I Maria perfectissima.*

Quintum miraculum, quod licet ex abortiuo nihil producatur, nihilominus ex abortiuis natus est fætus optimus. Omnes sunt abortiui, quia nati in peccato originali, imo loprosi illa lepra spirituali originalis, & si tunc morentur, mitterentur ad leprosariam paradisi, quæ est limbus, in qua perpetuo manerent, nec vnquam intrarent in ciuitatem ipsam paradisi. Sed iste fætus non fuit abortiuus, imo maxime viuus vita gratiæ, quia plenus gratia ab instanti suæ conceptionis, nec leprosus lepra peccati originalis, quia sine peccato originali concepta est virgo gloriosa, nec habuit lepram cuiuscunque actualis scilicet nec venialis nec mortalis. Inde comparatur luci propter suam puritatem, per quam sicut sol firmamentum, ita cunctas illustrat Ecclesias. Ita vt merito dicatur fenestra illa arcæ Noe, quam hæbrei dicunt fuisse cristallinam, quæ arcam ipsam, id est, Ecclesiam militantem illuminet, sicut in persona eius promiserat sapienta increata dicens: *Ego illuminabo omnes sperantes in Domino*. Quæ etiam Ecclesiam triumphantem illustrat, vt vere dicat illud Eccl. *Ego feci in cælo, vt oriretur lumen indeficiens*. Quod si de qualibet alia muliere bona dici potest: *Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamento domus suæ*, multo magis de ista quæ fuit, & est optima. Veniant igitur omnes ad lucem istam purissimā, veniant singulariter puellæ ad fontem hunc puritatis. Libenter enim puellę vadunt ad fontem. Puras enim creaturas quærit Dominus, & similiter beata virgo. Sextum miraculum est, quod hodie cęli fuerunt penetrati, & tamen Iob. Dicitur quod cæli solidissimi quasi ære fusi sunt. Mittebant enim sancti Patriarchæ, & prophetæ orationes suas ad Deum, vt veniret illa quæ conceptura erat redemptorem mundi, vt tandem ex ea natus redemptor operaretur salutem humani generis, sed vsque hodie nō fuerunt cæli penetrati, nec descēdit misericordia quā quærebant. Si in aliquo dolio bene obstructo esset vinum, esto quod esset in alto loco adhuc non caderet, nisi fieret apertura. In cælo erat misericordia, quæ est ponderosa, & grauis, secundum illud: quod improperabat Dominus legisperitis Iudæorum dicens: *Væ vobis legisperitis qui relinquitis quæ sunt grauiora legis misericordiam*, & iudicium, sed quia cæli non fuerunt antea penetrati, ideo non cecidit super nos vsque hodie, cum nata est beata virgo Maria. Sed non sufficit nobis illa misericordia generalis, quam consecuti sumus

*K Maria illuminat Ecclesiam militantem & triumphantem. Eccl. 24.*

*Eccl. 24.*

*Eccl. 26.*

*Iob 37.*

*L Misericordia est quoddā graue cecidit de cælo. Mat. 23*

ſumus dum naſceretur, niſi adſit, & miſericordia ſpecialis nos conſeruans, & dirigens in operibus noſtris, quæ petenda eſt à Domino cum Pſ. dicendo: Veſpertina oratio aſcendat ad te Domine, & deſcendat ſuper nos miſericordia tua. Maxime autem habebitur medio virginis, quæ regit ad nutum patrem miſericordiarum. Igitur non amplius curatis, nec portetis argentum veſtrum ad loca dubiorum miraculorum, ſed venite ad iſtã ciuitatẽ Dei, in qua inuenietis omnia neceſſaria animabus veſtris. Et ſi quæras an terra & mari illuc importat, ſint bona.

Nota. Pſalm. 2.

Dicitur quod ſic. Primo de mari, *quia ipſe ſuper maria fundauit eam*, id eſt ſuper amaros corde & contritos. Secundo de terra, quia fundamenta eius in montibus ſanctis, id eſt in viris perfectis, quia vtrique ei ſeruire habent, & pœnitentes, & perfecti, vt pœnitentes gratiam iuſti conſolationem inde recipiant.

## *DE S. ADRIANO SER. VNIcum, & in ordine LVIII. Per Thema.*

Phil 1.

MIhi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Secũdum Guiliel. Pariſ. parte prima de virtutibus credendum eſt ſanis, oculis de coloribus, & ſanis palatis de ſaporibus. Qui enim neſciunt bene vinorum differentias & qualitates cognoſcere, in hoc credunt probatoribus ſiue courretarijs, qui guſtu optime nouerunt diſcernere. Ideo ſanctorum virorum, qui optime ſaporant, & melius vident cæleſtia & æterna quam nos, ſtandum eſt iudicio, & ſecundum eorum taxationẽ vinũ iſtud gloriæ emere debemus. Et quia dicunt delectationes & delitias carnis, & mundi eſſe abominationes mortiferas, ideo eis credendum eſt, & non corruptis guſtibus, qui iam computruerunt in iſtis vilibus concupiſcentijs. Hoc enim maxime ſciuit diſcernere Adrianus, qui contempſit terrenas diuitias & delitias, & ſanguine ſuo ſibi cæleſtia regna comparauit. Hoc enim fuit eius decretum, quod tanti pretij dignum erat cęleſte regnum. Hoc enim indicauit vxor eius, quæ volebat, vt hæc, imo maiora pateretur pro eo obtinendo. Ideo non miremur, neque iraſcamur, ſi multas habeamus tribulationes, quoniam eorum iudicio, qui iam æternum regnũ lucrati ſunt, talibus mercatur, & acquiritur ipſum regnum. Et ſicut idem Guil. loco allegato ait: non ſunt interrogandi, qui in periculis ſubmerſi ſunt, ſed qui inde euaſerunt. Ideo non oportet eorum ſequi dicta & reſponſa, qui in delitijs viuunt, & ducunt in bonis dies ſuos, quia tales ſubmerguntur in eis, ſed illos interrogare oportet, qui euaſerunt, vt B. Adrianum, qui in delitijs delicate nutritus, euaſit illud periculum per tribulationes & martyrium. Et ideo communiter in hac die habebitis ſermonem, vt animari poſſitis ad peragendam viam huius miſeriæ, taliter vt Chriſtum lucrari valeatis. Vnde Chryſoſt. in Hom. Sicut tubicina commiſſo bello pugnantem exercitum circuit, & bellicos cantus tuba cauens, milites animat ad virtutem, ſic exponens ſacerdos in populo fortiſſimorum Martyrum glorioſa certamina, & inenarrabiles regni cæleſtis coronas innocentibus præparatas, Chriſtianum populum ad virtutem vehementer accendit. Vt igitur B. Adriani poſſimus dicere bene geſta, ad Mariam recurramus dicentes: Aue gratia plena, &c.

*A Sanctorum iudicio de delitijs mundi amplectendum eſt.*

In hoc præſenti ſermone duo iuxta thema dicentur, primo quomodo Adrianus in vita ſua lucratus eſt Chriſtum. Secundo quomodo in morte. Primo modo bene viuendo, ſecundo bene moriendo. Pro prima parte notandum quod (vt recitat eius legenda) adueniens Maximianus Cęſar Nichomediam edicto regio iubet Chriſtianos dijs thura dare. Renuunt multi Chriſtiani, quorum viginti tres inuenti ſunt, qui ad tormenta dati primo neruis crudis, ſecundo fuſtibus cæſi, tandem, vt interrogatio fieret in carcerem, ſunt retruſi. Sed hic oritur quæſtio vnde procedebat, quod Imperatores, & tyrãni

promptiores erāt ad hoc, vt idola sua colerentur, & seruitium eis impenderetur, ita, vt facerent edicta criminalia, Christiani vero principes hoc non faciunt, ita vt isti tyrāni magis sint deuoti falsis dijs quā nos vero Deo. Ad huius dicitur primo quod hæc edicta criminalia potuerūt facere imperatores Romani moti tribus occasionibus. Prima potuit esse, quia Aristo. 5. politicæ inter tyrannorum cautelas vnam posuit, quod mos eorum est se ostendere cultores, & protectores esse deorum, vt cum subditos affligunt, rebellare non audeant, videntes eos à diis protectos, & eis deuotos. Et quia Diocletianus, & Maximianus erant populum affligentes saltem christianum, & confiscantes eorum bona, & ea suis satellitibus condonantes, ideo ita prompti erant ad prædicta edicta facienda. Secunda occasio potuit esse quia isti imperatores sic instructi erant à iuuentute sua, & singulariter in legibus datis à suis prædecessoribus & à senatu contra christianos quas credebant esse iustissimas, ideo eis vtebantur quasi iustis. In quo ostenditur quod nō nimis innitendum est textui legū, sed magis rationi recte determinanti legem. Inde est quod Plutarchus apud Traianum (vt recitat Policraticus.) fecit legem in christianos datam moderari, & forte (vt dicit) eam totaliter Traianus abstulisset, si non fuissent leges datę à senatu, & à prædecessoribus suis. Difficile est enim ea quæ à prædecessoribus, & à iuuentute suscepta sunt, & impressa dediscere, ac dimittere. Tertia occasio potuit esse, quia tales imperatores à suis familiaribus, & adulatoribus in illo errore fouebantur, quod dij protectores erāt Romani imperij. Et quia Christiani blasphemabant illos deos tanquam simulachra, & opera manuū hominū, ideo persequentes christianos arbitrabantur obsequium se præstare Deo, vbi præstabant Diabolo. Hanc autem persecutionē sub titulo bonæ fidei permittebat fieri Deus propter duo. Primo ad condemnandum principes huius sæculi, qui quotidie videntur blasphemare nomē Domini, nec inde fit iustitia iuxta illud: *Dominatores eius inique agunt, tota die nomen meum blasphematur,* cum tamē infideles hæc ex magna deuotione dijs suis exhibuerint. Vnde vt dicit Chrisostomus, Diocletianus, & Maximianus erant duæ alæ diaboli, quæ portabāt dęmonem suis edictis per vniuersum mundum etiam voluntarie, & nunc principes, & potentes Deum, & iugum eius leue reijciunt, non curantes de Deo, neque de eius lege seruanda in populo. Secundo ad condemnandum communem populum seu plebem. Nam tunc tēporis plebs cōminata pœnis trāsitorijs, vt plurimum obediebat principibus sæculi ad suum maximum, & periculosissimū exterminiū, vt colerent deos falsos, nūc comminata æternis supplicijs vix aurē probet, vt audiat legem Domini nec aliquid secundū eā agere curat. Propter hoc bene dixit Dominus. *Filij huius sæculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt,* hoc est prudentius & instātius agūt mali, quę sunt diaboli, quā boni quę sunt Dei. Cum autē interrogarētur Christiani, vidēs Adrianus eorum constantiā in tortura, & in interrogatione, ab eis requisiuit, quod erat præmium quod expectabant propter quod tanta sustinebant. Responderunt martyres, quod non possunt excogitare promissiones cœlestes quas promisit Deus diligētibus se & pro se patientibus. Vnde Guil. parisien. parte prima de virtutibus. Torpor noster pusillanimitas, & tepiditas excitantur, animantur, roborantur, accenduntur magnificentia diuinarum promissionū. Hinc Ps. ait: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem.* Quemadmodum enim quondam populum hebræorū allexit, & attraxit ad cultum suū Deus promissionibus temporalium, & contrarijs comminationibus ab idololatria auertit, & ab alijs malis, sic & populum euangelicū alliciendum, & attrahēdum duxit promissionibus æternorum,

Margin notes: B Imperatores Romani vnde sic mouebātur ad cultum idolorū fouendū. — C Nota. — Esai. 52. — Luc. 16. — Ps. 118.

norum, vt quos Dei amor honor, & bonitas ad ipsius cultum per seipsos gratis non inducerent, saltẽ magnificentia promissionum cęlestium alliceret, & quodámodo mercaretur. Deinde petijt ab eis Adrianus, si quid in scripturis legeretur de his promissionibus. Responderunt sancti martyres quomodo sic, quia dicebat Esaias, & etiam Paulus: *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se*. Tribus enim vlnis maximis voluerat Paulus mensurare illam gloriam cœlestẽ, in qua quasi in transitu fuerat, sed indicauit hoc non posse fieri dicens, nec oculus vidit, &c. Oculus enim est vlna lata quę vsque ad cælum ipsum videndo se protendit, auris latior, quæ etiam vsque ad paradisum, & infernum de ipsis audiendo se extẽdit, sed cor latissima vlna est quasi abyssus, iuxta illud: *Prauum est cor hominis, & inscrutabile*, & tamen Paulus his tribus vlnis mensurare non pôtuit illam gloriam. Tunc Adrianus ait quæstoribus, & satellitibus Imperatorum. Annotate etiam, & mecum illis, quia Christanus ego sum.

*Esai. 54* *1. Cor. 2* *Hier. 17*

D *Conuersus est Adrianus, & non alij quare hoc.* Circa hoc quæritur quare Adrianus citius fuit conuersus quam alij plurimi ibidem astantes. Dicitur, quod triplex potuit esse occasio. Prima & principalis fuit voluntas diuina quæ eum ad se trahere volebat. Vnde Ansel. 1. cur Deus homo sicut filius dixit de patre, nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum, ita dicere potuit nemo currit ad mortem propter nomen meum, nisi pater traxerit aut impulerit eum. Secunda occasio potuit esse sanctitas, & oratio suæ vxoris Nathaliæ, iuxta illud: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem*. Bonum enim est viro cú bonam vxorem, & Deo deuotam habet, quia quandoque precibus eius saluatur, & custoditur. *Qui inuenit mulierem bonam inuenit bonum, & hauriet iucunditatem a Domino*. Quandoque tamen vir est ita duri capitis, quod nihil vult propter bonæ mulieris monitionem agere, sicut patet de Abigail & Nabal. Et quia forte mulieres superbire possent, dicentes quod fuerunt causa conuersionis B. Adriani, & non viri, ideo tertia occasio potuit esse meritum illorum sanctorum martyrum, qui eum conuerterunt, & sua doctrina, & sua constantia, sicut Stephanus sua patientia meritis, & oratione meruit Paulum, & Paulus dicebat. *Fratres mei charissimi, & desideratissimi gaudium meum, & corona*, id est per quos in præsenti lætificabor & coronabor in futuro. *Quæ est enim spes mea, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos estis ante Dominum*. Et in hoc docemur, quod tot quot bonis monitionibus ad bonum conuertemus, tot lapides in corona paradisi, tot augmenta habebimus. Tunc autem facta est relatio Imperatori de Adriano, qui post constantem eius responsionem ad Imperatoris verba vinctus missus est in carcerem.

*1. Cor. 7* *Prou. 18* *1. Reg. 25* *Phil. 4.* *1. Thes. 2*

Circa hoc quæritur cum nemo repente fiat summus, vt inquit Hier. quomodo potuit fieri, quod iste iuuenis Adrianus nondum baptismi lauachro renatus fuerit subito, ita perfectus, vt faceret quod multi Christiani dudum baptizati, & qui studuerunt per multa tẽpora in fide Catholica, facere non sunt ausi. Dicitur ad hoc primo, quod virtus Dei nõ est alligata sacramentis, vt non possit ex speciali gratia alicui dare maiorẽ gratiã ante baptismũ quã faceret in baptismo. Et ideo huic habenti bonũ in inuentione, non est mirũ si data est gratia maior Gratia enim data in baptismo (vt dicit Guil. Paris.) nõ sufficit ad heurtandum vel pugnandum contra principes & rectores tenebrarum harum, ad audacter confitendum nomẽ Domini, sed cum hoc requirũtur cornua iusti, quæ dantur per gratiam confirmationis, ideo simul habuit eas in conuersione sua B. Adrianus. Dicitur secundo, quod sicut dicitur: *Spiritus vbi vult spirat*, & subito facit mirabiles operationes, sicut patet cum spirauit in virginẽ, & tunc subito fecit ibi mirabile opus incarnationis, quãdo irruebat spiritus Dñi in Sanso-nem

*E Nota.* *Ioan. 3.* *Iud.*

nem, opera mirabilia & humanum posse transcendentia faciebat, vt ibidem patet ad longum. Sic dum spiritus Domini irruit in Adrianum, non est mirabile si arduũ opus aggressus est, quod eo doctiores & antiquiores non ausi sunt aggredi. Dicitur tertio quod aliter Deus facit suos magistros, aliter mundus, quia mundus sic operatur in eos, vt paulatim deducantur ad perfectionem, sed Deus subito operatur qui magister est & operarius supremus, qui simul omnia docet & subito. Hinc Gregorius, nulla in discendo mora est, vbi Spiritus sanctus doctor est.

F Boni & mali cõtinuo pugnãt inuicem.

Sed iterum oritur quæstio. Quid enim est hoc immediate quod Adrianus conuersus est, illico accersitur & in carcerem mittitur. Ad hoc respondetur quod hoc factum est ad ostendendum quod sit continua inter bonos & malos pugna, ita vt vix sit momentũ vnũ, in quo vel mali non impugnent bonos, vel è contra boni malos, sed multũ differenter. Primo quia sicut dicit Augu. in Epist. ad Vincentium Donatistam, & scribitur in decretis. 23. q. 4. Mali persequuntur bonos per iniustitiam, boni consulendo per disciplinam, illi inaniter, isti temperanter, illi sæuientes cupiditate, isti charitate. Nam qui trucidat, non considerat quemadmodum secet, qui autem curat, hoc considerat quẽadmodũ secet. Ille enim persequitur sanitatem, iste putredinem. Occiderũt impij prophetas, occiderunt & impios prophetæ, flagellauerunt Iudæi Christũ, flagellauit & Christus Iudæos, traditi sunt Apostoli ab hominibus humanę potestati, tradiderunt Apostoli homines potestati sathanę. Et sic patet quod sancti persequuntur malos intendendo eos curare sicut Cirurgicus quando curat plagam, sed mali hoc faciunt intentione lædendi, vt patuit in Martyribus. Secundo differẽter persequuntur, quia dum mali persequũtur, patientia Sanctorum vincũtur, sic Sancti vincunt. Vnde Ambr. lib. 1. officijs. c. 19. Sancti Martyres erant insuperabiles præsentibus eorum aduersarijs, quemadmodum Daniel circa latera sua rugientes non expauit leones. Nam fremebant bestiæ, & ille epulabatur. Sic isti sancti Martyres gaudebant in tormẽtis durissimis & minis, quando tyranni stridebant dentibus in eos. In quo reprehendendi sunt qui mala de multis in occulto dicunt, & afferunt se etiam ea dicturos in pręsentia eorum, & tamen cum præsentes sunt silent, similes ranis coaxantibus, quæ silent approximante aliquo. Non sic Martyres qui erant ita constantes in præsentia tyrannorum sicut in absentia. Deinde accurrẽs quidam de seruis Adriani nunciauit vxori eius quod Adrianus vinctus esset. At illa tunc exuit vestes iucunditatis lugens maritum suũ. Sed audito quod Christianus esset, priora vestimenta resumpsit. Non sic faciũt mulieres modernæ, quarum si mariti susceperint officium regium statim lætantur, superbiunt, & statum mutant, & tamen mariti eorum incarcerantur. Patet quia tunc non audent loqui, nec os aperire ad faciendum iudicium & iustitiam iniuriã patientibus, nisi forte ad voluntatẽ Principum & eorum qui sic ligauerunt eos, id est qui in officijs illis eos posuerunt. Deberes enim, tu mulier, habens talem maritum, flere tunc & lachrymari. Non credis Pilatum incarceratum fuisse, quando non est ausus dimittere Christum præ timore Cæsaris? Sic non credis maritũ tuũ incarceratum, quando non audet Innocentem liberare timore Principis? Sed audito quod ipse verum protulit iudicium, & liberauit pauperem ab inopia, & propter illum pulcherrimum ictum iustitiæ quem fecit deponitur, tũc ponitur extra carcerem, tunc habet liberam vocem, & tunc debes lætari. Tunc ad carcerem cucurrit Nathalia, & consolata est verbis virum suum, & ille patientissime audiebat ad ostendendum quod in aduersitate debet mulier virum suum consolari, nec debet eum dimittere. Vir autem eius debet cum lætitia consolationem eius recipere,

Nota.

cipere, & si quæ bona ipsa mulier conceperit, debet illa patienter audire. Exemplum habemus de Placela in historia tripartita lib.9.ca.31. quæ docebat, & consolabatur virum suum Theodosium Imperatorem, contra aliquos, qui ita male gratiosi sunt, vt etiam eorum fœminæ nec vnum verbum coram eis proferre ausæ sint. Vix tales visitarentur in carcere, vix in tali aduersitate patientiam haberent, quando in prosperitate non habent. In secunda parte sermonis dicendum est de martyrio Adriani. Quia enim Adrianus suæ vxori promiserat, quod cum deberet interrogari, & dies adesset martirij illud reuelaret vxori, ideo cum fide iussione sanctorum rediit domum suam. Sed illa clausit ostium, clamans illud: Luc. *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Sic multi intrant religionem cum summa deuotione, qui postea nihil de religionis obseruantijs faciunt. Aliqui etiam gradus Ecclesiasticos suscipiunt continentiam deuouentes, qui tamen e postea gulæ, & impudicitijs famulãtur. Alij statum matrimonij, qui postea sibi sunt infideles, & contra se inuicem continue rixantur. Redeuntibus autem ambobus ad carcerem, quæsiuit Adrianus vxori si de bonis domus suæ disposuerat. At illa respondit. Noli plus solicitari de his terrenis, contemne omnia ista propter Christum. Ac si dicat, maius tibi instat prælium, quia contra rectores, & principes tenebrarum harum, vt inquit Apostolus: *Non est vobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus rectores*, &c. Sed modo vt inquit Chriso. super epistola heb. omel.5. nunc est bellum pecuniarum, inuidiæ, & aliarum passionum. Vix enim tales paterentur pro Christo resistentes principibus, & tyrannis, quando non possunt resistere aut carni aut mundo. Ista enim est prima pugna subijcere carnem, & mundum. Deinde ambo simul iuerunt ad carcerem. Illa vero osculabatur catenas sanctorum tergẽs eorum vulnera. Deinde ductus est Adrianus

Luc. 14.

Ephes. 6.

portans eculeum suum sicut & Christus pro ipso crucẽ portauit. Vnde & Ansel. 2. cur Deus homo, dedit Dominus exemplum, vt vnusquisque quod aliquando amissurus erat incunctanter pro seipso reddere Deo cum ratio postulat, non dubitet. Qui cum nullatenus aut pro se indigeret, aut cogeretur pro alijs, quibus nihil nisi pœnam debebat, tã prætiosam vitam, imo seipsum, tantam scilicet personam tanta voluntate dedit. Tunc ad quæstionem ponitur Adrianus, & cum interrogaretur, dure & constanter respondebat Imperatori. Circa hoc quæritur vtrum liceat regem vel Imperatorẽ deficientem duris aggredi sermonibus. Et videtur, quod non quia Christus in passione sua principes, qui maxime deficiebant, non dure increpabat, sed magis tacebat. Multo magis igitur tacere debuissent martyres in tormentis positi tanquam veri Christi imitatores, quam eos verbis duris aggredi. Probatur in histor. tripart li.10.c.15. propter hoc multũ videtur culpatus Ioãnes Chrysostomus. Ibi enim dicitur de ipso. Cum oporteret Principes verbo supplicationis deflectere, non fecit, sed impetu sui vsus est eloquij, propter quod missus est in exilium. Ad hoc respondentes ponamus talẽ propositionem primã. In negocijs communibus. Principes potius debent aggredi dulcibus verbis cum affabilitate quã rigidis, & duris sermonibus. Patet, quia tales Principes ex bono vino nutriuntur, ideo calidi sunt à natura colerici, & ex natura sua vehementer iracundi. Ignis autem velociter ignem alium accẽdit, ideo verba dura, & increpatoria eis dicere nõ est aliud, quam igne ignẽ accendere. Vnde in cithara ad faciendũ suauẽ armoniam melius est cum dulcedine, & temperãtia, & moderamine trahere cordã, quã cito, & rigide, ne frangatur. Sic melius est trahere Principes dulcedine, quam rigore, ne frangãtur per iram. Sunt enim vt cõmunius, Principes alti animi, & qui dedignantur reprehendi, ideo bene eos congruit

H Principes an sint dure arguẽdi dum male agunt.

 gruit

Prou. 25 gruit dulciter alioqui: *Patientia lenietur Princeps, & lingua mollis confringet duritiam,* Prou. 15 Et iterum: *responsio mollis frāgit iram, sermo durus suscitat furorem.* Secunda propositio. In negotio fidei vbi Princeps erraret, vel aliquid ageret in blasphemiā creatoris vel etiam magnis criminibus esset obnoxius, & maxime reipublicæ damnosis, nec dulci monitione corriperetur, posset à reuerendis, & sanctis viris, & bene famatis cum moderamine satis duris aggredi verbis, ostendendo ei terribilia iudicia Dei. Sic fecit Bernardus comiti Aquitanensi nomine Guillermo, qui postea factus est sanctus vir & religionis ædificator. Sic fecit Ambro. Theodosio magno. Sic Marius Episcopus Calcedonensis Iuliano Apostatæ. Publice enim appellauit eum Apostatam. Cui cum diceret Iulianus, tuus galileus curare te nō potest, respōdit Marius. Bene mihi fecit Deus, vt te non videam pietate nudatū. Act. 23 Sic etiam Paulus arguit principem sacerdotum dicens: *Percutiet te Deus paries dealbate,* id est, hypocrita. Sperādum enim est quod ob reuerentiam talium virorum & etiam terrorem, quod princeps suscipiat eorum verba & postea digerat in seipso, & consideret vitam suam quantum distat à vita reprehendentium ipsum. Tertia propositio, cognoscentibus Marc. 6 principis complexionem & conditionem, licet aliquando pro loco & tempore dure increpare eum, vt fecit Ioannes baptista dure arguendo Herodē, vt etiam fecit quidam miles in Octauianū Augustum, de quo Policraticus lib. 1. Augusto tympanizante in cæna à quodam milite probrose dictum est. Vides ne vt cinedus orbem digito temperet. Cuius ille verbi percussus amaritudine, os manum & animum ab huius leuitate suspendit, habuitque semper gratiam exprobranti. Quarta propositio. Sancti martyres magna fide & iustitia dure arguerunt principes & tyrannos, & hoc propter duo. Primo quia Imperatores blasphemabant nomen Dei & opera eius in præsentia martyrum, propter quod & torquebantur. Blasphemantes autem dure debent increpari maxime vbi videntur obstinati. Ideo hoc fecerunt, ad dandum nobis exēplum, quod nec leuem Dei blasphemiam pati debeamus inultā. Secundo ad ostendendum eorum constantiam, ita vt eos aggrederentur verbis duris qui eos torquebāt asperis supplicijs. Inquit enim Chriso. super Mat. Talis est natura fidei, Nota. quanto vetatur, tanto magis accenditur. Propter quod & serui Dei in persecutionibus non vincuntur sed quanto magis afflicti fuerint, tanto amplius accenduntur. Hoc enim faciebat magna amoris flāma. Difficile quippe est ex magno igne accenso quin exeat fumus per caminum. Sic difficile erat, vt ignis charitatis & amoris accensus in corde Adriani à Spiritu sancto excogitatione beneficiorum Dei & remunerationis futuræ, & etiam in cordibus aliorū sanctorum martyrū, quin exiret per ora ipsorū. Et si aliquādo viderētur excedere in loquendo, hoc extinguebat charitas à qua procedebant verba ipsa. Erāt enim organum Spiritus Sancti, iuxta illud: *Nō enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.* Mat. 10 Tūc Adrianus duris tormentis est cruciatus ita vt pæne effunderentur viscera eius. Circa hoc quæritur quę fuerūt illa quæ sanctis martyribus tam patiēter portare fecerunt tot tormenta. Dicitur quod tria. Primū fuit amoris magnitudo quē ad Christum habuerunt: *Fortis est vt mors dilectio.* Cant. 8. Aug. omnia sæua & immania prorsus facilia & prope nulla facit amor. Vnde Ber. in Epistola quadam. Persequimini quantū vultis, charitas omnia suffert, charitas omnia sustinet. Sicut enim ait idem Ber. lib. de diligendo Deo. Quomodo stilla aquæ modica multo infusa vino deficere in se videtur tota, dū & saporē vini induit & colorē & quomodo ferrū ignitū candēs igni simillimū pristina propriaque exutū forma, & quomodo solis luce perfusus in candē trāsformatur luminis claritatem, adeo vt non tam illuminatus

*Margin notes:* 3 Martyres dure arguerūt principes propter duo. — K Martyres tria inflammabant ad ferenda tormēta quæcunque.

luminatus quam ipsum lumen videatur, sic omnem tūc in sanctis martyribus humanam affectionē transformatā in Deum quodammodo ineffabili credimus. Vnde Ambr. in Exameron dicit, quod apes præ amore pugnāt pro rege suo quantū possunt. Secundū fuit cōfidentia multa quā
Esai. 40. habebant de eo, à quo magnū adiutoriū receperunt. *Qui sperant in Domino mutabūt fortitudinē* Fortitudo enim Domini quodāmodo eorū est, dum eos iuuat Bern. Nil omnipotentiā verbi clariorē reddit quā quod omnipotentes facit Dominus qui in se sperant. Ideo fiducia in Deū martyres fortissimos fecit. Tertium fuit diuina consolatio quā recipiebant, quæ amaritudines tribulationū eis dulcorabat. Bern. Quid nō tēperabit dulcedo illa, quę mor
Phil. 4. tē quoque facit dulcissimā. *Omnia possum*, scilicet tolerare *in eo qui me confortat*, ita vt tormenta viderentur eis refrigeriū præstare & tyrannis incendia. Vnde Chrys. in Sermone de ascēsione Helyę. Vnus atque idem ignis voluntatē Heliæ faciebat, & hostibus minabatur incendia. Hoc Babylonius caminus edoceat, qui vno eodemq; momēto iustis refrigeria, iniustis vero mouebat incendia. Deinde cū reductus esset Adrianus in carcerē rogauit eū vxor, vt rogaret Dominū pro ea ne macularetur thorus eius alio viro, maxime infideli. Vide fidē quam hæc mulier seruabat Christo in conuertendo maritum suum & confortādo eum in fide. Vide fidem in thoro ad eū, quia quærit mori ne
Nota. separetur ab eo. Vide fidem ad proximū, sibi in necessitate succurrendo, quando sanctis martyribus ministrabat & eorum tergebat vulnera nutriendo eos. Quærebat Salomon mulierē fortem quis inueniet, sed ecce mulierem fortem quæ nec timet mortem, nec principes, nec eorum edicta. Mirabile est de istis mulieribus, quando aliquid ponūt in capite suo, non timent, neque ric, neque roc. Bene de ea
Prou. 31 scriptū est. *Confidit in ea cor viri sui*, qui cōfidebat precibus eius subleuari in tormētis. Per hoc autem quod mulieres habitu viri indutæ intrabant ad ministrandum martyribus, ostendebatur quod sicut exterius tales mulieres erant habitu virili ornatæ, sic interius erant habitu fortitudinis & spectante ad viros decoratæ. Faciunt autē aliquando mulieres quod non audent viri, & hæc erat pia deceptio qua sub habitu virili, id est, virtutis decipiebatur vulpes, id est Imperator vel lupus, qui nullam volebat eis humanitatem exhiberi. E conuerso alij credunt decipere Deum sub habitu simplicitatis, sicut hypocritæ & falsi mercatores, qui videntur optimi mercatores & tamen sunt vsurarij. Deinde assignata die adiudicatus est Adrianus, vt truncarentur eius membra. Dedit autem Nathalia pecuniam satellitibus, vt inciperent à viro suo, quod & fecerunt. Pedibus autem eius abscisis voluit Nathalia, vt etiam vna manus eius scinderetur, vt par fieret cæteris martyribus.

Quæritur ergo vtrum mulier licite possit cooperari ad mortem viri sui. Et videtur quod non, quia nefarium est mulierem consentire in mortem mariti sui, igitur à fortiori, & cooperari. Ad hoc dicitur primo quod mulieri non licet per malignas operationes, aut venena, aut sortilegia, aut accusationes, aut alias huiusmodi malitiosas inuentiones procurare mortem mariti sui aut cooperari aut consentire, sicut faciunt multæ mulieres propter suas concupiscentias & vehementissimos ardores. Secundo dicitur quod licitum est mulieri animare & consolari maritum suum, vbi sibi occurrit necessitas mortis, & maxime vbi imminet mors gloriosa pro Christo ad honorem & vtilitatem viri sui, & vbi opportunitas esset martyrij, vbi vir eius raperetur ad tormenta gaudere de eius constātia & virtute. Hoc enim est materiam virtutis sibi optare, sicut fecit Nathalia. Primo consolando eum & benedicendo ei. Secundo animando eum per intimationem pœnarum æternarum debitarum idololatris vel his qui à vita in-

Cooperari morti alterius an liceat.

cepta retrocedebant, & etiam præmiorũ consequentium vere patientes. Tertio apertisſime desiderando ſibi maiorem coronam, quando voluit vt abſcinderetur manus eius. Nec hoc fecit ex malignitate ſed ex charitate magis, vt in merito patientiæ par eſſet alijs martyribus. Nec etiam hoc fecit ſicut multæ ſtultæ mulieres faciunt quæ mortes virorum ſuorum optant vt iungantur alijs. Nam petijt ab Adriano vt rogaret Dominum vt citius conuolaret ad Dominum, & ne alius macularet thorum eius. Vnde volebat Nathalia facere Adriano, ſicut homines equo locatõ, de quo Chryſoſt. Ecce (inquit) ſi mutuo acceperis equum, nonne aſsidue operaris opus tuum in illum dicẽs apud te, cras tollendus eſt à me. Sic videns Nathalia corpus Adriani ſibi ad tempus locatũ, & quod pro modico tẽpore habiturus erat ipſum, noluit vt bene ſibi famularetur & lucraretur expenſas ſuas in æternum. Inde docemur quod quamdiu habemus equum, id eſt corpus noſtrum, quod nobis locatum eſt ad tempus præſentis vitæ. *Equi eorum caro*, debemus ſemper ipſum exerceri in bonis operibus. Chryſoſto. In corruptibili vaſculo quare non vteris ad vtilitatem animæ tuæ, ſciẽs quia poſtmodum tollendum eſt à te, quia non eſt tuum. Magna inſania odire quod noſtrum eſt, & amare quod non eſt noſtrũ, ſtudere ſeruare quod nõ poſſumus, & negligere quod in æternũ habebimus.

*Nota ſimilitudinem*

*Eſai. 31.*

*IN FESTO EXALTATIONIS ſanctæ Crucis, Serm. I. & in ord. LIX. Per Thema.*

*Gal. 6.*

*Crux eſt cathedra ſummi magiſtri Chriſti*

*Eccl. 23.*

M*ihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Non eſt mirabile ſi gloriaretur Paulus, quia vt dicitur Eccl. *Magna eſt gloria ſequi Dominum.* Vbicunque rex eſt, magna gloria eſt ſequi ipſum, ſiue in domo, ſiue in Eccleſia, ſiue in palatio, ſiue in vico, & ſi magna eſt gloria ſequi ipſum, adhuc maior eſt eſſe in loco, & ſede, & cathedra ipſius. Ideo quia Paulus iã mille afflictionibus, mille crucibus afflictus videbat ſe eſſe in cathedra ſummi magiſtri, ſcilicet in cruce ipſe qui doctor erat Gentium, nullam aliam reputabat gloriam, vt diceret: Mihi abſit gloriari, &c. Quod autem crux ſit cathedra magni magiſtri Chriſti patet. Primo qui in ea diſputauit. Primo cum patre dicẽs: Deus meus, vt quid dereliquiſti me. Ac ſi diceret: *In te ſperauerunt patres noſtri. In te ſperauerunt & liberaſti eos.* In te autem Domine ſperaui, & ſecundum Pſ. *Non derelinquis ſperantes in te Domine.* Vt quid ergo me dereliquiſti? Secundo diſputauit contra populum ſuum dicens: Popule meus quid feci tibi, aut in quo contriſtaui te? Quia enim eduxi te de terra Ægypti de domo ſeruitutis, ecce paraſti crucem Saluatori tuo. Sic contra populum Chriſtianum diſputauit dicens. Ego eduxi te de ſeruitute diaboli, vt eſſes populus meus. Sed ecce nunc te ſubjicis per voluptates & carnalia deſideria inimico & aduerſario, & ſic quantũ eſt in te rurſum me crucifigis. Secundo in cruce legit lectionem miſericordiæ, quæ ſecreta erat, & occulta clamante genere humano. *Vſquequo Domine continebis in ira miſericordias tuas.* Sed ecce fons miſericordiæ apertus in cathedra crucis de cruce clamat: *Pater ignoſce illis.* Ibi enim reuelauit abſcondita à conſtitutione mundi. Nam ab origine mundi clauſus erat paradiſus, ſed in cruce ſummus magiſter aperuit illud ſecretum, quando latroni dixit hodie, mecum eris in paradiſo. Clauſit autem librum veteris teſtamenti, vt legeret in nouo, cũ dixit: conſummatum eſt, vetus ſcilicet teſtamentum, & tunc in nouo cæpit legere, & oſtendere in perſona Ioannis diſcipulo Chriſtiano adhuc ignoranti patrem & matrem. Partem miſericordiarum oſtendit cum ſpiritum patri commendauit. Sed matrem diſcipulo, cum dicit Euangeliſta. Deinde dicit diſcipulo, ecce mater tua, illam ergo matrem cognoſcamus, quoniam hoc docuit Chriſtus, & illam ſalutemus dicentes: Aue gratia.

*Pſal. 21.*

*Pſal. 76*

*Luc. 23.*

Quæritur

B *Paulus in Cruce gloriabatur tribus modis.*

Quæritur quomodo in cruce poterimus gloriari. Est enim crux locus abiectionis, egestatis, & totius confusionis. Quomodo ergo in ea est gloria Christiani, gloria Pauli. Quæ enim gloria est affligi, abjici, confundi, ac depauperari? Respondetur quod Paulus tribus modis in cruce gloriabatur. Primo in crucis afflictione. Inde ait: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* (2 Cor. 12) Non sic carnales, qui gloriantur in carnis voluptate, quorum Deus venter est, & gloria eorum in confusionem, qui terrena sapiunt. Secundo in carnis decore, quæ est modica gloria, quia Esa. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos feni,* (Esai 40.) & Psal. *Mane floreat & transeat, vespere occidat, induret, & arescat.* (Psal. 89.) Tertio in carnis apparatu: Sed vt ait Poëta de cornice. Mouit cornicula risum furtiuis nudata coloribus. Secundo gloriabatur in crucis abiectione. Hinc dicebat: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo,* (Gal 6.) Sed non sic superbi, imo in honorum dignitate & generis nobilitate. *Omnis gloria eorum à partu, & ab vtero, & à conceptu,* (Osee 9.) Et tamen: *Omnis gloria impij stercus & vermis.* (1. Mac. 2) Tertio gloriatur in crucis paupertate. Sed non sic auari, qui confidunt in virtute sua, non Dei, & in multitudine diuitiarum suarum. Sed gloria eorum modica. Propterea Psal. *Ne timueris cum diues factus fuerit homo,* &c. (Psal. 48.) O vtinam vellemus tantum in cruce gloriari, quod vellemus cum Apostolo omnem aliam gloriam dedignari dicente, Mihi absit gloriari, &c. Dicitur secundo quod simpliciter non est gloria affligi, sed affligi pro Christo. Non enim dicit tantummodo Paulus, mihi absit gloriari nisi in cruce, sed in cruce Domini nostri Iesu Christi, non quia ipsa est crux, sed quia est Domini nostri Iesu Christi. Licet enim in cruce sit afflictio, tamen ibi inuenitur Christus, qui consolatur, ita quod Cor. *Sicut abundant passiones Christi in vobis, ita per Christum abundat consolatio vestra.* (2. Cor. 1) Et licet abjiciat, tamen ibi inuenitur Christus, qui est verus honor, imo iam non est vilitas in cruce. Postquam Christus ibi inuenitur, sed vera dignitas. Aqua enim riui cum influit in magnum fluuium, amittit nomen suum, nec fert nomen suum vsque ad mare. Et licet in cruce sit paupertas, ibi tamen Christus inuenitur, & sic in paupertate inuenitur thesaurus, abundantia, & fertilitas. Ideo, quia in cruce Paulus hęc tria inuenit, scilicet in afflictione crucis Christum consolantem, in abiectione, Christum honorantem, in paupertate Christum ditantem, ideo inuenit in cruce delectationem, honorem, & diuitias. Propterea non mirum si concludit, mihi absit gloriari, &c.

Iuxta thema duo dicentur. Primo quomodo per Christi crucem fugiamus mūdanam gloriam exemplo Heraclij, & deducendo historiam pro sermone primo & matutino. Secundo vero sermone, & pomeridiano dicemus de gloria & exaltatione crucis, & quomodo in ea est omnis gloria Christiani.

C *Gloria mūdi in quibus consistit.*

Igitur gloria mundi in quatuor consistit, potentia, sapientia, bonorum temporalium abundantia, & fama. Quidam enim gloriantur in potentia sua, quæ in duobus consistit, scilicet corporali fortitudine & multitudine subiecta. Sicut illi de quibus Sap. *Sit fortitudo nostra lex iniustitiæ.* (Sap. 2.) Isti per vim omnia obtinent, siue iure, siue iniuria. Exemplum de Annibale, qui propter potentiam & victorias superbiuit, adeo, vt nullus loqueretur ei nisi per medium & interpretem. *Sed non glorietur potens in potentia sua.* (Hier. 9. Iud. 1.) Arphaxat enim gloriabatur in curribus, & equitibus, & potentia sua, & statim à Nabuchodonosor superatus est in campo. Sic & Olofernes gloriabatur, sed cum tota potentia sua corporali & multitudine, à fragilitate mulieris circumuentus est & occisus. Nam & Psalm. teste. *Non saluatur rex per multam virtutem, & gygas non saluabitur in multitudine fortitudinis suæ.* (Psal. 32.) Vnde & Dauid postquam superbe numerauit populum. Displicuit Deo & statim punitus est grauiter huius gloriæ mundanæ (2 Reg. vlt.)

 pompam,

pompam, & virtutem ostendit Christus nihil esse hodierna die per virtutem sanctæ crucis. Nam anno Domini sexcentesimo decimo quinto, cum Cosdroe Rex Persarum acquireret sibi totum Orientem, & terram sanctam subiugaret, venit ad sepulchrum Domini, & territus aufugit cum toto exercitu, in punitionem Christianorum auferens partem crucis, quam B. Helena ibi seruandam reliquerat, & ita per virtutem sanctæ crucis ibidem existentis territus est. Nec mirum si terret hominum potentiam, quando & dæmonum terret exercitum dicente Propheta: *Pauebit Assur virga percussus*. Exemplum de Iuliano Apostata, quomodo etiam per signum crucis emisit dæmones, & fugauit, vt habetur in Historia tripartita lib. 6. cap. 1. Et si quæras quare territus est Cosdroe in acceptione sanctæ crucis. Respondetur quod non est mirabile si territus est, quia si quis vassallus paruæ potestatis contra regem, & virtutem eius dimicaret in improperium regis, non est mirabile si terreretur à magna eius potestate. Sed crux virtus Dei est secundum quod dicit Paulus: *Verbum crucis pereuntibus stultitia est, his autem, qui salui fiunt, virtus Dei est*. Igitur agens contra honorem crucis, quæ erat virtus Dei, non est mirum si à virtute angelica territus est. Quod autem crux sit virtus Dei, patet quinque modis. Primo, quia in cruce diabolum vicit, & hominem ab illius potestate liberauit, & mortem destruxit. Quod infirmum est Dei fortius est hominibus. Secundo, quia per eam viri dei triũphauerũt patienter ferendo quæcũque tormenta, quod non fiebat sine magna virtute. Seneca enim teste, magni animi est iniurias in summa patientia pati. Vnde & quidam vir sanctus, dum lætus iret ad martyrium, requisiuit tyrãnus cur Christiani ita hilariter ibant ad mortem. Respondit, quia signaculum crucis erat in cordibus eorum impressum. Cui tyrannus. Quod ore profers inspectione probabo, fecitque sanctum secari per medium, & cor eius scindi, in quo impressionem crucis inuenit. Quo viso miraculo conuersus est tyrannus. Tertio quia per eam omnis benedictio virtutem habet. Chrysostomus. Nullus verecundetur crucem, circumferamus eam, vt coronã. Etenim omnia quæ secundum nos sunt, per crucem perficiuntur, regneratio, cõsecratio, &c. ita vt merito dicatur crux lignum benedictum: *Benedictum lignum per quod fit iustitia*. Ante enim passionem Christi signum crucis erat à Deo maledictũ, quia maledictus erat qui pendebat in ligno, hodie ita benedictum, vt sine ipso benedictio non fiat. Quarto per eam fiunt miracula, sicut hodie mortui suscitati sunt, paralitici curati, &c. Quinto quia valet eius memoria contra tentationes. Inde Origines. Tanta est virtus crucis, vt si mente fideliter habeatur, nulla peccati præualere possit inuidia, sed continuo ad memoriam eius totius peccati & mortis fugiet exercitus, nullus dæmonum prope stare poterit, videns gladium in quo deiectus est. Vnde ad modum medicinæ salubris multum valet ad salutem animæ acquirendam, & conseruandam, ac præseruandam contra pericula spiritualia, in signum cuius sicut medicina conficitur ex diuersis herbis, sic ipsa constabat ex diuersis lignis, hoc est quatuor, quæ designant quadruplicem eius efficaciam. Prima est quod fugat malas cogitationes, quod designatur in Cedro, quæ dicitur fugare serpentes. Sed præcipue contra cogitationes superbiæ & pomparum. Nam Cedrus quanto magis profundatur, tanto superius ramos extendit, sic quanto quis se amplius humiliauerit, tanto magis exaltabitur. Exemplo Christi qui in passione quanto reputatus est nouissimus, tanto gloriosius exaltatus est, & ideo bene crux eius erat de Cedro. Secunda efficacia quod in tribulatione constantiam præstat, quod designatur in cypresso, quæ nullius venti impulsu comam amittit, vt dicit Gloss. super illud Eccl. *Quasi cypressus in monte Syon*. Si enim conside-

Marginalia: Esai. 10. — 1. Cor. 1. — D Crux est virtus Dei. 1. Cor. 1. — Sap. 14. — E Crux ex quatuor lignis cõstabat significantibus quatuor eius virtutes. — Eccl. 24.

consideraverimus quantas tribulationes sustinuit Christus pro nobis in cruce, & quantum pondus, quia pæne infinitum scilicet omnia peccata nostra, quæ pertulit in corpore suo super lignum, tunc animabimur ad constantiam in tribulationibus nostris. Tertia est, quod amaritudinem pœnitentiæ nobis temperat, quod designatur in oliua, cuius liquor est cibi condimentum. Quarta est quod de hoste triumphat, & fugat ipsum, quod designatur in palma, vnde victores solent coronari. Habemus de hoc exemplum in beata Iustina, vt patet in legenda eius, quomodo per signum sanctæ crucis, non solum inferiores dæmones, sed etiam ipsum principem dæmonum, qui ministerio Cypriani cuiusdam magi ad eam inflammandam ad amorem vnius iuuenis missi fuerant, turpiter fugauit ac vicit. In his quatuor casibus signo crucis nos signare consueuimus, vel cum aliqua mala cogitatio insurgit, vel cum aliquod periculum subito emergit, vel cum dolor aliquis nos arripit, vel cum aliquod fantasma diaboli sensibus nostris se obiicit. Secundo quis gloriari solet in abundantia temporalium, vt illi de quibus Psalm.
Psal. 48. *In multitudine diuitiarum suarum gloriantur*, similes somnianti, qui gloriatur in celsitudine honorum, & dulcedine honorum, & dulcedine ciborum, de quo Esa.
Esai 29. *Sicut somniat esuriens, & comedit, cum autem expergefactus fuerit, vacua est anima eius.* Isti
Psal 65. sunt de quibus Psal. *Dormierunt somnum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Exemplum habetur in Cræso Rege Lydorum, qui gloriabatur in diuitijs, & fortuna, vt ait Herodotus, sed tandem in miseram seruitutem redactus est. Sic Cosdroe ita in abundantia rerum gloriabatur, quod se Deum existimauit, & tanquam Deum se coli fecit, ædificata turri auro & argento, & interlucentibus gemmis, vbi solis & lunæ, & stellarum imagines collocauerat, per subtiles, etiam & occultos meatus, & ductus quasi Deus aquas desuper infundens, & in supremo specu equi quadrigas trahentes in circuitu ibant, vt quasi turrim mouerent, & tonitruum simularent. In qua turri, vt ibidem sicut Deus coleretur residebat, adeo in insaniã versus erat. Vnde Poeta. Non est quod credere de se, non possit dijs æqua potestas. Nihil peius adulatore ad aures Principum. Licet enim aqua sit æqualis in omnibus suis partibus, tamen ventus flans facit eam inæqualem. Sic vẽtus adulationis inæqualitatem iustitiæ in regente. Sicut etiam equus scabiosus bene permittit quod vngatur, sed nõ quod strigiletur, sic mundani principes in suis statibus scabiosi, id est minus sani in moribus, bene patiuntur seungi verbis adulatoris, sed non corrigi verbis veritatis, ita vt sit verum quod dicit Seneca, cum principes omnia habeant, vnum tamen eis deest, qui verum dicat. Sed qui assistunt eis, communiter suis adulationibus sicut oleum præstat fomentum flammæ, sic ipsi irę principum. Et exinde procedit quod vt communis se non cognoscunt principes, & inde reputant se deos aut omnipotentes sicut deos, secundum illud Psal. *Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt*, & populum sibi subditum bestiam, ideo eo tanquam bestia vtuntur, propter quod odiosi fiunt populo. Ita Cosdroe filio suo ab Heraclio superato, neminem habuitde populo, qui ei intimaret exitũ belli, & sic in sua turri inuentus, nec credere volens, trucidatus est recepta cruce quę ibi erat cum eo honorifice collocata, quam cum multa veneratione Hierosolymam retulit Heraclius. Sed quęritur vtrũ cruci debeatur veneratio & adoratio. Videtur quod non, quia crux non est nisi lignum, sed lignum adorare esset idololatria, igitur. Ad hoc respondetur primo quod crux Christi potest intelligi, adorari dupliciter. Vno modo sic quod credatur quod in illo ligno sit aliquid diuinum vel spirituale, & sic illud esset idololatræ, nec hoc modo adorant Christiani lignum crucis. Sic enim adorabant Gentiles ligna & lapides, putantes
in e

[Right margin notes:]
F Adulatio quã mala sit.
Psal. 40
G Crux adoratur, vt memoriale crucifixi.
...... pides, piq

in eis esse aliquid diuinum propter responsa dæmonum. Alio modo in quantū memoriale, quia scilicet ipsa visa rememoramur crucifixi, & ideo ea præsente adoramus crucifixum, ac si præsens esset. Cū enim dicimus, ô crux aue spes vnica, nō loquimur illi ligno sed crucifixo, nec intendimus placere illi ligno, nec aliquid ab eo petere. Dico tamen secundo quod crux bene laudanda est etiam lignum illud, tanquam laudaretur arbor de fructu & benediceretur, & hoc modo canit Ecclesia. Sola fuisti digna portare talentum mundi. Dico tertio quod differētia est inter cruces communes & crucem Christi in qua pependit, quia cæteræ cruces cum non sunt in forma crucis non adorantur, quia nullo modo sunt memoriale Christi vel passionis eius, sed bene lignum sanctę crucis, quia illud lignum eo quod coniunctum fuit Christo rubricatū sanguine suo distinctius repræsentat Christum, & in eo debemus rememorari Christi, vt dicamus Domino. *Fac mecum signū in bonum, vt videat qui oderunt me & confundātur.* Tertio quis gloriatur in fama aut propter victoriam aut propter honorē. Sic Heraclius, & ideo cum pōposis vestibus intrare volens per portam qua transierat Dominus cum duceretur ad mortē, inuenit ianuas clausas & Angelū Dei de humilitate Christi, præmonentē. In quo ostendūtur duo. Primo quod pomposis & superbis clauditur ianua cælestis Hierusalem, quia habent felicitatem in hoc mundo. Quomodo intrabunt qui tot mutatoria habēt vestium & vasorū ad superbiam & pōpam, quando Heraclius nudus intrauit? Hoc ostendit exitus quod etiā oportet denudari à corpore, quando intramus in requiem, & tu credis intrare in requiē Paradisi cum superbia vestiū tuarum. Sicut ergo Nabuchodonosor, qui gloriabatur in pompa sua & exercitu, deiectus est à regno & cum feris habitauit sic isti deijciētur à regno glorię, & cū feris dęmonibus & reprobis erit habitatio eorū. Secundo quod non bene cedit superbis & pōposis

Psal. 85. (margin)

D Nota doctrinam. (margin)

Dan 4. (margin)

portare crucem Iesu. Quod & exēplo familiari & experientia videmus, quia datur minori crux feréda, & vix magni volunt portare. Aliqui tamen eam portant derisorie, vt isti Abbates sericum portantes, alij apparenter, vt illi monachi qui habitum gerunt, & ita est crux exterius, sed interius nihil crucis est nisi in habitu. Alij sunt qui gaudenter portant interius & exterius vt boni religiosi qui cū gaudio eam portant. In quo gradu erat Paulus, qui gloriabatur de opprobrio crucis. Inde Aug. super illud mihi absit gloriari. Vnde mundi Philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit, quod illi visum est stultitia, Apostolo factum est sapientia & gloria. *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs & in necessitatibus, in persecutionibus & in angustijs pro Christo.* Hinc est quod dicebat, mihi absit gloriari. Quarto gloriatur quis in sapientia sæculari, contra quos Hier. *Non glorietur sapiens in sapientia sua, sed in hoc glorietur qui gloriatur scire, & nosse me.* Sunt enim qui gloriātur, quando de fraude, & circūuentione proximorū loquūtur. *Sed nō est ista sapiētia desursum descendens*, sed terrena animalis, & diabolica, terrena quo ad auaros, animalis quo ad voluptuosos, diabolica quo ad dolosos. In hac sapiētia nō est gloriandū, quia contrariatur Dei sapientiæ. Fatuus autem esset ille, qui gloriaretur in sapientia vel potentia, qui infinitā haberet aduersum se sapientiam, vel potentiam. Sic fatuus est, qui gloriatur in sapientia mūdi. Sed quicquid sit, non est misericordia, non est veritas, non est scientia Dei in terra. *Sed scientia Dei despicitur, ideo maledictum, furtum, homicidiū mundauerunt.* Ex eius tamen defectu destructa est Hierusalem. *Propterea ductus est populus meus in captiuitatē, quia non habuit scientiam.* Sic Heraclius qui non permansit fixus in scientia Dei, postea seductus à Sergio Patriarcha Constātinopolitano in hæresim monochelitarum cecidit, qui dicunt tantum vnam esse naturam in Christo, & negauit Mariā Dei genitricem.

2. Cor. 12 (margin)

Hier. 9. (margin)

Iac. 3. (margin)

Osee 4. (margin)

Esai. 5. (margin)

SERM.

## SERM. II. DE EODEM ET IN in ordine LX. Per Them a præcedens.

SI arbor alicubi existens solita portare fructum aliquem, de nouo videretur portare contrarium, forte multi hæsitarent si esset eadem arbor vel alia. Nec mirum, quia à fructu cognoscitur
Matt 7. arbor. *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Lignum autem crucis solitum erat portare fructum corruptum, & maledictum. De
Deut. 21 quo Deut. *Maledictus omnis, quod pendet in ligno.* Sed de nouo portauit fructum to-
1 Pet 2. taliter contrarium, scilicet Christum. *Peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Quin igitur respicit ad fructum, non est mirum si vix cognoscat illam arborem, & si petat qualis est arbor. Petenti autem poterit responderi illud Prou.
Prou. 3. *Lignum vitæ est his, qui apprehenderis eam,* scilicet facientibus pœnitentiam, *& qui tenuerint eã beati,* qui perseuerauerint in eã. Crux autem potest dici lignũ vitæ multiplici ratione, primo ratione fructus, quia vitã pro fructu portat. Arbor enim ex fructu nomen accipit. Sic enim à piro dicitur pirus. Christus autẽ est vita, vt ipsemet testatur, & illum tulit, igitur conuenienter dicitur lignum vitæ. Secũdo ratione effectus, quia vitam non habentibus reddit. Contrariorum enim cõtrariæ sunt virtutes, & operationes, lignũ autem crucis, quando tulit Christum tulit fructum contrariũ solito fructui, ideo ex tunc habuit cõtrariam virtutẽ, & operationem. Propter quod sicut prius ratione fructus soliti corrupti virtutẽ habuit corrigendi, & mutãdi vitam in mortem, sic ex quo pertulit vitam Christum virtutem habuit viuificandi, & reducẽdi de morte ad vitã. Tertio, quia toti mũdo recuperat vitã. Qui enim plus reddit, quã sustulit, & copiosius emendat, quã sustulit, iuste recuperat quod perdidit. Sed genus humanum per Christum plus reddidit, quam acceperit, quia pro pomo accepto de arbore reddidit fructũ Mariæ. Similiter copiosior fuit emenda, quã delictum, quia maior fuit charitas Christi, & obedientia se offerentis ad crucem, quam contẽptus, & cupiditas fructus vsurpati. Propter quod per crucem iuste recuperauit homo omnia, quæ perdiderat per eum. *Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum.* Quarto quia vitam conseruat. 1. Pet. 2.
Auis enim quãdo descẽdit, est in periculo ne capiatur visco, laqueo, sagitta, vel lapide, sed quando volat in cælum, nullum istorũ timet, & hoc quia se tenet in modum crucis extensione alarum capitis, & caudę. Sed crux Christi eleuat hominem à terra ne capiatur, aut visco carnalitatis, aut laqueo auaritiæ, aut sagitta vanæ gloriæ, ideo merito dicitur lignũ vitæ. Sic & Marię dicitur lignum vitę, quia vitã conseruauit, vitam non habentibus dedit, & vitam mundo communicauit, & vitã in vtero portauit. Ita Ioannes in Apoc. ex Apo. 22
vtraque parte fluminis vidit lignum vitę, quia ex nostra parte est crux, ex altera Maria. Et quia cõsuetudo est approbata, quod quando duo homines exhibuerunt alicui indigenti curialitatem, talis debet pro loco tempore, vicem rependere, & prout potest secundũ suum valorem pro loco, & tẽpore venerari, nunc autem ita est, quod per B. Virginem, & per crucem toti humano generi magna exhibentur beneficia, quia Maria portauit fructum vitæ in vtero, dicente Ecclesia, beata viscera Mariæ virginis, quæ portauerunt æterni Patris Filium, & crux portauit eum in supplicio, sicut eadem canit Ecclesia. Sola digna tu fuisti portare pretium sæculi. Quia vero nuper Ecclesia fecit festum de virginis natiuitate, ideo nunc debet facere festum de altera baiula Christi, scilicet de cruce. Vt igitur in his octauis B. Virginis de cruce possimus aliquid salutiferum dicere, recurremus ad ipsam virginem, quæ prius tulit fructum salutis, quam crux, &c.

*Crux potest dici lignum vitæ.*

In verbis propositis duæ gratiæ tanguntur in Paulo. Primo contemptus vanæ gloriæ. Secundo amor veræ gloriæ. Primum cum dicit, mihi absit gloriari.

Secun-

Secundum cum dicit, nisi in cruce Domini, &c. Hæ gratiæ commendantur omnibus fidelibus in duobus sacramentis, quæ eis dantur. Contemptus vanæ gloriæ in baptismo, cum renunciant diabolo, & pompis eius. Diabolus enim tanquam rex filiorum superbiæ pomposus est, Christus humilis, quibus dati sunt humiles, iuxta illud Psal. *Humiles spiritu saluabit.* Sed ad glorificationem crucis pertinet sacramentum confirmationis, in quo signum crucis fit in fronte. Vnde super verbum propositum dicit Gloss. Augustini. Noli erubescere de cruce Christi. Recole frontem tuam, ne linguam expauescas alienam. De qua cruce ne erubesceremus eam in ipsa frōte, id est in pudoris domicilio locauimus. Vanam autem gloriam mundi docet Paulus penitus abijcere cum dicit: *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi*, gloriam autem crucis persequi, cum dicit: *Mihi absit gloriari*, &c.

Psal. 34

Gal. 5.

Postquam dictum est quomodo per Christi crucem fugienda sit mundana gloria, nunc est dicendum quare sit Christiano gloriandum in cruce.

B Gloriandum est in cruce propter multa.

Itaque dicimus sex de causis esse nobis gloriandum in cruce. Prima causa est, quia rex gloriæ, qui in ea pependit, eam nobis gloriosam reddidit. Sicut enim sanctus sanctorum suo contactu eam reddidit sanctam, sic rex gloriæ suo contactu gloriosam dicente Ecclesia, arbor decora & fulgida, ornata regis purpura, electa digno stipite, tam sancta membra tangere. Vnde in liquoribus diuersarum naturarum si modicum liquoris vnius misceatur magnæ abundantiæ liquoris alterius, modicum vnius liquoris in naturam conuertitur dominantis, vt si gutta aquæ misceatur amphoræ vini. Sic gloria quam habet filius Dei, in quantum Deus tantæ est magnitudinis & maiestatis, quod à creatura aliqua comprehendi non potest. Si enim oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se, certum est quod tanta est gloria maiestatis fontis vitæ, & iucunditatis quam habet Christus in quantum Deus, quod ignominia quantacunque flagellorum, sputorum, & mortis crucis, non est nisi quædam gutta respectu abyssi gloriæ Dei. Ideo quando coniuncta fuerunt crux & gloria Dei, tota ignominia crucis in gloriam transiuit, vt dicat quilibet Christianus, mihi absit gloriari, nisi, &c. Ideo in die ramispalmarum communiter populus eam ornat floribus & ramis, quasi dicat: Hæc est gloria mea, mihi absit gloriari, &c.

C Christus merito triūphauit per lignum Crucis. Prou. 16

Secunda causa est, quia per patientiam ibi triumphauit de hoste. Patientia enim est virtuosissima, & triumphus eius nobilissimus, quia Prou. *Melior est patiens viro forti.* Ratio autem, quod in cruce voluerit triumphare, poterit esse quia pugiles, qui volunt pugnare, habent arma æqualia, vt patet in duellis, & quia diabolus per lignum procurauerat salutem generis humani, ita voluit filius Dei cum eo per lignum pugnare, vt qui in ligno vincebat in ligno quoque vinceretur. Et sicut illud lignum fuit in medio paradisi, ita tunc in medio mundi, scilicet in Hierusalem situm, nunc in medio Ecclesiæ, vt omnes possint apprehendere hunc fructum. Sed oportet ascendere, quod non faciunt multi. Diuites enim libenter comedunt fructus, sed nolunt ascendere arborem ad colligendum, & catus libenter comedit pisces, sed non vult ponere se in aqua ad piscandum. Sic diuites huius mundi bene desiderarent habere fructum crucis benedictum, sed nolunt mittere manum ad opus pœnitentiæ. Non sic mulier sapiens, de qua Prou. *Manum suam misit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum*, id est discretio Christum fusum in passione. Vnde Can. *Statura tua assimilata est palmæ.* Palmæ aspera est in cortice & alta, in altiori parte arboris inueniuntur fructus maturiores & dulciores, vbi fructus inferiores sunt acerbi & immaturi. Sic incipientes ascendere in hanc crucem amaritudinem inueniunt,

Prou 31

Cant. 7.

inueniunt, sed postmodum in cacumine existentes sentiunt dulcedinem, vt quilibet talium dicat tunc, fructus eius dulcis gutturi meo. Alij sunt qui velint, nolint, portant crucem & apprehenduntur ab ea, licet non capiant eam, in quorum persona dicit Psal. *Tribulatio & angustia inuenerunt me.* Hi sunt qui incidunt in angustiam mortis vel tribulationis, & afflictionem corporis inuoluntariam, & illam solam pœnam corporalem sentiunt. Non enim sentiunt nisi vbi viuunt, & ita solum sentiunt molestias corporis, sed animæ non sentiunt, quia in ea non viuunt, iuxta illud Ezech. *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* Et isti in cruce non recuperant vitam, quia sicut medicina quantumcunque efficax non iuuat nisi cooperetur natura, sic crux cuiuscunque afflictionis non reddit vitam animæ, nisi voluntas cooperetur. Exemplum de Antiocho Rege, qui infirmus erat corpore magnos corporis sustinens cruciatus, sed non est consecutus vitã animæ, quia non est cooperatus per verum propositum se emendandi, licet ita appareret. Dicitur enim ibidem. Orabat scelestus Dominum à quo non erat misericordiam consecuturus.

Psa. 114

Ezec. 18

2 Mac. 9

Et ideo sicut instrumenta militum per quæ habuerunt victoriam, in Ecclesijs ad memoriam, animationem, & reuerentiam ponuntur, sic instrumenta per quæ Christus triumphauit ad animandum nos vt pugnemus & toleremus, ad memorandum, vt compatiamur, ad reuertendum, vt auxiliemur. Propterea, sicut sacerdotes legis gladium, quo Dauid Golyam occidit in templo disposuerunt honeste iuxta Ephod inuoluentes, quid mirum si corona & crux Christi nunc mirifice ornantur & ponuntur in Ecclesia Dei, in signum etiam triumphi?

1. Re 21

Tertia causa, quia in cruce abstulit Dominus humani generis opprobrium. Nam quia diabolus per lignum vetitum vicerat hominem, ab homine in eodem est victus. Sicut enim illud erat lignum scientiæ boni & mali, sic istud lignum erat lignum in quo omnes thesauri scientiæ & sapientiæ sunt reconditi. Et ideo diabolus tanquam fur & latro qui furatus erat in primo ligno primũ Adam, in hoc ligno voluit furari secundum. Sed ibidem est acceptus in latrocinio & victus, sicut auis videns escam, hamo capitur occulto. Videbat enim humanitatem, sed non cognoscebat latentem diuinitatem.

Item sicut illud lignum erat causa mortis totius generis humani, ita istud causa durationis populi Christiani, ita vt Esa. promittatur: *Secundum dies ligni erunt dies populi mei,* hoc est quamdiu crux venerabitur, erit memoria semper populi Christiani. Vnde ibi Christus propter amorem suæ sponsæ Ecclesiæ fecit vnum magnum saltum de cælo in hunc mundum, & de mundo ad crucem. Sed nullus est qui nunc ad eam velit saltare propter honorem Christi. Similes sunt plurimi sponsæ illius, quæ (licet multum rogata) noluit tamen facere saltum pro marito suo. Sicut autem flumina in comparatione ad mare nihil sunt, nec mare redundat ab eis, sic nihil sunt opprobria in comparatione ad abyssalem fontem dulcedinis, ad quam tamen degustandam producunt, ideo in eis gloriandum.

Esa. 65.

Quarta causa gloriationis Christianorum est quia Dominus in cruce omnem mundanam gloriam deiecit, cum eã contemnẽdo eam contemni docuit, & crucis ignominiam tantum exaltauit, quod omnis gloria mundana ei cedit. Augustinus. Crux de pœnis latronum transit ad frontes Imperatorum. Quid faciet Deus fidelibus suis, qui tantum honorem dedit pœnis suis? Cum enim baiulans sibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locus, potuit dicere cruci illud quod dictum est Ios. *Hodie incipiã te exaltare coram omni Israel.* Debet quoque fidelis propterea benedicere Domino dicẽs:

Iosue 3.

Benedictus

Tob. 13 *Benedictus Dominus qui exaltauit eam, vt sit regnum in secula seculorum super eam, quia per eam intrauit Dominus in regnum æternum & regni eius non erit finis*. In quãtum Deus gloriam æternam habet hæreditario iure, sed in quantum homo per viam conquestæ & acquisitionis, sicut respondit Ber. dæmoni volenti eum inducere ad desperationem de gloria æterna habenda, suggerendo quod eam non meruisset. Vnde & ista deiectione Paulus animatus dicebat, mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, &c. Ego enim stigmata Domini mei Iesu in corpore meo porto. Erat enim liber notatus, erantque in eo signa militiæ quæ probabant ipsum esse verum militem. Vnde gloria mundi videbatur virere & esse vera gloria. Sed Christus eam siccauit ostendẽdo non esse veram gloriam. Nam

D Gloria mundi non est vera gloria. non est vera gloria quam aliquis habet apud inglorios, id est, malos, nec quæ de re ingloria est scilicet de vili corpore. Alioquin quis gloriaretur de verme &

1 Mac. 2 cadauere, sicut impius solet. *Gloria impij stercus & vermis*, & quæ parum duret.

Iob 20. *Gaudium hypocritæ ad instar puncti*, & quæ cito vertitur in ignominiam, comminante

Osee 4. Domino: *gloriam eorũ ignominiam cõmutabo*.

Ezec 17 Ideo Ezech. *Ego Dominus humiliaui lignũ sublime, & exaltaui lignũ humile, & siccaui lignũ viride & frõdere feci lignũ aridũ*, scilicet crucis mortuũ & vilis mortis instrumẽtũ factum est vitale & fructuosum ex quo in eo vita pependit. Inde canit Ecclesia. Nulla sylua talem profert fronde flore germine. Frondes referuntur ad doctrinam quam Christus nos in cruce docuit, flores ad virtutes quas in cruce commẽdauit, sed germen redemptio mundi & parturitio filiorum est. Vnde est virga Aaron frondens florens & fructum faciens simul. Ideo quasi palma exaltata

Eccl 24. est in cades hoc est in sancta Ecclesia fidelium & in memoria eorum. Quinta ratio, quia ibi dignitatẽ humanæ naturæ indicauit, vt Bernardus dicat. Mira quærentis Dei dignatio, magna dignitas hominis sic quæsiti. In quo si gloriari voluerit, non erit insipiẽs, non quod aliquid videatur esse tanquam à seipso, sed quod tanti eum fecerit, ipsum qui fecit. Omnes enim diuitię, omnis gloria mũdi, & quicquid in eo cõcupiscitur, minus ad gloriã istam, nec est aliquid in comparatione ad illã. Nam: *Quid est homo quia magnificas eum*. Iob 7.

E Crux habenda est in deuotione. Ideo o homo considera quãtam deuotionẽ debes ad crucem, cum tot beneficia ab ea recipis. Si enim ad compunctionẽ vel compassionem excitare, non te possunt cõmissio grauium peccatorum tuorum, compassio alienarum afflictionũ, recordatio beneficiorum diuinorum, respice ad crucẽ, & videbis ibi vnde excitari poteris, nisi habeas cor durius lapide; quia ibi videre poteris magnitudinem peccatorum tuorũ per pretij solutionem, videbis amicum tuum Iesum sedere in loco acerbissimæ passionis. Ibi videbis beneficia tuæ redemptionis, ibi videbis amorem Domini Iesu quo sic te dilexit cum esses indignus & peccator. Quis ergo prohibebit fontẽ lachrymarum. Inde quod est baculus dicitur oculus mũdi, sicut baculus dicitur oculus cæco, per quẽ nobis reuelantur secreta & omnia beneficia & gratitudo Domini qua voluit nos honorare. Ibi enim legit centurio, *Vere filius Dei erat iste*. Mat 27 In cuius formam prælati debent habere hanc crucem in directionem deuiorum, Sed nunc multi inueniuntur cæci, ideo non est mirum si illi & quos regunt, ambo in foueam cadunt. Prælati tamen nostri temporis inuenerunt cautelam cæcorum. Nota. Cęci enim quandoque canes habent qui regunt gressus ipsorum. Sic videmus prælatos nostros habere canes suos qui sunt aduocati, crudeles consiliarij, qui ad modum canum cauda blandiuntur ipsorum vitia palliando, lambũt manus eorum eisdem adulando, in extraneos latrant & mordent & lacerant ipsos finaliter in prędam dominorum suorum conuertendo. Et isti canes, sicut Apoc. legitur, foris stabunt Apo. 22

bunt, nec in superna requie illius cœlestis & secreti silentij latrabunt, sed in inferno præ dolore supplicij cum lupis infernalibus vlulabunt.

Sexta ratio, quia crux æternæ gloriæ nobis aditum reserauit. Hæc est domus Dauid, quam posuit Deus pater super
Esai. 22. humerum Christi. Clausum erat cælum ante Christi passionem, sed dicit Stephanus postea, video cælos apertos. Ideo sicut cæcus indiget ductore quem teneat per vestem vel baculum, ita genus humanum excæcatum in primis pa-
Sap. 2. rentibus, quia Sapien. *Excæcauit eos malitia eorum*. Ideo filius Dei datus est nobis in ductorem. Si ergo velimus peruenire ad salutem, necesse est quod teneamus eum per vestem eius, quæ fuit innocentiæ, quod pauci faciunt, aut per baculum crucis pœnitentiæ, & bene no-
Psa 136 bis erit, quia Psalm. *Beatus qui tenebit & allidet paruulos suos ad petram*. Et principaliter debet teneri in morte vbi passus est periculosior, sicut fecit latro. Inde
Iob 27. Iob: *Iustificationem meam cæpi tenere, non deseram*. Vnde si est baculus senectutis,
F Crux baculus senectutis. teneat eum senex ne cadat, quia debet eum portare, & portari ab ipso in regnum æternum. Baculus enim sustentat senem, & ab eo sustentatur. Sic Christus crucem portauit, & postea portatus est ab ea.

Ita qui vult à cruce sustentari, necesse est ipsam portare. Et secundum hunc modum Prælati debent habere formam & virtutem baculi crucis, vt sint sustentatio fidelium. Sed nunc magis habent
Nota. ad impugnationem subditorum. Baculo enim potestatis & iurisdictionis vtuntur, non ad subditorum tuitionem, sed magis confusionem per excommunicationis sententiam. Est enim baculus in manibus ipsorum, sicut clauia in manibus fatuorum, qui ipsa frequenter innocentes lædunt.



DE S. COSMA ET DAMIANO *Martyribus, sermo vnicus, & in ordine* LXI. *Per Thema*.

*Sapientiam Sanctorum narrẽt populi*. Vul- Eccl 44.
go dicitur. Libenter homo loquitur
A Martyrũ sapientia & vita cur recitari debent. de eo quod diligit. Vnde & Galli extra montes libenter loquuntur de patria sua. Vt igitur probemus habere amorem ad Sanctos, congruit nos sæpe loqui de exemplis, vita, & sapiẽtia illorũ, ad quod hortatur sapiens cum dicit sapientiã Sanctorum narrent populi, & hoc propter multa. Primo quia solent homines loqui de rebus mirabilibus, vt de magno facto hominis, puta si acquireret vnum regnũ. Sed ecce maius quid operata est sapiẽtia Sanctorum, quæ non solum debellauit exercitum hominum, sed dæmonum, secundum illud: *Sancti per fidem vicerunt re-* Heb. 11.
*gna*, ædificauit munitionem, scilicet Ecclesiam per vniuersum orbem, & acquisiuit illud regnum perpetuum, de quo Sap. *Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnũ* Sap 6.
*perpetuum*. Quis igitur non debeat narrare sapientiam Sanctorum? Nam mundanorum, quæ stultitia est apud Deum igitur sapientiam Sanctorum, &c. Secundo libenter loquuntur homines de magnificentia conuiuiorum. Quod conuiuiũ magnificentius, quam in quo epulabantur Martyres? Nam Dominus inuitat eos ad bibendum secum de tali, & de tanto nec porrigit eis nisi vinum rubeum. *Potestis*, Mat. 20.
(inquit) *bibere calicem meum*, licet ad hoc multi non respondeant, neque ad vinum neque ad aquam. Secundo quia in hoc conuiuio ipsi sunt epulæ, quos ignis tribulationis ad plenum excoquit Hinc Isa.
*Excoxi te in camino paupertatis*. Tertio quia Esai 48.
tortores, tyranni, Reges, Imperatores, & præsides fuerunt harum epularum coqui, & quot genera tormentorum Martyribus irrogauerunt, tot de eis fercula parauerunt, alios assauerunt, alios frixerunt in oleo feruenti, alios bullierunt, alios truncauerunt. Vnde & ipsi Martyres tormenta sibi reputabant epulas,

tanto gustui suauiores, quanto amariores. Quasi Salamandræ erant, cui ignis cibus est. Hinc Vincentius ad Dacianum: Hæc tanquam epulas ego semper desideraui, ideo nunquã aliquis seruiuit mihi, ita bene sicut tu. In quo apparet magnificentia conuiuij Martyrum. Tertio quia ad conuiuium cæli (secundum Bernard.) sanguinem suum tanquam vinum optimum Deo & Angelis obtulerunt. Nobis vero pauperibus sufficit, si potũ lachrymarum pœnitentiæ offeramus. Ideo de illis fit in regno illo magnum festum de nobis paucum. Quarto quia libenter loquimur de vtili nostro. Proprium est filiorum Adæ diligere commoda sua. Quid autem commodius, quam per virtutes priorum nostrorum facere animari ad virtutem, sicut isti qui congregauerunt in messe vnde viuerent perpetuo tempore. Tempus enim Augusti pascit totum annum. Isti ergo sapiẽtes mesnagerij bene rexerũt hospitium suum. Si faciamus sicut & illi, Ideo nil mirum vt prouocemur, si sapientiam Sanctorum narrent populi. Et quia multæ narrationes fiunt aliquando non secundum veritatem, iuxta illud. *Narrauerunt mihi fabulationes, sed non vt lex tua,* ideo secundum legem Dei doceamus, ad illam quæ est doctrix disciplinæ Dei recurramus dicentes: Aue, &c. Psal. 118

Sed quæri posset quomodo narrant populi sapientiam Sanctorum? Respondetur, quod populus dicere potest. *Vespere, & mane, & meridie narrabo.* Ideo primo dicetur de sapientia eorum in manu iuuentutis suæ. Secundo de eorum sapientia in meridie feruoris amoris, quando pro Christo martyrium passi sunt. In tertio vespere mortis eorum quomodo cõstanter sapientiam professi sunt. In primo quomodo vsi sunt sapientia in amicos Dei. Secundo in inimicos Dei. Tertio in seipsis. In primo quomodo sapientiam effuderunt. Secundo quomodo ea malitiam vicerunt. Tertio quomodo ea coronati sunt. Mane studebant & proficiebãt erudiendo, & practicando, meridie examinati sunt superiori examine, & inferiori, dicente Ps. de viro sancto. *Educet iustitiam tuam sicut lumen, & iudicium tuum tanquam meridiem,* quia in aperto vbique prædicatur eorum examinatio & iudicium. In superiori quando probauit illos, & inuenit illos dignos se. In inferiori per inimicos, & tyrannos ipsos diuersis tormẽtis examinantes. Vnde Hebr. *Sancti ludibria & verbera experti,* insuper *& vincula & carceres,* & sequitur: *quibus dignus non erat mundus.* In tertio gradum æternæ beatitudinis susceperunt. Inde ad vesperam columba ramum olyuæ detulit. De primo dicit Ps. *Mane astabo tibi & videbo.* Astabãt non quiescebant in lectis stertendo, & videbant. Magis vident stantes, & longius, quam iacentes & quiescentes. Isti duo fratres primo studuerunt peregrinari pro Christo, & patriam Arabiã dimittere, vbi forte docti fuerant artem medicinæ, quia ibi olim viguit, vt patet in Auicenna & Aueroy. Auellitur enim puer ab vberibus matris, vt à carnali lacte ad solidum cibum se transferat. Vinea etiam de loco ad locum transplantatur, vt melius fructificet. Secundo in Græcia isti duo fratres studuerunt practicare in scientia, conuertendo populum ab idolatria, & sanando pestes mentis, & idololatriæ non timentes venenum. Duo germani fratres Cayn & Abel, diuersis studijs se ingerebant. Nam secundum Iosephum Abel colebat iustitiam, & quicquid agebat, putabat Deum esse præsentem. Cayn vero oppositum. Iacob studebat colere Deum, & ritum diuinum obseruare. Esau vero venari, & inde videbatur inter fratres discrepantia. Hi vero vere fratres, & carne, & mente, qui idem donum à Deo suscipientes, eadem secundum illud donum operabantur. Nam vbique curabant infirmos. Et inter cæteros sanata est matrona quædam Palladia nomine paralitica, quæ omnia pæne sua medicis erogauerat vt sanaretur, nec sanari potuerat, à qua adiuratus per nomẽ Domini, Damianus munusculum quoddam

Psal. 34. (left margin, at "detur, quod populus") — Psal. 36. (at "riori, dicente") — Heb. 11. (at "tis examinantes") — Psalm. 5. (at "dicit Ps.")

dam susceperat. Sed propterea illum execratus est beatus Cosmas.

Sed quæritur quomodo S. Cosmas abhorruit S. Damianum, pro eo quod susceperat ab eadem Palladia munusculum. scilicet tria oua. Primo scientia licite potest vendi, & executio eius. Alioquin nõ esset licitum medicis recipere pecuniam à laborantibus. Præterea necessarium erat vt viuerent ex labore suo. Cum igitur laborarent medendo languoribus, & essent extranei, qui nullum haberent in Egea patrimonium, relinquitur, quod male reprehendit Damianum. Præterea cum conscientias haberent contradictorias, vel sanctus Cosmas peccauit vel sanctus Damianus, cum secundum Aristot. in prædicamentis, bonum bono nõ contrarietur in moralibus. Respondetur primo, quod aliquando sancti viri Zelo fidei, & contra vitia armati contraria opinati sunt in rei veritate, vt patuit in beato Cornelio, qui dicebat, quod non erant rebaptizandi Baptizati ab hæreticis, & Cyprianus oppositum asserebat, & istorum vnus deficiebat. Sed Zelus & flamma fidei; quod veniale erat vna cũ martyrio suffocatur, vt solet fieri de palea iacta in fornacem, quæ statim comburitur. Aliquando vero contraria opinari videbantur propter varias rationes & circũstantias, vt legimus de Paulo & Barnaba propter Ioannem, cognominatum Marcum. Et similiter de B. Chrysostomo & magno Epiphanio, cum etiam hoc legamus de Angelis esse factum, & isti nõ deficiebant, quia vnus ad vnam rationem respiciebat, alius ad aliam. Sic Cosmas Zelum armabat contra vitium symoniæ, dicens nullo modo licitum pro dono Dei recipere pecuniam. Damianus vero aspiciebat ad deuotionem illius bonæ mulieris, quæ ei paucum offerebat. Et ideo quod non erat recipiendum pro pretio, erat recipiendum pro deuotione offerentis.

B Nota. Act. 15 Dan. 10

Dico secundo, quod scientiarum humanarum, & acquisitarum humano more practica, & doctirna vendi potest. Non quidem scientiam vendendo aut donum Dei spirituale, sed secundum Thomam secunda secundæ, operas suas quasi locando, imo exigere licet tanquam laboris pretium, & non sicut gratis oblatum, & propter hoc licitum est pro laboribus suis, & pœnis aliquod salarium accipere. Sed pro gratijs, vt donis Dei spiritualibus infusis, non licet accipere pecuniam vendendo illa dona vel operas eorum, nec etiam pro labore exigere, licet gratis oblatum possit quis suscipere, vt postea dicetur. Et propter hoc sanctus Cosmas & Damianus non suscipiebant aliquid pro dono supernaturali infuso, quæ erat gratia sanitatum, iuxta illud Corinth. *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Alij per spiritum sapientiæ, alij spiritus prophetiæ, alij gratia sanitatum in eodem spiritu.* Vnde dicebat Dominus: *Gratis accepistis, gratis date*, quasi diceret. Sicut ego dedi vobis hanc potestatem gratis, ita & vos date, ne bona spiritualia pretio vilescant.

C *Scientia non est vendibilis.* 1. Cor. 12 Nota ista. Mat. 10

Dicitur tertio quod sanctus Damianus licite potuit hoc munusculum recipere sed non exigere quasi pretium. Secundum patet ex dictis. Primum autem patet, quia pro beneuolentia voluntatis illius qui confert donum spirituale, licitum est recipienti postea munus offerre vel dare, non tamen conferenti licet exigere rigorose. Ideo sicut legitur Naaman Helyseo pecuniam obtulit, & Greci petenti eam dedit, nec de hoc Nama culpatur, quia ante pecuniæ dationem aut sponsionem donum Dei recipit. Quod enim postea fecit laudabilis gratitudinis fuit. Sed factum Giezi damnatur, quia propter ipsum donum Dei receptum pecuniam recepit.

4. Reg. 5

Dicitur quarto quod beati Cosmas & Damianus dupliciter verbum Dei prædicabant in Egea ciuitate. Vno modo fidem docendo, & isto modo etiam à Domino conceditur victus, & ita sicut alij Prædicatores priores legis Euan-

gelicæ viuebant. Et quod ita fecerint hoc patet ex eo quod eorum mater eos in sacris literis fecit erudiri. Secundo prędicabat operando miraculose, & propter hoc etiam concedebatur vt afferrent victum ex beniuolentia. Hæc autem curatio potest fieri dupliciter. Vno modo solo verbo, & sic non faciebant vt plurimum sancti Cosmas & Damianus. Alio modo applicando actiua passiuis, sicut fecit Esaias in sanatione miraculosa Ezechię, quando cathaplasmauit de ficubus, & tunc eorum pretium quod petebant, erat conuersio animarum. Vtinam sic facerent moderni medici, ita quod primo peterent salutem animæ, sed curant mederi equo & non sessori eius. Et forsan ipsi magis vt medeatur eis in anima, & quia sic infirmi sunt in anima, ideo nolunt alijs in anima mederi, ne forte cuilibet talium dici possit, medice cura teipsum. Qualis erat Genadius de quo recitat August. qui dubitabat de immortalitate animæ. Inde est quod Theologi qui prædicant verbum Dei, non multum debent de sua prouisione solicitari, quia Dominus prouidebit eis. Mirabile est quod rex prouidet sibi seruientibus, & Dominus nō prouidebit suis? Ait enim: *Quando ego misi vos in mundum sine pera & sine baculo, nunquid aliquid defuit vobis?* Et responderunt nihil, quia Dominus semper mouet affectiones bonorum, vt rependant vices gratitudinis, ad quas tenentur. Non enim existimandum est quin sint in vna magna multitudine, aliqui boni vitium ingratitudinis fugientes, quare Dominus eis prouidet de illis. Igitur applicando ad studentes verbum prædictū Ps. ad studium requiritur. Primo diligentia, quia mane. Sic in mane iuuentutis suæ peregrinati sunt isti sancti propter Christū. Hinc Can. *Mane surgamus ad vineam.* Seneca. Ridiculosa res est elemētarius senex. Mane lucet sol & fugiūt noctuę. Cum enim homo illuminatur ad laborandū & studendum fugiunt prauæ cogitationes. Mane enim interfecti sunt Ægyptij. Secūdo labor, astabo, nō quiescam vel iacebo. Et si dicatur quod in sedendo & quiescendo fit anima prudens. Verum est in quiescēdo à passionibus & sæculi solicitudinibus, sed non in lectis. Sic autem isti continue curabant & prædicabāt. In his enim quasi facultas Theologiæ & medicinæ commiscebantur. Nā habebant vtramque facultatem, & docēdo Theologiā qua erant instructi, & medendo secundum donū quo erant prædití & donati. Sic igitur multum laborabant vtriusque facultatis practicam exercendo. Tertio oportet astare Deo, cū dicitur tibi, id est propter honorem Dei, nō propter lucrum aut propter gloriam vt multi. Nunquam pugiles Christi volunt ad oculos habere solem aut ventū. Quia etiam Moyses erat elegans, facie abscondit eum mater tribus mensibus. Modicū quoque gibbus vel struma in gutture nō contemnitur, ne transeat in squinantiam. Ita nec modicus ventus vanæ gloriæ, quin sit supprimendus, ne transeat in mortale. Isti vero studuerunt Deo, vero fratres Germani moribus & carne. Quarto oportet ruminare scientiam, & applicare ea quæ sciuntur secundum discretionem vnusquisque secundum vocationem. Inde dicitur Leuit. *Omne animal quod habet diuisam vngulam & ruminat, comedetis,* & solum illud animal erat mundum. Sed sunt qui volunt practicare antequam scire, sicut modo omnes se immiscēt in medicinis. Sunt qui volunt comedere, sed nō ruminare, vbi magnum imminet periculum, qui sine discretione verba Dei proferunt, vnde magna sequuntur inconuenientia. Alij volunt omnia ruminare, qui volunt indifferenter omnia determinare & nihil manere indeterminatum neque opinabile. Similes rustico cuius securis ceciderat in profundum fluuium, & expectabat quousque tota aqua transiret, vt posset securim habere. Ita sunt fatui qui sic omnia volunt eis certitudinaliter resolui. Fatui quidem sunt, quia scientia scientiæ, opiniones opinionibus, & libri libris succedunt, & faciendi li-

Margin notes: Esai. 38 — Luc. 2 — D Studere volenti multa sunt necessaria. — Cant. 7 — Gloria vana fugienda — Nota — Leuit. 11.

di libros non est finis. Ruminauerunt autem sancti isti suam scientiã & discrete impendebant, ne forte Deum offenderẽt vel in minimo, vt etiam Cosmas non esset contentus de ouis captis à Damiano, licet non peccasset capiendo, vt dictũ est, & sicut reuelauit Dominus Cosmæ, vt patet ex legenda. Pro secunda parte dico quod sancti isti. Primo examinati sunt in grammatica, quando interrogati sunt quod nomen, quæ patria, quod genus, & responderunt, de Arabia, & nomen Cosmas & Damianus, Cosmas mundus, Damianus manus Dei. Mundus bene regetur sed si manu Dei. Sed quando principes regunt, nescio quomodo totũ vadit. Nam: *Ipsi regnauerunt & non ex me*. Secundo in octo libris phisicorum, quæ sit eorum fortuna, & respõderunt quod christiani nesciunt fortunam. Non enim cognoscunt se habere liberum arbitrium vel bona à cœlestibus, quas dicebant fortunas, secundum illud: *Qui relinquitis in terra facientem arturum & oriona*. Tertio in logica per fallacias, quia adducti sunt ad sacrificandum idolis, & perpenderunt fallaciam dæmonis, qui in his decipiebat populum. Interrogati enim an colerent idola, responderunt tyrannum deceptũ esse per fallaciam figuræ dictionis estimantem aut argento aut lapidi sculpturæ artis diuinum esse simile. Ad primum igitur argumentum responderunt ipsum peccare per fallaciam figuræ dictionis. Secundum argumentum fortius fuit, per pedes & manus eos pungendo & & penetrando, vt eos auerterent à proposito suo. Et statim responderunt quod non concludebat argumentum, quia licet forarent manus & pedes, non tamen forabant animam. Ideo ex illis duabus præmissis, scilicet afflictione manuum & afflictione pedum, non sequebatur negatio propositi, nisi cum hoc forass[illegible]nt animam, vt bonum fidei fuisset effusum, & sic illud argumentum erat secundum Fallaciam accidentis. Tertium argumentum postquam priori irriserunt argumenta, ligati missi sunt in mare. Sed statim dupliciter solutum est argumentum nec concludebat aduersus propositum. Volebat enim eos ducere per hoc argumentum ad negationem fidei, & consequenter secundum suum errorem deducere ad inferos. Sed peccabat principiũ, quia ita bene itur per mare sicut per terram in paradisum. Secundo solutum est argumentum per Angelum qui fregit catenas, & iterum eos reduxit ad terram, & statim quæsiuit maleficia scire. Multi sunt similes isti, qui doctrinæ Dei & his quæ facta sunt propter eam non adhibent fidem blasphemantes, qui si non dicantur eis quæ placent sed quæ displicent, tunc dicunt omnes theologos fatuos esse, & blasphemant Deum. Caueant ne contingat eis sicut isti, quem duo dæmones statim iussu Dei cæperunt flagellare. Sanatus vero precibus sanctorum. Quartum argumentum fecit dum in ignem missi sunt, vt dicerent illæsi in igne. Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas. Et istud argumentum solutum est sicut dicunt logici male arguenti, vos arguitis pro me, quia ignis iste erat ad eorum purgamentum, sicut paleam ignis consumit, vbi probatur aurum. Quintum argumẽtum, quia in eculeo iussi sunt suspendi, & per omnia membra torqueri. Et istud argumentum peccabat in materia, & in forma. In materia quia præmissa erat falsa. Malum enim est & falsum iustum hominem torqueri. Sed nec ex hoc valet consequentia, quod debeat Deum negare. Sexto argumentum, quod Cosmã, & Damianum in cruce suspenderunt, quam multi desiderant crucem, qui non desiderant crucifigi. Isti autem desiderabant etiam crucifigi, & cum hoc in cruce eos lapidauerunt. Soluitur argumentum secundum fallaciam non causam, vt causam. Volebat tyrannus illud esse non causam eundi in paradisum, & tamen faciebat stratam paradisi lapidibus, vt diceret adhæsit pauimento anima mea. Septimum

E Examen in scientijs applicatum Cosmæ & Damiano.

Osea 8

Amos 5

Act. 17

primum argumentum fuit sicut signum ad sagittam, vt omnes, scilicet arguerent contra eum. Sed multiplices sunt sagittæ quædam sunt sagittæ paruulorum hoc est adulatorum qui vulnerant principes, & faciunt sæpe exire principis sanguinẽ & substãtiam, & multum sagittatur quotidie istis. Aliæ sunt sagittæ potentis acutæ iactæ bono brachio, vt sunt bonorum qui habent vires, & fortitudinem. Et istæ penetrant, & non reuertuntur, quales iaciebat figuraliter ille, de quo: Reg. *Sagitta Ionathæ numquam abijt retrorsum*, & ille de quo Psal. *Sagittæ tuæ acutæ, ideo populi sub te cadent*. Sed sunt etiam sagittæ malorum, quæ semper redeunt in seipsos, iuxta imprecationem Psal. *Gladius eorum intret in corda ipsorum*, scilicet, qui tribulant bonos, & sic factum est hic. Sagittæ autem Domini dum sunt in nobis sunt patienter tolerandæ. Et certe contra omnes in fine patientia vicit, & soluit argumentum proprio gladio eos confodiendo sicut Golyas occisus est gladio suo, ideo examen finitum est. Vide quomodo sapienter responderunt. Pro tertia parte dico, quod tam sapienter examen suum compleuerunt sancti isti, vt digni inuenti sint gradum æternæ beatitudinis consequi à magno cancellario, & pontifice paradisi, & multa ab eo bona percipere, iuxta illud: *Deus tentauit eos* examinibus prædictis, *& inuenit illos dignos se*. Primo quidem dignos se, hoc est sua societate, quia fuerant socij in examine passionũ. Bellatores enim cum triumpho reuertentes digni sunt regia societate. Secundo dignos suo ministerio, quia mundi, & immaculati. Modo Psalm. teste dominus ait. *Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat*. Ille etiam dignus est eius ministerio, qui cum nullo tormento deserit, quibuscumque etiam magistris diaboli per supplicia interrogantibus nõ cedens. Quo contra dicit Dominus: Mat. *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus*. Crucem Christi accipit, qui ad omnem pœnam pro eo sustinendam paratus est. Tertio dignos amicitia sua. Ille scilicet qui mundum despicit plus omnibus tẽporalibus Deũ amans, est dignus eius amicitia. E contra secundum Senec. nemo dignus Deo, qui opes non contempserit. *Qui amat patrem aut matrem plusquam me non est me dignus*. Hinc Iac. *Adulteri nescitis, quod amicitia huius mundi inimica est Deo. Quicũque voluerit esse amicus huius sæculi inimicus Dei constituitur*. Et quia indigemus amicis apud Deum in hoc mundo, periculum est quando sancti viri sic deficient, & eijciuntur à mundo. Forte talibus dignus non erat mundus. Inde clamabat Dauid: *Saluum me fac Domine quoniam defecit sanctus*. Quarto dignos Dei fruitione, quæ est corona qua coronantur qui examinati digni inuenti sunt. Nec mirum, quia eius amore consolationem temporalium renuerunt. Ideo habent eius fruitionem, & consolationẽ in eo. *Vsque ad tempus sustinebit patientes, & postea redditio iucunditatis*. Quinto dignos laude & commendatione creaturarum, & cælestium, & terrenarum. Si enim digni sunt laudari à Deo, multo magis à creaturis. Inde merito dicebat sapiens: *Sapientiam sanctorum narrent populi, & laudem eorum pronunciet Ecclesia*, sicut hodie fit in solẽnitatibus iustorum martyrum. Sed quæritur quare laudantur martyres post vitam, cum in vita non fuerint laudati, sed magis vituperati. Nonne æque boni erant ante mortẽ sicut post mortẽ? Respondetur primo martyres in vita à mundo nõ fuerunt laudati sed vituperati. Nec mirũ si eos odiebat mũdus. Primo quia ipsum Dñm eorũ mundus odiuit. *Non est discipulus supra magistrũ, nec seruus super Dominũ suũ. Si mũdus vos odit, scitote quia me priorẽ vobis odio habuit*, imo sine causa Christum odio habuerunt. Ps. *Odio habuerũt me gratis*, imo inde eũ odio habuerũt vnde eũ diligere debuerãt. *Posuerũt aduersum me mala pro bonis odiũ pro dilectione mea*. Secũdo quia mali homines quomodo alios amarent, qui seipsos odio habent? Nam secundum Ps. *Qui diligit iniquitatem odit animam suam*.

Amant

Marginalia (left): F Sagitta multiplices. — 2. Reg. 1 — Psal. 44. — Psal. 36. — G Martyres digni sunt Deo. — Sap. 3. — Ps. 100. — Mat. 10.
Marginalia (right): Luc. 14. — Iac. 4. — Psal. 11. — Eccl. 2. — Eccl. 44. — H Martyres, & boni vituperabantur à mundo. — Mat. 10 — Psal. 118 — Ps. 108. — Psal. 10.

Eccl. 14. Amant enim vitia sua modo. *Qui sibi nequam est cui alij bonus erit?* Tertio quia odiunt meliores amicos quos habebant. Mich. 7. *Inimici hominis domestici eius.* Dant enim eis malum exemplū,& occasionem peccandi. Quarto,quia martyres nō sunt de hoc mundo, ideo non est mirum si eos odit mūdus sicut extraneos, sicut canis odire Ioan. 17 solet canes extraneos superuenientes. *Et mundus eos odio habuit, quia de mundo nō sunt.* Et iterum: *Si de mundo fuissetis mundus quod suum erat diligeret.* Sed quia de mundo nō estis,propterea odit vos mūdus. Quinto quia boni sunt mundo dissimiles. Dissimilitudo autem causa est odij,sicut similitudo amoris. Eccl. 4 *Omne animal diligit sibi simile.* Dicunt enim mali de iusto. Sap. 2. *Grauis est nobis ad videndum, quia dissimilis est alijs vita illius.* Sexto quia boni sunt mundo conIoan. 7. trarij testificantes contra ipsum. *Non potest mundus odisse vos. Me autem odit, quia testimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala sunt.* Sunt enim similes auibus noctis quæ lucem odiunt bonorum operū,&doctrinæ sicut Achab odiebat Micheam Pro-3. Re. 22 phetam ipso dicente: *Ego odi illum, quia non* Esai. 30 *prophetat mihi nisi malum.* Esa. *Loquimini nobis placentia.* Septimo, quia mali habent palatum cordis infectum febre iniquitatis. Ideo bona quæ deberent eis placere sūnt eis insipida, & sapida sunt eis amara Mich. 3. sicut illi, contra quos Mich. *Odio habetis bonum.* Esai. 5 Et Esai. *Væ qui dicunt malum bonum.* Prou. 14 Prou. *Ambulans recto itinere, & timēs Deum, despicitur ab eo, quod infami graditur via.* Et Ibidem. eiusdem. *Abominantur impij eos qui in recta sunt via.* Philosophus quidā cum ei diceretur, homines te contemnunt, ait illos asini. Sicut nec illi asinos,nec ego eos curo. Seneca. Nondum felix es, si te nondū turba deridet. Ideo ad propositum dicēdo, non vituperandi in vita erant sancti martyres,qui portabant nomen Saluatoris, sed magis diligendi, cum valde bonum sit, & vtile hominibus dicente Psal. Psal. 51. *Expectabo nomen tuum Domine, quoniā bonum est in cōspectu sanctorum tuorū;* qui non habēt palatum cordis infectū febre iniquitatis.

Secunda propositio: Sācti martyres magis laudandi sunt post mortem quam in vita; quia quādiu viuit homo potest cadere, & semper cum periculo viuit. Propter quod Solon neminem nisi in morte, & post reputabat felicem. Cuius etiam sententiæ erat Eccl. *Laudaui magis mortuos quam viuentes.* Inde prohibetur Eccl. *Ante mortem ne laudes hominem quemquā.* Ambr. Lauda nauigantis felicitatem, sed cum peruenerit ad portum,lauda ducis virtutem, sed cum perductus fuerit ad triumphum. Secundo hoc ideo est, quia Ecclesia in dolore martyres parturiebat, cum per tormēta trāsmittebat ad vitam æternam. Sed post mortem nō recordabatur pressuræ propter gaudium, quia natus erat homo in mundum alterū. Licet ergo Ecclesia in morte martyrum laboret in gemitu tanquam in partu, iuxta illud: *Rachel plorans filios.* Nunc tamen postquam transijt tribulatio,tanquam post partum iam non meminit pressuræ propter gaudium. Ideo nūc cum gaudio memoriam passionis martyrum solemnizat Ecclesia, quod quondam cum dolore sustinuit. Inde est quod cōmuniter Ecclesia in vigilijs festiuitatum sanctorū coram oculis fidelium ponit merita eorum, in festis vero gloriam ad quā propter merita deuenerunt. Comederunt enim de ligno scientiæ mali hic experiendo mala, & postmodum de ligno scientię boni experiendo bona æterna. Tertia propositio. Mortem martyrū non immerito laudat Ecclesia. Primo, quia pro tuitione reipublicæ Ecclesiæ mortui sunt. Si Romani pro republica terrena tuenda merebantur terrenam in foro imaginem. Quid mirum si mereantur martyres pro fide Christi laudem æternam? Vnde Bruno exponens illud Gen. *Habeo duas filias, quæ necdum cognouerunt virum, abutimini illis,* sic dicit. Per has duas filias carnem nostram, & substantiam quam possidemus arbitror figurari. Has sancti despiciūt, has tyrannorum furori obijciunt, magisque his priuari volunt, quam peccare in legē Dei,

Eccl. 4. / Eccl. 1 / Martyres magis post mortem laudātur / Eccl. 11. / Hier. 31 / Gen. 19.

Dei, & vtrorumque testamentorum non defendere veritatem. Duo enim angeli duo significant testaméta. Secundo quia eorum gesta, & in vita, & in morte sunt omni admiratione digna, non solum vt scriptis mandentur, sed etiam vt operibus & certis diebus recitentur. Admirantur homines quædam animalia per ignem illæsa transijsse, multo magis mirandi sunt Martyres, qui per ignem & ferrum transierunt animo illæsi. Plus admiramur onera formicarum quam camelorum, & plus martyria Sanctorum, qui paruipendebantur à mundo, quàm magnorũ opera quos mũdus magnificabat.

## IN FESTO S. MICHAELIS
*Serm. I. in processione vniuersitatis factus, & in ordine LXII. Per Thema.*

Psal. 90. A Angelorum solemnitas multiplici de causa celebratur. Angelis suis Deus mãdauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. Quæritur quare est, quod Ecclesia celebrat festa Angelorum, cum illi non communicent nobiscum. Respondetur, quod multiplex est causa. Prima est, vt gloriæ eorum congaudeamus, quia cum ipsis membra Ecclesiæ sumus, quia Cant. 6. *Vna est columba mea.* Si enim gaudium magnũ est Angelis de vno peccatore pœnitentiam agente, quantum debemus gaudere de bono eorum, cum tantũ gaudeant de nostro. Non enim est multum si semel in anno de ipsis solemnizemus, cum ipsi totiens de nobis solemnizent. Item membra Ecclesiæ sibi inuicem congratulari debent. 1. Cor. 12 *Si gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra.* Si gloriæ vnius sancti congaudemus, quanto magis hodie vni nobilissimæ parti Ecclesiæ, scilicet Angelis? Non enim vnius Angeli, sed omnium Angelorum facimus hodie solennitatem. Secunda ratio, vt gratiam & suffragia eorum acquiramus. Multum enim indigemus eis, quia inter hostes nostros continue sumus. Iob 7. *Militia est vita hominis super terram.* Multum autem sunt timendi hostes isti in hac pugna. Primo propter magnitudinem potentiæ, quia: *Non est potestas super terram, quæ ei valeat comparari,* Iob 41. & Eph. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus Principes & rectores tenebrarum harum.* Ephes. 6. Nos sumus vt locustæ, ipsi vt gygantes. Origines, vult Dominus Iesus mirabiles res facere. Vult enim de locustis superare gygantes, & de his qui in terris sunt, cælestes vincere nequitias. Secundo propter sapientiam & astutiam ex subtilitate naturæ, & longa experientia. *Serpens erat callidior cunctis animantibus, quæ sunt super terram.* Genes. 3. Necesse est igitur nos habere nobiscum, qui eorum cautelas agnoscant. In hac autem cautela ostenditur eorum malitia, quando nihil aliud præter sanguinem nostrum sitiunt. Tertio ex continuatione, quia à principio vsque ad finem vitæ incessanter nos impugnant. Quarto ex multitudine, quia Apoc. *Draco & Angeli eius pugnabant.* Apo. 12. Quinto ex modorum impugnãdi varietate. Nos enim impugnãt quasi infinitis modis. Sicut enim videmus in pulchro tempore telas aranearum vbique positas ad capiendum muscas, sic habent vbique laqueos positos ad decipiendum incautos. Ideo indigemus eorum adiutorio. Prouerbium est dando & accipiendo mater & filia sunt amicæ. Sic militans Ecclesia filia dando honorem, & accipiendo suffragium, & diues triumphans Ecclesia, accipiendo honorẽ, & dando subsidium sunt in amicitia iunctæ. Ideo vt acquiramus eorum gratiam & suffragium, hodie celebramus eorum festum. Tertia ratio, vt Deum in eis honoremus, quia non solum regi, sed etiam suis amicis multum familiaribus, & magis dilectis honor exhibetur, isti autem sunt familiarissimi Deo. *Angeli eorum semper vident faciem patris mei, qui est in cælis.* Mat. 18. Quarta ratio, ne beneficiorum nobis per eos exhibitorum videamur ingrati. Præsentant enim bona nostra Deo. Quid ergo prouidebimus tanto nuncio sicut est Angelus dignũ? Qui etiam dignatur nobis obsequi, qui tamen talis est naturæ, sicut aurũ in comparatione luti respectu nostri,

noſtri, ſcilicet ex parte corporis ex luto formati, vt dicat Dominus: *Qui minor eſt in regno cælorum, hic maior eſt illo*, ſcilicet Ioanne Baptiſta, quo tamē inter natos mulieru n nemo maior ſurrexit. Item ratione loci in quo homini miniſtrant, quia quaſi in ſtabulo. Inde Bernardus, quam gratanter recipient in palatio, quibus tam dignanter miniſtrãt in ſterquilinio. Tertio ratione ſtatus hominis, quem etiam propter peccatum non dimittunt cuſtodire. Cum ergo nihil inueniamus dignū ad reginam Angelorum, vt nos edoceat quid facturi ſimus, conuertamus orationem noſtram dicentes: Aue gratia plena.

Mat 11.

Mentio communiter fit in curijs Regum & Principum de cuſtodia corporis, & de cuſtodia animę non eſt multa cura, ſimiles ſunt multis, qui non curant de ſeipſis, ſed quod equi ſui bene prouideantur. Chriſtus autē cuius eſt anima & corpus ſolicitus de vtroque, ponit cuſtodiā ad vtrumque ſcilicet angelos ſuos, & in acie ordinat illos. Ordo autem, vt dicitur multum confert ad bellum. Ideo voluit Dominus ſuos milites in certo ordine collocare. Diabolus vero quia ſine ordine agit, ideo eſt vbi nullus ordo, nec nos vincere poteſt ſi nos in ordine ponamus, & ordinē nobis iniunctū non prætergrediamur. Ideo dicendum eſt primo de ordinibus huius aciei nobis datæ ad cuſtodiam. Secundo de cuſtodia ipſa. Quantū ad primum, quia inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, ideo exiſtimandum eſt, quod more principis terreni ille ſummus Imperator Deus habeat aliquos famulos ſibi continuo aſsiſtentes, habeat, & miniſtrantes, & iſti omnes diſtinguūtur in nouem ordines. Primi in ordine ſunt Seraphim, qui ardent amore Dei. Seraphim enim interpretatur ardens, ſicut in curia prope regem aſsiſtunt ei qui vulgo dicunt *les mignons*, quos rex valde diligit, & qui habent ab eo penſiones maximas, & qui reciproce regem valde diligūt. Sic eſt de iſtis, qui

B Angelorum ordines deſcribuntur

valde diliguntur à Deo, & Deum vehementer amant, & nos ſimiliter. Amor autem facit proximū eſſe Deo, ſicut elemētum ſuperius inter omnia eſt ignis, ideo iſti ſunt Deo propinquiores. In quo ordine erunt homines, qui ita ſunt ardentes in charitate Dei, quod nullū ſaporem inueniunt niſi in Deo, & ſemper volūt cōtemplari diuina terrenis omnibus cōculcatis, ſicut ille qui dicebat, renuit conſolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus ſum. Pauci tamen ad illū ordinem euadent, quia pauci amorem habent ad proximū, igitur nec ad Deum. Tenet cōſequentia iuxta Ioannis canonicam. *Quia ſi quis fratrem quem videt odit, Deum quem nō videt quomodo diligere poteſt?* Contra ſcholares, qui ſe mutuo odiunt, lectio contra lectionem, ſocius contra ſocium, qui in vna domo deberēt eſſe vnanimes iuxta illud: *Qui habitare facit vnanimes in domo*. Peiores ſunt brutis eiuſdem ſpeciei, quæ ſunt pacifice in eodem ſtabulo oues, boues, equi, & leones ad inuicem, & tamen iſti non ſe poſſunt compati. Neſcio cuius ordinis erunt, credo quod decimi, ſcilicet ordinis, *des belistres*, id eſt coquinorum inferni. Secundo ſunt Cherubim per quos intelligitur vniuerſitas paradiſi. Cherubin enim interpretatur plenitudo ſcientiæ. Sunt enim ſicut doctores, & ſcientes, qui cæteros in ſuis actibus conducere poſſunt. Nam Cherubin illuminationes à Deo recipiunt, vt alijs reuelēt. Sed Seraphin ſuper Cherubin ordinãtur, quia amor ſcientiam excedit, & ſcientia ad amorem ordinatur, & ideo propinquiores ſunt Deo Seraphin quam Cherubin, charitatiui quam ſcientifici. *Aſcendit ſuper Cherubin, & volauit ſuper pēnas vētorum*, quia à ſcientia volamus ad amorem Dei. Scientia enim ſicut flatus venti debet accendere ad amorem Dei. Vnde Baſilius omelia de Angelo. Quanto quis diligit tanto eleuatur à Deo, & quandoque plus eleuatur ſimplex, & idiota quam literatus. Hinc & Hieron. Dedit Dominus viris literatis ſcientiam, vt de ea ſcalam faciant

1 Ioā. 4.
Pſal. 67.
C Amor ſcientiā excedit.
Pſal. 17.

 ad

ad aſcenſum paradiſi, ſed inde faciũt ſcalam deſcẽſus ad inferos. Legitur de Euagrio, quod poſtquã raptus fuit ad gaudia paradiſi cum ieiunijs & operibus ſanctis ſemper faciebat orationẽ ad eos, qui ſunt Seraphici ordinis, vt Deum rogarent, vt à miſerijs huius vitæ cito elõgaretur, & ad eorum ordinem perueniret. Cui Angelus apparens ait: Quia longam feciſti à Seraphin orationem, & rem altiſsimã petijſti, impetrauerunt tibi quod rogaſti, dũmodo amplius in terris conſolationẽ nõ requiras. Propter quod ille vir ſanctus interiora deſerti longe ab humana conuerſatione petijt, & illic tam eleuatus fuit in contemplationibus, & tanto mentis exceſſu, vt magis videretur Angelus quam homo. Et ſi dicatur, quod Seraphin ſunt Deo propinquiores, ideo magis ſcientes quã Cherubin cõceditur, quod ſunt maioris luminis & ſcientiæ, & meliorũ naturalium quã Cherubin. Sed ideo dicuntur Cherubin magis ſcientes, quia cęteris inferioribus magis ſcientia pollent, vtpote plus delectati tam in Creatoris quam creaturarum cognitione. Cherubin enim ponuntur ſub, & poſt Seraphin, quia plus attendendũ eſt ad bonitatem, qui ad ſciẽtiam, quia ſcientia inflat, charitas ędificat, & vbi non eſt charitas, communiter ſcientia non eſt bona, ideo quærebat Pſalm. *Bonitatem, & diſciplinã, & ſcientiam doce me.* Amor enim Dei cauſat lumen in anima.
1. Re. 14 Nam de Ionatha legitur: Quod vt guſtauit de melle diuinitatis, id eſt dulcedine diuinitatis, illuminati ſunt oculi eius. Et propterea iuuenes debẽt à ſuis magiſtris, & exemplo, & verbo prius inſtrui ad hoc quod ſint boni. Non enim ſufficit ad hoc quod terra fructũ producat, quod ſit illuminata à ſole, ſed plus requiritur quod ſit à ſole calefacta. Sed modo magiſtri nõ curant de ſcholaribus, ſed de pecunia ſolum, adulantur eis, nec curãt de moribus eorum. Sed tales ſi non fuerint boni, non erunt de ordine Cherubin, quia Cherubin præſupponit Seraphin. Præſupponit enim ardorem. In loco enim vbi non habet terra ardorem ſolis, nihil creſcit: Inde eſt, quod pinguntur rubei. Illi vero erũt ordinis Cherubin, qui ita ſunt repleti ſapientia diuina, quod nullus poteſt cũ eis habitare, quem nõ illuminet vita, doctrina, verbo, & exemplo, vt de illis poſsit dici cum intrant domũ, quod Angelus aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo carceris. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem.* Pſa. 103 Miniſtri enim Dei debẽt eſſe ignis vrens. Tertio ſicut eſt in regno vna curia, vnum parlementum, vnũ ſacrarium in quibus exercentur iudicia, ſic ſunt throni in quibus ſedet Deus iudicando quæ iuſta ſunt. Vnde throni ſunt Angeli, qui aſsiſtunt Deo in iudicijs ſuis ordinandis & concludendis, non quod Deus indigeat cõſiliario iuxta illud, quis conſiliarius eius fuit. Sed ſic ordinauit, vt ſicut inferius, licet per ſe omnia poſſet facere, tamen per ſecundas cauſas egit, ſic & ſuperius. Rex enim licet potentia abſoluta multa poſſet in regno facere, per conſilium tamen parlamenti hæc agit. Sic Dominus honorat ſuas creaturas. *Sedet ſuper thronos, qui iudicat iuſtitiam*, Pſal. 17 & non ſolum iniuſtitiam. Et ideo timeant iudices, quia ille iuſtitias iudicabit: *De throno eius procedunt fulgura, voces, & tonitrua*, Apoc. 4 id eſt cõminationes & promiſsiones, & æternæ maledictiones. Sedet ergo Dominus in thronis ſicut iudex in cathedra, exercens ibi mirabilia, & occulta iudicia ſua glorificantibus, approbantibus, diuulgãtibus, & tranſactantibus thronis. Ibi enim fiunt nouiſsimi primi, & primi nouiſsimi, in illis iudicia abyſſus multa, quia per ea aliquos derelinquit quaſi iam videantur reprobi, alios quaſi ſanctitate coërcet ad bonũ, quoſdam ibi exaltat in magnis honoribus, alios deprimit, & in miſerijs deijcit, & throni iſta inferioribus Angelis, & quandoque nobis reuelant. In vita ſancti Amãdi legitur, quod dum orationem faceret ad thronos, & hoſpitaretur pænes quendam Rodulphum nomine, qui erat magnus in curia Regis Francorum Philippi, & eſſet plenus bonis, honoribus, pulcher-

D Throni aſsiſtunt Deo in iudicijs, ſed non tanquã neceſſarij.

pulcherrima vxore, & pueris pulcherrimis dotatus, & in fama sua lætaretur, beato Amando reuelatum est iudicium eius per thronos, dum ad eos orationem faceret, quod scilicet talis non meditaretur ad finem suum. Et ideo Amandus ait illi: Stulte, si scires iudicia Dei super te ventura, super domum tuam, & super bona tua in quibus gloriaris, nunc fleres, & eiulares, quia cito sicut malefactor iudicaberis, & peribit domus tua, eo quod non cognoueris gratiam tibi datam à Deo & in vanitatibus tempus tuum consumis. Surge igitur, & vide, si pacificare poteris Deum priusquam super te veniat vltio eius. Qui cito surgens & pœnitentiam agens bono fine obijt, sed non potuit impetrare, quin tota domus eius cũ bonis suis deperiret. Et sic ad thronos poterimus orare. O beati Throni, iam de nobis diffinitum est in diuina maiestate, quid de nobis fiet, iã scripta est sententia, & eã cognoscitis, iuuate nos precibus vestris, & si mala sit, vt commitetur, vt mitigetur, sicut de Niniuitis actum est, faciatis. Sequuntur autem throni Cherubin & Seraphin, quia qui assumuntur ad dignitates iudicum debent esse ardentes in amore Dei, vt nihil mali velint aut contra Deum aut contra proximum, & Secundo scientes discernere inter bonũ & malum, vt deinde sciant iudicare. Ad primos ergo spectat amare, ad secundos cognoscere, ad tertios iudicare. Istius ordinis erunt, qui in conscientia sua continue Deum portant, ita vt nihil cogitare vel agere velint quod non sit beneplacitum voluntati diuinæ. Sed pauci sunt tales. Quis enim est scholarium, qui Deum pre oculis habeat in gustu, in habitu, in incessu, in operibus. De pileis videtur quod vniuersitatis scholares sint gentes armorum, in capite pileos habent, non oportet nisi plurimas tunicas ante apertas, vt videatur eorum caro quam pulchra, capillos longos vbi vermis inferni iam crescit. Vidi aliquando vniuersitatem optime gubernatam. Sed nunc non est regens, qui sedeat super thronos, qui faciat disciplinam. Apparatus exterior signum est interioris, tua logica canit, comptus ergo adulter, quia animæ sequuntur corpora. Laudabat Dauid Dominum de intellectu dato dicens: *Benedicam Dominum qui mihi tribuit intellectum*, quis est qui sic faciat? Dicebat se exercitatum in studio cum subdit, *Insuper & vsque ad noctem increpuerunt me renes mei*, id est vsque ad noctem sedebam studendo & intelligendo, quousque lassarer renibus, sed sequitur. *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper*, sed quia isti non prouident, Deus non eis prouidet, sed propter iniustitias suas humiliantur, & minus in reuerentia habetur vniuersitas. Quarto sicut sunt rectores regni & palatij supremi Regis, vt domini de sanguine regio, connestabilis, & domini generales, quibus vniuersum regimẽ committitur, sic sunt dominationes, qui Angelis præsident ad mittendũ eos in ministerium secundum Dei beneplacitum. Hic tractãt de regimine humano quando fiet persequutio, vel pax, quis dominabitur, rex vel tyrannus, quis persecutionem patietur, quomodo ex malis elicientur bona, & maxime gloria Dei. Et ideo dominationes debemus orare, vt bonos pastores, reges, & dominos habeamus, & rectores, & quod malos mitigent suis precibus, & domini ad eos orare habent, quod dominatio sua sit via ad paradisum, non ad infernum, sicut modo solitũ est, quia dũ eleuantur in dominatione, perdunt sensum, & se ignorant. Nesciunt enim suam prosperitatem portare. Ratione enim dominationis deberent esse duces suorum in cœlũ, & ipsa est causa ducendi eos in infernum. Est enim nunc dominatio via inferni, spelunca latronũ, fons peccati, fomentum omnis mali, & nunc peiores sunt rectores mundi. Licet autem mittant pacem, guerram, famem & pestem in terra, omnia tamen faciunt cum regula & moderamine. Nam dominationes Cherubin nunquam turbant quæ est paradisi vniuersitas, sed se mu-

tuo

Marginalia: Nota. — Nota bene. — Psal. 15. — E Dominationes orare habent maxime Domini & principes

tuo diligunt & fouent. Dictum est Moysi. Exod. 25 *Fac secundum exemplar quod tibi monstratum est in monte*, scilicet Paradisi. Ecclesia militans debet esse exemplata ad triumphantem, ideo sicut est in Ecclesia illa nos mutuo fouere debemus, ne forte scandalum superueniat, & væ sit homini illi per quem scandalum venerit. In hoc autem ordine reponentur qui plenum habent dominium super vitia, & de seipsis, & in quibus caro non videtur resistere rationi. Tales fuerunt Adam & Eua ante lapsum, quibus dictum est, Gen. 1. *Dominamini piscibus maris*, &c. Talis Martinus & alij multi. Sed modo pauci sunt tales, quia fere omnes obediunt gulæ ventri & luxuriæ.

Quinto sunt principes, qui habent particulares prouincias dirigere, sicut sunt duces & comites in regno, qui certas portiones regunt, & talis fuit Michael. Dan. 10 *Princeps Persarum restitit mihi, & nemo mihi adiutor nisi Mihael princeps vester*. In hoc ordine reponuntur, qui in sanctitate vitę & bonitate conscientiæ cæteros transcendunt. Sed quęritur de S. Michaele vtrum sit huius ordinis sicut videtur ex verbo allegato vel superioris. Quod superioris imo supremi apparet, quia ab Ecclesia dicitur princeps militiæ cœlestis. Item Apoc. *Factum est prælium magnum in cælo. Michael & Angeli eius pugnabant cum dracone*, per quod videtur cunctis alijs præpositus. Respondetur, quod est triplex opinio. Vna quæ dicit quod est quinti ordinis iuxta allegatum, & etiam Dan. 12 illud: *In tempore illo consurget Michael princeps vester*, &c. Et quod dicitur quod est princeps cœlestis militiæ, hoc est ex speciali priuilegio à Deo sibi collato, sicut diceremus principem, & connestabile, qui tamen non est semper de maioribus ducibus, est tamen in prælio super omnes. Alij dicunt quod est superior eorũ, qui communicant in terra, & quod est custos Ecclesiæ, qui fuit primo custos synagogæ, vt patuit ex auctoritatibus Danielis. Et forte ille est de quo intellexit

(Margin: P Michael cuius ordinis sit. Apo. 12)

Dominus. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedet te, & custodiat in via, & introducat in locum quem paraui.* Exod. 23 Sed ex quo synagoga crucifixit Christum. Michael translatus est, vt sit princeps Ecclesiæ. Inde & modicum ante destructionem Hierusalẽ, auditæ sunt voces in templo dicentes: transeamus ex his sedibus. Alij dicunt, quod est de supremo ordine & inter omnes superior. Dicitur enim princeps non solum eorum qui sunt in terra, sed etiam totius cœlestis militiæ. Nec valet, quia mittitur in terram ad opera Dei exercenda, quia secundũ eos intelligitur vniuersaliter de omnibus illud Heb. Heb. 1. *Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis*. Licet enim illi de prima hierarchia communiter non mittantur, sed semper assistant, tamen quandoque ex speciali dispẽsatione propter ardua mittuntur. Quid sit de isto, nescimus, sed opinamur tantum, sed secunda tamen opinio videtur verior.

Sexto sunt potestates, & sunt velut capitanei habentes potestatem arcendi dæmones, & expellendi eos ne nobis noceãt & ne nos tenent, ita vt vincant, sicut in figura dicitur Dan. *Deus meus misit Angelũ suum & conclusit ora leonum.* Dan. 6 Bernardo enim teste, quia non dormit, neque dormitat, qui impugnat Israel. *Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.* Psa. 120 Psal. *Montes in circuitu eius*, Psa. 124 id est Angeli, *& Dominus in circuitu populi sui.* Isti enim armati pro nobis pugnant nihil accipiendo de nobis, & nõ ad paruos, sed ad gigantes spoliandos contendunt. In quo non sunt similes nostris armatis, qui paruos spoliant, & simplices, nec nostris clericis, qui portant arma, vbi deberent pro alijs intercedere & eijcere dæmonia ab animabus possessis, & tales eos putant parentes, & cum mitterentur recti erant, sed declinauerũt in obliquos casus. Sed in hoc ordine reponuntur, qui tanta meritorum prærogatiua pollent, vt tam corporaliter quam spiritualiter dæmonia ab hominibus expellere possint, sicut boni sacerdotes. Vnde secundum

dum Bonau. in 2.distin. 9. dominationes principaliter Angelis dominantur, principes bonis hominibus, & potestates dæmonibus.

Septimo sunt virtutes Angelicæ, quæ sunt [illegible] qui constituũtur ad sanandas infirmitates, & in istis inferioribus sæpe versantur ad faciendũ miracula tam circa corpora nostra quã animas, vel etiam ad sanitates animarum & corporum, vt de Raphaele legitur in Tobia, & sic de Domino dicitur: *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes*, tam etiam circa ea quæ apparent in cœlestibus, & inde dicitur: *Virtutes cælorum mouebuntur*. Ibi reponuntur, qui perfecti sunt in fide, ita vt non vacillent in ea, adeo vt si opus esset miracula facerent. Quam tamen virtutem ideo Deus modo non dat, quia non est tempus nec opus. Sed scholares, vt plurimum, nec fidem, nec aliquid sciunt quando recedunt, ideo non recipientur in hoc nec alio ordine.

Luc. 6.

Luc. 21.

Octauo sunt Archangeli, qui mittuntur ad hæc inferiora ad nunciandum magna & exequendum magna, & præcipiẽdum alijs Angelis circa ea, quę spectant ad custodiam, & vt creditur: aliqui deputãtur ad custodiam principum magnorum, qui non solum se, sed & alios habent dirigere, & tales etiam nunciant alta mysteria fidei, vt Gabriel. Et quia omne simile ad sibi simile iungitur, ideo qui reliquerunt omnia pro Christo, vt intelligant, & doceant verbum Dei tales habent conditiones similes cum Archangelis, ideo cum eis reponentur, dummodo vitam ducant Angelorum, quod tamen non faciunt religiosi multi.

Nono sunt Angeli qui sunt nuncij, qui parua per Archangelos sciunt, & reuelãt nobis, & nos custodiunt. In hoc ordine sunt, qui parui, qui retinent proximos suos docent. Sic ergo quisque in se inspiciat quod meritum habeat, vnde in ordinem Angelorum constituatur. Nam sicut qui infames sunt, & qui male respondent, nunquã ad sacros ordines promouentur, sic qui infamis vitæ sunt, & qui male respondent ad interrogata Dei per merita. Dominus enim iuxta Psal. *Interrogat iustum & impium*, iustus bene respondet impius male, & ideo impius nunquã ad ordines Angelorũ promouebitur. In secunda parte dicendum est de custodia nobis per Angelos exhibita, vbi quæruntur aliqua. Primo quæritur vtrũ Angelus debuerit ad custodiã hominis deputari, & quod non videtur, quia sufficit diuina custodia. Respondetur, quod necesse est aut valde congruũ Angelos custodię nostræ adhiberi. Primo, quia sicut necesse est mundum hunc contiguũ esse latronibus superioribus, vt inde tota eius virtus gubernetur sicut dicit Aristoteles, sic necesse est mundũ istum spiritualem proximum esse spiritibus superioribus, vt totus inde regatur. Nobiles enim pro filijs conducunt rectores, & magistros qui filios in moribus, & scientia instruant, & corrigant, sic de Angelo Deus homini prouidit, de eis dicitur: *Sub eo curuantur, qui portat orbem*. In quo manifestatur diuina bonitas, quantũ scilicet salutem nostram diligat, dum nobilissimos spiritus, qui ei intima charitate iunguntur dirigit ad procurandã salutem nostrã. Propterea blasphemant Deum, & magnam gloriæ ei partem auferunt, qui rerum humanarum gubernationem, & malorum ordinationem ei subtrahunt. Maioris enim est gloriæ mala nostra scire ordinare, & ex illis bona elicere, quam bona sola disponere. Inde Eccl. *Ne dicat coram Angelo*, id est in præsentia Angeli ad custodiam tuam deputati, quo teste omnia loqueris, *non est prouidentia, ne forte irascatur Dominus super sermones tuos, & dissipet cuncta opera manuum tuarum*. Thren. *Quis est qui dixit, quod fieret Domino non iubente, ex ore altissimi non egredientur bona nec mala?* Tales etiam iustitiam Dei auferunt dum dicũt Deum non curare sanctorum obsequia, & merita, nec scelera nec blasphemias impiorum, & ideo Psal. *Propter quid irritauit impius Deum, dixit enim in corde suo non requiret*

Psal. 10.

G

Angelica custodia est nobis necessaria.

Nota.

Iob 9.

Eccl. 5.

Thren. 3.

P

*requiret*. Secundo in hoc manifestatur dulcedo diuinæ sapientiæ, quæ aperuit sinum homini lapso, nec in aliquo ei deficit, quod spectet ad salutis suæ promotionem. Et ideo cum homo lapsus esset venundatus, vt faceret malum, ministrauit ei pretium sanguinis filij sui per quod redemptus est vt bonũ, & quia habet aduersarium impugnantem dedit ei ministrum custodientẽ, & custodem auxiliantem, vt sic ex nulla parte miseria remaneret humana sine diuinæ misericordiæ subsidio. Ad hoc enim maxime deputatur, vt ab inuisibili aduersario defendat. Et quia aduersarius nos vndique impugnat. Nã rationẽ seducit per astutias, voluntatem allicit per blanditias, virtutes opprimit per violentiam, ideo bonus Angelus datur vt defendat hominem ab oppresione per violentiam, vt erudiat, & dirigat contra fallaciam, vt incitet ad bonum contra blanditias. Tertio manifestatur diuina potentia, quia hoc ostenditur, quod non solum potens est in se contra omnes aduersarios suos, sed etiam in seruis suis, vt iure dicatur Dominus exercituum. Secundo, quod Angeli mittantur ad custodiam nostram exigit lex charitatis angelicæ. Cum enim sint ardẽtissimæ charitatis propter quã dicit Esa.
Esai. 6. *Ecce ego, mitte me*, ideo cum nos possint iuuare, & frenare Angelos malos, ideo quod ad nos mittãtur exigit lex ipsa angelicæ charitatis.

Tertio hoc competit fragilitati humanæ, quæ quoniam paruula est quamdiu sumus in via, indiget foueri, nutriri, & excitari. Et quia Angeli sunt hominibus conciues: nec sunt eis iuncti per naturæ similitudinem, quæ excitet ad amorem, ideo oportuit eos iungi per obsequium beneficentiæ. Hæc Bon. in. 2. d. x. & 11. Secundo quæritur vtrum Angeli boni propter obstinationem custoditi subtrahant custodiæ beneficium. Quod sic videtur,
Hier. 51. quia Hier. dicunt Angeli, *Curamus Babilonem, & non est curata, derelinquamus eam.* Glosa. medici sunt Angeli quos à nobis repellimus dum eorũ cõsilio nõ acquiescimus. Item propter obstinationem excommunicatur quis, & eijcitur extra cœtum fidelium, & subtrahitur ei orationũ Ecclesiasticarum suffragium, & beneficium, ergo cum Angelus sit maior Zelator iustitię quam prelatus, sequitur quod ei subtrahit beneficium custodiæ. Respondetur, quod custodia Angeli vnum actum habet circa corpus in repulsione hostis ne opprimat corpora, & sic non derelinquit eum vsque ad mortem, nisi quando aliter exigit sententia Dei. Alius est effectus circa animam, & sic non deserit Angelus bonus obstinatos quin semper retrahat eos quin labantur in peius, sed sic eos deserit, quod non conseruat eos in bono nec perducit ad bonum, quia tota efficacia huius actus non est ex parte Angeli, sed partim in Angelo, partim in custodito obstinato, sicut tota efficacia actus custodiendi corpus se tenet ex parte Angeli. *H Angelus non deserit etiã obstinatos.*

Et ita sicut non omnino subtrahitur excommunicato beneficium orationis. sic nec obstinato beneficium custodiæ, & hoc est verisimile, & credendum. Nam paratior est bonus Angelus ad conseruandum in bono vel in præseruandum à malo, quam malus Angelus ad præcipitandum in malum, sed malus vsque ad mortem non desinit infestare hominem quantuncunque sit in bono confirmatus vel obstinatus, ita quod secundum Glos. super illud Thob. apprehende branchiã eius, diabolus vsque ad mortẽ sequutus est Christũ, quomodo ergo deseret Angelus bonus hominem, quãtuncunque ille sit obstinatus: cum etiam medicus non relinquat ægrotum, nisi illum de quo desperat, de nemine autem sit desperandum in via? Et si cognosceret aliquem esse pręscitũ, sicut forte erit de Antichristo, adhuc custodiet eum, impediẽdo ne multa mala faciat, quę alias esset facturus.

Timeant tamen obstinati ne quodammodo se elongent Angeli ab eis, & dicere ha-

re habeat, qui ei eiusmodi est. Longe fecisti notos meos à me, posuerunt me abhominationem sibi. Quia si te boni spiritus à nobis elongauerint, malorum impetus quis sustinebit? si autem adsint, nō est vnde timeamus. Hinc Psal. *Protegar in velamento alarum tuarum*. Alæ Dei sunt Angeli sancti, qui vbique volant ad ministerium ad quod missi sunt. Sicut enim (vt dicit Chrysostomus) Diocletianus, & Maximianus erant duæ alæ diaboli, quibus portabantur vbique edicta ad colendum eum in idolis, sic Angeli sancti sunt alæ Dei, quibus protegitur homo quasi sub vmbra ab æstu tentationis vel accipite diabolo sicut pullus sub alis gallinæ, dummodo tamen sit pullus gallinæ Christi, quia aliter non protegitur.

Psal. 60.

Tertio quæritur vtrum Angeli gaudeant quando custoditi conuertuntur. Quod non videtur, quia viri sapientes de modico non lætantur. Rex enim & sui de vilißimo Garsione non gaudent, minus autem est peccator respectu Angelorum, quam vilißimus Garsio in conspectu regis, non ergo videtur quod Angeli multum gaudent de conuersione peccatoris. Primo ad hoc ducit amor Dei. Non enim satis fideliter Dominum suum amat, qui de commodo suo secum non gaudet, sed ipsius testimonio tantum gaudet Dominus de conuersione peccatoris, quantum homo de inuentione rei perditæ quam carißime emerat, & ardentißime amabat, ouem perditam, & inuentam imposuit humeris suis gaudens, portans in Cruce super humeros suos omnia peccata nostra, imo conuocauit amicos, & vicinos suos. Glos. id est, Angelos qui sunt amici Dei, qui continue voluntatem suam custodiunt, & vicini, quia eo continue fruuntur, & eis dixit, congratulamini mihi, qui hanc ouem superlucratus sum. Ideo non est mirum si Dei amore inflammati, & inuitati de conuersione peccatoris gaudeant. Secundo propter beatorum solemnitatē augmentandam.

7 Angeli gaudent de conuersione peccatoris. Luc. 15.

Festiuantes gaudent de aduentu omnium illorum qui festum, & fercula non minuunt sed augent, sed quanto plures erunt saluati, tanto multiplicabuntur fercula, & gaudia beatorum. Quilibet enim de bono, & gaudio alterius gaudebit, igitur in conuersione peccatorum multum gaudent. Quod significatur in reuersione filij prodigi ad patrem, qui festum magnum fecit in domo sua, & occisus est vitulus saginatus propter eum. Tertio quia suæ custodiæ vident gloriosum fructum, sicut medicus gaudet quando videt circa suum infirmum suæ curationis fructum. Gaudet enim dum videt naturam superasse febrem. Sic cum vident naturam debilem superasse hostes suos, maxime delectantur. Bernardus, lachrymæ pœnitentium vinum sunt Angelorum. Quarto quia ex eis vident reparari ruinam Angelicam, & numerum eorum. Dicitur Exodi, quod Moyses minauit oues ad interiora deserti, quia ad hoc venit Christus, vt suos ducat ad deserta, & ruinas Angelorum reparandas. *Columba mea in foraminibus Petræ, & in cauerna maceriæ*. Vbi dicit Gregorius, foramina petræ, & cauernas maceriæ esse sedes ruinosas ab Angelis destitutas. Ideo Iob: *Aquila in præruptis silicibus commoratur*. Præruptas silices appellat Angelos, quia pars cecidit, & pars remansit, inter quos est sanctorum conuersatio, ideo gaudent de salute nostra. In libro pastoris legitur, quod vidit turrim ædificatam super aquas à sex iuuenibus qui lapides offerebant, alij iam candidos, & politos in ædificij structura ponebant, & ita iungebantur vnus ad alium, vt structura turris ex vno lapide videretur.

Exod. 3. Cant. 2. Iob 39.

Cæteri lapides, vel scabiosi, vel rupturas habentes, vel non conuenientes structuræ, ab ædificio tollebantur, quorum alij in desertum, alij in ignem, alij in aquam proijciebantur. Isti iuuenes colligentes lapides sunt Angeli, qui saluandas animas de diuersis parti-

bus

bus congregant, & Domino repræsentant. Alij alias animas pro suis defectibus arcent à palatij structura, quia necdum habiles sunt ibidem collocari. Propter quod in exequijs mortuorũ Michaelem inuocamus tanquam signiferum, vt animas repræsentet in lucem illam æternã ibi perpetuo collocandas. Quinto quia gaudent in laudando Deum simile se habere confortium. Sola enim natura angelica primo laudabat Deum, cui postmodum coniuncta est natura humana. Dicitur secundo ad quæstionem, quod non gaudet Deus de peccatore neque Angeli eius, sed de conuersione peccatoris aut de peccatore conuerso, tanto magis quãto maior peccator est qui conuertitur. Rom. 8. *Quos iustificauit*, id est de peccatoribus iustos fecit, *illos & magnificauit*, id est, coram Angelis, & hominibus magnos fecit. Nihil enim enim est peccator dum peccat, & hoc ex opere sui, sed multum est dum resurgit, & hoc ex opere Dei. Et si dicatur, quomodo potest intelligi maius gaudium super vno peccatore, quam super nonaginta nouem iustis, cum illo multo meliores quam vnus peccator, & de meliori maius fit gaudium in paradiso. Respondetur, quod sicut maius est gaudium de sanatione infirmi quam de conseruatione sani, sic de peccatore, quam de nonagintanouem iustis. Maius enim opus est sanare, & iustificare impium, quia in illo opere magis laborauit Dominus, quam in creando mundum, ideo in tanto, tamque difficili opere magis gaudent.

IN EODEM FESTO SERMO II. *& in ordine LXII. Per Thema præcedens Angelis suis Deus mandauit, &c.*

*A Angelis aur dantur nobis custodes.* QVæritur quare est quod Dominus dat Angelis suis mandatum de custodia humana. Respõdetur, quod propter tria. Primo propter guerrã, quia rex habens duas ciuitates vnam sitam in loco securitatis, & pacis, aliã inter guerrarum pericula gallice *es frontieres*, de prima non solicitatur, sed de secunda. Vnde hominibus existentibus in terra pacis mandat, quod vadant, & custodiant ciuitatem suam in guerra Rex totius creaturæ Deus. Deus cælorum creator aquarum, Dominus totius creaturæ, habet duas ciuitates, militantem hominibus plenam, & triumphantem Angelis. Ciuitas paradisi sita est in pace: *Qui posuit fines tuos pacem*, ideo non solicitatur de eius custodia. Psa. 147 Sed Ecclesia militans est est in periculo, quia plus attendunt spolijs congregandis quam suę defensioni, & victoriæ. Hostis autem videns eos occupatos circa spolia inuadit eos ex aduerso, & vincit eos onustos spolijs, quos prius superare nõ poterat, ideo: dicit Iudas populo suo, *Non concupiscatis spolia, quia bellum contra nos est, sed state nunc contra inimicos vestros, & expugnate eos*, 1. Mac. 4 Sic in bello contra dæmonem maximum periculum est plus intendere spolijs bonorum temporalium quàm defensioni suæ contra peccatum, & victorię tentationis. Dæmon enim videns homines onustos occidit eos antequam se possint exonerare erogando, vel restituendo. Secundo quia transiens per terram inimicorũ male securã indiget bono rectore, & custode. Dominus autem terræ quando diligit talem personam dat ei conductum de propria familia. In mundo sumus in terra hostium: *Quod est Israel quod in terra inimicorum es*, Bar. 3. via autem mundi male secura est plusquam via syluarũ. Ibi enim via quanto magis trita tanto securior, & minus trita, & minus frequentata difficilior ad tenendum, & periculosior. E contra hic, quia via mundi magis trita, & frequentata est periculosior, quia via inferni: *Lata est via spaciosa quæ ducit ad perditionẽ, & multi sunt, qui intrant per eam.* Matt. 7. & ista est magis trita, quia totus mundus sequitur eam, & hæc est excusatio multorum dicentium. Nos sequimur patres nostros, & maiores. Sed via cæli male trita est propter paucitatem euntiũ, ideo difficilis ad tenendum, propter quod indigemus

mus bonis ductoribus. Ea de causa Dominus paradisi ordinauit ductores de propria familia, qui cognoscunt iter. Inde dicebat vnus eorum: *Ego noui, & omnia itinera eius frequenter ambulaui.* Tertia ratio sumus in hoc mundo quasi in mari magno & spacioso. Ideo necesse est hic aliquem esse, qui natando teneat nobis mētum, hoc autem faciunt Angeli. Ps. *Immittit Angelus Domini in circuitu timentium*, & conformiter ad hoc dicitur: *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant*, &c. Sed vt solicitus & feruentius exequantur Angeli mandatum illud, ad reginam Angelorum quæ in hoc iuuet, & teneat manum conuertemur dicentes: Aue gratia plena, &c.

Tob. 5. Psal. 33. Psal. 90.

B Angelica custodia duodecim effectus

Duo dicemus. Primo qui sunt effectus custodiæ Angelorum circa nos. Secundo quomodo poterimus consequi familiaritatem & amicitiam talium custodum nostrorum, vt solicitius nos custodiāt. Quātum ad primum Bonauentura in 2. dist. 11. assignat duodecim effectus custodiæ Angelorum, de quibus hic in æquiualenti dicetur, multis quidem mutatis & additis. Sunt autem isti duodecim effectus seu beneficia, quasi duodecim alæ quas vidit Esa. dicens: *Seraphim stabant super illud sex alæ vni, & sex alæ alteri.* His alis quasi fouent nos & protegunt. Primus effectus est pro delictis increpare & arguere. Quod significatum est Iudic. in Angelo, qui ascendit ad locum scientium, & increpauit filios. Israel de ingratitudine & præuaricatione. Et quia multum efficax est increpatio angelica, ideo dicitur quasi cogere hominem, vt à peccato resurgat. In signum cuius filij Israel ibidem audita increpatione Angeli, fleuerunt, & Genes. Angeli coegerunt Loth à Sodomis exire, & Angelus missus est, vt mitteret duos pueros de fornace Babylonis, & Act. Angelus excitauit Petrum dicens: surge velociter, & sequutus est effectus, quia continuo ceciderunt catenæ de manibus eius. Secundus effectus est quod præseruat à lapsu in peccatū, & tollit aut mitigat vim tentationum. Primum patuit in Angelo, qui impediuit Balaam ne filijs Israel malediceret gladio euaginato extenso, id est ostenso terrore diuini iudicij. Secundum apparuit in figura in Angelo, qui percussit primogenita Ægypti, id est primos tentationum motus. Dicitur etiam Esa. quod ingressus Angelus Domini percussit in castris Assyriorū centū octoginta quinque millia, & Exod. Angelus custodiuit castra Israel contra Ægyptios, & se interposuit inter castra Ægyptiorum & filios Israel. Et hoc fit aliquando dæmones ligando seu arcendo, & restringendo potestatem eorum ne amplius noceant, vt fecit Raphael Asmodeo. Tob. & Apoc. *Angelus ligauit dæmonem, & misit eum in Abyssum.* Sed multum irascitur Angelus, quando custoditus ab eo non assurgit contra diabolum eum tentantem. Exemplum habemus in vitis Patrum de quodam tentato à spiritu fornicationis, qui rogauit quendam sanctum Patrem, vt oraret pro eo. Quod cum fecisset pęne assidue, & ille diceret se à tentatione illa non esse alienatum, cum contristaretur senex se non audiri, vidit illum Monachum quem tentabat diabolus sedentem, & spiritu fornicationis ante illum ludentem, & ipsum cum eo delectari, & Angelum Dei astantem, & grauiter indignantem contra eum, quia non consurgebat, & orabat iuxta consilium suum, sed magis delectabatur in cogitationibus suis & imaginationibus, quas & diabolus immittebat. Tentamur enim ab intus & de foris, ab intus à suggestione, à foris à delectatione, per suggestionem in mente, per delectationem in carne. Tentationes à carne sunt filij alieni, qui nascuntur ab aliena, de qua Prouer. *Quare seduceris fili mi ab aliena, & foueris in sinu alterius*, & eiusdem: *Fouea profunda meretrix & puteus angustus aliena*, & Psalm. orabat: *Erue me de manu filiorum alienorum.* Tentationes quæ veniunt intus per suggestionem in mente. sunt aquæ multæ quæ surgunt de scaturigine perpetua, de quibus

Iud. 2. Gen. 19. Act. 12. Num. 22. Esai. 37. Exod. 14. Tob. 8. Apo. 20.

Esai. 6.

C Tentatio duplex ab intus, & de foris. Prou. 5. & 22. Ps. 143.

Thren 3 quibus Thren. *Lapsa est in lacum vita mea, posuerunt lapidem super me. Inundauerunt aquæ super caput meum, & dixi perij.* Sed contra istas manus mittitur ab alto, id est Angelus Domini ad eripiendum quemlibet tentatum. Ideo dicit Psal. *Emitte manum tuam de alto,* id est Angelum, *& eripe me de aquis multis,* propter primam tentationem, *& de manu filiorum alienorum* propter secundam. Bernardus. serm. 12. super. Qui habitat. Quotiens grauissima cernitur consurgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, inuoca Angelum custodem tuum, adiutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione. Non dormit neque dormitat, & si quandoque ad tempus dissimulat. Dicunt enim Angeli: *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus.* Terra sunt pueri de terra recenter nati, mare adolescentes & iuuenes quasi mare in concupiscentijs feruidi & instabiles, arbores senes in vita prolongati. Sara septem viros habuit, quos omnes diabolus occidit, sed adiutorio Raphaelis solus Thobias euasit. Bernardus, sicut non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel, ita non dormitabit neque dormiet, qui impugnat Israel. Vnde missus est Angelus in lacum, vt concluderet ora leonum. Sicut enim diabolus tentationes accendit, *Halitus eius prunas ardere facit,* sic bonus Angelus eas mitigat. *Angelus fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem.* Tertius effectus est nos illuminare, quod faciunt quatuor modis. Primo per viam reuelationis, sicut in Prophetis, & hæc est communiter obscura notitia. Ps. *Tenebrosa aqua in nubibus aëris.* Gregorius obscura scientia in Prophetis. Vnde Genes. Tres Angeli mysterium Trinitatis, vnitatis expresserunt Abrahæ, & ibid. *Num celare potero Abrahæ quæ gesturus sum.* Secundo declarando profunditates scripturarum sicut in doctoribus. Vnde Glo. super illud Psal. *Manus tuæ Domine fecerunt me,* &c. Angelus dicitur dare intellectum ad modum illius, qui dicitur dare lumen, quando aperit fenestram. Fumus enim perturbantes fantasiam tollunt, & viam parant traditioni à deitate procedenti. Excitat enim Angelus intellectum consepultum, per inconsiderationem & pigritiam, Zach. *Angelus Domini excitauit me quasi hominem, qui excitatur à somno.* Sic excitauit Petrum dormientem. Tertio ostendẽdo practicam veritatis, sicut in iudicibus apparet, & apparuit in iudicio Salominis de meretricibus. Ista enim iudicia à Domino procedebãt Angelis mediantibus. Quarto illuminando intellectum in desiderio bene viuendi, consulendo animabus, quam viam tenere debent. Vnde & filijs Israel columnam igneam nocte applicauerunt. Interrogatus enim à quodam sancto viro nomine Vedasto quidam Eremita Africanus, cur Angelus tam charitatiue hominibus consuleret, respondit, quia à carnalitate recedunt, & humilitati approximant, & ideo tales amant, & eis familiares sunt. Qui autem carni vacant, Angelos suos contemnunt. Magis autem eos, qui post carnis & concupiscentiæ immunditias ambulant dominationesque contemnunt, id est Angelos suos, qui debent eos regere, probare tamen oportet spiritus si ex Deo sint, quia non solum Angelus illuminat & inspirat, sed etiam cor inclinat ad exequendum quod inspirat pura intentione, & ad Dei gloriam, non fauore, non diuitijs, non honorum spe. Daniel. *Nunc egressus sum, vt docerem te & intelligeres.* Quartus effectus est, quod Angeli conducunt bonos in paradisum. Exemplum in Lazaro & Martino. Quicunque enim habet bonum conductum securius vadit. Hoc Dominus promisit Exod. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem præparaui.* Sunt enim illi equi ignei, qui portauerunt Hæliam in cælum. Sic iustos portant quasi equi. *Qui ascendet super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio.* Sed sicut Angeli sunt equi ad deportandum iustos in paradisum, sic diaboli equi ad portandum malos in infernum.

[Margin notes: Ibidem. — Apoc. 7 — Tob. 8 — Psal. 120 — Iob 40. — Dan. 3. — Psal. 17 — Gen. 18. — Psal. 118 — Zach. 4. — Act. 12 — Dan. 9. — Exod. 23 — D — Angeli quasi equi portantes iustos in cælum. — 4. Reg. 2 — Abac. 3]

Qui

Qui vero vult habere obsequium, Angeli in morte sua, efficiatur Angelus in vita sua, vt scilicet corde puro solus Deus in eo reluceat, & tentationibus resistat, aut efficiatur equus Dei sicut sunt doctores, & boni Prælati, non equi diaboli sicut lecatores, lubrici, de quibus Psal.
Psal 31. *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Non solum autem seruiunt hominibus Angeli dum viuunt homines, sed etiam mortuis, non solum diuitibus & nobilibus, sed etiam mendico & vlceribus pleno. Quæ quidem deportio Angelorum non est necessitatis, sed honoris, sicut aliqui Episcopi cum veniunt ad Ecclesias suas, propter honorem solent à
Ezech 8 magnis personis deferri. Ezech. *Eleuauit me spiritus inter cælum & terram, & adduxit me in visione Dei.* Anima à spiritu angelico inter cælum & terram eleuatur, quando in die mortis ab Angelis in æternam requiem deportatur.

E Angelica consolatio differt à consolatione mundi.

Quintus effectus est, homines consolari. Hoc patuit in resurrectione Christi, & in passione eius. Sed aliter quam mundus, quia mundi consolationes viles sunt, & sordidæ doloribus, dissolutionibus, & multis miserijs admixtæ, & paucum per-
Prou 14. manentes. *Extrema enim gaudij luctus occupat.* Sed angelica consolatio gloriæ gustum asportat, nullam secum miseriam, contrarietatem, aut imperfectionem gerit, sed subito hominem exaltat ad secreta Dei, & ad scripturarum magnalia, & ad deuotionem & amorem eius. Cauendum tamen est ne quis appetat eam quasi dignus habere illam, quia sæpe malus angelus transfigurat se in Angelum lucis. Vnde cuidam sancto patri apparuit dæmon in forma boni Angeli. Cui sanctus pater ad humilitatem confugiens, respondit:

Non sum dignus videre Angelos, vide ad quem mitteris, forsitan falleris, & statim fugit dæmon, turpiter victus. Qui enim Romam fatuus vadit, fatuus inde redit. Sic ab Angelo consolatus est Paulus in naui priusquam periclitaretur. Consolantur etiam bonos viros, maxime qui tristantur de perditione animarum, ita vt sæpe tristitia illa tollatur subito, & nescit vnde hoc veniat. Hinc Salvator Ioann. *Spiritus vbi vult spirat, & nescis vnde veniat aut quo vadat.* De qua Ioan 3.
consolatione Psalm. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Qui Psal 93.
enim propter Christum dolent, & tristantur, sæpe huiusmodi consolationes recipiunt. Inde Angelus ad Thobiam eiusdem. *Forti animo esto, in proximo est, vt à Deo cureris.* Tob 5.

F Angelus cur terret apparendo.

Sed quæritur quare Angeli boni cum nobis apparent nos terrent, sicut apparuit in Daniele, & in resurrectione Christi, etiam terrent iustos, & iniustos. Respondetur quod hoc est. Primo quia fragilitatis naturæ corruptæ est, cum insuetam rem iuxta se videt aut sentit, subito & sine deliberatione terreri. Quia enim amore naturali se diligit homo, timet omnia sibi nocibilia, vel quæ ad nocendum habent aliquam apparentiam. Et quia Angelus super naturalem modum apparet, & est nouitas quædam insueta, ideo timet ne sibi nociuus sit, & sic terretur. Secundo quia status naturæ angelicæ altus est, & supra humanam conditionem, ideo non vult Dominus quod eius habeat cognitionem sine magna alteratione & mutatione vtriusque Angeli, scilicet in forma hominis, & ipsius hominis, qui alteratur in spiritu, vt consideret altum statum gloriæ Dei. Et ideo antequam videat homo Deum, necesse est ipsum per mortem & tribulationes magnas transire, vt intelligat se ad magna venturum, quando sic terminat vitam suam. In quo cogitet homo qualiter alterabitur: quando exiens anima à corpore videbit illam pulchritudinem Angelicam.

Ex opposito quando malus homo se videbit circundatum, & obsessum laruis, & monstris dæmonũ. Tertio apparet sic terrendo ad vtilitatem hominis, vt illo terrore

terrore si quid purgandum sit purgetur, vt dignus fiat visione angelica, vel vt cautior reddatur. Obuiant præterea Angeli peccatoribus, vt eos à malis retrahant, & eorum malam voluntatem reprimant, sicut legitur de Balaam, qui ibat ad maledicendum, cui angelus contrarius obuiauit, & ipsius malum propositum reprehendit. Sæpe etiam per somnia terrēt homines, vt cautiores expectent tribulationes futuras, vel vitam suam malam corrigant. Sicut enim mali angeli terrent communiter malos, antequam eis eueniant mala futura, iuxta illud Psal. *Immissiones per Angelos malos, viam fecit semitæ iræ suæ*, & sic: *Non pepercit à morte animarum eorum.* Vbi enim prius erat semita iræ Dei ad malos corrigendos, postquam angeli mali terruerunt eos, sicut faciunt communiter per somnia, & sicut terruerunt Ægyptios, priusquam venirent in extrema mala, nec tamen inde conuertuntur ad Deum, tunc fit via lata iræ Dei, quę prius erat semita. Sic & boni Angeli terrent bonos, vt caute se habeant contra mala ventura. Psal. *Immittit Angelus Domini in circuitu timentium eum*, scilicet terrores, *& eripiet eos.* hoc autem fit communiter per somnia. *Terrebis me per somnia, & per noctes horrore concuties.* Sextus effectus est, quod Angeli boni inflammant spiritum ad deuotionem & contemplationem, & inde dicuntur ignis vrens. Psal. *Qui facit ministros tuos ignem vrentem.* Hęc tamen inflammatio facile tollitur ab eo, qui in mala societate viuit, sicut carbo ignitus ab ignitis separatus, & mortuis iunctus cito perdit partem sui caloris. Psal. *Cum sancto sanctus eris.* Secundo hanc tollit nimius amor sui, de quo Saluator: Qui odit animam suā in hoc mundo, in vitam æternā custodit eam, & qui diligit animam suam perdet eam. Cauendum tamen est ab inflammationibus, vbi habētur motus carnales. Tales enim non fiunt ab Angelis, & propter hoc cum sentiuntur, dimittendæ sunt. Hæc enim flamma quasi sulphure imbuitur, neque spiritus bonus carnem commouet, sed spiritum solum. Hoc autem opus est malorum spirituum sophisticare, & miscere contemplationis vino carnalitatis aquam. Istud autem vinum non est dignum dilecto Dei ad portandum. Vnde: *Iacob vidit scalam, & Angelos ascendentes, & descendentes per eam*, ascendentes ad Deum, & descendentes ad proximum. Septimus effectus est quod Angeli boni in periculis itinerum hominem custodiunt. Sic conduxit Angelus Domini populum Israel in exitu de Ægypto ad transeundum mare, pones nubem inter eos & Ægyptios, quæ circa Israel erat lucida, ostendens eis iter, circa Ægyptios tenebrosa, vt nescirent quo pergerent, & submersit eos in mari, liberauit populum Domini, sustentauit eos in itineribus, vt non fatigarentur, posuit columnam nubis in die, ne solis ęstu vrerentur, & columnam ignis, vt luceret eis per noctem. Sic de Thobia legitur, quod conduxit eum Raphael, & reduxit incolumen. Sic multi accipiunt iter deuium ex conductu Angeli, qui si per viam rectam ijssent obruti, deprædati, vel occisi fuissent, vt sæpe contingit. Sic multi credunt fornicari, qui bonorum Angelorum ministerio obicem inueniunt. Et ideo Psal. *In manibus portabunt te*, &c. Vnde & Iacob in itinere positus timens fratrem suum Esau vidit castra Angelorum quasi eum iuuare parata, & Helysæus vidit castra Angelorum, cum puer eius hostes videret. Et Genes. *Vidit Angelus Domini Agar ancillam Saray errantem in solitudine Bersabee, & vocauit eam.* Octauus effectus est, quod Angeli in periculis bellorum iuuant. Inde misit Dominus Angelum, qui præcederet filios Israel vbique. Hinc dicitur Dominus exercituum, quia facit & dissipat bella, per Angelos suos, alteri parti dans animum, alteri surripiens, ita vt quasi in principio belli satis cognoscant bellaturi inuicem qui victoria potietur, & frequenter minor pars potitur. Vnde & libro vndecimo historiæ tripartitæ capite decimoquinto,

Marginalia: Num. 22. — Psal. 77. — Psal. 33. — Iob 7. — Ps. 103. — G Angelorum inflammatio per duo tollitur — Psal. 17. — Gen. 28. — Gen. 14. — Tob. 5. — Psal. 90. — Gen. 32. — 4. Reg. 6. — Gen. 21. — Nota.

moquinto, hoc apparet de Angelis qui contra Persas & Agarenos bellauerunt & vicerunt; & sicut præseruant homines sic & ciuitates. Exemplum 10. lib. histo. tripar. ca. 6. de Gaina hæretico qui comminatus est incendium vrbi Constantinopolitanæ. Sed Angelorum apparētium medio, dictus Gainas deuictus est.

Nonus effectus est in via Dei confortare. Hinc dixit Angelus ad Helyam, *surge & comede, Grandis enim tibi restat via.* 3.Re.19

Decimus effectus est nobiscum laudare Deum. Inde Psal. ait: *Præuenerunt principes coniuncti psallentibus*, Et rursum, *In conspectu Angelorum psallam tibi.* Sic & in funeribus aliquorum sanctorum leguntur decantasse. Vtrum autem laudent Deum vocaliter, vel laudabunt sicut homines beati post resurrectionem, vide sermone de sancto Martino. Vndecimus effectus est offerre orationes nostras Deo. Primo secundum Bonauenturam in quarto, distinctione quadragesimaquinta in expositione, vt eas suis meritis maiores & meliores faciant, sicut videmus in causis terrenis, quod qui nescit loqui corā prætore conducit aduocatum vt loquatur & alleget pro ipso. Sic in spiritualibus cum nec perorare nec balbutire sciamus coram Deo, oportet Angelum tanquam in aduocatum in illa curia assumere verbū & orationem pro nobis. Hoc autem per hunc modum fit. Nam loqui nostrum & oratio nostra est desiderium alicuius rei vel petitio secundum desiderium formata. Quod autem desiderium nostrum ex mera & vera & ardenti dilectione procedit tunc fortiter clamamus in auribus Dei & tunc optime peroramus. Sed quādo affectiones nostræ sunt tepidæ & affectiones Angelorum feruentissimæ, & magis ad ipsum eleuatæ desiderando pro nobis quod petimus, cum accedant ad Deum familiarius, sic quod vidit Deus nos primo petere, & approbare per os nostrum, secundo approbat per os & desiderium Angelorum. Et quoniam illud dicitur nosse, quod approbat, hinc est quod petitiones nostræ dicūtur innotescere apud Deum, non solum per nos sed etiam per Angelos. Secundo vult Dominus ordinem seruare quem fecit, & quia Angelos maiores nobis instituit, & quasi mediatores inter nos & ipsum, ideo vult ministerio Angelorum ad ipsum deferri, quamuis eas præcognoscat. Tertio, vt Angeli in diuina bonitate cognoscant ex his orationibus & meritis quid circa custoditos & pupillos habeant exercere, & qualiter nobis ministrare. Sunt enim iustitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ, & tamen ab Angelis tales præsentantur Deo, nec illud abhorrent, nec eos pro tāto beneficio recognoscimus. Purgāt enim orationes & opera nostra, vt digna sint Deo præsentari. Sunt enim ignis purificans & tollens ferri rubiginem: *Qui facis ministros tuos flammam ignis.* Hinc Raphael Thobiæ, *Quando orabas cum lachrymis, ego obtuli orationes tuas Domino.* Duodecimus effectus est à peccatorum vinculis absoluere. Hinc dicitur Act. quod Angelus Domini astitit Petro existenti in carcere, per quem designatur peccator existēs in tenebris ignorantiæ & peccatorum vinculis innodatus, sed sequitur, lumen refulsit in habitaculo, & ceciderunt catenæ de manibus eius, catenæ scilicet peccatorum. Hoc tamen intelligendum est dispositiue. Pro secunda parte dico quod familiaritatem Angelorum primo acquirimus per solitudinem. Cum enim sancti mundum fugierūt, Angelis proximi facti sunt. Exemplum in Magdalena, exēplum etiam in sanctis patribus eremi: *Ego lactabo eam & adducam eam in solitudinem & loquar ad cor eius & dabo ei vinitores ex ipso loco*, id est, Angelos qui purgabunt animam. Inde Angeli astiterunt Domino in deserto Mat. Hinc & Scipio se nunquā minus solum esse dicebat quam cum solus esset, quia cogitationes sanctę vel immundæ aut ociosæ semper arripiunt Solitarium hominem. Hæc autem ex bono vel malo Angelo procedunt. Secundo per piam subditorum solicitudinem. Diligunt

Marginalia: Psal. 66. Psa. 137. — H Angeli per quē modum offerant orationes nostras Deo. — Psal. 103. Tob. vlt. Act. 12. — I Angelica familiaritas quomodo acquiritur. Osea 2. Matt 4.

ligunt enim Angeli compares suos. Sicut enim illi curam habent de nobis, iuxta illud: *Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis*, sic & eis assimilantur qui curam gregis sui gerunt. Vnde & nocte Natalis Domini Angelus stetit iuxta pastores custodientes vigilias noctis circa gregem suum. Qui autem ministrare dedignantur, non sunt similes Angeli Dei, sed sathanæ, qui dicit Esai. *Sedebo in monte testamenti, similis ero altissimo*. Et Ioan. *Ille in veritate non stetit*. Isti manducant panem doloris, id est lachrymarum pauperum, quibus dicitur in Psal. *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris*. Inde Matth. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*. Sessionem enim distulit in futurum sibi & suis, sicut ipse dicit Matth. *Cum sederit Filius hominis in sede Maiestatis suæ, sedebitis & vos*, &c. Sed modo stat, stant & Angeli. *Stetit Angelus iuxta aram templi*, stemus & nos cum eo, quemadmodum ipse præcipit Moysi. *Tu vero hic sta mecum*. Vnde & Luc. dicebat Dominus: *Quis vestrum habens arantem seruum qui egresso de agro dicat illi: statim, transi & recumbe, & non magis dicat ei, para quod comedam, & præcingere, & ministra mihi donec manducem & bibam, & post hoc manducabis & bibes. Numquid gratiam habet seruo qui fecit quæ sibi imperabat? Sic & vos cum omnia bene feceritis dicite, serui inutiles sumus*. Denarium enim diurnum non recipiunt otiosi, sed laborantes. Tertio, per hospitalitatis receptionē. Ouidius, super omnia vultus accessere boni. *Si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum*. Sic Abraham, sic & Loth hospitio Angelos susceperunt. Sic in Antiochia quidam Angelis quia hospitio pauperes recipiebat saluatus est cum domo sua. Quarto, per cordis munditiam. Diligunt enim locum mundum. Nam & apes fugiunt fumum, & de columbis dicit Poëta. Aspice, quod veniant ad candida tecta columbæ. Sic etiam Angeli. Fugiunt autem familiaritatem carnis, mundi, & diaboli, nec est amicus qui amicitiam iungit cum inimicis, & inde dicitur: *Amicus huius mundi inimicus Dei constituitur*. Propterea hortatur sapiens: *Ab inimicis tuis separare & ab inimicis tuis attende*. Et Gen. dicit Rebecca ad Ysaac. *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth. Si acceperit Iacob vxorem de stirpe huius terræ, volo viuere*. Heth interpretatur stupidus, quæ est conscientia tremens, & non secura propter peccatum. Vnde & Angelus euaginato gladio occurrit Moysi secum ducenti vxorem, & filium incircumcisum. Quinto, per frequentiam, & frequentem allocutionem quam habent cum contemplatiuis. Per iactantiam vero amittuntur: *Si denudaueris absconsa illius non persequeris eum*. Sicut qui dimittit auem de manu, sic qui reliquisti proximum tuum, & non eum capies. Non illum sequaris, quoniam longe abest. Bona enim opera sanctis Angelis possunt manifestari, & communicari, sed non alijs.

Margin notes (left column): Hebr. 1. — Luc. 2. — Esa. 14. — Ioan. 8. — Psa. 126 — Mat. 20. — Mat. 25. — Apoc. 8 — Deut. 5. — Luc. 17. — Gen. 18. — Ibidem.

Margin notes (right column): Iac. 4. — Eccl. 6. — Gen. 27. — Exod. 4. — Nota. — Eccl. 27.

*IN EODEM FESTO, SERMO III. & in ordine LXIIII. Per Thema.*

F*Actum est prælium magnum in cælo, Michael, & Angeli eius pugnabant cum dracone*. Hodie non est vnius Angeli, sed totius cœlestis exercitus solemnitas, quā agimus propter nos, vt aliquid eis exhibeamus, à quibus tot beneficia accipimus. *Ipsi enim* (inquit Apostolus) *sunt in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis*. Inde cæteros autem post Christum neminem inuenio cui tam officiose obsequuti sint sicut Mariæ, cuius Hieronymus subdit causam, quia Angelis cognata est virginitas. Ipsa enim est virginum Regina, de qua Psal. *Adducentur regi virgines post eam*. Cognati autem libenter volunt, vt quis loquatur de sua progenie altera & magna, quia ex hoc prolis honor accedit. Ideo ipsam virginem adeamus, vt per eius gratiā destruatur in nobis vitiorum, draconisque prælium. Secundo, vt possimus de cognatis sibi.

Margin notes: Apo. 12 — A Angelis obsequuti sunt præsertim Mariæ. — Heb. 1. — Psal. 44.

sibi Angelis aliquid deuotionis accipere,& propter hoc dicamus ei. Aue gratia plena, &c.

Duplex inuenitur cælum. Quoddam inuenitur cęlum gloriæ,de quo Ps. *Cælum cæli Domino.* Quoddam cælum Ecclesię,de quo idem Psal. *Volucres cæli & pisces maris,* &c.& in Euangelio, *Amodo videbitis filium hominis venientem in nubibus cæli.* Sic ergo thema nostrum diuidemus in duas partes. Primo loquimur de prælio Michaelis & Angelorum eius facto in cælo gloriæ. Secundo de prælio quod fit in cælo Ecclesiæ. Circa primam partē quæ deducetur hoc sermone dicemus, Primo de pugna Michaelis & diaboli. Secundo de vitio dæmonis ex quo pugna orta est. Tertio de casu Luciferi & suorum, & vbi ceciderint. Quarto de numero electorum.

Psal. 113

Psal. 8

B Angelicus demonis pugna in cælo.

Dupliciter autem in cælo cum dracone à Michaele pugnatum est. Primo quidem disputatione. Secundo potentiæ libera applicatione. Modus vero pugnæ per disputationem talis fuit. Ait enim Gregorius exponens thema loquutus de dignitate Michaelis. Oportet profecto, vt magnos de magnisque & insignibus extiterit, quem in prælio magno cœlesti ducem ac signiferum sui exercitus pręcipuū vniuersalis Imperator ac supremus regum instituit, cuius ducatui videtur omnes beatorum spirituum acies subiecisse. Vnde & conestabularius totius cœlestis exercitus factus est, Cuius prælium vt melius intelligamus aduerte, quod fingit licentia poetica ex dentibus serpētinis à Cadmo humi iactis militiam arärmatam surrexisse, & confestim alternis vulneribus concidisse, vt habetur Metamorphoseos tertio. Cadmus enim serpentinos dentes in hunc mundū fecit, quando subtiles spiritus natura creauit, qui postmodum contra se surrexerūt & mutua altercatione & libera potentiæ applicatione se ceciderunt. Postquā enim diuinæ sapientiæ placuit seipsam in creaturis diffundere, mundum hūc pulcherrimum regnum & maximum, non necessitate (vt philosophi putant) sed summa libertate fabricauit, in quo condidit palatium præclarum ac magnificum, quale decebat habere vniuersalem ac summum Imperatorem, illic quoque exercituum suum & inclitam magnatum ac militum suorum familiam creauit, condens simul Angelorum naturam & largiens gratiā, secundum Thomam. 1. parte. c. 43. post Augustinum. Illud vero palatium est cælum empireum. Fuerunt autem Angeli viatores constituti ante gloriæ consummatæ largitionem, vt per strenuos actus infra certam temporis morulam beatitudinem mererentur, vel non merentes perpetuo punirentur. O nunquam securum præsentis viæ statum. O nunquam satis per se stabilem creaturam, quin potius sibi relicta tanto variabilior & vanitati subiectior est, quanto in naturalibus extiterit perfectior. Si enim beati Gregorij potius quā Dasmasceni sententiæ credimus, Lucifer supremus fuit Angelorū,& tamen hic primus à sua perfectione decidit, & primus morbo peccati vulneratus interijt. Nam pulchritudine sua, sapientia, fortitudine, cæterisque dotibus suis non ad humilitatem, sed superbiam vsus est. Dicebat enim quod Esai. scriptum est. *Ascendam super altitudinem cæli, similis ero altissimo,* &c. Contra quem Michael, zelo Dei accensus. Primo gymnasticum prælium cum eo aggreditur. Attende (inquiens) Lucifer quod agas, noli super temetipsum erigi. Neque enim quicquam habes quod non accepisti. Si autem accepisti, cur gloriaris quasi non acceperis? Aspicis dona tua quæ dedit Dominus, non ad tuam gloriam, sed ad illius laudem, vt cognitus cogitetur, diligatur, & iugiter & inseparabiliter tanquam sponsus amplexetur. Similiter & Gabriel cæterique boni potuerunt ita dixisse. Sed tanta est superbiæ pestis & adeo obuoluit caligine cæcitatis, vt surdos & cæcos efficiat quos possidet. Ambitio enim est quæ bel-

Esa. 14.

C Superbia quā mala sit.

 lorum

lorum omnium in terra marique genitrix fuit (inquit Salustius) quæ singularũ regionum populos cum suis regibus miserandas præcipitauit in mortes. De hoc plenæ sunt historiæ, de morte Alexandri patet, & aliorum pæne infinitorum regum. Hęc adeo crudelis est, atrox & horrenda, vt eam nec miseranda Ecclesię dissipatio moueat, neque molliat pręcedentium superborum tam multiplex punitio, nec denique iudicij diuini & propriæ damnationis certitudo perterreat, sed nec doctrina Saluatoris retrahat, quæ tota de humilitatis laude contexta est. Ait
Mat. 18. enim in Euangelio: *Quicunque se humiliauerit sicut paruulus, iste hic maior est in regno cælo-*
Mat 23. *rum*, & alibi: *Qui se humiliat, exaltabitur*, &c. Spernuntur tamẽ ista ab hominibus nostri temporis, & forte elongãtur à nobis Angeli propter superbiam quam odiunt, non enim volebat superbus draco Michaeli monitionibus occumbere seu obtemperare præ superbia. Non enim volunt magni minorum monita audire. Affirmabat autem se iure naturalis conditionis debere præesse, quia sapientior, pulchrior, fortior, & omnibus præstantior, & sic factum est prælium, &c.

Nota. Præfatæ autem altercationis & repugnantiæ contra malos, & tractatus malorum ad inuicem duratio & mora videtur à Guilielmo Parisien. sex horarum spatio mensurari. Vnde Augustinus exponens
Gen. 1 illud Genes. *Diuisit lucem à tenebris*, per lucem intelligit naturam angelicam, quæ in gratia remansit, & tenebras naturam angelicam deprauatam. Subditur enim: *Et factum est vespere & mane dies vnus*, ita quod dies primus incepit ad vesperam, à vespera autem vsque ad mane sex horæ computantur. Et si arguatur, quia scriptum est, quod in veritate non stetit, hoc intelligendũ est, quod non per multum tempus, vlterius quod homicida fuit ab initio, intelligendum est ab initio creationis hominis. Neque fuit lucifer eo momento damnatus, quo peccare cæpit, imo & doctorum quorundam sententia est, malos ante terminum sui casus pœnitere potuisse, quia extra viæ statum nondum positi erant. Sed Michael & Angeli eius fuerunt præseruati per gratiam Dei, vnde & laudandi, quia potuerunt transgredi, & non sunt transgressi, & contra alios insurrexerunt doctrina & oratione. Postquam vero diabolus monitis noluit se reuocare. Deus ab eodem palatio proposuit eum deijcere, & bonis Angelis pro meritis largitus est, distinguens eos per Hierarchias, officia, & dignitates, demum conuersus ad hunc miserrimum cum suis participibus detrudi iussit in infernum. Illico parent omnes, Michaele duce exercitus, & potentiæ suæ libera applicatione ipsum deiecerunt. Tum demum ipse Lucifer in superbiam summam & odium Dei conuersus est, ipsum esse acceptorem personarum reputans, & hoc alijs persuadere conabatur, quorum plurimos habuit in suam euntes sententiam, & in Deum simili iracundia debacchantes, & ob hoc dicitur traxisse tertiam partem stellarum cauda sua. Sic itaque factum est prælium magnum in cælo, &c.

Quo ad secundum scilicet de peccato D
primi Angeli. Videtur quod peccare non Nota.
potuerit, quia iam videbatur beatus, iuxta illud Ezech. *Tu plenus sapientia & perfe-* Ezec. 28
*ctus decore in delitijs Paradisi fuisti*. Secundo cum esset in supremo cælo, vltra quod non erat superius cælum, quomodo ex superbia dixit, Ascendam in cælum. Tertio non videtur, quod appetierit æqualitatem Dei, quia hoc sciebat esse sibi impossibile. Dicitur primo secundum Bonauent. in 2. distin. 4. quod sicut primus homo conditus est, & positus in delitijs Paradisi, quæ tamen non erant delitiæ beatitudinis perfectæ, & sicut data est ei sapientia ad cognoscendum omnia terrena, sed non illa quæ est visio Dei in patria, sic intelligendum est de Angelo. Dicitur secundo secundum eundem in secundo sentent. distin. 2. in expositione textus, quod corpus quod est sursum, communiter dicitur Cęlum, quia contentiuum

tiuum, secretum, & quietum. Et quia hæc triplex proprietas reperitur in celsitudine diuinitatis, ideo illa appellatur cęlum. Est enim ampla immensitate virtutis, secreta profunditate cognitionis, quieta tranquillitate dilectionis, & illud est cælum ad quod voluit Lucifer ascendere. Dicitur tertio, quod diuersitas est inter doctores, an Lucifer appetierit æqualitatẽ Dei. Dicit enim doctor subtilis, quod appetijt veram æqualitatẽ Dei, vel saltem potuit, non quin sciret illud esse impossibile, sed ex apprehensionibus simplicibus hoc poterat, sicut homo optat vitam perpetuam, quamuis hoc sit sibi impossibile. Alij dicunt, quod appetijt non directe, sed altero modorum sequentium. Primus modus est quia se auertit à Deo, nec eius mandato paruit. Omnis enim inobediens se Dominum & Regem propriæ voluntatis constituit, ac proinde dominium vsurpat soli Deo debitum. Et sic superbiuit iste Lucifer, & se constituit regem suę voluntatis, & in hoc se Deo parificauit. Secundus modus est quia voluit habere dominium super alios ex iure suæ naturalis conditionis, & non ex meritis & gratia Dei, cum qua nolebat alijs quocunque modo subjici, cum tamen omnis creatura naturalis in dominio constituta subditorum commodis seruire teneatur, & pro obsequijs susceptis vicissitudinem rependere. Vnde Matth. dum schisma esset inter Apostolos, quis eorum videretur esse maior, respondit Christus: *Quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister, & quicunque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.* Dominationi enim coniuncta est seruitus, & propterea Papa seruus seruorũ dicitur: Qui aliter dominari vult, non iam Dominus, sed tyrannus vocandus est. Tertius modus quo voluit æqualitatem Dei est, quia voluit se ab inferioribus Angelis adorari, & hoc postmodum ab hominibus astuto studio extorsit, & non cessat extorquere vt adoretur. Patuit de Christo tentato.

*Mat. 26*

Dicitur vltra, quod peccatum malorum angelorum sociorum primi angeli secundum vnam opinionem quam recitat Bonauentura 2. distinct. 5. fuit quod Angeli minores superbierunt, petendo æqualitatem illam, non tamen consentiendo Lucifero, sed sibimetipsis excellentiam appetẽdo, quia non videtur probabile, quod Angeli minores, prius appetierint alij aliquod bonum commutabile quam sibi, nec tamen credebant se ad illud posse peruenire, sine ipsius Luciferi sublimitate, qui erat quasi omnium caput, ideo sibi, & illi appetierunt, & sic illius, & suæ propriæ superbiæ consenserunt, & ita Apocalyp. *Draco post se traxit tertiam partem stellarum.*

*Nota.* *Apo. 12*

In quo apparet quam periculosum est ambitionis vitium, & baratrum, quando scilicet magni ad honores vehuntur. Videntur enim sibijpsis dij, & quod nullus debet eos inuehere. Credẽdum est multos dæmonum perditos esse, quia in aliorum ambitionem conuenerunt, non eis inhærendo sed eos redarguere non audendo. Tertio videndum est de casu mali Angeli. Pro quo aduertendum. Primo quod eodẽ die quo malus Angelus creatus est cecidit, scilicet die dominica, quãdo diuisit Deus lucem à tenebris, id est, bonos à malis, vt sicut in fine mundi malos homines à bonis diuidet, sic in principio malos angelos à bonis. Consueuit tamen Ecclesia feria secunda, & non Dominica facere commemorationem de Angelis propter solemnitatem, & officium Dominicæ. Merito autem deiectus est. Dominus enim bonam societatem fecerat in cælo, sed diabolus per seditionem dissipauit eam, volens sibi vsurpare quod suum non erat. Ideo sicut seditiosos Chore, Datham, & Abiron terra non potuit sustinere, ita nec istos cælum. In quo apparet quantum Deus rebelles puniet. Hæc est stella illa quam vidit Ioannes cadentem de cælo, & data est ei clauis putei abyssi, id est cordis peccatoris, quam miser qui talem habet clauigerum,

*B Luciferi & suorũ casus.*

*Apo. 9. Nota.*

qui bonas cogitationes intrare non sinit, & malas introducit. Secundo considerandum est, quam malus negociator fuit diabolus, qui in primo foro totum per
Zach. 14 superbiam suam perdidit. *Non erit vltra mercator in domo Domini.* Non enim potest reuerti in domum Domini per gratiam. Et ideo malos homines ad participium lucri secum allicit. Sed malus est socius cum quo semper perdimus, & cum quo lucrari non possumus, qui etiam vt magis alliciat ad vsuram commodat, & tribuit parum delectationis, & postea pœnam infinitam exigit, nolens computare in hoc sæculo, sed expectans, quod tempus prætereat, & quando de soluendo non erimus, computabit in inferno, cum
Eccl. 8. tamen dicatur Eccl. *Omni negotio tempus est, & oportunitas modo.* Secure autem commodat ille vsurarius, quia bonum vadimonium habet, scilicet peccatoris animã & bonum plegium, scilicet Dei iustitiam, & bonum chyrographum quod ei scriptum dedimus de sanguine animarum nostrarum cum peccauimus. Per quæ certus est diabolus, quod nisi vadium suum redimat peccator ante mortem suam, in inferni patibulo suspendetur. Tunc lachrymas inefficaces emittet, quia totum perdiderit, & ad ciuitatem in qua iterato negociari valeat, redire non poterit.
Apo. 18 *Negociatores terræ flebunt & lugebunt, quoniam merces eorum nemo emet amplius.* Negociatores quidem terræ, qui animas suas venales faciunt, nec eas metuunt perdere, vt diuitias acquirere possint. Vitam enim æternam dant pro spinis, in quibus comburantur, pro laqueis, quibus suspendantur, pro flammis, quibus in-
Mat. 24 cendantur. Iudas mercator pessimus pro triginta denarijs vendidit Christum, isti pro vno denario. Boni vero Angeli in primo foro per suam humilitatem omnia lucrati sunt. Nam quia in veritate steterunt, in visione Trinitatis confirmati
Gen. 1. sunt, de quibus Gen. *Vocauit que firmamentum cælum.* Sicut ergo alicui probo viro meritis suis possessio confirmatur, ita &

P Diabolus dat nobis ad vsuram.

in ipsis. Quod etiam fit in nobis cum accipimus spiritum ad robur, propter quod inuentum est Sacramentum confirmationis. Ideo de cadentibus angelis dici potest, liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea, de stantibus illud ego confirmaui columnas eius. De primo Angelo dicitur illud, singularis ferus depastus est eam, quia vineam illam cælestem depastus est, ita quod de ea multi palmites excisi sunt. In hoc autem singularitas notatur, quod sedere voluit, quia Angelorum est stare non sedere. Tota stabat vniuersitas Angelorum, quia Esa. *Vidi Dominum sedentem,* &c. *Seraphim autem stabant,* & Esa. 6. Dan. *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei:* singularitas ergo fuit cum dixit: *Sedebo in monte testamenti,* &c. Bernard. Siccine vbi stant omnes vniuersi ministrant, tu pacis inimice sedebis. Esa. 14. Plane contristas spiritum, qui habitare facit vnanimes, in domo effendis charitatem, quia scindis vnitatem. Vnde sicut cælum naturaliter prius est terra, sic Angelus hominem præcessit, qui de terra formatus est. Et ideo Angelus cum peccauit fuit præuaricator cæli, sicut homo terræ, pro quo Psal. *Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ.* Præuaricator enim Psa. 118 cæli fuit cum dixit, ascendam in cælum. Ideo oportet, vt diligamus seruare testimonia Dei, ne in similem pœnam incidamus. Tertio aduertendum est, quod licet Lucifer cum multis alijs descenderit in infernum. Nam de Lucifero dicitur Esa. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris,* & sequitur: *Veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci,* tamen Esai. 14. pro maiori parte, & qui non fuerunt deteriores, ceciderunt in hoc aere caliginoso. Hoc patet per scripturam sacram. Hoc Dominus fecit propter duo. Primo vt sint nobis causa exercitij, & causa coronę nostræ. *Draco iste quem formasti ad illudendum ei.* Licet enim Deus præsciret eum Ps. 103. malum esse futurum, vt dicit Bonauent. in 2. dist. in 3. in expositione, fecit tamen eum, quia simul præuidit, quibus bonis vsibus

G Dæmones sunt in aere caliginoso.

vsibus accommodaret, cum scilicet Sanctorum victoriæ, & ampliandæ coronæ. Factus enim est ad exercitium bonorum & promotionem, ex quo sequitur eius ludificatio, qui dum intendit deijcere, promouet. Secundo ad instructionem nostram, vt illorum exemplo nobis à simili eorum elatione caueamus. Vnde Dominus ab eleuatione reprimens discipulos, ait: *Videbam sathanam, sicut fulgur de cælo cadentem.* Luc. 10 Qui enim non pepercit filio, non parcet figmento seu fragmento, seruo nequam, & elato. Nunquid rusticus à rege captus valde timeret, si virum nobilem torqueri ab eo videret. Quis Lucifero nobilior? quis homine carnali vilior? Si leo timet catulo coram eo verberato, quanto magis catulus timere debet leone castigato? Teste Gregorio, Apostatæ Angelo, similis efficitur homo, dum hominibus æqualis esse dedignatur, qui singulare culmen appetens, & socialem vitam Angelorum despiciens, ait: Ascendam super altitudinem nubium. Idem Gregorius. Qui huius mundi potentiam quærit, non quo alijs prosit, sed quo alteri ipse subditus non sit, cuius alterius membrum est. Sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis? Sed quæritur quare casus mali angeli non fuit reparabilis sicut & hominis. Videtur enim quod in hoc fuisset magis magnificata Dei misericordia, sicut putauit Origenes. Respondetur quod est multiplex ratio. Prima est quia Angelus totus mortuus, homo vero semiuiuus relictus est. In totaliter mortuum non cadit medicina, sed bene in semiuiuum. Sap. *Sanabiles fecit nationes orbis terrarum.* Sap. 1 Vnde vidit Propheta nebulam, id est Eccl. 24. Christi incarnationem totam terram tegentem, non cælum, quia incarnationis nebula terram, id est terrenos texit, & protexit, non autem cælestes. Secundo quia causam impulsiuam non habuit. *Interfecti tui non interfecti gladio, nec mortui in bello.* Esai. 22 Malitiam enim eorum nulla præcessit tentatio. Quibus similes sunt qui præueniunt tentationes à tentationibus non

*Luciferi & suorũ casus cur non fuerit probabilis.*

præuenti, abeuntes absque fortitudine ante faciem subsequentis, de quibus Leuit. *Cadent nullo persequente.* Homo vero Leui. 26 peccauit alio suggerente. Et quia de fragili, & humili, & labili materia fuit, peccatum eius inuentum est ad misericordiam & veniam. Psal. *In humilitate nostra memor fuit nostri.* Psal. 135 Diaboli vero inuenta est iniquitas ad odium. Mirabili enim modo fuerunt illius supernæ ciuitatis parietes destructi. Ruerunt enim sine causa, cum in illo artificio esset negligentia artificis, non vetustas operis, non violentia impellentis quæ faciunt domum ruere, sed sola peruersitas voluntatis. Sed non est mirum si homines qui habitant domos luteas, quę terrenum habent fundamentum, & super arenam, id est fragilem voluntatem fundantur, cito ruant, cum & ipsæ domus temporales eorum præ vetustate deficiant. Tertio quia in furore correctus est homo in ira. Furor enim ira est geminata. Ideo homines dicuntur filij iræ, diabolus vero furoris. Ait enim: *Vidi sathanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Luc 10. quia quasi in furore præcipitatus est. Bernardus. Væ filijs diffidentiæ qui ex Adam sunt, qui iræ filij iram sibi in furorem, virgam in baculum, imo in malleum diabolica obstinatione conuertunt, imo in colubrũ. *Proiecit Moyses virgam, & conuersa est in colubrum.* Exod. 4. Virga non occidit sed corripit. *Si percusseris eum virga non morietur.* Prou. 23 Sed coluber occidit, quia in nouissimo mordebit vt coluber. Bonos enim hic corripit, magis ad æternam damnationem reseruat, qui hic virgæ eius nolunt subijci: *Qui mensus est pupillo aquas, & cælos palmo ponderauit.* Esai. 40. Aqua quia deorsum fluit, eos significat quorum pœnam quasi pugillo & manu clausa mensus est, dum æternaliter eos damnauit.

Pugillo & non pugno, quia pœnas eorum non secũdum exigentiam meritorũ ipsorum mensurauit, quia nunquam sine misericordia punit, cælos, id est sanctos palmo ponderauit, dũ Sanctorũ præmia

late

Luc. 6. late mensurat quia ipse dixit Luc. *Mensuram bonam & confertam & cogitatam & superefluentem dabunt in sinus vestros.* Quarto quia indignus misericordia. Fuit enim superbus miser Bernar. Quid tam habet opus misericordia quam miser, & quid tam indignum misericordia quam superbus miser. Non enim recognoscit aut recognouit malus miseriam suæ culpæ, sicut homo, ideo dignus fuit homo misericordia & non ille. De quarto scilicet de numero hominem saluandorum, dicunt quidam quod tot erunt quot ceciderunt Angeli. Sed hoc non videtur verisimile,
Deu. 32 quia Deut. penult. in illo versu, *Constituit terminos populorum*, scilicet saluandorum, vbi habemus *iuxta numerum filiorum Israel*, in Hebræo habetur: *iuxta numerum Angelorum Dei.* Ideo melius videtur dicendum quod tot erût homines saluati quot sunt
Apo 21 Angeli beati. Inde dicitur Apoc. *Quod latera ciuitatis*, scilicet supernæ *erant æqualia.* Greg. Tanta illuc ascêsura creditur multitudo hominum, quanta multitudo remansit Angelorum. Pauciores enim ceciderunt quam remanserint, & ideo non essent latera supernæ Hierusalem æqualia quoad homines beatos & Angelos, nisi tot saluarentur quot remanserunt Angeli beati.

*IN EODEM FESTO, SERMO IIII. & in ordine LXV. Per Thema præcedens. Factum est prælium magnum in cælo, &c.*

Eccl. 3. Dicitur *tempus belli, & têpus pacis.* Tempus belli est in præsenti, quia militia est vita hominis super terram, & tempus pacis erit in futuro, scilicet in Ecclesia triumphâte, cuius fines Deus
A Ecclesia assimilatur cælo posuit pacem. Et ideo verum propositû, factum est prælium magnum in cælo. Ecclesia enim cçlo assimilatur propter multa.
Apo. 21 ta. Primo quia de cælo descendit. *Ego Ioannes vidi ciuitatem nouam Hierusalem descendentem de cælo*, sicut aliquis dicitur facere imaginem nouam ratione formç, licet secundum materiam non efficiat. Sic Ecclesia militans quâtum ad formam de cælo descendit. Sapientiam enim & virtutem inde recepit, qui est fons sapientiæ verbum Dei in excelsis. Vnde Aug. ideo descendere de cælo ciuitas ista dicitur, quoniam cælestis est gratia qua Deus eã facit, & posse, & scire, & velle à Deo habet. *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos.* Secundo quia Ecclesia ad Act. 1. cælum têdit, & cœlestia in operibus suis intendit. Illa enim sibi sunt promissa. *Pœnitentiam agite, approinquabit enim regnum cælorum*, & à cœlestis regni promissione in- Matt. 3. choauit Dominus nouam legem dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Synagoga autem terrena intendebat quæ sibi promittebantur. *Si volueritis & audieritis me bona terra comedetis.* Tertio quia Ecclesia in cælo conuersa- Matt. 5. tur. *Nostra conuersatio in cælis est.* Conuersa- Esai. 1. batur enim Apostolos in cęlo meditatione, desiderio, & spe. *Non contemplantibus nobis ea quæ videntur, sed quæ non videntur.* 2. Cor. 4 Excellentissime autem inter puras creaturas beata virgo sicut mater Ecclesię suscepit sapientiam Dei de cælo, quia non solum in mente, sed etiam in ventre, côtinue etiam super cæteros ad cęlum tendebat, & in cœlestibus conuersabatur. Ideo merito cælum diceretur, sed in illo cælo non est factum prælium concupiscentiarum aut vitiorum, sed ab illo liberat, aut in eo iuuat. Igitur, vt hoc nobis faciat, recurremus ad eam, dicêtes: Aue.

B Diabolus insidiatur nobis. Postquam dictum est priori sermone de prælio facto in cælo gloriæ, nunc dicendum est de bello spirituali quod fit in cęlo Ecclesię. Vbi duo videnda sunt. Primum est de impugnatione hostis antiqui contra nos. Secundum est de resistentia qua ei resistendum est. Quantum ad primum diabolus occultus inimicus insidiatur, vt rapiat pauperem, & procedit contra eum cum vexillo superbiæ, apponit & laqueos tentationum. Et inde Sap. hortatur. *Fili accedens ad seruitutem Dei sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationẽ.* Eccl. 2.

Item

Item beatus homo qui semper est pauidus. Pro qua re solicitus dicebat Ps. *Anima mea in manibus meis semper*, Et Cāt. *Fortes ambiunt lectulum Salomonis*, propter timores nocturnos.

*Psal.118* *Cant 3.*

*Nota.* Sed quomodo laquei nobis præparantur, cum bestiæ non simus. Dico quod bestiæ sumus secundum illud Psal. *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus.* Et alibi. *Vt iumentū factus sum apud te*, & ideo non mirum si laquei nobis præparantur. Sed qui sunt venatores? Isti sunt dæmones nequissimi, crudelissimi & callidissimi qui cornu nō sonant, sed sagittant in occultis immaculatum. Sed qui sunt hi laquei? De illis dicit Apost. *Qui volunt diuites fieri incidunt in laqueum, & in tentationem diaboli.* Laquei enim sunt diuitiæ & honores, quos diabolus ponit ante oculos nostros, ideo & ipsi oculi laquei nobis sunt. Ait enim Propheta. *Oculus meus deprædatus est animā meam.* Multum ergo timere debemus, cū laqueum portamus quo nosipsi capimur. Hos laqueos vidit Antonius & exclamauit admirādo, quis hos possit euadere, & responsum est ei humilitas, qui iuxta Ps. *Custodiens paruulos Dominus.* Euadunt enim pisciculi maculas retis dum magni retinentur inclusi. Nemo enim perit diabolo impellente, nisi in eo posuerit pedem superbiæ hic Ps. orabat. *Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoru non moueat me, ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem.* Initium autem superbiæ est apostatare à Deo. Procedit itaq; diabolus duabus vijs scilicet præsumptione, qua via de cælo descendit, & obstinatione qua nunc graditur separatus à limitibus misericordiæ. Vnde dum cōculcat humilem & pauperem superbit. *Dum superbit impius incenditur pauper.* Aliæ viæ sunt circuitio & circumuentio siue deceptio. De primo scribit Psal. *In circuitu impij ambulant.* Et Iob: *Circuiui terram & perambulaui eam.* Et Pet. *Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit.* Qui enim circuit nihil proficit, quia in eundem locum reuertitur. Et inde de eo dicit Psal. *Draco iste quem formasti ad illudendum*, id est vt illuderetur ei. De circumuentione autem & fraude satis vnusquisque experitur in seipso. Modi autem tentationū multi sunt, de quibus vide serm. 5. primæ dominicæ 40. & ser. 5. Pro secunda parte videndum est de resistentia facienda dæmonibus, qui nos non cessant continue impugnare. Sed dicetur. Quomodo nos pusilli & gnani poterimus resistere gygāti illi maximo dæmoni quo nos vasa testea malleo vniuersæ terræ qui factus est, vt nullū timeret? Quomodo enim cōmunicabit cacabus ad ollam? Nonne si se mutuo colliserint, cōfringetur olla terrea? Quomodo etiā nos pauci resistere poterimus multitudini illi tam grādi inuisibilium hostium? Dicitur primo quod multipliciter resistitur, vno modo fugiendo, alio modo contra pugnando. Primus modus est maxime conueniens homini timido & qui se sentit debiliorem. Inde lepori, & capreæ quæ sunt animalia valde timida & debilia, nullo impetui resistere valentia, natura dedit velocitatem cursus, vt quæ per fortitudinem nequeunt alijs resistere, saltem possint per fugæ remedium se saluare. Sic primo Reg. Fugit Dauid & declinauit, cum Saul vellet eum configere lancea cum pariete. Si ergo timidi sumus, & nos sentimus nimis debiles ad contrapugnandum diabolo, saltem fugiamus declinando occasiones vitiorum, & tollendo ei materiam nos tentandi. Diabolus enim cum per se hominem superare non potest, sumit adiutorium carnis & mundi, & illis vtitur tanquam instrumentis ad nos impugnandum. Hunc modum resistendi elegit, qui dicebat: *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Dicitur secundo quod etiam non debemus timere contrapugnare diabolo. Licet enim simus ex nobis pusilli, tamen ex Deo magni. Iob: *Quid est homo quia magnificas eum?* Et Sap. *Magnificasti populum tuum & honorasti.* Licet etiam simus ex nobis infirmi, ex Deo tamen fortes sumus. Ideo ne formidauetimus,

Margin notes: *Psal 48* — *Psal 72.* — *1. Tim 6* — *Thren 3* — *Psal 114* — *Psal. 35.* — *Psalm. 9* — *Psal. 10.* — *Iob 1.* — *1. Pet. 5.* — *Psal. 103* — C *Diabolo quomodo resisti potest, & de adiutorijs nobis datis* — *1. Re 18* — *Psal 54.*

dauerimus, sed ipso impugnante confugiamus ad Deum, vt nobiscum pugnet, exemplo illius qui dicebat: *In nobis* 2. Paral 20.
*quidem non est tanta fortitudo, vt possimus resistere multitudini huic tam grandi, sed cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum residui habemus, vt oculos dirigamus ad te.* Et si ita fecerimus, poterimus præualere aduersus dæmonem. Gnanus enim à gygante fortissimo adiutus, potest superare gygantem minus fortem & res debilis fortissime innixa, multum fortificatur. Sic cum Deus sit incomparabilter maioris fortitudinis quam dæmon, si ei innixi fuerimus, & ab eo adiuti, facile vincemus dæmonem. Propterea propheta, licet nō esset nescius suæ infirmitatis tamen cognoscens quod ex Deo posset, dicebat. In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros, & iterum. In te inimicos nostros ventilabimus cornu. Si enim fortis est turris supra firmam petram fundata, si fortis est arbor in profunda terra plantata, si fortis est domus columnis fortibus sustentata, multo magis qui fundatus est super Dominum per fidem, spem, & charitatem fortis erit, imo insuperabilis. Nā talis est Dominus
Psal. 17. fortitudo, vt testatur. Psal. *Dicens diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum & refugium meum*: Dicitur tertio quod pius Dominus vt dæmonem minus timeremus, dedit nobis multa adiutoria. Primo misit vnigenitum suum in terris, contra quem præualere non potuit malleus vniuersæ terræ, quia erat gygas geminæ substantiæ, quarum altera infrangibilis, testeam & minus fortem protegebat, sed è conuerso filius Dei vt fortior armatus dæmonem eiecit foras, & tā confusibiliter, vt adhuc ipse dæmon timeat signum per quod fuit de-
Esai. 30. uictus, scilicet crucem dicente Esa: *pauebit assur virga percussus.*

Secundo misit spiritum sanctum in auxilium nostrum. Ipse enim est spiritus qui adiuuat infirmitatem nostram. Interius corroborando, & exterius per homines docendo. Tertio dedit nobis scripturam sacram qua mediante facile deuincitur hostis. Hoc docuit nos Christus suo exemplo confutans diabolum per scripturas. In cuius figuram, David 1. Re. 17
lapide sumpto de torrente percussit goliam & occidit. Sic auctoritatibus de torrente sacræ scripturæ desumptis vincitur dæmon,

Quarto dedit nobis beatissimos spiritus angelicos ad nostri custodiam de quibus Esa. *Super muros tuos Hierusalem* Esai. 62.
*constitui custodes*, quorum auxilio fretus nec multitudinem latronum Syriç timebat Helyseus, sed expauenti famulo dixit: *Noli timere. Plures enim nobiscum sunt* 4. Reg. 6
*quam cum illis*. Sic de auxilio eorumdem Angelorum sperantes: nec aduersarios inuisibiles timere debemus.

## *IN EODEM FESTO SERMO V. & in ordine LXVI. Per Thema.*

A*Ngelis suis Deus mandauit de te.* Psal. Psal 90.
Quærere posset homo si Angelis suis Deus mandauit de me, quid quæso mandauit? Nonne scripsit contra me amaritudines? Nunquid vt contra folium, quod vento rapitur, ostendant potentiam suam, & stipulam siccam persequantur? Nunquid vt tollant impium ne videat gloriam Dei? Non, sed vt custodiant te in omnibus vijs tuis. Sed operare bonum, vt de te quandoque illud mandetur. Ait autem Dominus in Nota.
Euangelio, quod paterfamilias prohibuit colligere zizania. *Sinite* (inquit) *Vs-* Matt. 13
*que ad messam, ne forte eradicetis simul & triticum*. Sic mandatum huius temporis est, vt custodiant te o triticum inter zizania, o granum inter paleas, o lilium inter spinas. Et ista est optima & sufficientissima custodia, qua contenti esse debemus. Si tamen adhuc aliam desideramus, habemus custodiā virginis gloriosæ, sub cuius vmbra tanquam matris, protegi possumus ab accipitre inferni. Ad eā vero confugiētes dicemus, Aue gratia, &c.

Circa

A Angeli officia circa nos quatuor. Circa hæc duo videbimus. Primo quæ officia habeat Angelus circa nos. Secūdo quid propter huiusmodi obsequia ei debemus exhibere. Quo ad primū dicitur, 1. quod Angelus habet quatuor officia circa nos. Primo est minister noster. Patet auctoritate Apostoli dicentis, omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi, &c. Secundo patet ratione, quia creator & rex Angelorum non venit ministrari, sed ministrare & dare animam suam pro multis. Quid ergo ministerio illud aliquis Angelorum dedignabitur, quando ipse cui tota auiditate ministrāt, non dedignatus est obsequium? Differēter tamen ministrant Angeli & Christus, quia Angeli ministrant de alieno, offerētes opera non sua, sed nostra, nobis eius gratiam referentes. Vnde Apoc. *Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini de manu Angeli*, & sollicite præmittitur quod *data sunt ei incensa multa*. Nostros enim sudores non suos, nostras lachrymas, non suas offerūt Deo, nobis quoque eius munera referunt non sua. Non sic minister ille sublimior cunctis, sed humilior vniuersis, qui semetipsum obtulit sacrificiū laudis patri offerens animā suam, & nobis vsque hodie ministrās carnem suam. Secundum officiū est, quod est ambassiator noster & nuncius ad faciendum nuptias inter animam sponsam Christi & ipsum Christum. Ipse enim est domesticus & notus in palatio, nec veretur repulsam, sed quotidie videt faciem patris. Primo enim quasi pedissequus animæ non cessat eam solicitare & assiduis suggestionibus admonere eam dicens, delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui, & rursum, expecta Dominum & custodi viam eius, & illud quod Propheta ait: *Si moram fecerit expecta eum, quia veniet & non tardabit*. Ad Dominum autem conuersus ait: *Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*. Et alibi: *Anima eius desiderauit te in nocte, sed & spiritu suo in præcordijs suis de mane vigilauit ad te*. Et iterum: *Tota die expandit ad te manus suas*. Dimitte illā quia clamat post te. Conuertere aliquātulum & deprecabilis esto, respice de sanctuario tuo & vide, & visita desolatam. Fidelis paranimphus, qui mutui amoris conscius, sed non inuidus, non suam quærit, sed Domini gratiam. Discurrit medius inter dilectū & dilectam, vota offerens, referens dona, excitat istam, placat illum, & interdum (licet raro) repræsentat simul, siue hanc rapiens siue illum adducens. Et cum hæc fecerit conuersus ad Dominū dicit. Gratias ago tibi Domine maiestatis, quia desiderium cordis eius tribuisti ei, & volūtate labiorum eius non fraudasti eū. Anima autem sic potest dicere, dilectus meus mihi & ego illi, inter vbera mea commorabitur. Et in cātu nuptiarum adsunt Angeli, quia Psal. *Præuenerunt principes coniuncti psallentibus*, in medio iuuencularū tympanistarum. Vnde & si solus sit homo ad orandum, Angelus adest secū. Tertio adhibetur noster custos & pædagogus. Sed quare custos? Audi Bernard. super Cant. Homil. 77. Vox sanctorum est. *Transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium*. Quid? Ipsi transierunt, & nos in medijs ignibus vel fluctibus derelinquēt, nec saltem manum porrigere dignabūtur periclitantibus filijs? Non est ita. Bene tecum agitur, ô mater Ecclesia, bene tecum agitur in loco peregrinationis tuę, de cęlo, & de terra venit auxiliū tibi. Qui custodiunt te nō dormitāt neque dormiūt. Custodes tui Angeli sancti vigiles tui spiritus, & animę iustorū. Nec est mirabile si nō dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel, quādo nō dormit neq; dormitat qui impugnat Israel. Dereliquit enim nos hic Dominus in auxilio beatorū Angelorum contra apostatas Angelos, in hoc quidē exilio in hac valle miseriæ, in qua sicut dicit Apostolus, filius dilectus nihil differt â seruo, cū tamē sit Dominus omniū. Hęres enim est paternę hęreditatis, vt fiat rex in supremo palatio. Omnes enim quotquot sunt in paradiso, reges sunt. *Reges in solio collocat in perpetuū*. Paul. autē ait: quod

Margin notes: Apoc 8. — Abac 2. — Psal 4[1]. — Esai. 26. — Psal. 142. — Psal 67. — Psal. 65. — Iob 36.

Hebr. 5. quod paruulus est sub tutoribus Angelis, & actoribus, vsque ad præfinitum tẽpus à patre. Nota ibi de tutoribus quibus committuntur pupilli, & orphani. Angeli enim custodiunt reditus nostros, hęreditatem nostram procurant, continuo currunt ad placita, in aula summi imperatoris, & in consilio eius assistunt, vt causam nostram faciãt bonam orationes nostras, vota, & preces Deo offerrunt, mendicantes ostiatim in plateis supernæ ciuitatis Hierusalem, quasi ex meritis suis nostra facunt merita. Ecce quam benignus est Dominus. Preciosum nobis depositum commisit corpus suum, fructum crucis suæ, pretium sanguinis sui. Non est contẽtus custodia hac, sed sicut scribitur: *Super muros tuos hierusalem constituit custodes, tota die, & nocte in perpetuum non tacebunt.* Nam & ipsi, qui videntur muri aut columnæ in Ecclesia his custodibus egent: Non enim tacent, quia continuo animam pulsant. Vnde quidam doctor deuotus dicit, quod Angelus noster septem nobis facit. Primo astat nobis, vt pẽsemus, & ponderemus, & liberemus in statera cordis nostri, quis sit finis noster. Si enim sathan adest nobis, vt noceat, quis stabit, si non cõtra staret bonus Angelus? Sicut præterea quærit iste sathan claudere, vel eruere penitus oculum fidei, ne recogitemus finem nostrum, qui Deus est, conueniens est, vt bonus Angelus sanet, & illuminet oculos cordis in viam, & in finem pacis. Astat autem, vt astare coram Deo nos faciat scilicet orationibus vt dicit. Diony. cum iam appropinquamus Deo nostro sicut litori fixo, tracti sicut à magnete virtuoso. Secundo Angelus fulget, & fulgorem emittit in in carcere mortis huius, vt noscat vnusquisque positus in tenebris qualis sit proprius status suus. Sunt enim iuxta qualitates morborum singulorum qualitates auxiliorum. Homo enim illuminatur ab Angelo cum statum suum miserũ esse cognoscit, cum Dominus humilitatẽ ancillæ suæ respicit. Tertio pulsat Angelus incitans nos ad bonum. Scit enim generaliter omnes à sathan impelli, & hoc facit scire dicens: *Filij hominum vsque quo grauii corde, vt quid diligitis vanitatem*, &c. Psal. 4. Dum autem sequitur periculum, solicitudine maiori fugitur ad remediũ. Dormiebat enim Petrus in carcere inter duos milites, dormimus autem continue inter duos Angelos bonum & malum, inter quos pugna est continua. Vnde Angelus percussit latus Petri, id est conscientiam Act. 12 peccatoris. Quarto Angelus iubet surgere velociter, id est iubet mandata diuina seruare. Alioquin nos iacemus in peccatis obruti aut desperantes aut nimis sperantes. Inde dicebat Angelus Helyæ, surge, comede, grandis adhuc restat via vsque 4. Re. 19 ad mõtem Dei Oreb, quia longe à peccatoribus salus. Quinto Angelus soluit nos à catenis vitiorum. In signum cuius Petro existente in carcere ceciderunt catenæ de manibus eius medio Angeli, vt possit expandere manus suas ad Deum, & eum glorificate. Sexto educit extra carcerem. Primo educendo sicut scribitur in actibus apostolorum, aperitur vltro porta ferrea pœnitentiæ, transit deinde vicum vnum satisfactionis arctæ. Sed educendo quantum sit periculum in via docet Psal. dicens: *Super aspidam, & basiliscum ambulabis*. Psal. 90. O quam necessarius pedagogus, imo etiam baiulus paruulo inter hæc gradienti, nos enim paruuli sumus, quibus lacte opus est, non vino, quia: *meliora sunt vbera tua vino*. Cant. 1. Sed quid facient Angeli? In manibus portabunt te, in vijs tuis custodient te, & deducent paruulum via qua poteris ambulare, quia non patientur te tentari supra id quod sustinere potes, sed in manibus portabunt te, ne forte offendas, &c. quam facile transit qui cum illis portatur manibus, quam suauiter iuxta vulgare prouerbium natat, cuius alter sustinet mentum, quotiens ergo nos vrget tentatio, & tribulatio vehemens inuocemus custodem nostrum, ductorem nostrum, & adiutorem nostrum dicentes, Domine salua nos

Psal. 62.

B
Angelus septem facit circa hominem.

nos, perimus. Non dormit, neque dormitat, sed semper audit nos. Sed quæ sunt manus Angeli quę portāt nos? Dico quod sunt duæ demonstrationes quas ostendunt nobis, scilicet tribulationis breuitas, & retributionis æternitas. Nam secundū
2. Cor 4 Apostolum: *Quid est momentaneum, & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Vel duæ manus sunt momentanea delectatio & periculosa in hoc mundo, & æternus cruciatus in alio. Momentaneum enim est quod delectat, æternum vero quod cruciat. Sed quis lapis est in quem offendimus? Lapis est quem reprobauerunt ædificantes, qui factus est in caput anguli. Septimo postquam Angelus nos eduxit de carcere mortis peccati, tunç nos derelinquit libertati nostræ. Non enim amplius sumus serui peccati, sed sumus filij Dei, & cohæredes Iesu Christi. Vel etiam derelinquit nos libertati æternæ, in qua sicut filij capimus hæreditatem salutis. Custodiunt enim nos Angeli in vijs nostris, sed via finita quæ est vita præsens, in manibus portabunt nos in hæreditatem cælestem, & ibi nos derelinquēt. Exemplum de Benedicto & Lazaro. Nō enim in illa via tam noua & tam incognita regione ambulare possemus, præsertim cum tantus sit lapis in via diabolus, qui olim in lapidibus consueuerat adorari, qui lapidem obtulit Domino dicens: dic vt lapides isti panes fiant, pes animæ nostræ, id est affectio nostra posset offendi ad lapidem istum, si sola ingrederetur vias istas incognitas. Quid enim faceret
C
*Angelo debentur duo pro custodia.* inter monstra tam horribilia pes humanus, si non Angelus nos portaret? Et si sic, super aspidem & basiliscum ambulabis, &c. Et hoc de prima parte. Ex hoc pensare possumus secundam partem, quod scilicet Angelis nostris debeamus pro tanto obsequio. Debemus enim eis duo. Primo reuerentiam. Vnde Bernard. Quantam eis debes referre reuerentiam pro præsentia, deuotionem pro beniuolentia, fiduciam pro custodia? Caute ambula vbi sunt Angeli tui. In quouis angulo reuerentiam habe Angelo tuo, quia custodiūt te Angeli in omnibus vijs tuis. Fit enim Angelus custos longe à custodito, non per ignorantiam aut negligentiā, sed propter malitiam custoditi, aut per dispensationem ad experientiam boni, & tunc potest dicere. Vim faciebant qui quærebant animam meam, & qui inquirebant mala mihi locuti sunt vanitates, & qui iuxta me erant de longe steterunt. Secundo debemus eis amorem. Amor enim debet esse reciprocus. Ideo quia nos amāt, debemus eos amare. Sed quod nos ament assignat Bernard. treş causas. Prima causa est, quia Christus nos amauit. *Nota.* Vnde vulgariter dicitur, qui amat me amat & canem meum. Nos vero, ô beati Angeli, catelli sumus illius Domini quē tanto affectu diligitis. Catelli autem cupientes saturari de micis quæ cadunt de mensa dominorum nostrorum, quæ estis vos. Secunda ratio, constat absque dubio humanas animas capaces beatitudinis æternæ eiusdem hæreditatis cum Angelis esse parentes & cognatas naturæ angelicæ. Non ergo decet vos, ô beati spiritus contra legis præceptum dedignari quæ visitare debetis spem vestram, licet in multam, vt videtur, deiecta sit vilitatem. Tertia ratio. Nos non arbitramur vos supernæ ciuitatis ciues vestræ ciuitatis excidio delectari, & ruina murorum quos semiruptos esse videtis. Sed frequenter ante thronum gloriæ verbum pacis iteratis dicentes, benigne fac Domine in bona voluntate tua Siō, vt ædificentur muri Hierusalem. Nos enim sumus lapides viui, qui cæmento & glutino charitatis iūgi debemus ad reædificationem illius supernæ ciuitatis. Non autem sumus lapides viui, si in nobis non habitet charitas, & pax, & vnio, neque videre digni faciē patris, neque ipse habitare potest in nobis, si non pacificati sumus à rancoribus, & odijs, quia in pace factus est locus eius. Ipsi enim Angeli pacis cum vident nos carnales, & secundum hominem ambulantes

lantes dicunt, quid nobis, & huic generationi peruersę, huic generationi spiritum non habenti? Nam si vtique spiritus adesset, per eum diffunderetur charitas in cordibus, dicunt vltra, non permaneamus cum hominibus istis in æternum, quia caro sunt. Quæ enim conuentio lucis ad tenebras? Nos enim de regno pacis sumus, & homines istos in eandem pacem venire sperabamus, nunc auté quomodo nobis cohærerent, qui quantum possunt à nobis dissident. Vnde terribiliter intonat lectio Euangelij hodierni: *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Talis enim sic scandalizans facit contra charitatem, & contra bonum animæ proximi, & ita in hoc multum dissidet ab Angelis, qui continuo bonũ illud procurant. Illi tamen non sunt lapides viui, sed magis *puluis quem proiicit ventus à facie terræ*, quos vnus verbi flatus in turbinem excitat. Sic ergo nostros Angelos & reuereri & amare debemus, qui vident faciẽ patris qui in cælis est, paruulos nostros docere, vt honorent Angelos, & principaliter suum bonum Angelum, vt sic imbibat noua testa quem vetus seruet odorem.

Math. 18

Psal. 1.

## DE SANCTO FRANCISCO *Sermo vnicus, & in ordine. LXVII. Per Thema.*

Esai. 3

A

Ideo trinitatis nõ erat expressa antiquitus sicut nunc.

ERit pro Zona funiculus. In veteri Testamento non leguntur Sancti corda, sed Zona cincti. Zona autem vnico texta est, corda pluribus funiculis cõtortis. Sic in veteri lege fides erat vnius Dei, non expressa Trinitatis, eo quod propter naturæ infantiam incapaces erant. Nunc autem funiculo cingimur. Quo funiculo triplici trahere nitebatur Franciscus homines ad gloriam, vt per funes fidei perueniretur ad funes gloriæ, de quibus Ps. *Funes ceciderunt mihi in præclaris*, etenim hereditas præclara est mihi. Sic & sui per totum mundum currentes quasi exploratores Dei, annunciantes, quia opera eius mala sunt. Hæc fides est funes illi coccinei ex fenestra dependentes, quibus primum saluati sunt exploratores Israel, & deinde Raab meretrix cum omni domo sua, hoc est iusti & pœnitentes. Ita vt nec sine ea salua fuisset Maria, quam tamen excellentissime habuit, vt merito petere debeamus trahi per eam ad Christum cum anima deuota dicente: *Trahe me post te.* Quod vt faciat, præsentabimus ei mercedem dicentes: Aue gratia plena.

Iosu. 2.

Cant. 1.

B

Zona triplex.

Triplex Zona in sacris scripturis legitur. Vna pellicea, alia aurea. Tertia ex funibus. Prima cingitur Helyas & Ioannes. Secunda Christus. Tertia Franciscus. Prima Zona cingit renes. Secunda mammillas. Tertia vero vtrunque. Prima calefacit. Secunda declarat & ornat. Tertia trahit. Prima est pœnitentia. Secunda charitas. Tertia religionis. Primam habuit Franciscus vestitus cilicio nudus ambulans pro Christo. Secunda cinctus est ad mammillas & vbera, vbique prædicans Christum, & effundens legem immaculatam conuertentem animas. Tertia cinctus est ordinans religiones ad suũ exemplar, vt dicatur de suo ordine, erit pro zona funiculus. Et de hac triplici zona dicetur in præsenti sermone.

Prima igitur zona qua cinctus est Franciscus erat pellicea, quæ cingit renes. Renes enim laxati tendunt ad libidinem, vt dicat Psal. *Vsque ad noctem increpuerunt me renes mei.* Inde Saluator iubet: *Sint lumbi vestri præcincti*, quia vt dicit Gregor. viris in renibus, luxuria est mulieribus in vmbilico. Hac zona cinctus est, quando in niue proiectus iacuit, quando sola grisea tunica vestitus in frigore & nuditate tremebat, ita vt eum derideret carnalis frater, dicendo socio eius, quod daret ei vnam numatam de sudore, & responderet quod eam venderet Christo. Sed arguitur, quia dicitur de anima sancta, *Non timebit domui suæ à frigoribus niuis, omnes enim domestici eius vestiti duplicibus.* Item, *Byssus & pur-*

Luc. 12.

C

Nix duplex tã spiritualis quam corporalis.

Prou. 31

libidini.

*& purpura indumentum eius.* Cur igitur vna contentus tunica, & non duplici vsus est, cur & grisea. Respondetur primo, quod sicut duplex est hic nix corporalis, ita & duplex spiritualis. Vna enim inter corporales est parua & matutina, quæ dicitur pruina, & cito transit. Alia grandis & frigida valde, quæ cum multitudine descendit, & illa perdurat maxime in altis montibus.

Sic duplex est nix spiritualis. Vna est matutina & parua, qua subiicimur hic multis angustijs. Sed nihil est in comparatione ad illam alterius sæculi, quæ
Iob 24. est in inferno, de qua Iob: *Transibunt ab aquis niuium ad calorem nimium.* Prima habetur in religione, quam multi timent formidantes reformari & dicentes, nesci-
Iob 6. remus hoc pati. Sed *qui timet pruinam, irruet super eum nix.* De qua Solinus, quod non dissoluitur vi ignium inferni. Has nõ timuit Franciscus, quia vestitus erat duplicibus, non corpore, sed anima, hoc est vestimentis virtutum. Secundo byssus & purpura erat indumentum eius, aliter tamen quam malus diues, qui induebatur purpura & bysso. Byssus quæ est genus lini candidissimi, signat munditiam castitatis eius, purpura qui est Regum, & Principum, est gratia vel charitas, quæ sola facit filios Dei, & discernit à filijs diaboli. Istis vestibus induebatur Franciscus, cum zona pellicea pœnitentiæ, & ideo non timebat domui suæ animæ à damnationis frigore. Sic indui debent, qui volunt reputari domestici eius. Sed multi adhuc seruant suæ originis conditionem frigidi, & nudi ambulantes, &
Iob 1. volunt verificare illud Iob: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Nudi quidem de virtutibus & gratia Dei.

Homo enim non naturaliter est pilosus & fourratus, sed ex accedenti, quia non ex origine, sed ex gratia Dei superueniẽte. Sic anima nuda est, si nõ vestiatur gratia Dei, quæ à solo Deo procedit, & iuuat ad alias virtutes acquirendas. Iacob enim nisi pilis nuda manus, & colli circuntexisset, non recepisset benedictionem. Sic nisi inuoluamus nos in fourratura gratiæ, & virtutum exemplo beati Francisci, non recipiemus benedictionem à Deo Ideo dicebat Ioannes: Apoc. *Beatus* Apo 16
*qui custodit vestimenta sua,* scilicet gratiæ, & virtutum, *ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius.* Secunda Zona erat aurea charitatis, qua Christus indutus est ad mammillas, & vbera. Charitate enim permotus profudit vbera doctrinæ per vniuersum mundum. Sic & Franciscus dum ad vbera pendebat Christi de quibus Cant. *Meliora sunt vbera tua vino,* de Cant 1.
quo cum dulcedine vinum superexcedente bibebat dum in contemplatione posito eo vnus de Seraph infixit in volis, & latere crucem, vt crucifixus ambularet in terris. Similiter, & vos discipuli eius bibitis quando cum Deo in puritate conscientiæ ambulatis, & oratis cum lachrymis, sed vbera porrigitis, cum doctrinam profunditis, & sanctæ conuersationis exempla monstratis.

Sed quæritur vtrum amor Francisci fuerit causa stigmatum eius. Videtur quod non, quia si ut contrariorum contrariæ sunt causæ, sic similium simile. Stigmatum Christi causa fuit inuidia. Sic igitur & Francisci Respondetur. Etiam contraria eundem effectum causant, vt frigiditas calorem, sicut & calor saltem per Antiparistasim. Sic hic t inuidia effecerit in corpore Domini stigmata, non est inconueniens, quod in corpore sancti Francisci amor illa effecerit. Vnde in Christo inuidia & amor hæc fecerunt, inuidia Iudæorum, & charitas Dei, in Paulo amor & persecutio, in Francisco solus amor.

D Amor Francisci fuit causa stigmatum eius.

Ideo ad eum missus est Seraph, qui interpretatur ardens. Tantus autem erat eius amor, vt nihil sibi videretur quæ faciebat, sed se semper maximum peccatorem reputabat similis Bernardo, qui dicebat. Nihil est, o bone Iesu quod pro te facio, & si quid sit, præ amore

non sentio. Sed modo mensuramus omnia quæ facimus, & si faceremus vltra prædecessores nostros, qui tamen negligenter vixerunt, videretur, quod Deus multum teneretur nobis. Et sic se excusant modo religiosi Francisci, cum est quæstio de reformatione. Si enim dicatur eis, quod teneant legem sicut & Saluator increpabat Iudæos. Nonne Franciscus dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem, nemo ieiunat, nemo proprium abjicit. Respondent. Nos facimus sicut prædecessores nostri. Prædecessores nostri non seruauerunt omnia ieiunia regulæ, præ nimio ieiunio moriuntur canes in belgia. Nec prædecessores posuerunt omnia in communi bursa, & si faceremus, possemus habere necessitatem. Rara enim est charitas in terris, & nemo sibi propinquior quàm ipsemet. Regula Francisci nimis dura est ad literam, & crux eius & Christi nimis graue ad portandum. Sed hoc vobis signum, quod nō est in vobis charitas Christi. Audite sententiam Domini. Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam, & qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eā. Tertia Zona fuit ex funibus religionis, scilicet ex funiculo triplici qui difficile rumpitur, hoc est triū votorum, obedientiæ, paupertatis, & castitatis, B. Benedictus facit suos per gradus ascendere, scilicet humilitatis. Franciscus corda trahit eos sursū. Multi apud S. Benedictum vexantur, cum ascendunt per gradus, & lassantur, non ita cito, qui trahuntur per cordam, sed periculum est ne corda frangatur. In scripturis autem sacris triplex corda inuenitur. Vna naturæ, de qua Eccl. *Donec rumpatur funiculus argenteus*, id est complexio quæ consistit in armonia quatuor elementorum, & iste funis cito rumpitur. Vnde dicit mortuus viuo, quod Eccl. habetur: *Memento iudicij mei. Sic enim erit & tuum, mihi heri, & tibi hodie*. Contra illas quæ multum curant de corpore, & nihil de anima, discipulæ Hypocratis non Francisci, quæ corpus contra tentationes frigore niuis armabat. Secunda corda est culpæ, de qua Psal. *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Samson septem cordis nerueis cinctus erat, sed fregit eas.

[Margin: N.14.] [Margin: B Corda multiplex.] [Margin: Eccl 12.] [Margin: Eccl. 38]

Sic Franciscus dum in niuem se proiecit. Has oportet non tam soluere quam præscindere. Secundum consilium Psal. *Disrumpamus vincula eorum*. Vincula fracta non ita possunt ligare sicut soluta. Sic oportet cito, & non tepide veteres consuetudines, & contra beati Francisci regulam militantes frangere, vt postea eis nullus vtatur, non soluere tantum, vt eis iterum constringamur. Si enim fuerimus tepidi, non frangemur, quia funiculus triplex difficile rumpitur, scilicet ex consensu, opere, & consuetudine, vel triplex consuetudo mala. Istæ sunt funes de quibus Psalm. *Funes extenderunt in laqueum, iuxta iter scandalum posuerunt mihi*, scilicet dæmones. Vnde sicut latrones ligantur cordis, sic peccatores funibus peccatorum suorum. Quod sint latrones patet, quia in bursa latronis sæpe inuenitur vnus denarius, quo funiculus emitur quo suspendendus est. Sic de peccatis corda qua suspenditur. De domo Aman sublatum est lignum quo appensus est. Secundo similes sunt araneæ, quæ de visceribus suis filum extrahit in quo pendet: Esa. *Tales araneæ texuerunt ab initio*, quia in primo motu peccatum non est nisi filum araneæ, sed postea in tantum ingrossatur, quod est quasi vinculum plaustri, gallice *cable*. Sed Esa. *Væ qui trahitis restem in vinculo vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum*. Ideo antequam concrescat debemus contere-re, & non solum incidere, vel rumpere, ne forte renodetur laqueus peccati, & si sit contritus dicere poterimus cum Psal. *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus*. Alias similis est peccator altero, qui bene rumpit getia sua, sed quia remanent circa pedes, per ea pendet ad arborem. Vnde si est peccatum cogitationis vel voluptatis, funes illorum peccatorum

[Margin: Psal 118] [Margin: Psal. 139] [Margin: F Peccator similis latroni.] [Margin: Esth. 7.] [Margin: Esai 59.] [Margin: Esai. 5.] [Margin: Psal 123] [Margin: Nota.]

catorum vocantur compedes, de quibus
Ps. 149. Psal. *Ad alligandos reges eorum in compedibus.* Si locutionis, vinculum est colli. De cuiusmodi: Esa. *Solue vincula colli tui captiua filia Syon.* Si operationis, manicæ sunt, de
Esai. 52.
Psa. 149 quibus. Psal. *Et nobiles eorum in manicis ferreis.* Si obstinationis, & consuetudinis, vocatur gallice *vng careant*, & hoc est iugum
Thren. 1. graue, de quo: *Vigilauit iugum iniquitatum mearum in manu eius, conuolutæ sunt, & impositæ collo meo. Infirmata est virtus mea, dedit me Dominus in manu de qua nō potero surgere.* Mirum est autem de nobis, quod non sufficiunt compedes, nisi manicas, & iugum graue imponat diabolus. Tertia corda est
Osea 11. pœnæ, de qua: *In funiculis Adam traham eos.* Istæ sunt infirmitates quibus ad Deum trahimur, sic tractus est Franciscus cum captiuus factus est cum socijs. Captiui enim cordis ligantur. Sic ligamur, vt reuertamur ad Dominum. Sic filij Israel, hoc quotidie cernimus, quod mittuntur aduersitates & paupertates, vt ad Deum
Psal. 15. conuertamur, vt fiat illud Psal. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt.* qui his non ligantur hic, timeant ne ligatis manibus & pedibus mittantur in infernum. Quarta cor gratiæ, & religionis ex triplici voto, qua cinctus est Franciscus. Cuius si vnus funiculus rumpatur, facile cadit. Si enim obedientiam serues, & castitatem, & non paupertatem, rumpitur corda qua cinctus es. Sicut illi qui timent indigere, cum tamen Christus extremam sustinuerit paupertatem in cruce, nihil habens neque vestē neque denariū. Non sic multi minores, licet aliquā simulationem habeant, quod non audent nisi manica media tangere pecuniā, ne forte contaminentur. His funibus ligatus erat Dominus ad columnā ex obedientia patris, cum carne mundissima, & nuditate omnis auxilij, & diuitiarum penuria. Pro hac habuit terram desiderabilem, quasi pro nihilo paupertatis. His ligantur religiosi ne extendant manum ad pomum vetitum, & ne extendant iusti ad iniquatem manus suas.

*DE SANCTIS DIONISIO Rustico & Eleuterio Sermo I. & in ordi- LXVIII. Per Thema.*

IN *paucis vexati in multis bene disponentur.* Sap. 3. A
Posset hic oriri quæstio quomodo valet hæc consequentia. Si in paucis vexati sint Martyres sancti, quod in multis propterea bene disponentur. Non enim videtur sequi contrariū ex contrario. Vexatio enim cōtraria est bonæ dispositioni. Quomodo igitur Dionysius, & socij si vexati sunt propterea in multis bene disponuntur? Ad hoc responderi potest primo, quod hæc consequentia tenere videtur per locū à coniugatis. Sunt enim hæc duo necessario coniugata panis, & pœna Vnde & dictum est parenti omniū & filijs eius in illo. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Bonum enim sine labore nunquā Gen. 3. acquiritur. Videmus hoc in tēporalibus, quod mala bene sine labore veniunt, vt vrticæ in cāpis, & spinæ, aranea in domibus, & pediculi, & pulices in nobis, sed diuitiæ, & animalia bona non sine labore acquiruntur. Sic est de salute tua, quia cū labore acquiritur, sed perditio tua sine labore. Nā facilis est descēsus auerni, noctes atque dies patet atri ianua ditis. Non est igitur mirabile si B. Dionisius & socij ex hoc quod in paucis vexati sunt, in multis bene disponentur. Secundo tenet cōsequentia per locū ab vsibus. Ita enim vsus semper habuit, quod vexatio disponit ab bonam dispositionem. Hoc medici præcipiunt. Medicus enim tollit infirmo aquā, & vinū, & cibaria quæ requirit & vexat eum paucum, sed hoc est propter sequentem bonam dispositionem. Hoc faciunt parentes filijs vexādo, & flagellando eos, vt sanati à suis malis inclinationibus, ad bonam dispositionem mentis perueniant. Hoc facit Deus suis electis, ne se indisponāt in his inferioribus. *Mulplicatæ sunt infirmitates eorum postea accelauerunt*, Et iterum: *Vexati sunt à tribulatione malorum, & dolore*, & statim sequitur, Psal. 15. Psa. 106 *& adiuuit pauperem de inopia.* Inde & reges qui

qui virga hominum non feruntur, nec Dei aliquando, quia non habent malorum intellectum, mala populi non recognoscunt, sed cum in electis suis mittit virgam, tunc: *Sola vexatio dat intellectum auditui*, ideo bene sequitur, quod sancti in paucis vexati in multis bene disponentur. Tertio per locum ab auctoritate. Primo sapientis Iosedech in Ecclesiastico dicentis, *Modicum laboraui, & inueni mihi multam requiem*. Item thematis nostri, in paucis vexati, &c. Vbi enim videtur bona dispositio, & non est vexatio & labor, periculum est indispositionis futuræ Nam Deut. dicitur: *Incrassatus, impinguatus, dilatatus recalcitrauit*. Exemplum est de equo qui nimis quieuit, & impinguatus est, qui postea recalcitrat contra stimulum. Ideo bona, quæ dantur religiosis non illis tribuuntur vt quiescant, sed vt labori & profectui insudent: exemplo præcedentium sanctorum. *Dedit illis regiones gentium, & labores populorum possederunt, vt custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant*, per studiũ scilicet, & iterum *qui fingis laborem in præcepto*. Sic sancti omnes fecerunt, sic Maria, ad quam recurramus dicentes Aue gratia.

Esai. 28. Eccl. 51. Deu. 32 Psa. 104 Psal. 93.

Propter tria hic habemus vexationem Primo propter mundum acquirendo ea quæ mundana sunt vel humana, & hoc modo laborauit Dionysius in acquirendis scientijs humanis, & cum Ægyptum adijt ad mathematicam discendam. Secundo propter peccata nostra, & sic vexatus est cum cognouit ignorantiam suã. Tertio propter Deum, & tunc incepit pati cum Paulo adhæsit, & ex istis vexationibus in multis bene dispositus est. Primo quo ad intellectum. Secundo quo ad effectum. Duo autem membra conseruant medici, & ad dispositionem eorum intendunt, cor scilicet & caput, caput ad directionem intellectus pertinet, cor ad effectum.

Primo igitur ex prima vexatione dispositus est intellectus Dionysij ad scientias humanas, quia fere omnes scientias humanitus adinuentas didicit, & in eis mirabiliter intra vigesimum-quintum annum pene consequutus est summum.

Sed quæritur an laudandus sit Dionysius de ista scientia. Quod non videtur, quia Paulus magister eius dicit, quod *sapientia huius mundi stultitia est apud Deum*. Respondetur quod differentia est inter sapientiam humanam & sapientiam mundanam, quia sapientia seu scientia humana à viris magnæ vitæ & mundi comtemptoribus soli ocio studij vacantibus, inuenta est. Et licet non doceat cognoscere salutem hominum, disponit tamen ad cognitionem eius, quia ad candelam non videtur sol, sed ad radios eius, & ideo ipsa non est reprobanda sed laudanda. Vnde quidam Philosophi propter sapientiam istam dimiserunt bona, alij patriam, sed sanctus Dionysius bona & patriam, vt vere philosopharetur. Sed sapientia mundana de qua Apostolus loquitur à viris corruptis malæ vitæ & mundum amantibus inuenitur quotidie, non libris scribitur, quia non tantum valet, vt sit digna scribi, sed est in linguis & cordibus malorum. Patet de adulatore qui scit bene in curia se tenere, qui scit trahere argentum de bursa non apponendo manu, & scit ludere sicut Histriones gallice *ioner de passe, passe*, & sicut fur leniter & silenter à mercatore soluit bursam, sic sua lenitate & blanditia soluere nouit bursas Principum. Huiusmodi etiam sapientiam habet Prælatus, qui scit habere & manu tenere multos ministros, multa fercula, & congregare multa beneficia. Sic aduocatus qui habet totam practicam per astutias, sic miles qui scit deprædari populum, sic qui multum facit ridere, de quo dicitur, quod est dignus esse inter homines, & sic de alijs. Et ista est reprobanda nec eam habuit Dionysius, sed solum primam, ex qua deuenit ad aliqualem scientiam diuinam, cum ex Eclypsi factam die passionis in-

*Sapiẽtia humana & mundana differunt.* 1. Cor. 3.

nis intellexerit, quod Deus naturæ patiebatur.

C Nota. Sed quomodo hoc potuit cognoscere quod Deus naturæ patiebatur, cum sit vnus articulus fidei, modo secũdum Doctores articuli fidei non possunt euidenter ratione naturali cognosci. Respondetur quod dupliciter potest intelligi quod Dionysius potuerit cognoscere tunc Deũ pati, vno modo in particulari per quod homo iste (demonstrato Christo) pateretur, & sic non potuit hoc cognoscere, quia non potuit aliqua ratione naturali cognoscere quod iste esset Deus naturæ. Sed hoc cognouit in schola Pauli vbi tam doctus homo humiliatus fidei rudimenta suscepit. Secũdo in generali, & sic cognouit quod Deus naturæ patiebatur quicumque esset ille, & hoc potuit ex duobus comprehendere, primo ex ratione naturali.

Deuenerunt enim philosophi in cognitionem vnius Dei ex his quæ in natura videbantur ordinate fieri. Et quia vidit maximam deordinationem effectam, lunam, scilicet rumpere cælum, & se supponere soli, ideo bene iudicauit circa causam supremam illius fuisse aliquem defectum, quo nullus erat maior mortis passione, & propterea potuit iudicare quod Deus naturæ patiebatur, & ex terræ motu, & ex his quæ fiebant sicut Centurio paganus iudicauit. Inde & iuxta Dauid prophetiam timuit Dio-
Psal. 64. nysius timore magno. *Timebunt* (inquit) *gentes qui habitant terminos à signis tuis*, terminos scilicet terræ sanctæ. Secundo hoc potuit ex diuina influentia, quæ corda suorum prædestinatorum iam tangebat. Defecerat enim sol in Iudæa, & tunc irradiabat in infideliũ mentibus, vt impleretur quod dixerat, si hi tacuerint lapides clamabunt. Ideo quia Iudæi tacuerunt in laude creatoris, illi qui adorabant lapides clamauerunt, vt Dionysius, aut Deus naturæ patitur, aut tota mundi machina destruetur, sed tota mundi machina enim est destructa, igitur per locum à disiunctiuis Deus naturæ patitur vel patiebatur.

Secundo ex vexatione secunda quam habuit quando cognouit ignorantiam suam medio prædicationis B. Pauli peruenit ad veram scientiam diuinam. Sed primo eruditus est in principijs fidei, scilicet de resurrectione mortuorum, de idolis abijciendis, & de vero Deo colendo, cui tamen aram consecrauerant superscribentes ei, Ignoto Deo.

Sed quæritur quomodo ita cito credidit Dionysius, cum dicatur Eccl. *Qui* Eccl. 19. *cito credit, leuis est corde*. Et ideo nos Christiani reputamur etiam fatui, qui credimus eis qui tam difficile crediderunt. E conuerso tamen dicitur in prouerbio communi, stultus non credit quousque recipiat. Dicitur primo quod nimis cito credere, & nimis tarde vtrumque malum est, primum propter inconstantiam & leuitatem. Secundum propter duritiam cordis & obstinationem. Dicitur secundo quod Dionysius, & sancti non nimis cito crediderunt, sed multis præuijs apparentijs & occasionibus, nec etiam nos nimis cito credimus. Sunt enim multa propter quæ debemus alteri credere. Primo quando doctrina eius est naturali iuri consona, ita quod etiam si nullus esset alius doctor quam conscientia cum demonstratione aliquantula aliquorum particularium, adhuc homo induceretur ad credendum. Sed sic fuit de lege nostra, in qua nihil est nisi conforme iuri naturali, ita vt inter omnes leges iudicetur munda. *Lex Domini immaculata* Psal. 18. *conuertens animas*. Secundum est vita hominis. Quando enim homo docens talis est vitæ, vt vita sua sit irreprehensibilis, non credendum ipsum deficere in verbis, quia facilius est vitam discordare à vera doctrina, quàm doctrinam discordare à vera vita.

Tertium est miracula quæ ad approbationem doctrinæ fiunt. *Mirabilia te-* Psal. 118 *stimonia tua Domine*, id est, mirabilibus confirmata, *ideo scrutata est ea anima mea*.

Quarto quãdo doctrina illa consentanea est dictis Sanctorum & veterum Patrum approbatorum, & qui dedignati fuissent sequi mendacia. Et quia doctrina Christi conformis est doctrinæ prophetarũ sanctorum veteris testamenti approbatorum etiam ab inimicis nostris Iudæis, ideo maxime credendum est ei. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*, & hæc induxerunt primos Martyres ad credendum illi. Quintum est quando propter doctrinam illam approbandam viri optimæ vitæ & maximæ dignitatis etiã apud mundanos, omnia temporalia paruifecerunt, imo vitam propriam, tunc nihil remanet suspitionis in doctrina illa, quod inuenitur in doctrina Christi, quam multitudo Martyrum per varia tormenta approbauit, inter quos erant multi nobilissimi sanguinis vitæ & doctrinę, sicut beatus Dionysius de nobili genere ortus dignitate sæculi & scientia illustris, & alij plerique, & ideo non est mirum, si illi doctrinæ nunc adhæremus. Dicitur tertio quod ad leuiter capiendum doctrinã multum facit doctoris traditiua, & capacitas, & dispositio audientis. Sic ibi erat Paulus optime docens, in cuius ore Spiritus sanctus loquebatur, secũdum quod dixerat Dominus Apostolis: *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis*, aderat & capacitas intellectus Dionysij, & dispositio per scientias humanas vna cum miraculis, ideo non est mirabile si tam cito credidit. Secundo altissima mysteria diuinæ scientię consequutus est, & maxime per vexationem tertiam, qua vexabatur, & laborabat propter Deum. Nam quicquid de hierarchijs Angelorum, & vita & influentia angelica dici potest, hoc per Paulum & riuelatum est, & hoc scripsit. Item de diuinis nominibus, & de dispositione Ecclesiasticæ hierarchiæ, ita vt etiam in laudibus græcis cantus Angelorum docuerit Ecclesiam græcam cantare. Ille est qui primus de contemplatione scripsit, cuius doctrina vsque adeo creuit, vt posset sufficere, non vni vrbi tantum, aut regioni, sed etiam toti orbi, & vt scribitur Hest. *Paruus fons creuit in fluuium, & in solem lucemque conuersus est, & in aquas plurimas redundauit*. Et ita à B. Clemente missus est ad Gallias cum plurimis Sanctis, vbi tam feruenter & tam efficaciter prædicauit, vt illic populum multum acquireret Domino, taliter quod meruit dici Apostolus Galliarum. Sed hic oriuntur duæ quæstiones. Prima est quomodo Dionysius dicitur Gallorum Apostolus, cum tamen plures ante eum prædicauerint fidem in regno, B. Vrsinus Bituris, B. Sauinianus Senonis, B. Cancianus Turonis, tempore Petri, B. Saturninus Lugduni, imo prope Parisios duo milites longe ante sub persecutione Neronis fuerant interfecti apud Christolium. Dicitur primo quod non dicitur quis Apostolus alicuius patriæ, quia primus ibi prædicauerit, vel quia primo conuerterit populum talis. Patet quia Petrus primo conuertit Gentiles, & tamen non dicitur Apostolus Gentium, sed Paulus, & similiter ante Paulum multi fuerunt Gentiles conuersi, & similiter Apollo antea prædicauerat & multi alij. Dicitur secundo, quod ideo quis dicitur Apostolus alicuius patriæ, quia prædicauit ibidem, & populum conuertit, relinquens sibi successores, & ampliauit vltra omnes. Et inde est quod licet Apostoli omnes multos Gentiles conuerterint ad fidem, non tamen dicti sunt Apostoli Gentium, sed solus Paulus, quia excellentius se habuit quam cæteri in conuersione Gentium. Sic quia illi qui prædicauerunt ante Dionysium in Gallijs non æque ampliauerunt illuc cultum Dei sicut ipse, non dicuntur Apostoli Galliarum. Vnde non dicitur ille quia apportat semẽ agricola, sed qui plantat & seminat, & eius industria ad fructum vsque peruenit. Sic alij qui Dionysium præcesserunt, licet fidem in hoc regno apportauerint, non tamen eam perfecte plantauerunt, sed ille & attulit, & ita plantauit, quod mille mortibus

Psal. 92.

D
Creditur alicui propter multa.

Matt. 10.

Hest. 11.

E
Apostolus aliquius patriæ quomodo dicitur quis.

Act. 10

bus hominum euelli non potuit, & ideo dicitur Apostolus Gallorum sicut Paulus Gentium, quia firmiter plantauerat fidem in cordibus earum, ipso dicente:
1. Cor. 3 *Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit.* Secunda quæstio est, quomodo Deus elegit Dionysium ita doctũ, vt esset Apostolus Galliarum, cum tamen
1. Cor. 1 dicatur: *Infirma mundi elegit, vt fortia confundat, & ignobilia, & ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Respondetur primo, quod Dominus duodecim Apostolos tãquam primos fidei sub Christo institutores elegit simplices homines non literatos propter duo. Primo ne crederetur homines sapientia vana hominum adductos esse ad Deum, & ne hoc ascriberetur calliditati & astutiæ hominũ, sed tantummodo merito Christi, de quo Apostolus: *Quos vocauit, hos & iustificauit*, & diuina sapientia tantum miraculum facit, vt duodecim homines illiterati, totum pæne subiugarent orbem Christo. Secundo vt iudicarent posteri quãta sanctitas, quanta veritas erat in lege Christi, quando homines sine literis ad solum verbum tot populos, tot Philosophos ita conuerterunt, vt etiam mille mortibus pro eo constantiores essent, ita etiam, vt non timerent amittere bona omnia. Sed longe aliter modo, quia si mandatum iniquum procedat, timore amissionis officij dimittitur Deus, & fit quod iubetur. Dicitur secundo, quod ideo Dominus postea vocauit sapientes huius sęculi propter multa, primo vt videretur concordia inter Christi fidem & sapientiam, & illam humanam Philosophorum scientiam. Iam enim pro parte publicato Euangelio cæperunt Philosophi admirari quæ de Christo dicebantur, & statim inuenerunt omnia quæ de ipso & in lege præcipiebantur veritati scientiarum suarum fere consona, & ita vt lex nostra testimonium haberet ab his qui foris sunt, voluit Dominus consequenter adducere Philosophos magnos, vt ad prædicationem Barnabæ conuersus est Clemens, ad

F Elegit Dominus primo simplices & postea sapientes.

Rom. 8.

prædicationem Ioannis Craton & Policarpus, ad prædicationem Pauli magnus Dionysius. Secundo vt ostenderet Dominus, quod scientiæ mundanæ essent ancillæ ipsius diuinæ sapientiæ, iuxta illud Prou. *Misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem*, & quod in exponendis sacræ scripturæ mysterijs talia deseruirent. Tertio vt sapientes mundi stulti stultos facere t. Dixerat enim per Apostolum: *Perdã sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Ideo Dominus eos stultos effecit, quando per stultitiam prædicationis illos saluos fecit. Corin. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Dicitur tertio, quod ideo misit Dominus Dionysium ad Gallias virum in vtraque sapientia, diuina scilicet & humana doctum, vt ostenderet signum esse & præsagium quod ab Athenis tempore sequenti transferretur vtraque illa sapientia Parisios. Inde & præcipuus inter eos doctos derelictis Athenis Parisios venit, illic moriturus, in præsagium quod illic terminaretur Athenarum & græcorum sapientia. Hinc potest dicere vniuersitati Parisiẽsi & regnicolis illud quod Paulus, signa Apostolatus mei vos estis in Domino. Ipse est Dionysius cuius semita quasi lux splendẽs creuit vsque ad perfectam diem, quã attulit ad hoc regnum, & sic populus qui antea ambulabat in tenebris vidit lucem magnam. Nõdum enim dies apparuerat, sed tenebræ ignorantiæ operuerant terram. Pro secunda parte dico quod per vexationes præcedentes bene dispositus est affectus eius, primo ad tolerantiam æquanimem, constantiam, ac patientiam in maioribus perferendis. Secundo per omnes suas vexationes bene dispositus est ad æternam remunerationem. Quantum ad primum sciendum quod B. Dionysius iã diu vixerat, & multa sustinuerat pro Christi nomine antequã veniret Parisios, & ideo constantior erat sicut de eo canitur, quod Parisios Domino du-

Prou. 9.

1 Cor. 1

Ibidem.

cente peruenit, non veritus incredulæ gentis expetere feritatem, subditur ratio, quia virtutem suam preteritarum pœnarum recordatio roborabat. Vixit autem in toto nonaginta annis. Vnde tempore passionis Christi viginti quinque annos attigerat, & post hęc Petrus & Paulus triginta nouem annis vsque ad finē imperij Neronis superuixerunt, deinde Vespasianus computando tres intermedios, Galbam Othonem, & Vitellium decem annis. Titus duobus, Domitianus quindecim, anno vero duodecimo sui imperij cæpit sæuire, & eo tempore Clemens cathedram Petri regendam suscepit, quo tempore Dionysium ad Gallias misit, & potuit prædicasse Parisijs per duos annos ante martyrium susceptum, & ita decimo-quarto anno imperij eius obijt, & sic sexagesimo-quinto anno à passione Christi martyrio migrauit ad Christū. Igitur cum Dionysius prædicaret Parisijs, iussu Domitiani Imperatoris excitata est secunda persecutio in Christianos. Hic Domitianus in tantam dementiam venerat, vt vellet se adorari sicut Deum. In eo autem Principes sumere possunt duo documēta. Primum est quod non confidāt in seipsis, sed in diuino adiutorio. Nam pulchra initia habuit Domitianus cum cum iuuenis esset, sed in fine derelictus à Deo in multa inconuenientia ruit, ita vt interfectus sit à senatu propter sua demerita. Hoc docet Psal, dicens. *Non saluatur rex per multam virtutem.* Secundo, quod ab eis domanda est & castiganda superbia, quia inde omnia mala oriuntur, quia non se cognoscunt, sicut oculus non se videt, ideo nes alios cognoscūt subditos, sed rusticos reputant, & eis quasi bestijs vtuntur, quemadmodum Domitianus, qui se faciebat adorari vt Deum. Quid æstimabat populum suū, quādo Deum se faciebat? Videtur talibus, quod duo fuerint Adam, vnus pro rusticis, & alius pro nobilibus. Missus est igitur Fescenninus præpositus in Galliam aduersus Christianos, qui cum esset Parisijs Dionysium

G Regibus dantur documenta.

Psal 32

prædicantem captum, colaphizatum, cōsputum, & loris cum socijs alligatum sibi præsentari fecit, & tunc apparuit quā bene dispositus erat ad constantiam & patientiam, quia sciebat Dominum non defuturum, sed implendum ab eo illud: *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima nō tanget te malum.* Septem enim possunt assignari agones eius, & tribulationes in quibus patiētiam obseruauit in suo martyrio. Prima tribulatio fuit, quia flagellatus est cum socijs à duodecim militibus, vicissim sibi succedētibus. Ecce quomodo tractatus est Episcopus noster Parisiēsis. Si enim quæras quantū sibi valuit in distributionibus Episcopatus Parisiorū. Respondebit, quod quemadmodū Paulo Patriarchatus Græciæ valuit illud: *Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum,* sic Dionysio valuit mille vel quingentos ictus virgarum vel baculorum. Si ita esset nūc non quærerentur Episcopatus. Sed vtrū valeret in portatis, dicitur quod sic super humeros eius, & totidem super locum. Et deinde pro camera Episcopali habuit carcerem obscurum, in quo multa passus est, & pro flasconibus auri & argenti, & vtensilibus argēteis. Catenas habuit quibus oneratus erat & illaqueatus. Maior quidem fuit ei honor, quam nunc nostris Episcopis habere vasa aurea & argentea. Ita gloriabatur Paulus esse vinctus Christi Iesu. Sic & Dionysius gloriabatur magis in habitatione illarum catenarū, quam in multitudine titulorum. Sic gloriari debent Monachi catenati catena Christi, & præceptorum eius. Vnde scripsit beatus Benedictus cuidam patri, qui se ligauerat ad catenam, nec longius ibat, quam pateretur magnitudo illius catenæ. Non te teneat catena ferri, sed Christi, vt habetur 2. Dial. Gregor. Sic Religiosi deberent magis catenari catenis amoris & timoris Dei. Nam sic est de religiosis sicut de pisis. Pisa enim in cossa vbi angustum habent locum bene ordinantur, sed in poto vbi non premuntur, discurrunt. Ita Religiosi qui premuntur & catenantur iugo

Iob 5.

H Nota. Agones Dionysij

2. Cor. 11

I Religiosi assimilantur pisis.

iugo regularis disciplinæ, & præceptorũ Dei, bene ordinantur. Qui vero non sic catenantur, facile hac illacque vagantur, & nullum ordinem seruant. Secunda tribulatio fuit, quod Episcopus noster loco aulę habuit Clibanum in quo positus est. Solent autem hæ aulæ habere aeré pulchum & sanum, sed hæc fuit ignea, solent esse latæ, sed hæc fuit stricta, solent esse frigidæ, sed hæc calida multum, sed rore cælesti siue diuino adiutorio sibi temperata, ita quod illęsus exiuit, vt dicere posset: *Probasti cor meum Domine, & visitasti nocte, igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.* Psal. 16. Tertia tribulatio, quod loco lecti bene parati habuit crucem Domini sui Iesu Christi, in qua affixus est, & corpus suum diutius laceratum est. Sufficit seruo si sit sicut Dominus est. O quãtum amplectebatur illam. Quarta tribulatio, quod loco paruuli lecti in quo quandoq; Episcopi requiescunt, positus est super craticulam tanquã in paruo lecto. Quinta tribulatio, quia loco eius quod Episcopi nostri vadunt nunc ad venandum, ductus est ad locum ferarum, & feris expositus, in quo non quidem captus est, sed feras cæpisset si rationem habuissent. Intelligebant enim tunc feræ magis quam homines, quia sentiebant sanctis Martyribus adesse diuinam præsentiam, & diuinum adiutorium, & tunc feritatem Beluinam deponebant, vbi homines nec Deum nec iustitiam eius reuerebantur, nec innocentiam Sanctorum damnare timebant, nec ferocitatem deponebant. Bene enim dicitur: *Interroga iumenta, & docebunt te.* Iob 12. Erant enim feræ illę docentes homines, quod erant leonibus & leopardis crudeliores, & quod ad sui similitudinẽ, quæ nec intellectum nec rationem habebant, ipsi qui intellectu decorabantur, immanitatem deponere debuissent. In quo hortantur Episcopi non ad irrationales feras intendere venando, sed venari feras rationales. Sexta tribulatio, quod loco distributionum suarum manualium distensus est in eculeo, & manibus tractus vt negaret veritatem, & iterum multitudine Christianorum loco solemnitatis satraparum ductus est in ergastulum tetrum, vbi celebranti apparuit Dominus Iesus, & inter cætera dixit ei, benignitas, & dilectio quam semper habuisti facient vt quicquid petieris pro quibuscunque impetres. Gratæ enim sunt orationes mansuetuetorum. *Humilium, & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* Iud. 9. In hoc etiam quod Dominus visitauit Dionysium in carcere existentem, monemur visitare incarceratos, & eis beneficia humanitatis impendere. Septima tribulatio, quod postquam iterum pro fructibus sui beneficij in portatis verberatus est acerrime Romanorum more, ductus est ad vltimum supplicium, & pro veritate capite cæsus est, in qua non tetigit eum malum æternæ damnationis, quod vere malum est.

Sed quæritur quomodo dicuntur in themate Dionysius, & socij aut alij Martyres in paucis vexati, cum tamen tot & tantas tribulationes, tã multa & tã acerba sustinuerint tormenta. *K. Martyrum tribulationes multa fuerunt & pauca.* Dicitur primo quod multæ fuerunt tribulationes Martyrum istorũ. Inde dici possunt aceruus testimonij, secundum illud: *Meus est Galaad*, Psal. 59. qui interpretatur aceruus testimonij quia aceruo tormentorum multipliciter testati sunt fidẽ Christi. Dicitur secundo, quod nihilominus fuerunt paucæ tribulationes & tormenta. Primo in comparationem, quia: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam.* Rom. 8. Super quo Bernar. non sunt condignæ ad præteritã culpam quæ remittitur, ad præsentem consolationem quæ immittitur, ad futuram gloriam quæ promittitur. Sicut mons Martyrum vbi fuerunt decollati, per comparationem ad alpinos montes diceretur paruus, cum tamẽ in se sit magnus. Secundo parua fuerunt tomenta Martyrum, quia per illa solũ pellis subtracta est, & caro afflicta, ossa autem eorũ non sunt contracta, quia: *Dominus custodit omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur.* Psal. 33.

Pellis

Pellis possessiones significat, caro parentes, vel carnem propriam, ossa vero virtutes. A Iob quasi pellis subtracta est, quando possessiones amisit, caro quando eius filij percussi vel caro eius afflicta, sed ossa, id est, virtutem animæ voluit Deus conseruare, quando Sathanæ dixit: veruntamen animam illius serua. Sic cutis Domini flagellis lacerata est, caro clauis & lancea confixa, sed ossa remanserunt integra, vt significaretur quod ita est in corpore suo mystico. De nullo latronum legitur, quod cutis fuerit flagellis accelerata, vel caro clauis perfossa, sed leguntur crura cõfracta, vt hoc significetur, quod malis & possessiones remanent intactæ, & vita & amici incolumes, sed ossa, id est virtutes eorum confringũtur. Tertio, quia tormenta erant eorum nutrimenta. Nam sicut pisces tonsionibus maris nutriuntur. sic sancti tribulationibus impinguantur, & per tribulationes bene disponuntur. Vnde dicunt

Psal. 123 sancti Martyres. *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium*. Anima qui-

Iob 9. dem non corpus, quia Iob: *Terra data est in*

Leuit. 14 *manus impij*. Sed erepta est sicut passer, qui & si relinquat plumas, tamen auolat aliquando. Sic martyres relinquunt res, relinquunt corpora, & auolat anima. In cuius figura pro leprosi emundatione vnus passer immolabatur, scilicet corpus, & alius sinebatur aduolare, scilicet anima. Secundo per tribulationes & vexationes dispositi sunt Dionysius & socij ad remunerationem cœlestem. Primo quo ad gloriam essentialem, quę tanta est quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, &c. Secundo quod ad gloriam accidentalem. Primo in confessione Domini post mortem, in quo sequebatur Paulum magistrum suum, cuius caput abscissum loquebatur Christũ. Sic lingua isti palpitabat, vt putaretur omni confiteri & laudare. In hoc denotatur, quod qui didicerunt habere Deum in ore, ipsum in fine habebunt. Secundo, in deportatione sui capitis abscisi per vnã leucam cum dimidia vsque ad locum in quo sepultum est corpus eius, quomodo autem non viuit in illa æterna patria, cuius corpus mortuum per spatium trium milliarium caput detulit? Tertio in eo, quod comitem habuit multitudinem cœlestis exercitus in tali deportatione. Quarto in reuelatione sui obitus facta B. Regulo quem constituerat Arelatensem Episcopum. Nam in die martyrij istorũ sanctorum B. Regulus inter missæ secreta dixit ex inaduertentia, & intercedentibus sanctis martyribus tuis Dionysio, Rustico, & Eleutherio, & post hæc sursum respiciẽs circa calicem vidit tres columbas candidas in quarum collo erant scripturæ, in vna scribebatur literis sanguineis Dionysius, in alia Rusticus & Eleutherius in tertia. Qui diem notans, recessit inde & venit ad istas partes, & inuenit eos tali die martyrio migrauisse ad Dominum. Quinto in multiplicibus miraculis circa homines factis, & præsertim in eo, quod secundum legendam suã tres eruerit à damnatorum pœnis, vnum regem, scilicet Dagobertum, qui fundauit suam Ecclesiam, alterum Imperatorem, & quendam alium tertium.

Et si quæratur quomodo hoc posibile est. Dicitur primo, quia quod in exitu corporis circumdatur à dæmonibus, & si accipiatur ab illis non potest erui virtute humana, quia non est potestas super terram quæ valeat illi virtuti Angelicę comparari. Secundo dicitur quod ante sentẽtiam diffinitiuam iudicis possunt intercedere orationes sanctorum, quos Deus sciuit exaudiendos in sua æterna prædestinatione. Exemplum est de Traiano, cuius sententia dicitur fuisse per annos multos suspensa quousque liberaretur precibus vel fletibus B. Gregorij. Sed post illam diffinitiuam sententiam, si ceciderit lignum, siue ad austrum, siue ad aquilonem, vbicumque ceciderit, ibi stabit. Sexto in conseruatione sui templi & bonorũ eius. Vnde refert Gregorius Turonensis, li. 1. de miraculis martyrum cap. 61. quod

tempore

tempore quo Sigisbertus rex cum exercitu Parisios venit, & maximam vrbis partem incendio concremaret, quidam de primoribus eius ad Basilicam B. martyris Dionysij properat, non orationis causa, sed vt inde aliquid auferret. Qui inueniens omnia reserata & custodibus vacua, pallam olosericam auro exornatam & gemmis, quæ sanctum tegebat sepulchrum, temerario ausu secum sustulit, veniesque ad castra, necessitas fuit ei nauigandi. Cumque puer eius quem tūc creditum habebat, suspensis ad collum huiusmodi cum eo nauem ascendisset, subito à nullo tactus de naui corruit, oppressusque numquam potuit inueniri. Ille quoque iudicium Dei in se cernēs per pueri amissionem & auri quod habebat circa collum, velociter ad sepulchrū remeauit restituens quæ inde abstulerat. Et licet hoc fecerit, diem tamen in quo hæc fecerat recurrēte anni circulo nō attigit.

## DE EODEM SERM. II. ET IN ordine LXIX. Per Thema.

Hebr. 11. *Conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello.* Obloquuntur sapientes mundi de Deo quia amicos suos in hoc mundo permittit opprimi, & videtur eis, quod insipienter regat mundum, cum præmientur mali, & boni præmantur etiam per malos. Quod videtur Manichæis dedisse occasionem erroris, qui posuerunt duos Deos vnum bonum, & alium malum, & à malo esse visibilia ista, à bono inuisibilia. Similiter & sancti videntur super hoc moueri & mirari, quorum vnus dicebat: *Mei autem pœne moti* (Psal. 72.) *sunt pedes, quia zelaui super iniquos pacem peccatorum videns.* Et Hier. *Iustus es Domine, si* (Hier. 12.) *disputem tecum, veruntamen iusta loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui præuaricantur & inique agunt?* Et Abac. 1. Abac. *Quare taces impio conculcante iustiorem se?* Respondetur: Iustificata est Dei sapiētia à filijs suis. Primo, quia tribulatio ista non est nisi examinatio: ad hoc quod sint sufficientes ad dignitatem paradisi, sicut solent homines examinari priusquam ad dignitatem assumantur. Ideo Iac. *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ.* Sap. *Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se.* Secundo tribulatio ista non est, nisi quædam aptatio martyrum, vt in ædificio paradisi ponantur. Oportet enim eos tundi, & malleari hic, vt superius in templo Dei statuantur in locis suis, secundum merita sua. Vas de metallo quod non potest plicari aut fabricari numquam est pretiosum, propter quod vasa vitrea licet sint pulchra, non tamē pretiosa. Statim enim franguntur. Et ideo hortatur sapiens. *Coniungere Deo, sustine.* Sed quidam sunt sicut ferrum nubium, quia ferrum in aqua natum licet sit durum, tamen calefactum mollescit, & plicatur, & fabricatur, ferrū autem, quod nascitur in nubibus quantumcumque calefactum, & malleatum non plicatur aut mollescit, vt videtur dicere Aristot. 4. Metheororum. Sic cor induratum in peccato quod est in aqua, hoc est basso statu, aliquando verbo prædicationis calefit, & plicatur ad pœnitentiam, & correctionem, sed ferrum nubium, id est personarum existentium in statu eleuato, & perfecto sicut in religione, vix potest plicari per humilitatem, nec aliqua correctio apparet in eis. Tertio nesciunt mundani, quod tribulatio, & mors non est contra electos Dei, sed pro eis. Est enim velut succursus à Deo missus contra amorem præsentis vitæ, quem hostē atrocissimum patiuntur, velut nuncius gratissimus eos de præsenti miseria euocans ad fœlicitatem æternam, & velut malorum omnium finis, & egressus de omnibus ærumnis, & ingressus omnium bonorum. Qui enim Deum perfecte diligit, ei adhærere, & cum eo esse desiderat, sicut B. Dionysius, & socij non curabant quicquid paterentur, dummodo Christo iungerentur. Quarto non cognoscunt mundani, quam pretiosum est regnum cælorum, quod pro tribulatione præsenti

[Margin: A Tribulatio quā sit vtilis. Iac. 1. Sap. 3. Eccl. 2.]

præsenti venale exposuit Dominus, quod tamen multum est appreciatus Paulus dicens, non sunt condignæ passiones huius temporis, &c. & si consequẽter quæreretur quantum valet, dicit, nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, & post ipsum dedit pro illo, regno Dionysius caput suum cum membris.

Vix sunt aliqui, qui vellent habere pro tali foro. Sed numquid Dionysium pœnitet de tali foro? Constat quod non. Verum est quod graues videntur tribulationes dum sufferuntur, sed postea multam afferunt iucunditatem, secundũ illud: *Omnis quidem disciplina in præsenti videtur non esse gaudij, sed mæroris, postea vero fructum pacatissimum exercitatis per eam reddit iustitiæ*, & de sapiente mercatore emẽte dicitur: *Malum est, malũ est, dicit omnis emptor, sed cũ recesserit*, scilicet ab hoc mundo, *tunc gloriabitur*. Dicitur secundo, quod Dominus non insipiẽter agit dimittens malos multiplicari, & vexare bonos licet posset refrenare, sed hoc facit propter multas causas rationabilẽs. Prima est vt sint virga, & serui ad corrigendum filios vel exercendum in vitutibus, tamẽ postquam fecerit de eis, illos mittit in ignem æternum. Secundo vt sint solutores debitorum. Ipsi enim te faciunt soluere debita tua, si facias de necessitate virtutem. Nam sicut garsiones dum non habent vnde soluant simbolum, facit eos verberari tabernarius, sic Dominus permittit tundi latera nostra pro simbolo eorum, quæ bibimus, & comedimus in taberna diaboli. *Iram Domini portabo, quoniam de peccaui*, & Abacuh petebat, *Ingrediatur putredo in ossibus meis & subter me scateat, vt requiescam in die tribulationis*, & Dauid exponebat latera sua tunsionibus dicens, *Ego autem in flagella paratus sum*. Tertio permittit multiplicari malos, & exaltari, vt ostendat nos non habere hic ciuitatem permanentem, & quod debemus hunc mundum contemnere qui plenus est malis, & quod non est patria bonorum,

Hebr. 12

Prou. 20

B Vexãtur boni à malis & quare permittuntur.

Mich 7

Abac. 3

Psal 37.

quia terra data est in manus impij, & ideo vt cor non apponant in eo, dedit eis flagellum impiorum, à quo nullus iustus exceptus est, imo nec ipse Christus nec eius genitrix Maria, ad quam recurremus, dicentes. Aue gratia plena, &c.

Primo dicemus quomodo conualuit Dionysius ab infirmitate infidelitatis, Secundo dum conualescere cæpit seruauit bonum regimen. Tertio quomodo in tãtum conualuit, vt fortis inueniretur in multiplici bello.

C Conuersio huius plusquã alterius vnde procedit.

Pro primo quæritur quare citius sanatus est ab infidelitate, & conuersus ad fidem quam alij de ciuitate, & quomodo hoc fieri potuit, cum docti viri dificilius captiuent intellectum suum, vt patuit in Augustino. Respondetur, quod multiplex assignari potest ratio. Prima, & præcipua est diuina gratia ipsum mouens ad suscipiendum doctrinam Pauli, quæ mouet quos sibi placet, secundum illud: *Miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit*. Diuina enim gratia quos vult iustificat. Ad hoc facit exemplum de Carpo. de quo Dionysius in Epistola ad Themophilum, quod cum indignatus ex eo, quod quidam infidelis peruertisset fidelem, oraret vt ambo igne extinguerentur, vidit media nocte domum in duas partes diuidi, in quarum altera erat clibanus ardens, iuxta quem erant illi duo tremuli, superius autem Dominus cum multitudine Angelorum. Qui (licet idem carpus optaret vt cito mitterentur in fornacem) eorum tamen misertus est, & descendit ad liberandum eos, & dixit Carpo, quod paratus esset iterum pro peccatoribus pati, & sic ex sua mera gratia eos iustificauit. Secunda causa potuit esse dispositio Dionysij qua se disposuerat per sapientiam quam à iuuentute exquisierat, quia scribitur de sapientia diuina: *Qui mane vigilauerint ad me inuenient me*, sed beatus Dionysius mane iuuentutis laborauit, vt posset dicere illud Psal. *In*

Exo. 14.

Prou. 8.

Psal. 87.

labo-

*laboribus à iuuentute mea, exaltatus*, in scientia, *humiliatus sum*, captiuando intellectum meum in obsequium fidei, *& conturbatus* in apprehensione iudiciorum Dei. Vnde in sua sapientia cognouit eclypsim saluatoris.

Communiter enim dicitur quod de paruo venitur ad magnum, & nemo repente fit summus, & de paruis scientijs ad magnas peruenitur. Scientia autem Philosophorum erat quasi luna, quæ tenebrositate mixta est errorum, sed disponebat ad scientiam diuinam, quæ est sicut sol sine errore, & maxime, quia bene vtebatur ea Dionysius, & cum humilitate. Magnum est cum quis à iuuentute inuigilat bonis scientijs vel artibus, & eis obtentis illas applicat ad bonum. Exinde enim plurima emergunt bona. Et è conuerso si male eis vtatur homo, pessimus est, quia vt dicit Aristot. 1. Polit. scientia in homine malo est nequitia habens arma. Tertia causa fuit Pauli disputatio, quæ erat multum efficax, & consistebat in tribus. Primo in declaratione resurrectionis mortuorum, de qua tamen non libenter audiebāt loqui philosophi, quia naturali cognitione ad eam peruenire non poterant, & sola naturalia capiebant, vt bene dicitur Rom. *Quod notum est Dei manifestum est in illis*, hoc est quod secundum rationem naturalen cognosci potest. Secundo in reprobatione idolorum, quæ manu fiebant, & multitudinis deorum, ad quod aliquo modo poterant peruenire per viam rationalis naturalis. Tertio in declaratione illius Dei, quem dicebant esse ignotum, quæ omnia patēt ex textu Epistolæ. Act. 17.

Rom. 1.

Et si quæras quomodo Deus ille erat eis ignotus, cum dicerent eum esse Deū. Si enim dicatur, quia eum non viderāt, sic vt nec Herculem. Respondetur, quod numquam fuit mūdus ita rudis, & hebetatus, quin fuisset semper aliqua de Deo cognitio. Deum enim esse est quasi principium vnum, nec est aliqua natio quę nō fecerit sibi Deos, quasi ipsa naturali lumine coacta sit, vt vnum Deum esse profiteretur, & ita quod Deus esset cognoscebat. Sed Philosophi vigentes intellectu cognouerunt amplius, scilicet quosdam effectus, qui per naturæ opera cognosci poterant, sicut quod erat principiū omnis creaturæ, iuxta illud, id est cæli, quod ab eo quidem deriuatum est esse, & viuere, his quidem clarius, his autem obscurius. Vnde & hoc dicens Paulus, quod in ipso viuimus mouemur, & sumus, allegat illud Arati Poëtæ, ipsius enim genus sumus. Sed erat eis ignotus quantum ad opera summæ sapiētiæ, & bonitatis eius, quæ erat ostensurus in futura vita, & etiam in præsenti. Bonitatem enim aliquam ostenderant hominibus Apollo, & Esculapius, sanando eos medicina visibiliter ab eisdem applicata, sed non sic adhuc Dominus ostenderat præsentiam suam. Propterea ante incarnationem clamabat populus, Domine in cælo misericordia tua, & veritas tua vsque ad nubes, id est ad obscuritatem. Ideo adueniente illo, misericordia & veritas obuiauerunt sibi, misericordia de cælo diuinitas est, & veritas quæ de terra orta est, humanitas. Quarta causa conuersionis Dionysij fuit miraculum, scilicet illuminatio cæci. Adhuc enim maculam in oculo intellectus habebat, quousque Paulus cum cæco corporaliter illuminato spiritualiter illuminauit eum, ita quod per illuminationem exteriorem hominis prius cæci, illuminatus est oculus interior mentis Dionisij.

Quo ad secundum sciendum est, quod ad regimen hominis conualescētis quinque principaliter requiruntur. Primum est quod non multum comedat aut bibat. Secundum est, quod baculum ad se sustentandum habeat. Tertium est quod non multum aëris capiat. Quartum quod læte, & gaudenter se habeat sine ira, & fantasia. Quintum est, quod calide se teneat. Primo igitur requiritur, quod conualescens sobrie viuat. Et propterea beatus Dionysius cum biberet calicem

Psal. 118 *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam*, & frigefactio cordis emortui à charitate, quæ est in Christo, & tremor per timorem mundanum & humanum. Item crux est baculus festiualis, vnde subsequuta est festiuitas æterna in electis suis. Tertium necessarium conualescenti est, quod non multum aëris capiat. Nimius enim aër aliquando porros aperit, & commouet humores adhuc nõ bene sedatos. Sic Dionysius postquã cõualuit ab infidelitate, terrena omnia spreuit doctrinæ Pauli adhærens, ita quod meruit constitui Episcopus Atheniensis, vbi rexit plusquam viginti-quinque annis indeficienter non discurrens, sed ibidem conuertens animas Deo. In quo docuit religiosum non multum vagari, sed in suo monasterio permanere, nisi causa vrgente necessaria. Sic enim cum necessitas fuit, B. Dionysius relicto Episcopatu Atheniensi cuidam sancto viro, venit Romam, & deinde missus est ad Gallias, non solus tamẽ sed duo secum, in signũ quod religiosi non debent ire soli per campos vel vrbes. Sed ibi quæritur nonne sufficiebat B. Dionysio suus Episcopatus Atheniensis, nisi etiam accipere Episcopatum Parisiensem, an iam tempore illo essent commendæ perpetuæ. Dicitur primo, quod Dionysius non commendauit illum Episcopatum homini inutili, sed reliquit eum viro sancto, vt iret visurus Petrum & Paulum. Licet relinquantur modo beneficia inutilibus, quibus commendatur pecunia non Ecclesia. Non enim quærunt in commendam prioratum carmelitarum aut Iacobitarum. Similes autem sunt commendæ huiusmodi præbẽdis coquinorum de fallis Parisiensis quæ nihil valent nisi in portatis, sic nec eis, quia nunquam sunt supra locum. Dicitur secundo quod aliter ipse, aliter moderni dimittunt Episcopatus, quia ipsi dimittunt minores in valore, vt habeant meliores, & contentãtur portare duplicem crucem Patriarcharum in India maiore. Sed non iste, quia dimisit Episcopatum illum Athenarum bene plantatum à Paulo rigatum ab eo, & multiplicatum, (Decebat enim vt rigarentur sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua) dimisit inquam Episcopatum illum viro sancto, & recessit ad desertam domum vt ædificaret ciuitates dissipatas, similis homini patrifamilias qui est magnus negotiator, & diues, qui cum videt dissipatas ciuitates, & desertas, reædificat. Sic dimisit illam, & venit ad desertam bonis hominibus terram, hoc est ad Galliam, ibi ædificaturus domum Domino. Quartum necessarium conualescenti est, quod læte & iucunde se habeat. Sic Dionysius cum iucunditate & lætitia cordis in conscientia pura Domino seruiebat, sciens hortari. *Seruite Domino in lætitia*, & quod Cor. *Hilarem datorem diligit Deus*. Quintum necessarium est, quod calide se teneat. Sic beatus Dionysius in tanto erat feruore amoris, vt semper vel in exercitio conuersionis populi, vel in diuinorum contemplatione esset, ad quam non nisi certis gradibus amoris peruenitur. Ipse enim inter cæteros contemplatiuus fuit. Homo autem libenter loquitur de his ad quæ ponit cor suum, sic beatus Dionysius de cęlestibus, quia ibi tota conuersatio erat. Lathomus de gypso, coriarius de corio loquitur, tractant fabrila fabri, sed homo cælestis de cælestibus. Et ideo habuit à Paulo ea, quæ non licebat homini loqui. Sed si nõ licebat homini loqui, quomodo igitur Dionysio. Dicitur, quod licebat Dionysio loqui eo, quod cœlestis erat nõ terrenus homo. Sic eius exemplo religiosus sit corpore in claustro, & mente in cælis, semper loquens de Deo, & salute sua ac populi.

F Nota.

Psal. 99

2. Cor. 9

Pro tertia parte dicimus, quod beatus Dionysius decem tormentorum genera fortiter & cõstanter sustinuit, & quasi in decem bellis victor euasit. Primum est, quod dum prædicaret captus, colaphizatus, consputus, & loris cum socijs alligatus coram iudice sistitur, & iudici præsentatur, coram quo constans & intre-

G Sancti cur stant confidenter corã iniquis iudicibus.

trepidus stabat. Stant enim constanter, & confidenter viri sancti coram iniquis iudicibus scientes duo contraria iudicia secum agi. Simul tunc iudicantur in cælis, & à iudicibus iniquis, & vbi audiunt coram iudicibus iniquis accusationes, audiunt nihilominus per fidem à Christo in cælis excusationes suas, & vbi ab ipsis suas condemnationes audiunt, audiunt interius à Christo Domino sententias suæ absolutionis, & approbationes. Neque curant de iniquo iudicio cæcorum & non recta videntium, scientes iustitiæ & veritati non obesse erronea iudicia, sed prodesse, cognoscentes quod supernus iudex hæc irrita habet illud
1. Cor 4 quoque attendentes quid Apostolus: dicit, *Qui me iudicat Dominus est*. Reputant ergo istas sententias nullas, & quasi à non suis iudicibus datas. Stant etiam ibi confidētes de iure suo securi, quod in superno consistorio iudiciū, quod hic agi contra eos videtur, retractabitur & pro eis ibidem iudicabitur. Secundū genus, quod ipse, & socij à duodecim militibus sibi inuicem succedentibus flagellantur. Nec mirari oportet si Dominus permisit eos talia pati. Non enim mirum esse debet vt dicit Augustinus, si eos flagellat Dominus quos grandes quærit hæredes, sed tandem absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Tertium genus, quod cum catenis ferreis retrusi sunt in ergastulum carceris. Sed vnde est quod Dionysius iam senex, & quassatus membris, ita dura sustinuit pro veritate tutāda, & tamen nunc nostri prælati non sustinerent vnum ictum pro ea, nec se opponunt pro domo Israel. Dicitur. Prima causa est quia sicut dicit Nicolaus de Lira super Psal. Dominus illuminatio mea, quādo Dominus vocat aliquē ad aliquod officium, dat ei illa quæ sunt necessaria ad ipsius executionem. Et quia vocauerat beatum Dionysium ad episcopatū Parisiensem, & ipse non poterat pascere oues suas nisi multa sustinendo pro veritate, ideo dedit ei constantiam talia sustinēdi. Sed nunc non vocantur à Deo, imo vi & violentia seruitijs inutilibus, & simonia, & sic vocati loco membrorum Christi nutriunt mastinos, venantur apros non peccatores, & portant miluos loco peccatorum suorum subditorum. Noli mirari si tales nolunt mori martyres, sed solum confessores. Secunda ratio est, quia dicitur communiter, quod vix laborem sustinet, qui sufferre non didicit. Et quia qui modo sunt in altis dignitatibus constituti consueuerunt otiari, bene prandere, bene comedere, & bibere, & luxuriari, ideo non est mirabile si refugiant ferre laborem. Beatus autem Dionysius fuerat in laboribus à iuuentute sua, & propterea promptius, & constantius sustinebat tot ac tantos labores, & tormenta, licet senex. Neque mirādum est si de Dionysio iam sene tantum constantiæ ac patientiæ bonum processit, cum de Zacharia sene tam bonus fructus natus sit, scilicet Ioannes Baptista. Quartum genus, quod sequenti die Dionysius super cratem ferream suppositis flammis nudus extenditur, Domino decantabat dicens, ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud. Ecce quomodo Martyr iste sanctus in tribulatione laudabat Dominum, sicut Martyres diaboli in tribulatione blasphemant Deū: *Aquæ quæ super cælos sunt laudent nomen Domini.* Aquæ Psal. 148 super cælos tribulationes sunt incidentes super cælestes viros, quæ ideo laudāt nomen Domini, quia propter constantiā nō pertranseūt aut suffocāt cælos illos, quia: *Cæli solidissimi quasi ære fusi sunt,* sed tātū eos superficialiter tangūt, ideo tribulationes illæ occasio erant laudis diuinæ. Aquæ vero quæ super terram sunt, terram ipsam pertranseunt, ideo tales aquæ, id est, tribulationes quæ super terrenos incidunt, non ita sunt occasio laudis diuinæ. In quali statu erat qui dicebat, intrauerūt aquę vsque ad animam meam, infixus sum in limo profundi. Secundo quia aquæ quæ super cælos sunt, quamuis sint amaræ, tamen ex illis ad gloriam suam

*Tribulationes iustorū sunt occasio laudis diuinæ*

*Iob 37.*

suam Deus scit elicere dulcedinem, sicut scit ex malis bonum elicere, quod nemo alius facere potest. Hoc ergo est illi ad gloriam quod super sanctos pluit aquas. Quæ vero super peccatores magis tendunt ad blasphemiam. *Pluet super peccatores laqueos*, in quibus detēti sæpe blasphemant nomen Domini. Pluit enim illas tribulationes super iustos, & iniustos, sed illi differenter tribulationibus vtuntur. Quintum genus, quod ad bestias ferocissimas multo ieiunio excitatas, exponitur, sed signo crucis facto mansuescūt. Si quæras vnde erat quod sic mansuefiebant bestiæ illæ. Respondetur, quod hoc erat. Primo ex virtute diuina ibidem assistente facto crucis signo, sicut etiam legitur in quinto li. Hist. Ecclesiast. quod feræ mittebantur ante christianos, & tamen non audebant contingere corpora eorum propter diuinam virtutem impedientem. Secūdum, ex sanctitate beati Dionysij, qui quodammodo per eam reducebatur ad statum innocentiæ, in quo homo dominabatur cunctis animātibus terræ. Sextum genus, quod in clibanum ardentem mittitur, sed ibi permanet illæsus. Qui riparia sui sanguinis flammeam extinxerat rumpheam paradisi, vt omnes intraremus, potuit eodem sangnine impedire ignis actionē. Septimum genus, quod suspenditur ad gehēnam vbi distrahebātur membra, & postquam ibidem diutius vexatus est, viuus deponitur. Est multiplex gehenna. Quędam est cuius diabolus, & ministri eius sunt custodes, & tortores, quam pateris dum iniuria tibi fit in corpore vel bonis, & licet dura sit, tamen patienter tolerāda est propter Deum. Alia est in qua debes animā tuam ponere quasi in tormento, vt pœniteat, & cōfiteatur omnia peccata, & si sic, nō ibit ad patibulū inferni. Tertia est gehenna inferni in quā detruduntur, qui hic se in gehēna pœnitētię nō posuerint. Octauum genus quod iterū ad carcerē deducitur cū fo[illegible]ijs, & multitudine fideliū, ita vt nocētes remouerentur à carceribus, vt ibidē ponerentur innocentes. Ita inoleuit consuetudo. Boni viri incarcerantur, & prędę subiacent, & prędatores maximi faciunt quicquid volūt nec prohibentur. Ibi autē celebranti Dionysio apparuit Dominus, & ministrauit ei corpus suum. Sed an hoc sit credibile, cū non videretur necessitas sic corpus suum ministrare. Dicitur quod sic, & hoc quia multi erāt cum eo fideles, & nouelli, quibus opus erat fulcimēto, & forte nō plene credebāt de Eucharistia, ideo ad roborandū eos venit, & apparuit vt nō timerent fundere sanguinē suum, & rigare Ecclesiā Francorum de nouo plantatā. Sicut enim plātula indiget rigatione, sic Ecclesia Franciæ tunc nouella. Nonum genus est, quod iterū Dionysius acerrime virgis cæsus est, & nouis denuo supplicijs maceratus, & tunc genibus flexis orauerunt sancti, vt quicumque in nomine eorum peteret, exaudiretur. Sed quare sancti isti martyres orabāt pro nobis. Respondetur quod primo quia appropinquabant ad fontē misericordię & ad abyssos clementiæ. Iam enim stabāt in cōspectu Dei. Nil mirum ergo si iam hauriebant pro nobis aquam sitientibus. Quis enim prope est abyssos aquarū, & nō dabit petenti sitiēti aquam? Quis existens prope infinitā panum multitudinē, & famelico petenti nō porriget panē? Absit à vobis, ô beati martyres crudelitas ipsa. Secundo clamat eorum sanguis & tribulationes pro vobis ad Dominum. *De cælo in terrā aspexit, vt audiret gemitus compeditorū.* Sanguis enim Abel clamat de terra. Tertio clamat eorum fides. Dicit enim Dominus in Euangelio. Amen dico vobis, si habueritis fidem integram & non hæsitaueritis, si dixeritis monti huic transferte, transferet se, & quæcūque petieritis in nomine meo credite quia accipietis. Dubium igitur non est quin martyres qui tāta fide splenduerunt, habeant à Domino quicquid pro nobis petierunt. Quando Pharao plagatus fuit rogauit Moysen & Aaron, vt Deum orarent pro eo, vt plagas tolleret

Psal. 10.

K Gehēna multiplex.

L Martyres cur orabant pro nobis

Psal. 101

licet eos persequeretur, qui orauerunt & ablatæ sunt. Quanto magis nunc Sācti pro amicis orant. Vnde Chrysost. lib. de militia spirituali. In æstibus & frigoribus militi inest confirmata patientia, pugnæ ad hostes, pericula vsque ad mortem. Et si mors bellanti accidit, gloriosa est, vincentē vero honores & dona regia subsequūtur, hinc laboriosa inest prælijs vita, in pace autem splendida & honorata transigitur, & pro certaminibus prospere actis promotio dignitatis apponitur. Iuxta regem stare familiariter conceditur, de manu Imperatoris assidua remuneratione cæteris principibus, suæ gratiæ comitibus eminenter præponitur, interuenire etiam extrinsecus pro amicis suis, si velit libenter auditur, & tamen propria dignitate pro meritis virtutis exuberat, vt etiā sodalibus honorandis auctor existat. Decimū genus, quod omnibus tormentis superatis tandem capite cæsus est cum duobus socijs, extra ciuitatem Parisiensem, & sic spiritum Deo reddidit. Sed hic quæritur cum S. Martyres varia perpessi sunt tormenta in quibus perseuerāter permanserunt, nec mortui sunt, licet sufficerent inferre mortem, cur cōmuniter tandem gladij occisione vitā finierūt, nec vnquā ab illo tormento sicut ab alijs ad statum vitæ redierunt, sicut patuit in istis. Respondetur quod triplex est ratio. Prima vt ostendantur diuina voluntate non tyrannorū potentia extincti, quādo de maioribus tormētis contra tyrannorū voluntatē eos liberās: in minori tormēto permisit eos occumbere, qui posset eos faciliter liberare. Secundo, quia dicitur: *Vidi animas interfectorū propter verbū Dei, & testimoniū quod habebant*. Vt ergo sit aliqualis cōformitas mortis, & generis tormēti ad motiuā causam martyrij, quia verbum Dei gladius est permanēs, quia: *Verbū Domini manet in æternū*, consummati sunt gladio materiali cōsimiliter perseueranti, vt ad vitam non redirent. Tertio, quia dum Martyres separabantur, à capite suo coniungebātur capiti suo Christo, à quo nullatenus auelli poterant. Malebant enim caput Christū quam caput propriū. Vulgo propriū caput dici solet proprius sensus, & propria volūtas, nihil autē magis à Christo separat quā proprius sensus, & propria voluntas, propterea non inueniuntur Martyres gladio trūcati, qui postea rediuiui inuenti sunt. Secundo quæritur quomodo sic voluntarie sanguinem suū fuderunt. Respōdetur, quia cognoscebāt se statim effuso sanguine, & abscisso capite euolaturos ad cælū. Nam de Martyribus canitur. Sancti tui Domine mirabile cōsecuti sunt iter seruiētes præceptis tuis, & sequitur in mari rubro via apparuit sine impedimēto, hoc est via ad cælum apparuit in rubri sanguinis effusione sine impedimento culpę vel pœnæ debitæ. Inde de Martyribus dicitur: *Lauerunt stolas suas*, id est animas, *& candidas eas fecerunt in sanguine agni*, id est passione Christi, quē sunt imitati. Neque enim stolas immūdas habere potuerunt, qui eas in sanguine agni lauerūt. De ipsis autē canit Ecclesia, mortis sacræ compendio vitā beatā possidēt. Et vere compendio, quia in vna hora faciunt quod alij vix per totā vitam facere possunt, & in vno die mille dietas peregerunt. Multi enim Dominū sequuntur, sed nō per eādem viam. Quidam per viā mandatorū. *Viam mandatorum tuorū cucurri*. Iob. *Vestigia eius sequutus est pes meus*. Per quam viam sequuntur eum, incipientes cū eius opera imitantur. Sequūtur enim vestigia eius, & viam eius custodiunt, dū in bono proficiunt, nec declinant ab ea, cum à malo cauent. Alij sequuntur eum per semitam consiliorum. *Dirige me in semita recta propter inimicos meos*, quasi dicēs, latrones obsidēt viam, & multos spoliāt, ideo dirige me in semita recta, vt me non inueniant. Alij sequuntur Dominum per compendium tribulationum, quæ est via breuissima, quam cucurrit Achimaas. Hanc cucurrerunt sancti Martyres. Dominus enim in hac via prius tentauit vadum in passione sua. Petr. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum*. Contingit

M Nota.
Apoc. 6
Esai. 40.
N Martyres statim post mortem euolabāt in calū.
Apoc. 7.
Nota.
Psal. 118.
Iob 23.
Psal. 26.
2 Reg. 18
1. Pet. 2.

Contingit autem quandoque, quod homines habentes transire aqua, multam viam agunt antequam vadum inueniant vel pontem vel nauem per quam transire possint. Ideo pontem fecit Dominus in sua passione transibilem. Seculares sequuntur Dominum per viam, religiosi per semitam, martyres & viri perfecti per compendium. Hęc est via mirabilis de
Sap. 10. qua: *Deduxit illos in via mirabili*. Primo
O quia sicut filij Israel deducti sunt per ma-
Via martyrũ mirabilis. re rubrum ad terram promissionis: sic martyres per mundi amaritudinem ad illam terram æternæ beatitudinis, de qui-
Baruc. 4 bus: *Delicati mei ambulauerunt per vias asperas*. Vult enim Dominus suos per asperitatem vitæ separari ab amore mũdi, sicut ab vberibus separantur pueri per appositionem alicuius amari. Gregorius. Deus electis suis iter asperũ facit, ne dum delectantur in via, obliuiscantur eorum, quæ sunt in patria. Secundo deduxit eos in via mirabili, quia mirabile est hominem in aëre pendere, & nõ deijci, sic isti martyres fuerunt in eculeis, in crucibus, in patibulis suspensi, nec tamen deiecti, & ad Christi exemplum noluerunt de cruce descendere, donec de hoste suo potuissent plenius triumphare. Tertio mirabile est hominem in ignem ire, & non comburi, sicut in Dionysio visum est, & si quãdoque exterius in corporibus quæ sunt animarũ habitacula comburantur, non tamen interius, quia in fide non defecerunt. Simili modo Dominus quotidie de statu culpæ suos eruit. Primo gulæ, de
Psal. 67. quo Psal. *Eduxit vinctos in fortitudine*, id est
Nota. gulosos qui ligati sunt per collum sed in fortitudine, quia difficile est assueta relinquere. Secundo iracundos, ideo sequitur similiter eos qui exasperant id est detrahentes, iurantes, vel ebrios qui habitant in sepulchris, quia sepulchrum patẽs est guttur eorum. Eorum enim principalior pars, scilicet anima habitat in sepulchro fætidi corporis. Tertio educit per viam munditiæ, de statu luxuriæ. de quo
Psal. 39. Psal. *Eduxit me de lacu miseriæ*. Quarto de statu auaritiæ per viam iustitiæ, largitatis, & misericordiæ: Psal. *Eduxit me de la-* Psal. 140
*queo quem statuerunt mihi*. Isto laqueo fuit Iudas interius ligatus in corde, & tunc cucurrit ad laqueum exteriorem, quan- Mat. 27
do laqueo se suspendit. Quinto de statu acediæ, qui est quasi carcer Psal. *Educ de* Psa. 141
*carcere animam meam*. Sexto de statu inuidiæ. Psal. *Eduxisti ab inferno animam meam*. Psal. 29.
Bene enim inuidus dici debet infernus, quia dolet de alterius bono, & gaudet de malo.

*SER. DE SANCTO LVCA IN processione Parisiensi apud sanctum Victorem, in ordine. VII. Per Thema.*

ROgate ergo Dominum messis, vt mittat Luc. 10.
operarios in messem suam. Forte quis A
obijciet, quomodo rogabimus eũ, quod mittat operarios? Nihil modo est in bladis & frumentis, nihil in vineis est, omnia vindemiata sunt, & collecta. Quomodo ergo mittet operarios, cum nihil ibi inuenirent. Responderi potest, quod non sine causa nobis abstulit Deus hoc tempore bona temporalia, qui nimis ea reputabamus, bona autem cœlestis patriæ non curabamus nec reputabamus. Quando autem bona sunt vilia in aliqua patria: mercatores ibi non deportant ea, quando vero cara sunt deportantur. Et ideo quando deficiunt vina, & blada in vna patria, statim cum velocitate ad succurrendum deportantur de alia, & tunc valde cara sunt, & prætiosa, sed quando sunt in ãbundantia non curant homines. Sic Dominus bona temporalia blada, & vina voluit retrahere, vt aliunde deferrentur, & gustarentur meliora scilicet apportata, é regione cœlesti scilicet frumentum Christi, & vinum gratię. Cuius olim erat proclamator Dauid dicens, *Gu-* Psal. 33
*state, & videte, quam suauis est Dominus*. Saraceni enim in Alchorano suo dicũt se in paradiso sua habituros vina, & delicias, & illas summopere optant. Sic ergo ne simus peiores Saracenis, cum Deus nobis

Bona temporalia subtrahuntur, vt assectentur æterna.

aufert vina, & frumenta huius sæculi, vt æterna vina nostræ patriæ affectus, & cũ quilibet collaudet vina suæ patriæ, & affectet ea bibere si sumus de patria paradisi, maxime debemus ea affectare. Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam ad distribuendum nobis vina gratiarum, & frumenta dulcedinis æternæ. Et quia inter omnes Maria dicitur domina messis, rogate Dominam messis. Tenet enim claues cellariorum, iuxta illud: *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem*, ad distribuendum scilicet nobis. Vt igitur hoc velit facere dicamus Aue gratia, &c. Cant. 2.

B Seminare tria inducũt mystice applicata

Tria nos debent modo inducere ad seminandum, quæ ad hoc inducunt agricolam. Primum est temporis oportunitas. Totum enim tempus vitæ præsentis ad hoc nobis concessum est, post mortem non erit tempus seminandi sed metendi. Ideo dicitur Eccl. *Quodcunque potest manus tua instanter operare, quia nec opus nec ratio nec scientia apud inferos quo properas*. Exo. *Sex annis seminabis terram tuam*, hoc est toto tẽpore vitæ præsentis, *& septimo anno erunt sabbata terræ*. Sicut enim Dominus sex diebus mundum creauit, & septimo requieuit, sic sex dies, id est totum tempus vitæ præsentis dedit nobis ad seminandum bona opera, & sabbatum futurum vitæ ad quiescendum. Secũdum est temporis oportuni breuitas, quæ est vapor ad modicum parens, propter quod nõ esset expectandum vsque ad senectutẽ. Ideo dicitur Gal. *Dum tẽpus habemus operemur bonũ ad omnes*. In iuuentute enim tẽpus in potestate nostra, sed in senectute iã tempus redegit nos in seruitutẽ suam: *à iuuentute excipe doctrinam, & quasi qui arat, & qui seminat accede ad illã, & sustine patiẽter bonos fructus illius*. Exiguũ laborabis, & cito edes de generationibus illius. Tertium est messis fertilitas. Libenter enim seminat agricola, quando sperat abundanter metere, & festinat seminare vt velocius metat, & si speraret, quod quicquid seminaret ad profectum veniret, nõ cessaret seminare. Ideo dicitur: *Bonũ facientes non deficiamus. Tempore enim metemus nõ deficientes*. Et quia pauperes operarij non habentes vnde viuere, & qui nisi operarentur ad lucrandũ vitam suã, fame morerentur, debẽt rogare Dominũ messis, vt mittat eos ad opus. Nos autẽ sumus pauperes operarij, & famelici, qui nõ possumus ex nobis aliquid facere, iuxta illud Apostoli: *Nõ sumus sufficiẽtes ex nobis quasi ex nobis*. Ideo ne moriamur fame sicut illi qui sunt in inferno, de quibus Apoc. *Commanducauerunt linguas suas dolore*, ideo rogate Dominum messis vt mittat, &c.

Eccl. 9. Exod. 23. Gal. 6. Eccl. 6. Gal. 6. 2 Cor. 3. Apo. 16.

C Terram duplicem colere habemus nostram & proximi.

In hoc præsenti sermone duo dicentur, primo, qui & quales sunt isti operarij, aut esse debent, qui mittuntur ad messem. Secundo qualiter in messe debent operari.

Circa primum nota, quod Christus est Dominus messis, nos autem operarij. Dedit enim nobis duplicem terram ad colendũ sub annuo censu. Oportet enim quod sit valde diues agricola qui manutenet duo aratra. Prima terra, est terra nostra. Secunda est proximi nostri. Primam terram quæ est nosipsi, reliquit nobis ad colendum quasi locagiarijs, & firmarijs pro quinta parte fructuum illius terræ. Quatuor partes nobis relinquens. Quod dicebat Ioseph ad Ægyptios petentes semina ad seminandum, & hoc sub figura. Gen. *Da nobis semina, ne per defectum cultorum terra redigatur in solitudinem*. Quibus Ioseph. *Accipite semina, & seminate agros, vt fruges habere possitis. Quintam partem regi dabitis. Quatuor partes remitto vobis in sementem, & cibos*. Semen est opus bonum cuius fructus in quinque diuiditur, quæ sunt quinque bona, quæ ex bono opere surgunt, & oriuntur. Primo pax, & tranquillitas animi. Secundo ædificatio proximi. Tertio euasio supplicij. Quarto adeptio prẽmii. Quinto laus, & gloria Dei, quam sibi soli retinet Deus, iuxta illud: *gloriam meam alteri non dabo*. Gen. 47. Esai. 42.

Operarij

D Operarij autem quos Dominus vult mittere debent habere sex conditiones. Prima quod actualiter laborent. *Si quis non vult operari non manducet*. Sunt enim multi sicut magistri cementariorum, qui nihil faciunt nisi imperare, & de sero plus recipiunt quam alij, de quibus Psal. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur*, & iterum: *Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo obtinuerunt diuitias*. Ideo dicitur Luc. *Messis quidem multa operarij autem pauci*, sed multi sunt messores. Multi enim non propter laborem, sed propter messem accipiunt Ecclesias, & Episcopatus, vbi è conuerso deberet esse. Dominus autem in fine non pagabit otiosos, sed tantummodo operarios. Secunda conditio operarij Domini, quod mane veniat ad opus. Absurdum enim esset, quod veniés ad nonam peteret dietam. *Mane surgamus ad vineas*. Vix enim bonam dietam faciet, qui de sero incipit operari, licet dicatur, quod bonus operarius numquam tarde veniet ad opus. *Quæ in iuuentute tua non seminasti, quomodo in senectute tua inuenies*. Tertia est quod vsque ad vesperam continuet opus suum. *Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam*, id est ad finem. *Qui custodierit præcepta in ea vsque in finem, dabo ei manna absconditum*. Quarta, quod operetur vtiliter, non distribuendo vna manu peccando quod altera facit bene operando. *Vnus ædificans & vnus destruens, quid prodest illis nisi labor*. Quinta, quod non sit nimis carus temporalia & æterna simul volēdo habere pro præmio. Nam Christus, qui optime operatus est non habuit tantum. Non enim habuit nisi vnum eorum. *Vnā petyā Domi no hanc requiram*. Sexta quod sit cautus, & sapiens, ne quid lucratur in taberna expendat, scilicet per reditum ad peccatū, vt Ribaldi. *Operarius ebriosus nō locupletabitur*. Circa secundam partem nota, quod ad septē mittit Dominus operarios in agrum suum. Primo ad seminandum bona opera. Et quia in seminatione non sufficit in vno loco spargere, sed vbique oportet seminare. Non enim diceretur seminare agrum qui vnum granum vel duo in terra proijceret, sed qui per totum agrum spargeret. Sic non debet dici terram propriam seminare semine bono operum, qui in vna parte corporis facit iustitiam sicut qui de gula vel ventre per ieiunium, vel de aure per auditum verbi Dei, vel de manu per eleemosinam, sed qui de omnibus, & per omnia membra bonum opus facit. Ideo non dicuntur seminare, qui per tempus huius Caristiæ manum retrahunt ab operibus pijs. Et propter hoc videmus modo, quod propter peccata nostra, & ingratitudinem nostram retraxit Deus manum suam. Erant enim aliqui ita mali, quod blasphemabāt Deum ex hoc quod tantam bonorum abundantiam largiebatur, aliqui conseruantes bona vsque ad perditionem temporis miseriæ & famis expectabant, non contenti bonitate Dei, sed iram eius in populo continua auiditate expectantes, & affectantes, & ideo ad iracundiam sic prouocauerunt Deum, quod retraxit manum suā. Alij propter hoc eum blasphemant. Nos autem non sic, sed in hoc debemus eum glorificare. *Qui dat escam omni carni, confitemini Deo cæli*. Vnde debemus ei dicere illud Psalm. *Dante te illis colligent, aperiente te manum tuam implebitur omne animal benedictione*, & iterum, *oculi omnium in te sperant Domine*, &c. *Aperis tu manum tuam*, &c. Liberalis enim est maxime, nec hoc denegabit. Apparet autem eius liberalitas ex duobus, primo quia satis largus diceretur, qui omnia bona sua cōmunicaret proximis, & amicis, sed liberalissimus, qui aduersarijs, & inimicis. Sic Deus his qui eum impugnant vt prędonibus dat bona sua. *Abundant tabernacula prædonum*. Secundo ex effectu, quia habet manus perforatas, ita quod omnia fluunt à manu eius, & ita ad literam, vt non solum temporalia, sed etiam sanguinem suum in medicinam, & salutem ministraret. *Manus meæ distillauerunt mirrham primam*, id est amarissimum vnguentum.

Marginalia (left): Operarij Domini sex habebant conditiones. — 2. Thes. 3 — Psal. 72 — Psal. 72. — Luc. 10. — Cant. 7. — Eccl. 25. — Psal. 103 — Apoc. 2. — Eccl. 34 — Psal. 26. — Eccl. 19.

Marginalia (right): E Operarios mittit Dominus ad seminandum. — Psal. 135 — Iob 12. — Cant. 5.

Tertio vult quod ponamus manum nostram in thesauro suo, sicut dixit Thomæ, mitte manum tuam in latus meum. Secundo mittit ad irrigandum per prædicationem. Non enim est aliquis qui non sineret ortum suum rigari, vel pluuia doctrinæ, de qua Deut. *Concrescat vt pluuia eloquium meum*, Ezech. *Ossa arida audite verbũ Domini*. Eccl. *Dixi, rigabo hortũ plantationum mearum*, vel alio duplici irriguo quod petebat Axa filia Caleph, Iud. quorum primum est superius irriguum, quod est diuinæ gratiæ, sine quo terra nostra non fructificat. Esa. *Effundam aquas super sementem*, id est misericordiam desiderantem. Solo enim desiderio impetrantur aquæ gratiarum. Sed irriguum inferius est abundantia lachrymarum, quæ hortum habet inferius, scilicet in consideratione propriæ fragilitatis. Psal. *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua*. Tertio ad sarculandum, ita quod in istis, quæ sarculantur *essartés* gallice, non solum nemus scindendum est, sed etiam radicitus extirpandum. Sic in confessione non solum à corde tollendum est peccatum, sed omnes cogitationes, & peccati actiones sunt radicitus extirpandæ. Hiero. *Nouate vobis nouale*, hoc est in vulgari *faittes en vous nouueaux essars*. Nostra enim terra quantumcunque bono semine seminetur, semper prona est ad germinandum spinas & tribulos. Vnde iste est sarculus correctionis, & disciplinæ, & sicut in sarculando sic in sarculo disciplinę adhibenda est cautela, ne cum malis herbis simul eradicentur & bonæ. Disciplina enim sine discretione totum resecat, & discretio sine disciplina nihil resecat. Prouer. *Diligenter*, id est discrete, *exerce agrũ tuum*. Sed quia multi sunt pigri, vt ibidem dicitur: *Per agrum pigri hominis transiui, & ecce totum repleuerant vrticæ*, Ideo Dominus solicitus de nostra salute aliquando immittit nobis sarculatores, scilicet tribulationes, quibus ager noster sarculatur, & vitia eradicantur.

Deut. 32. Ezec. 36. Eccl. 24. Iud. 1. Esai. 44. Psal. 125. Hier. 4. Prou. 24.

Sic fecit beatus Lucas qui carnem suam mirabiliter abscindendo sarculauit. Quod patet multipliciter primo per illud collectæ, qui iugiter carnis mortificationem in suo corpore pro tui nominis honore portauit. Secundo hoc idem deducitur triplici ratione. Prima est, quia fuit medicus, iuxta illud Apostoli. Collos. *Salutat vos Lucas medicus*. Procurat enim nobis salutem apud Dominum. Ideo multum hodie sperãdum est, quod exaudiamur per eum. Eccl. *Honora medicum propter necessitatem*. Propterea multum fuit decens hodie adire eum, vt eius medio in nostris necessitatibus releuemur. Ipse enim fecit geminos libros medicinæ, Euangelium scilicet & actus Apostolorum. In primo multum medetur hydropisi auaritiæ, & elationi superbiæ, cum loquitur de humilitate Christi in incarnatione, natiuitate, & passione, & sacrificio eius. Sed in alio multum medetur frenesi stultitiæ & iracundiæ, cum recitat Apostolorum persecutiones, & patientiam. Item etiam procurat nobis optimam medicinam, optimas drogas, & pilulas factas ex aleo, & myrrha amaritudinis tribulationum, & aduersitatum, quæ faciunt omnia superflua quæ sunt in stomacho Ecclesiæ descendere, & etiam in corde Prælatorum, & remoueri ne infirmentur ad mortem. Et quia medicus communis vtitur arte sua circa se, ne incidat in morbum, & dicatur ei, medice cura te ipsum. Ideo Lucas maxime carnem suam macerauit, & dietam fecit continuam ne infirmaretur.

Abstinentia beati Lucæ & medicina eius. Coll. 4. Eccl. 38.

Secunda ratio, quia communiter dicitur, qualis dominus talis seruus, qualis domina talis ancilla. Et quia beatus Lucas fuit secretarius, notarius, & seruus beatæ Virginis, cui reuelauit secreta mysteria filij sui. Et propter hoc primus legitur fecisse imaginem beatæ Virginis, de qua legitur, quod cum portaretur ab Heraclio in bellis, confundebantur omnes aduersarij, ita etiam, quod illius medio sibi subiugauit persas.

Nota. De imagine virginis.

Beata autem Virgo continue instar filij

lij sui macerauit carnem suam, quamuis non indigeret, igitur & Lucas eius seruus.

Tertia ratio, quia oportet viuere secundum modum societatis cum qua homo habitat, & quia secundum Hieronymum. Lucas fuit indiuiduus comes Pauli, & Paulus continuo macerabat carnem
2 Cor. 12 suam, iuxta illud Cor. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo*, & iuxta illud Gal.
Gal. 6. *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini mei Iesu Christi*, igitur & Lucas. Quarto ad secandum. Oportet enim messem esse maturam, cuius maturitas consistit in promptitudine ad obediendum.
Ioan 4. Ioan. *Videte regiones, quia iam albæ sunt ad messem.* Sæpe autem est diuisio, & guerra cum peruenit messis ad maturitatem, cuius sit terra. Ideo rogate Dominum vt mittat operarios armatos ad tutandum terram, & cito leuandum messem. Falx autem est
Ioel 3. consideratio pœnæ æternæ. *Mittite falces, quoniã maturauit messis.* Nullus enim ita radicatus est in terrestribus, quando à terra separetur, si hac falce sæpe percutiatur. Quinto mittitur ad colligendum messem per manipulos in charitatis vnione.
Coll 3. Collos. *Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Gerba enim vel gleba luxuriæ colligata, ad grãgiam Dei non fertur, sed vt fasciculus
Mat. 13. spinarum in ignem. Matth. *Colligite primum Zizania, & alligate per fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.* Sexto mittitur ad flagellan-
Esai 38. dum in tribulatione. Esa. *Flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem*, vere transit. Triticum enim non nisi parum est sub flagello, nec nisi vt à palea diuidatur, aliter non ad horreum portaretur. Inundans est cum pœna excedit culpam, vt in Iob. Septimo mittitur ad
Mat. 13 collocandum in horreum. Matth. *Congregabit triticum in horreum suum*, id est in tuto. In agro enim expositum est pluuiæ & bestijs, id est periculis multis, sed in horreo non.

*DE S. MELONO ROTHOMAgensi Archiepiscopo, sermo I. & in ordine LXXI. Per Thema.*

*Hic est fratrum amator, hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate.* 2 Mach. 15.
Quæritur quomodo Melonus orat pro nobis, viso quod ad eius preces non attendit Deus. Tot enim tribulationes quotidie imminent, & tamen in illis non sentimus nos exauditos. Hinc & Esa. dicitur: *Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit.* Esai 63.
Gloss. Augustin. Mortui nesciunt quid agant viui. Item in causa propria non sunt exauditi Sancti, quia quæsierunt Sancti à Domino: *Vindica sanguinem nostrum, qui effusus est*, & responsum acce- Apoc. 6.
perunt, *Expectate adhuc modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum.*
Dicitur primo, quod Sancti semper à Deo exaudiuntur, nec patiuntur vnquam repulsam, etiam si pro alijs orauerint. Nam scribitur: *Scitote quoniam Dominus mirificauit Sanctum suum. Dominus exaudiet me cũ clamauero ad eũ.* Psalm. 4.
Nec in illa petitione Apoc. passi sunt repulsã, sed obtinuerũt quod petierunt pro loco & tẽpore. Locũ autem & tempus in diuina dispositione dimiserũt. Licet etiam Deus exaudiat sanctos pro nostris necessitatibus, tamen hoc aliquãdo implere differt certis ex causis, quas ipse nouit vel propter nostram vtilitatẽ, vel ad suam & sanctorum gloriam, vel propter peccata nostra, vt patet de Angelo Israel, cuius supplicatio dilata fuit propter Angelum persarum se opponentem propter peccata populi. Dicitur secundo, quod sanctus Melonus & cæteri sancti ad quos dirigimus preces orãt pro nobis, & semper exaudiuntur quotiens orant, licet nõ experiamur semper exauditionẽ. Aliquando quia non orant con- Nota.
formiter ad præces nostras, eo quod vident non esse vtilitatem nostrã, sicut pater non exaudit filium infirmum orantem ne bibat amarã potionem, vel petentem vinum bibere, quia nescit quid boni primum, quid vero mali secun-

Sancti semper exaudiũtur dum orant.

dum faciat. Dicitur tertio, quod merita Sanctorum, & præcipue eorum quorum reliquias colimus, pro nobis intercedũt, quia Christus orauit pro nobis. *Sẽper viuens ad interpellandum pro nobis.* Cum igitur Sancti sint Christi imitatores, sequitur quod incessanter eorum merita pro nobis intercedunt. Et huius ratio est, *quia vnum membrum est pro altero solicitum*, vt dicit Apostolus, sed ipsi sunt membra Ecclesiæ, cuius etiam nos sumus membra. Igitur cum videamus manum sanam apponere infirmis membris remedium, cum videbũt infirmitates nostras, quis diceret eos non adiuturos? Hoc etiam vult Deus, vt cũ simus peccatores, & quasi non audeamus propter offensas nostras & Dei reuerentiam eum adire, adeamus eum in persona Sãctorum suorum. Hinc est quod in persona Mariæ sæpe adimus eũ. & nunc quoque adeamus, salutantes eam: Aue.

Heb. 7.

Nota.

1 Cor. 12

Iuxta thema & legendam B. Meloni. Primo dicetur quomodo fuit fratrũ amator. Secundo quomodo orauit & orat pro populo isto. Primũ sermone præsenti declarabitur. Secundũ vero sequenti. Igitur B. Melonus fuit Primo amator fratrũ carnalium, in exhibitione operis & laboris pro eo assumpti. Erat enim de maiori Britannia nobilis & claris ortus natalibus, & missus est Romam tam ad ferendum tributum, quam vt esset obses fidelitatis.

Sed hic quæritur primo quomodo Meloni nobilitatem prædicamus, cũ nobiles non curent de ignobilibus, imo eos excorient & crucient? Quomodo dicitur Melonus esse totus dulcis ex nomine, cũ nobiles communiter sint nunc in extremo rigoris. Vix nunc inuenitur vnus, si non sit austerus & crudelis, & suorũ euacuet bursam, quin dicatur rusticus. Et hæc videtur esse nobilium proprietas. Præterea erat Anglicus, Anglici sunt inimici nostri antiqui, & istã vrbem Pontizarã destruxerunt, quomodo igitur eum laudamus. Respõdetur primo quod antiquitus nobiles valuerũt duo scuta, populi & Ecclesiæ, Modo deciderunt de pretio, non valent nisi duos Frãcos, quia sunt Frãci seu liberi ab illis duabus custodijs. Vbi tamẽ nobiles sunt bonorum morum nobilitas ornat mores. Dicitur secundo ad secundũ quod pari argumento diceretur quod vniuersitas Parisiensis non esset laudãda, eo quod fundata est ab Anglicis. Discipuli enim Bedæ quatuor circa tẽpora Caroli Magni illic eam fundauerũt. Dicitur tertio, ad idem quod eo tempore pax erat & non dissensio inter Anglos & Frãcos, nec illa habita est nisi à trecẽtis annis & quinquaginta, & dato quod essent inimici, nihilominus adhuc aliquando liliũ crescit inter spinas & vrticas. Etsi enim Maria fuerit de stirpe Iudęorũ qui crucifixerũt Christum, nihilominus propter hoc non est minus laudanda. Præterea vulgo dicitur: *On ne doibt point demander de bon vin, la ou il creust*, hoc est non debet quæri de bono vino vbi creuerit. Sic de bono vino homine parũ curandum est vnde ortus sit, de terra hostili vel non. Spina enim producit rosam pulcherrimam. Sic vinea est turpis arbor, producens optimũ fructum. Sed & spiritualia bona de cælo veniunt, non de terra. Omne enim datũ optimũ, & omne bonũ perfectum desursum est. Secundo quęritur quomodo isti, cum esset iuuenis & inexpertus, dabatur, tributum ferendum, cũ iuuenes, vt plurimum, teste Aristotele sint prodigi, quando habent thesauros in manibus. Respõdetur. Verum est communiter quod iuuenes sunt prodigi, secundum rationem Aristotelisquę est, quia sunt in experti laboris requisiti ac acquirẽdũ. Magis enim amamus cum habemus quod non est facile sumere. Et inde est, quod iuuenes, vt plurimum perduntur, quando nimis cito datur eius administratio. Tunc enim illa ætas laboris fugax prona est ad delitias. Sunt enim naturæ ignis, qui omnia consumit, & nihil reseruat. Hinc Bernard. ait: Habes filium, dispensatorem bonorũ tuorum non constituas. Sed tamen sicut in aliquibus malitia transcendit, ætatem, ita & in quibusdam virtus, & sapientia ætatem

B Nobiles quantũ [illegible]

C Anglici quando inimici Francorum esse cæperũt, & quod non sunt spernẽdi sancti terræ eorum licet hostiles.

D Iuuenes quare cõmuniter sunt prodigi.

ætatem superat, qualis erat Melonus cognitus,& ideo illi tanquam sapienti,& fideli ministro datum est tributum perferendum.In cuius delatione fuit inuentus fidelis hominibus & dijs suis,sed nõ Deo vero.Hominibus quidem dando tributũ eis ad quos mittebatur.Dijs suis,quia tũc existens in errore dum peruenit Romam adorauit in templo Martis. Mirabile est quando iuuenis docetur in ætate iuuenili siue bonum siue malum , si postea illud dediscat.Iste enim sequebaturGentilium errorem, quia sic doctus erat. Sic Paulus æmulator paternarum traditionum persequebatur Ecclesiã Dei. Sic & filius parentum vestigia,in quibus fuerit in iuuẽtute & pueritia edoctus, qui ad modum simiæ effingere solet,sicut viderit parentes suos facere. Sed cum pius Dominus vellet eum reuocare ab errore suo, fecit vt deambulando ciuitatem Romanã inueniret cum socijs Stephanum Papã prędicantem, & alijs pro nihilo ducentibus, ipse solus remaneret ad audiendum sermonem. Vbi postmodum ad benedictionem suscipiendam flexis genibus se inclinauit.Hoc fuit circa annum ducentesimum sexagesimum. Credendum est autem quod tales sic venientes de longinquis partibus percuntarentur de rebus nouis, & insolitis Romæ, & quod tandẽ occulte prædicantem inuenerunt Stephanum propter persecutionem Galieni & Valeriani, in qua tamẽ consummatus est Stephanus, & si quæras, quare iste solus curauit de prædicatione Stephani,& non alij.Respõdetur primo,quia iste erat bona terra.In bona autem terra facile bonæ plantæ plantantur , & bona semina germinant,vbi in mala terra(cuiusmodi erãt alij)vix pullulare possunt,sed solum crescũt vrticę,& spinę,& vepres.Sic in bono corde facile capit sana doctrina. Conualescens enim auide cibum sumit.Tum secundo, quia terra à sole deserta vix fructificat. Ideo alij deserti à sole Christo non fructificauerunt, vbi iste electus & illuminatus fructificauit. Secundo quæres quomodo audiuit, & intellexit prædicationem Stephani, cum apparet quod loqueretur in idiomate Italico. Similiter quomodo intelligebat alios Romanos, cum haberent idioma alienum ab Anglico. Respondetur primo quod forte erat edoctus in idiomate Italico. Verisimile est enim quia Itali erant totius orbis Domini, quod communiter in alijs regionibus causa legationis illuc mittendæ, discebatur idioma Italicum ab his qui illuc mittebantur. Secundo hoc potuit esse quod fuissent instructui in Lingua Latina.Iam enim Lingua Latina erat per totum Occidentem diuulgata, & cum illa sit propinqua Romano idiomati,poterãt aliqualiter intelligere illud , quia etiam forte multa verba Latina miscebat Stephanus.Tertio potuit contingere sicut in die Penthecostes , quod ipse Stephanus lingua Italica resonaret,& tamen per miraculum vnusquisque suam postea linguam intelligeret , vt datum est postea multis Sanctis, sicut apparet de B. Vincentio Hispano. Cum ergo finem fecisset Stephanus,mansit cum eo solus curiosus de sua salute. Si curiosus erat qui adhuc gentilis erat, qui nondum cognouerat supplicia reproborum,& præmia beatorum,& beneficia redemptoris, & dulcedinem legis,quantum debent esse curiosi christiani,qui ista cognoscunt,aut cognoscere tenentur? Mansit quidẽ cum Stephano,malens seruire Deo quã dominis tẽporalibus à quibus missus erat. Considerauit enim docente eodem Stephano, quod seruitiũ dominorũ temporaliũ non est hæreditas,sed seruire Deo regnare est. Est enim reditus temporalium ad vitam, non perpetuus,hic autẽ perpetuus,secũdum illud: *Ipsi peribunt, tu autem permanes.* Considerauit etiã quod illi dant præbendam dimidiam, iste plenam. Requisitus ergo est, vnde esset aut quẽ coleret. Genus suum nobile dixit. Patriam nominauit.De Deo dixit quod quando in Anglia erat deos Angliæ colebat , quando Romæ,deos Romanos.Stephanus vero Ratina

E *Iuuenis tenax est errorum quæ docetur in iuuentute*

F *Verbum Dei quare vnus plus amplectitur quam alius*

G *Seruitiũ solius Dei perpetuum facit redditum. Psal. 99.*

tim euangelizauit sibi opera Christi, & redéptionis, & vbi laborabat lingua Stephani: *Quae erat calamus scribae velociter scribentis*, idem scriba adeo velociter scripsit intus quod statim petijt, vt baptizaretur. In vanum enim laborat lingua docentis, vbi intus non operatur virtus Spiritus sancti. Est enim lingua eius tanquam stillicidium vel calamus scriptoris. Non autem laudatur calamus vel stillicidum sed scriptor, & cælum. Secundo fuit Melonus amator, fratrũ spiritualium in Christo. Primo quando baptizari voluit, & parentes ac terram suam dereliquens beato Stephano cum reliquis Christi fidelibus adhæsit bonus iuuenis forma, & exemplum iuuenum, qui debent bonis magistris, & sanctis dari ad regendum. Exemplo virgæ quæ grosso ligno hæret, amor autem iste spiritualis fratrum procedebat ex amore Dei sicut riuulus à fonte. Sed sicut per riuulum peruenitur ad fontem, sic per dilectionẽ proximi peruenerat ad amorẽ Dei. Dicitur enim Ioã. *Si proximum nõ diligis quem vides, Deum quẽ nõ vides quomodo potes diligere?* Itaque odiũ fraternum præcludit viam ad dilectionẽ Dei, & viam ad infernum facit, nec vllũ est maius signum damnationis quam se mutuo odire. Secundo subueniendo fratribus, & proximis, ita vt quæcumque habebat (etiam arma) venderet & daret pauperibus, vt dici de eo singulariter possit. *Dispersit dedit pauperibus*, & hoc propter multa. Primo vt magis fructificarent diuitiæ, sicut fimus super multas terræ partes dispersus, facit amplius fructificare. Secundo quia volebat nudus nudum sequi Christum in cruce, quia difficile est quod quis ipsum sequatur oneratus, sicut difficile vadit limax cum testa. Tertio quia considerabat, quod diuitiæ sunt viscus impediẽs ne homo volet ad Christũ, & detinẽs in terra. Ita vt non sit modo, nec aduocatus, nec mercator, quin statim, vt credit ad suam cõscientiam diuertere, & ad Christũ in oratione volare detineatur & recidat in considerationem diuitiarum, & agendorum suorum. Quarto quia diuitiæ sunt spinæ iuxta dictum saluatoris. Spinæ quidem, quia lacerant cor hominis varijs solicitudinibus ab eas conseruandas nunc contra latrones, nunc contra raptores, ad eas etiam augendas, & multiplicãdas cũ multis litigijs, & huiusmodi. Ideo se expediuit ad illo fasce diuitiarũ. Quinto quia thesaurizare volebat in cælis. Pauperes autem sunt receptores, qui superius deportant eleemosynas, vt beatus Laurentius ait, & beatus Gregorius recitat de quodam Theodoro Coaiario.

Psal. 44

1 Ioã 4

Psal 111

Diuitiæ cur distribuenda sint pauperibus per eleemosynam.

## DE EODEM SER. II. ET IN ordine LXXII. Per Thema præcedens.

IN festiuitatibus sanctorũ solennizandis (vt inquit Ber.) considerare debemus. Primo exemplum eius. Considerandum enim est qua via sanctus ille ad gloriam deuenit, eum sequamur & ad similem gloriam perueniemus. Eorum enim qui sciunt iter debemus sequi vestigia. Fuerunt enim canes venatici docẽtes vestigia illius prædæ scilicet Christi, quam desideramus cum Apostolo dicente: *Sequar si quo modo comprehendam*. Secundo sequentes eos debemus ab eis auxilium sperare, & oratione, & obsequio illud impetrare. Solent homines benigni se sequentes iuuare cum ad locũ difficilem transeundum veniunt, sicut dicebat anima deuota in Psal. *Adhæsit anima mea post te*, scilicet sequendo, *me suscepit dextera tua*, scilicet in passu singulariter stricto, hoc est mortis. Tertio debemus confundi & considerare confusionem nostram. Cum enim S. Melonus nobis similis fuerit, & ex eadem materia ex qua nos, confundi debemus, quod videtur nobis impossibile facere salutem nostrã post tot exempla, tot adiutoria, tot doctrinas eorum, qui nec tot exempla, nec tot habuerunt adiutoria, cum etiam via paradisi iam adeo trita sit, vt etiã stultus vix erret per eam, nisi ex malignitate eius proce-

A Sanctorum solemnia celebrãs tria habet considerare.

Phil 3.

procedat. Cum etiam tot adiutoria habeamus in cælo, quod nisi fit negligentia nostra non difficile est ascendere illuc. Habemus enim illic cuius' memoramur patronum nostrum Melonum, qui assidue erat pro populo isto, & singularissime matrem nostram Mariam, ad quam confugiemus, dicentes: Aue, &c.

Sed quomodo hic est fratrum amator, id est eorum, qui fraternitatem diligunt, & quomodo orat pro populo isto? Et videtur, quod non fuerit amator, quia amor ad paucos se extendit, vt vult Arist. Ethic. 9. Quomodo igitur tot hominũ sicut in pontizara amicitiam habebit? Vix enim inuenitur modo vnus fidelis amicus. Præterea quomodo orat pro populo isto? Nam eius populus fuit Rhotomagensis. Nondũ enim erat decanatus pontizare sub illa diœcesi ergo non erat populus eius. Respondetur primo quod amor mundanus qui videtur esse propter vtilitatem assequendam honorum diuitiarum, & voluptatum, sicut illorũ qui ita amant hoc sæculum, quod de alio, nec audire, nec cogitare possunt, quod in alio ædificare nolunt, iste non potest haberi ad plures, quia qui talis est non potest multis complacere aut satisfacere. Nam huiusmodi omnem suum profectum alteri præponunt. Vulgo enim dicitur: *A la court du Roy, chascun y est pour soy*, hoc est in curia regis vnusquisque est pro se. Quem videbis de istis clientibus hominibus curiæ, qui non multa promittat quæ nõ tenebit? De mercatoribus similiter res se habet. Fraudant sæpe, mentiuntur, periurant. Amor propterea mundi multos acquirit inimicos, imo Deum, quia secundũ Apostolum: *Qui voluerit esse amicus huius mundi inimicus Dei constituitur*. Sicut enim homo simul respicere non potest cęlũ, & terram, sic nec habere simul amoré terrenum & cęlesté. Sed amor Dei omnia claudit. Cor enim plenum Deo omnia capere potest. Capit siquidé eum, qui omnia cõtinet. Melonus vero à principio amator mundi fuit, & tanquã officiarius Romã iuit ad acquirendum honores, & vt posset de regia aula. Sed vt gustauit modicũ mellis amoris diuini, tunc illuminati sunt oculi eius, vt factũ fuerat corporaliter in Ionatha. Ideo non est mirũ si amore eius includat omnes sibi deuotos. Secũdo qui amant Christum, vnum sunt in Christo. Si igitur omnes amamus Dominũ Iesum, quid mirum si sumus vnum in ipso? sicut orauit. Volo pater, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Non igitur ad pluralitatem se extendit amor, sed ad vnitatem eorum, qui sunt vnum in Christo. Dicitur secundo quod ille est fidelis amator, qui alteri thesaurum suum committit, quem quidem summopere affectat & amat. Sic est de Melono in ordine ad vos, igitur patet manifeste, quod est fidelis amator. Præterea vna bonitas aliã requirit. Si igitur hanc solemnem Ecclesiã ędificauit populus huius vrbis tali ac tanto pontifici, & amico Dei, an putatis erit ingratus vobis? Absit, absit ab eo pincernæ Pharaonis impietas, qui socij sui oblitus est, quod obliuiscatur suorum, & sibi deuotorum, quando nunc est extra mundi huius carcerem in quo manemus. Ecce certe in signum reliquit nobis vadia reliquias suas, quas non resumet, nisi & nos resumamus. Et non dubito hanc vrbem quæ tot, & tam grandes habuit insultus, propter peccata sua iam fuisse euersam, nisi eius præsentia affuisset. Ideo nil mirum si ex istis concludamus verba proposita. Hic est fratrum amator, &c.

Postquam dictum est priori sermone quomodo Melonus fuit amator fratrum nunc dicendum est quomodo orauit, & orat pro populo isto, & ciuitate. Duo igitur videnda sunt. Primũ est quomodo se præparauit, vt dignus fieret exaudiri. Secundum de oratione eius, in qua etiã apparuit amator fratrum, & proximorum quorum saluté optabat. Pro prima parte nota quod ad orationem & fructum eius consequendum maxime præparat mundities, & mũda operatio. Inde dicitur Iob: *Si Deum omnipotentem deprecatus fueris, si mundus*

Marginalia: B Amor mundi ad paucos se extendit. — Iac. 4 — Amor Dei omnia claudit. — 1 Reg. 14 — Iob 8

*mundus, & rectus incesseris, statim euigilabit ad te*, id est exaudiet te. Melonus autem maxime laborauit habere munditiam mentis & corporis. Quod facile ostendi potest ex historia vitæ eius, in qua legitur quod maxime domabat carnẽ suam pro huiusmodi munditia habenda. Primo in cibo & potu. Nam cibus panis ordeaceus & olera, potus aqua. Vere Sancti non habuerunt gratis paradisum, & tu credis habere pro nihilo. Habentur facile, quæ nullius sunt valoris, vt vrticæ, vepres, & pediculi, sed non res multum vtiles, vt bos, equus, & similia. Secundo quo ad lectum. Nam lectum suum nullus vnquam inuenire potuit, sed sedens & vestitus dormiebat paululũ. Somnus enim latro quidam est, qui velimus, nolimus de tempore nostro, accipit aliquando nimium, sicut experiuntur multi. Tertio in hoc quod per diem & noctem tercenties genua flectebat, licet infirmata à ieiunijs & vigilijs. Considerabat enim quod vitis arbor est, quæ magnum laborem requirit & facillime perit. Ideo vulgo dicitur, quod vitis vult seruum non Dominum. Sic corpus & cor nostrum magno labore ieiuniorum, vigiliarum, disciplinarum, & aliarum afflictionum necesse est excoli, & tamen per vnicum mortale totum aduritur, & perit flos & fructus. Domus etiam magno labore & magnis sumptibus facta, vno igne cito perditur. Ideo hoc considerans iste sanctus magnis sumptibus corporis sui, non bonorum suorum colebat terram suam. Terram in qua dederat ei Deus summam iustitiam exterminandi omnes latrones qui volunt furari omnia opera nostra. Vix autem est homo, quantumcunque iustitiam faciat, quin in eo semper remaneat aliquis latro paruulus, & præsertim in gastrimargia, cuius appetitus non potest totaliter extingui. Nam secundum exemplum Cassiani in Collationibus, venter est creditor, imo exactor importunus, qui dilationem non patitur, cui sumus obligati quotidie satisfacere, & difficile est quin

C *Caro abstinentijs & laboribus excolẽda est & domanda.*

ei demus plusquam necesse est, & ita difficile est quin intret aliquis latro paruus, motus scilicet illicitus aut delectatio vitiosa. Hic attẽnde tu cultor terræ insensibilis, vt magis colas terram tuam abstinentijs, & ne dissipes per gulam, quod cum magno labore acquisijsti, ne de te verificetur illud Eccl. *Omnis labor hominis in ore eius*, & Agg. *Qui congregauit merces, misit eas in saccum pertusum*. Quarto domabat corpus in hoc quod erat præcinctus cingulo ferreo ad carnem, cuius rubigo ita carnem lacerauerat, vt vix videri posset, & caro & cutis inflata cingulum operuerat. In quo iterum apparet quomodo iustitiam de corpore rebellante faciebat. Iustitia enim est cingulum, secundum illud dictum de Christo: *Erit iustitia cingulum lumborum eius*. Cingulũ quidem, quia sicut cingulum diuidit æqualiter hominem in duas medietates, sic iustitia inter duas partes, reddens vnicuique quod suum est. Sed modo claues pendent ad cingulum, & gladius, & bursa, & deprimunt illud, vt non seruetur æqualitas iustitiæ. Cũ enim dominis iudiciarijs præsentantur claues alicuius prioratus Abbatiæ vel officij pro se aut suis, vel offertur bursa nummis plena, aut minę eis ingeruntur de gladio potestatis maioris, sicut Iudæi minati sunt Pilato de Cæsare, nisi faceret quæ petebat, tunc ex istis deprimitur cingulum iustitiæ, & magis inclinatur ad partem inferiorem, quæ debuisset reprimi & perdere causam suam. Non sic Melonus qui non solum quo ad se æqualitatem iustitiæ seruabat, sed etiã quo ad alios, vt iuxta legendam eius, diceretur pater Orphanorum, & iudex viduarum, ita vt nec propter bona mundi huius, nec potentiam diuitum, nec copiã diuitiarum auerteretur à recto tramite iustitiæ. Modo vero quia aliter fit, venit vltio Dei super ciuitates & regna, conquerente Domino per Prophetam Hier. *Impinguati sunt, incrassati sunt, ditati sunt, prætereierunt sermones meos pessime, causam viduæ non iudicauerunt, causam pupilli non direxerunt, & iudi-*

*Eccl. 6.* *Agg. 1.* *Esai. 11.* D *Iustitia quare dicitur cingulum.* *Nota.* *Hier. 5.*

E *Iustitia defectus prouocat irã Dei.*

*& iudicium pauperum non iudicauerunt*. Nunquid super gentem huiuscemodi non vlcisceretur anima mea. Secundo B. Melonus habuit munditiam castitatis. Quod patuit à signo multipliciter. Primo ex hoc quod dictum est de abstinentia eius, quia sine cerere & baccho friget venus, & singulariter quod nullus lectum eius cognouit, quia si sic, nec mulier cognouit, aut cum eo commercium habuit. Dicitur à Sanctis, quod luxuriosi qui polluũt lectum matrimonij, in lecto portantur in infernum. Sed sancti viri portant lectum suum, quia sunt domini carnis suæ, in qua requiescit anima. Secundum signum castitatis eius est, quod ordinatus est presbyter à sancto Stephano. Tunc enim perquirebat munditia castitatis & sanctitatis, antequam quis ordinaretur. Si enim totam domum Domini decet sanctitudo, quanto magis ministros illius? Et si ad nuptias Domini nullum oportet ingredi sine veste nuptiali conuiuam, quãto magis ab eis sanctimoniæ vestis exigitur, per quos cæteris introductis via ostenditur? Tales autem tunc erant sacerdotes, quod populus ad pedes eorum offerebat, quæ modo habentur in Ecclesia. Illa enim bona sibi comparauerunt beneficia Christi vita & ministrorum eius. Sed modo auferuntur, quia non habent amplius bonam vitam, exigentibus tamen sæpe demeritis populi, qui tales habere meretur. Tertium signum castitatis, quod vna cum Stephano cum celebraret, vidit Angelum Dei astantem à dextris altaris tenentem virgam. Casti enim merentur videre Angelos.

F *Castitas meretur visionem Angelorum.*

Inde beata Cæcilia dicebat suo sponso Valeriano, quod si castitatem seruaret, ostenderet sibi Angelum Dei. Hinc beatus Barlaam puero Iosaphat, quod habebat vnam pretiosam Margaritam, quam nullus poterat nisi sanis oculis intueri, scilicet castitatem. Contra respectus impudicos basilisci, contra filias quæ impudice discurrunt per villam. Cognoscitur quale vinum est in domo per illud quod deportatur per vrbem. Sic per vagos discursus filiarum cognoscitur quid instabilitatis intus gerant. Sed cum dextera sit melior manus, Angeli ideo dicuntur semper esse in dextera, quia sunt in felicitate æterna. Nos autem in sinistra aduersitatis & miseriarum sæculi. Nec mirum, quia nutrix tenet puerum suum in sinistra, vt pascat eum dextera. Aries si in hyeme dormiat super latus sinistrum, in æstate dormiet super dextrum. Inde Iob: *Operi manuum porriges dextrum*. Hanc autem virgam pastoralem dedit Melono dicẽs: Accipe virgam sub qua regere habes populum Rothomagi. Tibi enim præparatus est locus, ibi plantandi vineam Christo. Multa patieris pro eius nomine, sed ipse erit protector tuus. Virga pastoralis datur pastori. Primo ad se recognoscendum, quia dum accipit virgam, ad percutiendum pigros & excitandum, consideret super se eum qui dedit illam virgam, quod habet virgam super se, vt dicere posit illud Thren. *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis meæ*. Secundo in exemplum, quia sicut virga in principio est recta, sed si ad curuitatem inclinetur & dimittatur, vix nisi igne rectificatur, sic Prælatus vel superior rectus esse debet, sed dum muneribus vel fauoribus ad obliquitatem iustitiæ declinat, vix rectificari potest, nisi scilicet rectificetur igne tribulationis, vel Spiritus sancti inspirantis. Tertio ad corrigendum.

G *Angeli cur in dextera apparere soleant.*

*Iob 24.*

H *Prelato quare datur virga pastoralis.*

*Thren. 3.*

Datur enim ei gladius, ad percutiendum. Illi autem deridentur qui vibrant semper gladium & non percutiunt. Sed manus debilis est modo percutiens, quia non nisi parui percutiuntur. Virga enim dum percutit bene vestitum, non nocet vel lædit, sed nudum lædit. Sic pauperes lædit, non potentes, cum tamen virga Aaron deuorauerit virgas Magorum Pharaonis. Sunt enim modo sicut espauentacula quæ ponuntur ad arcendum aues à terris seminatis, vel sicut aranearum telæ. Similes Sauli. Qui

*Exod. 7.*

I *Prelatorum recentium ignauia.*

1 Reg. 15 Qui peperit regi Amalech & pinguioribus, & quicquid vile & reprobum erat, demollitus est. Debet tamen ista virga plumbea esse & flecti ad misericordiam, non ex toto sicut virga Aaron quæ versa est in colubrum. Si autem ferrea fuerit nec flexibilis, sic erit super eos virga Domini dicente Psal. *Reges eos in virga ferrea.* Psal. 2.

Tunc accepit virgam pastoralem & à beato Stephano consecratus est in Episcopum, & valedixit Stephano. Missus est hic sanctus sicut auis nobilis prædalis ad nobilem prædam. Sed hic quæritur nonne erant alij multi & de natione vel de regno Franciæ, quos poterat Dominus ad istud negotium mittere, non mittendo alienigenam? Quare non mittuntur ita boni modo in prælationem sicut tūc? Nonne Deus est ita potens sicut tunc? Respondetur quod non mittuntur tales modo sicut tunc, & ratio est multiplex. Primo quia modo impletur illud: Ioan. *In mundo præssuram habebitis.* Modo est præssura ad habendum Episcopatus, tūc autem non. Secundo quia tunc aurum eligebatur. *Tunc eligentur & dealbabuntur, & quasi ignis probabuntur multi.* & Sap. *Tanquam aurum in fornace probauit electos Dominus.* Tunc enim Episcopatus valebant multos ictus, sicut dicit Apostolus. Tertio quia solis soluentibus vacantias dabatur Episcopatus tempore illo, & iste solus soluerat. Sed quæ vacantiæ erant? Dicitur quod eleemosinæ, & distributio ac venditio omnium bonorum suorum. Quarto, quia Dominus fecit eum Episcopum, qui non potest falli: *Ego scio quos elegerim*, & in Psal. *Beatus quem elegisti & assumpsisti*. Modo raros facit Episcopos. Tales illo tempore poterant dicere: *Dominus fecit nos, & non ipsi nos*, & eorum quilibet scribere in suis litteris, Episcopus miseratione diuina, nunc autem magis miseratione regia. Peruenit Antisiodorum, vbi obuios habuit quosdam portātes virum quendam qui se bipenni vulnerauerat, ita vt truncasset quasi pedem. At ille videns lachrymas & gemitus eorum ait. Si feceritis quæ dixero vobis & credideritis, saluus fit. Quibus consentientibus, virga tetigit hominem, & statim sanus surrexit, & currēs in ciuitatem narrabat omnibus quæ sibi contigerant. Hic dicebatur Lupillus. Qui postea martyr effectus est. Chrisosto. dicit, quod bonus medicus antequam sanet quærit precium, hoc est fides. Et ideo beatus Melonus quæsiuit si credere vellent, alioquin non curasset. Sic translata fide à Iudæis translata sunt etiam miracula ad christianos, vt dicere possint illud Psal. *Signa nostra non vidimus iam non est propheta.* Secundo consideremus, quod si sic lachrymas & gemitus eorum qui ad se non spectabant audiuit, quod multo citius audiet preces suorum & sibi deuotorum. Alioquin videretur in eo charitas defecisse. Post hæc Veronica quæ flendo lumen oculorum amiserat propter mortem mariti sui, ad eius preces & filiorum suorū baptizata est & sanata. Fides enim illuminat sicut hæresis excæcat. Patet primum vbi Dominus dicit. *Ego lux veni in mundum, vt omnis qui credit in me, non maneat in tenebris, sed habeat lumen vitæ.* Sed de secundo, quod hæresis excæcet patet per illud quod dicitur de impijs, *Hæc cogitauerunt & errauerūt: Excæcauit enim eos malitia eorum*, quod maxime reperitur in hæreticis obstinatis in suis erroribus, qui non solum dum viuunt, sed etiam mortui excæcāt alios & spiritualiter & quandoque corporaliter. Exemplum de quodam hæretico qui alterius hæretici combusti à quo fuerat spiritualiter excęcatus, cineres pro reliquijs colligit. Cum autem quidam modicum patiens in oculis remedium ab eo peteret, consuluit illi, vt cineres hæretici combusti poneret super oculos suos, qui statim ex toto cæcatus est. Deinde obuius fuit sibi dæmon dicens, quod sibi contrarius esset & noceat ei. Istud nocumentum quod credet facere vertitur in probationem & coronam sanctis. Cum enim medio seruorum dæmonis auferūtur tibi bona temporalia & alia

Marginalia (left column): Ioan. 16. — Dan. 12. — Sap. 3. — K Prælati nunc non sunt tales sicut in primitiua Ecclesia — Ioan. 13 — Psal. 64. — Psal. 94.

Marginalia (right column): L Fides est quasi precium curationis corporis & animæ — Psal. 73. — Ioan. 12 [?] — Sap. 2. — M Diaboli machinatio vertitur in bonum sanctis.

alia ingeruntur nocumenta, hoc est ad probationem, quia non coronabitur nisi qui legitime certauerit. Exemplum est in candela, cuius superfluum aufertur, vt magis illuminet, & Deus scit ex malis dęmonum elicere bonam conclusionem. Sicut per effectum eius Iob clarus effectus est. Sic Ioseph per eius machinationem. Sic Christus per passionem, quam ille procurauit. Sic & Melonus per nocumenta sua clarior effectus est. In hoc sume documentum, & tibi persuade tanquam certum, quod si quid boni velis incipere diabolus tibi contrariabitur, & multis rationibus persuadere conabitur oppositum, & non tanta foramina inuenies, quin ibi cauillas apponat. Sed non mirum si dæmon dixit Melono, quod esset ei contrarius, quia mali maxime contrarij sunt & bonis & malis. Bonis enim inuident, & superbus superbum impugnat, secūdum illud, inter superbos semper iurgia sunt. Boni vero non bonis, sed malis semper aduersantur, hoc enim est bellum implacabile, & ab initio non erant nisi tres aut quatuor homines, & malus suppeditauit bonum, & Abraham duos habuit, vnum bonum & alium malum, & inter eos fuit continuum bellum, & Ysaac duos, & iam ex vtero matris incipiebant pugnare. Sed quæritur quare non timuit Melonus dæmonem sibi obuium, cum etiam bestię terreantur ex nominatione eius, sicut patet in quadrigarijs. Similiter Papa quidam Romanus maxime timuit, vt patuit de quodam qui vt intraret & haberet beneficium à Papa, finxit se esse diabolum, quem cum tremore magno permisit idem Papa ad se introduci, reputans quod si non sponte admitteretur, vi intraret, igitur multo magis timere debuit seruus Pontificis. Respondetur quod sancti viri qui mundum contempserunt, ita sunt pleni Deo, quod vbi se sentiunt eo armatos, nec diaboli figmenta timent. Dicunt enim: *Dominus illuminatio mea*, ad cognoscendum nequitias eius, *& salus mea*, si pugnauero cum eo, *quem timebo?* Sunt enim tria propter quæ timendus est diabolus. Primo propter insidias & astutias eius, sed ait sanctus, *Dominus illuminatio mea.* Secundo propter potestatem, quia non est potestas, quæ ei valeat comparari, sed *salus mea.* Tertio propter malitiam, sed *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo.*

Nota. | N Mali cōtrarij sūt bonis & malis. | Prou. 13 | O Diabolus non timetur à sanctis | Psal. 26.

In secunda parte videndum est de oratione Meloni. Dicitur enim in legenda, quod videns Rothomagum ciuitatem flexis genibus orauit, vt prosperum iter suum faceret Deus. Primo ad euellendum & expellendum diabolum, & mēbra eius de terra illa. Si enim, vt scribitur Ioan. *In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli*, ita eius imitator Melonus apparuit in hac Diœcesi, vt dissolueret opera eius, & ad hoc merito orauit primo, quia prius est euellere spinas quam plantare bona semina. Si Dux belli primus aggreditur, vt milites sequentes animentur, quasi diceret illud Gedeonis, quid me videritis facere, facite. Vnde & dæmonem non solum spiritualiter, sed & corporaliter & visibiliter expulit. Patuit in filio Basuyni cuiusdam nobilioris in ciuitate, qui vnicus patri sic erat obsessus à dæmone, quod neque catenis neque compedibus teneri poterat. Ad templum vero Rothy deductus propter libamina nihil proficiebat. Cum autem Melonus ingrederetur ciuitatem voluit eum lædere, sed signo crucis facto digitum dexteræ ori imposuit dicens: Si licentiam habes mihi nocendi, ostende. Ille cadens supinus cœpit clamare, Ardeo, ardeo, & factus est quietus, ita vt miraretur populus. Multi nunc sunt similes Basuyno, qui suos habent filios, ita à diabolo possessos, quod neque vinculis carceris, neque compedibus neque verberibus possunt teneri quin currant, & nocte, & die, & infinita mala faciant. Expediret, vt illic beatus Melonus manum apponeret ad Dominum, quia nemo corrigit quem Deus despexit. Similiter expulit dæmonem de templo Rothy, osten-

1. Ioan. 3

sum prius in specie simiæ, & iussit, vt iret in locum desertum, comminutis primum aris, & simulachris. Secũdo orauit ad delendum similitudinẽ, & effigiem diaboli de cordibus hominum loci illius, hoc est peccata, & maxime peccatum infidelitatis. Tertio orauit, vt illa deleta introduceretur similitudo Dei, scilicet fides, & charitas. Vnde & quidam contractus, & ineptus ad operandum sanatur non tam corpore quam anima, cum ducentis viris baptismum suscipiens. Sic & diues quidã qui ante octo annos percussus paralisi officium linguæ, & omnium membrorum amiserat, sanitate corporis suscepta, baptizatus est cũ vxore & liberis, & copiosa populi multitudine. Sic sanctus submergebat peccata in aquis baptismi, vt ea omnino deleret, & sic in nomine Domini ea vindicabat. Hinc dicere poterat:

Psal. 117. *Circundantes circundederunt me inimici*, scilicet qui sunt peccata, cum quibus sancti habent perpetuam pugnam, *& in nomine Domini, quia vltus sum in eos*, per aquas baptismi, secundum etiam quod dicit Psal.

Psal. 73. Domini. *Tu contribulasti capita draconum in aquis.* Sed multi cum illo paralitico amittunt officium linguæ. Qui tamen tales sunt debent beato Melono offertoria facere, vt eis restituatur. Secundũ Aristotelem 3. de anima duplex est linguæ officiũ scilicet ad sermonem, & gustum. Multi vero idioma paradisi, scilicet laudum diuinarum perdiderunt, & idioma inferni scilicet blasphemias loquuntur. Similiter perdiderunt gustum quoquinæ cœlestis, ideo ad terram solum sicut vaccæ respiciunt non ad cœlum. Quarto orauit pro auxilio populi quod impetrauit, & exhibuit, vt patuit in exemplis prædictis. Item in Precordio, qui obdormiens in sermone eius ceciderat à tecto domus, & expirauerat, quem suscitauit. In loco cuius suscitationis construxit Ecclesiam in honore sanctæ Trinitatis, & virginis Mariæ ordinato in præsbyterum Precordio. Similiter patuit in adolescente Ausigiso nobili, qui dum venaretur à serpente proiectus erat in terram laceratus & intoxicatus, & cauda serpentis circumligatus. Quem sanctus vir sanauit & serpenti vt recederet imperauit, & statim se lacerauit. Item in quodã dilacerato ab apro, & in filia cuiusdam de beluaco contracta, plene sanitati restitutis. Sic & curatus est habens manum aridam. Nam cum sanctus eleemosynam daret eidem, & in sinistra inuoluisset illam. Non (inquit Melonus) in ista sed in dextera accipienda est, nesciens quia arida esset, quam vt accepit, protinus solidata est. Ex his apparet mira charitas Meloni, qui simul vtramque eleemosinam, & vtramque sanitatem conferebat scilicet corporis, & animæ, & cum hoc etiam temporalium bonorum.

*Linguæ officium duplex mystice declaratum.*

Sed quæritur circa prædicta. Primo quare orauit cum deuenit Rothomagum. Respondetur primo ad ostendendum quod in omni opere requirẽdus est Deus, quia nullum bonum nisi per ipsum. Et ita bonus pater suos filios non solum verbo, sed etiam exẽplo docebat, vt singula à Deo peterent. Secundo vt facilius obtineret emollitionem cordium. Non enim terra dura melius potest quã per aquam extra duritiam fieri. Sic nec mali quam per lachrymas, & orationes iustorum. Exemplum de beata Monica matre Augustini continue flente pro conuersione sui filij, cui spiritu prophetico prædixit Ambrosius. Impossibile est vt filius tantarum lachrymarum pereat. Tertio quia magna, & ardua aggressurus erat scilicet effugare dæmonem cum exercitibus suis, vt iam dictum est.

*Q. Orandus est in omni opere Deus.*

Secundo quæritur vnde processit, quod ita tarde conuersi sunt illi de hac diœcesi, cum Dionysius per ducentos annos ante venisset Parisios ad prædicandum. Dicitur, quod hoc potuit esse. Primo propter persecutiones gentilium, quæ illis temporibus abundauerunt, quibus impediebatur ne illic prædicaretur verbum Dei. Vnde & post mortem Dionysij, omnes quotquot inueniri potuerunt

fuerunt trucidati sunt per circuitũ vrbis Parisiacæ, ita vt plateæ sanguine martyrum replerētur, imo in hoc vulgasissimo oppido eos, qui mittebatur ad prędicandũ Nichasiũ, & socios occiderũt. Secũdo hoc potuit esse exigētibus demeritis populi, qui malus erat. Legimus enim Act. quod Apostoli prohibiti sunt prædicare verbum Dei in Asia, vt sicut dicit Ioannes. *Qui in sordibus est sordescat adhuc*. Ideo enormitas peccatorum potuit esse causa, quod non tam cito visitaretur à Deo. Tertio tamē potest dici, quod sicut ante B. Dionisium fuerunt prope Parisios milites quidam deuotione moti prædicantes verbum Dei, qui passi sunt sub Nerone. Sed tamen per illos non fuit Ecclesia radicata, nec radices sumpsit, sed per beatum Dionysium, sic ante Melonum fuerũt aliqui, & hoc videtur dicere Apostolus, & quidem: *In omnem terram exiuit sonus eorum*. Sed illi parum aut nihil profecerant, nec crementum aut radicem sumpserat Eccelesia.

R Peccata impediũt visitatio nem Dei

Act. 16.

Apoc. 22

Rom. 10

Tertio quęritur cum tunc tēporis esset persecutio, cur nõ fuit Melonus persecutus. Respõdetur, quod non vbique tonat dum tonat, nec vbique pluit dum pluit. Sic persecutio, quæ in vno loco grassabatur, alium non vastabat. Et ideo licet illo tempore fuerint multæ persecutiones, non tamen omnia loca visitauerũt persecutores, & hoc ex speciali Dei voluntate vt semper manerent columnæ in Ecclesia sua immobiles. Et ad ostendendum, quod non solum via martyrij est via in cælum, sed etiam peruenitur per labores & abstinentias. Melonus autem plurimos labores sustinuit propter honorem Christi, & salutem populi, multis ieiunijs, & abstinentijs corpus suum macerauit, donec diceret spiritus, vt requiesceret à laboribus suis. Et tunc Angelus apparuit ei prædicens finem suum. Qui conuocatis suis ciuibus, & clero post monitiones factas in pace reddidit Deo spiritum.

S Confessores aliquos seruabat Deus tēpore persecutionis.

*DE S. ROMANO ROTHOMAgensi Archiepiscopo, Sermo vnicus, & in ordine LXXIII. Per Thema.*

VIx *sapiens liberauit vrbem per sapientiam suam*. Quæritur quare non potius dicitur Romanus liberasse vrbem Rothomagens. sua fortitudine quã sapientia. Roma enim interpretatur tonitruum aut sublimitas, & Romanus tonans vel sublimis, seu tonans sublimiter. Hoc autem videtur magis fieri per fortitudinem, quam per sapientia. Respondetur per duas veritates, prima est. Multiplici sapientia liberauit Romanus vrbem Rothomageam magis spiritualiter, quam corporaliter. Primo sapientia legis diuinæ, quam effundebat in prędicatione docens populum Rothomagensem abstinere à vitijs quæ militant aduersus animã. Quæ licet apud mundanos stultitia nominetur, tamen placuit Deo per stultitiam illam prædicationis saluos facere credentes, quia: *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus*. Vnde de sapientia diuina Prou. *Pretiosior est negotiatio eius auro, & argento*, & Sap. *Infinitus est in ea, thesaurus hominibus*. Si ergo per aurum & argentum liberentur vrbes ab hostibus corporalibus, multo magis per sapientiam tam à corporalibus quam spiritualibus liberabuntur.

Eccl. 9.

A Sapiẽtia verbi Dei, & humilitatis liberant animas.

1. Cor. 1

Prou. 3.

Exod. 7.

Et si quæras, cum ista sapientia diuina sit tam pretiosa & tantæ efficaciæ, cur ergo contemnitur à mundanis. Respondet Apostolus: *Animalis homo, qualis est mundanus, non sapit ea quæ sunt Spiritus Dei*. Rationem subdit, quia spiritualiter examinatur. Viuit enim solũ vita animali & brutali non autem spirituali. Sicut ergo bruta aurum & argentum, nec appretiantur, nec reputant, nec gemmas, vt communes vilissimosque lapides conculcant. Ideo Matthæus: *Nolite spargere Margaritas ante porcos, ne conculcent eas*. Plus etiam æstimat asinus cardonem vnum, & canis os vnum quam omnes thesauros totius orbis. Similiter porci conculcant

1. Cor. 2

Matt. 7.

aromata & eis sterquilinia præferunt, licet brutales & porcinæ vitæ homines conculcant sapientiam. Sapientia enim à Roma est. Dicit enim ipsa Eccl. *Sicut sinamomum & balsamum aromatizans, odorem dedi.* Sicut etiam equus vmbratilis de viæ discriminibus contemnit omne consilium & omnem directionem, fantasię suę sequens impetum, & sicut somnians nullis suasionibus auerti potest ab errore somnij quod somniat, sic animales & stulti qui somniant de vanitate temporalium rerum & errorum suorum feruntur impetu, insanias suas & somnia præferunt sapientiæ, & concilia eius contemnunt. *Cum dormiente enim loquitur, qui narrat stulto sapientiam.* Secundo liberauit Romanus vrbem sapientia illa quam didicerat in schola Christi. Discite (inquit Dominus) à me, quia mitis sum & humilis corde. *Vbi enim humilitas, ibi sapientia.* Subdit enim Dominus, & inuenietis requiem animabus vestris, quæ fit per liberationem ab hostibus animæ, quæ sunt vitia & dæmones. Vnde B. Antonio circumspicienti in visione mundum laqueis pæne innumeris plenum, & quærēti quis illos euaderet, responsum est, humilitas. Sic liberare potes ciuitatem animæ tuæ ab impugnationibus hostium, si humilitatem habueris. Humilitas enim sapiens valde duo facit, per quæ impugnationibus obsistit. Primum est in ostensione miseriarum, qua à Deo miserabilem se in oculis misericordis Dei exhibet, vt eidem liberationis præsidium Dei bonitas negare non posit. Secundum est, quia totum honorem & gloriam victoriæ Deo attribuit, & propter hoc totum pondus prælij ei imponit. Cuius enim est victoria, eiusdem est & gloria & bellum. Sic humilitate sua Romanus non solum impetrabat liberationem vrbis animæ suæ, sed etiam populi sibi commissi.

Eccl 24. Eccl 22. Prou. 11

E — *Sapiētia melior est fortitudine.*

Secunda veritas. Ideo potius liberatio attribuitur sapientiæ quam fortitudini, quia sapientia melior est fortitudine. Hoc patet primo ex sententia Sapientis. Dicebam ego meliorem esse sapientiam fortitudine. Secundo hoc probatur rationibus, prima est, quia sapientia inuicta permanet, fortitudo interdum vincitur, vt in bellis ciuilibus apparet. Secundo quia sapientia simul est sapientia, & fortitudo, non autem sic est de fortitudine. *Vir sapiens est fortis & vir doctus robustus & validus.* Tertio quia fortitudo sine sapiētia præceps, est, & ipsa impetu victoriam quam per robur acquireret dum se præcipitando deiecit, aduersario parat: *Vbi nō est scientia animæ non est bonum, & quod festinus est pedibus offendit.* Et rursum ibidem: *Cum discretione initur bellum, & erit salus vbi multa consilia.* Ideo conuenienter fabulati sunt quidam Palladem deam esse belli. Quarto ideo melior est in bellis sapientia fortitudine, quia ad dimicandum contra diabolum sapientissimus Dei filius sapientiam fortitudini prætulit, & sapientia potius quàm viribus vincere eum prælegit. Sic & in bellis spiritualibus potius satagendum est vt sapienter agatur, quod agitur, quam vt strenuiter aut fortitur. Fortitudo enim nisi sapiētia moderata fuerit, aut festinatione offendet, aut impetu seipsa dejiciet, aut seipsam effusionem virium velut exhaustam atque depauperatam, aut viribus ante consummationem fatigatam se inueniet. Vnde Tullius, viribus decertare beluinum est, ratione humanum. Propterea non est mirandum, si Romanus dicitur liberasse vrbem sapientia magis quā fortitudine. De cuiusmodi liberatione, vt rectum aliquid ac salutiferum dicamus, implorabimus auxilium Virginis gloriosæ dicentes: Aue gratia plena, &c.

Prou. 24. Prou. 19

Iuxta thema & historiā sancti dicendū est primo de cōditionibus istius viri sapiētis, qui sic liberauit vrbē. Secūdo à quibus incōmodis seu periculis eam liberauerit. Pro prima parte dico, quod sāctus iste & sapiēs vir Romanus multas habuit egregias cōditiones. Primo erat nobilis secūdum carnē filius Benedicti cuiusdā & Felicitatis de sāguine regio, de qua nobilitate lau-

te lau-

te laudari poteſt tamquam de principio virtutis,ſicut laudatur fons,quia ex rupe manat,non ex palude, tamen magis laudandus eſt de nobilitate mentis, quam addidit iſti nobilitati carnis. Secunda cõditio, quod erat filius precum. Cũ enim eſſent parentes ſteriles continue orabant
C Dominum pro prole habenda. Sed quæritur vnde procedebat iſta ſterilitas. Reſpondetur,quod præter indiſpoſitionem naturalium inſtrumentorum & organorum, Deũs ſterilitatem illam permittit venire propter tria. Primo propter ſuperbiam viri vel mulieris comprimendam. Vnde legitur de Rachele, quod Dominus concluſit vuluam eius, quod dedignabatur conſortem, vel etiam quia Iacob vir eius dedignabatur Lyam propter eam. Sic & legitur de Michol filia Saulis,quod manſit ſterilis vſque in diem mortis ſuæ, quia deriſerat Dauid ludentem coram arca Domini. Aliquæ enim quandoque ita ſuperbiunt & ita ſe ſtringunt vt pulchriores appareant,quod vel perdunt fętus vel non poſſunt ſuſcipere. Et talibus Deus maximam miſericordiã facit,quod non habent prolem. Tum primo,quia nutrirentur in ſuperbia eorum, & dum eſſent magni creparent oculos parentum ſuperborum, *Quia inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt.* & ſecundum vulgare prouerbium duo groſſa non poſſunt ſtare in eodem poto. Secundo quia tales ſuperbi multa aggregarent rapinis & vſuris,vt ditarent & ſtatim darent ſuperbis filijs. Et ideo tollit eis Deus occaſionem talia perpetrandi non dãdo prolem. Tamen tertio,quia ex irreligioſitate parentum ſæpe filij peſsimi fiunt, lubrici, latrones,homicidæ & huiuſmodi,ita quod tandem deducuntur,ad patibulum. Ideo multis Deus facit miſericordiam,ne tales habeant filios. Propterea ſteriles ſuum dolorem mitigent ex triſtitia quam habent alij fœcundi ex malitia ſuorum filiorum. Secundo hoc fit propter diuinam potentiam manifeſtandam, vt patuit in Sara quæ fuit longo tempore ſterilis,ſimiliter in Eliſabet. Tertio vt fructus auidius quæratur & precibus parentum multiplicetur gratia, diuque quæſitus ametur in Deo & nutriatur, & ſic filius plurium precum ſit filius gratiæ. Sicut patuit in Anna matre Samuelis, & hic in Benedicto & Felicitate matre Romani. Tertia conditio, quod erat filius diuinæ reuelationis. Poſt multas enim preces apparuit Angelus nocte Benedicto patri dicens. Naſcetur tibi filius lumen Eccleſiæ & decus. Hoc vnum ſingulare habuit,qnod fuerit eius natiuitas reuelata. Nam in ſcriptura ſacra quatuor tantum legimus natiuitates ab Angelo reuelatas, duas in antiquo teſtamento ſcilicet Iſaac, & Sanſonis,& duas in nouo,ſcilicet Ioãnis & Chriſti. Nec vnquam reuelatio talis legitur ſancta niſi pro re magna ſequenti. Quarta conditio, naſcitur gaudium parentum, ſic debent prælati, qui ſunt patres ſpirtuales gaudere cum peccator naſcitur filius gratiæ per conuerſionem: *Lætabuntur coram te ſicut qui lætantur in meſſe.* Ita gaudium primo fuit annunciatum in natiuitate Chriſti ad oſtẽdendum, quod cum gratia Dei naſcitur in homine, maxime lætari debet prælatus cum Apoſtolo,quem nihil aliud lętificabat quam conuerſio animarum. *Quis eſt qui me lætificat, niſi qui contriſtatur ex me,* hoc eſt ſecundum cor meum ſcilicet ad pœnitentiam. Sunt tamen aliqui qui diem natalitium celebrant cum Herode, magis gaudentes,cum diabolus naſcitur in homine per peccatum, quam cum Chriſtus per pœnitentiã,de quibus: *Laqueo peribunt qui plectuntur caſu iuſtorum.*

Sed quæritur cum ita ſit quod natus puer pro iucundo aduentu loco vini ſoluat lachrymas,loco panis fætiditates,loco cantus fletum, loco cibi ſolicitudines innumerabiles, quomodo iſte dicitur gaudium naſci parentibus? Dicitur,quod licet multa ſint incommoda natiuitatis noſtræ, nihilominus eſt gaudium non adeptum communiter, ſed ſperatum, & æſtimatum, quia ſemper æſtimatur de me-

*Sterilitas multipliciter cõtingit.* — *Gen. 9.* — *1. Reg. 6* — *Prou. 13* — D *Prælati gaudeãt cum peccator naſcitur filius gratia per pœnitentiam.* — *Eſai. 9.* — *2. Cor. 2* — *Eccl. 27.*

meliori. Sed istius gaudium non solum æstimatum, sed certum, nedum affuturū sed præsens. Vnde quomodo lætabatur Sara, cui dictum erat, quod in semine suo benedicerentur omnes gentes, quomodo vxor Manue cum tenebat Samsonem, qui debebat liberare populum à manu Philistijm, quomodo Elizabeth tenēs Ioannē Baptistam, & Maria Christum, sic mater Felicitas, & pater Benedictus, tenentes istū puerū, qui debebat esse lumen orbis. Quinta conditio, quod in literis ita profecit, vt iuuenis eligeretur in consiliariū regis. Sed quæritur an iuuenes sic debeāt eligi in consiliarios. Respondetur primo quod de lege communi non debent eligi, quia sunt inexperti. Et propter hanc rationem dicit Aristot. quod nemo iuuenes eliget in Duces, quia non constat eos esse prudentes. Sed modo multiplicantur supra numerū iuuenes & inexperti, oportet dicere, quod illud officium sit bonum & lucratiuum, vel potius deprędatiuum, postquam est tanta multitudo. Dicitur secundo, quod licet iste fuerit iuuenis electus, non est tamen in cōsequentiam trahendum. A Domino enim factum est istud, qui dat quibus vult affluenter, vt dici possit de isto, Domine præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis tuæ. Sexta conditio, quod fuit electus in Pōtificem Rothomagensem. Nam orbata ciuitate Episcopo, facta est commotio inter ciues pro electione Pontificis. Sed tandē seditione sedata, & ieiunio indicto: visio cuidam facta est, quod deberet ordinari vir à magistra ciuitatum nominatus, hoc est Romanus. Statim ordinatus est, licet pæne inuitus. Sed quæritur quare ieiunabatur tēpore præterito ante electionē Pōtificū. Dicitur, quod causa est quia populus desiderabat scire voluntatē Dei super electione pastoris. Nūquā aut melius scitur, quam per abstinentiam & ieiuniū. Sic Daniel profunda Dei mysteria sciuit per ieiuniū. Sic tres pueri Sidrac, Midrac, & Abdenago repleti sunt omni scientia diuina. Similiter Esdras in Apocriphis. Et ideo ieiunium indicebatur. Est enim mēs aptior ad recipiendum inspirationē Spiritus sancti, quando caro est castigata, & spiritus minus subiectus carni. Itaque tunc Deus habebat viros secundum cor suum in Prælaturis Ecclesiæ, & pastores ouium, non venatores aut nutritores canum. Si quæras vtrum soluerit suam vacantiam. Dico quod sic, sed non Romæ, imo Deo & proximo, pijs operibus & eleemosinis insistendo, dum etiam esset in consilo regis liberando pauperes, & eis consulendo, sicut fecerat Nicolaus subueniendo puellis. Similiter soluerant sui parētes vacādo sanctis & iustis operibus. Pro secunda parte dico, quod B. Romanus liberauit vrbē seu populum suum à multiplici periculo seu perditione. Primo à destructione seu subuersione, & immūditia dæmonū. Erat enim ibi phanū veneris scortantium, versus septentrionalē plagam multū clausum, vbi audiebantur spiritus immundi facientes concilium, & ibi vel honorabantur pro altitudine scelerum, vel verberibus afficiebantur pro negligentia. Quæstio ibi fiat vtrum inter dæmones sit ordo prælationis. Vide prima parte quadragesimalis ser. 4. Et post phanum erat in obscuro loco horribilis spelunca introrsum spaciosa sed angusta fauce, inestimabilem altitudinē profunditatis habēs à qua exibat fætor sulphureus intolerabilis, & flamma picis, quæ sæpe incendebat domos vrbis, vel fumo interficiebat homines, ita vt diceretur hiatus tartareus. Sed ingressus Romanus audiuit vocem sese cohortantium ad fugam, & vnus dixit, quod faceret venire gentem marinam, & quod ossa eius, & seruorum Dei à finibus portarentur. Hic quęritur quomodo possunt dęmones scire futura, & reuelare nobis. Non enim hoc videntur posse ex naturalibus, quia dicitur: *Annūciate nobis ventura, & dicemus, quia dij estis vos.* Neq; per reuelationē. Primo, quia sunt inimici Dei & Angelorū. Si ergo ab inimicis abscōdita sunt secreta cōsilia, videtur quod eis. Secūdo ipsi sunt in te-

Marginal notes: Gen. 17. — Iud. 13. — Luc. 1. — Luc. 2. — E Abstinētia disponit ad reuelationes suscipiēdas. — Esai. 41.

in tenebris dãnationis, igitur cũ non sint idonei ad gratiã,& reuelatio sit cognitio gratiæ,& nõ naturæ, nullo modo cõpetit ipsis reuelatio. Respõdetur per tres propositiones. Prima est secundum Duran. dist.2.sent.quod dęmon primo cognoscit omnia futura quæ dependent ex ordine causarum naturalium. Secundo cognoscit per coniecturam quædam futura, quę dependent ex nostro libero arbitrio, sed non ea quæ dependent ex voluntate diuina. Et sic potest prędicere de effectibus naturalibus per certitudinem, & de his, quę subsunt libero arbitrio per coniecturam, sed non de his, quæ subsunt diuinæ voluntati, nisi per reuelationem Dei aut aut Angelorum. Secunda propositio. Dęmon potest nobis reuelare aliqua dupliciter secundum eundem. Primo loquendo nobis per signa sensibilia, & voces similes nostris vocibus in aëre formatas. Secundo per repræsentationem imaginum fantasiæ nostrę, secundum illud: *Immißiones per angelos malos*. Tertia propositio. Secundum Bonauent. in secundo in expositione textus, Dominus quinque reuelat dęmonibus futura ministerio superiorum Angelorũ conformiter ad sententiã Augu. & Isid. & hoc propter duo. Primo ad ostendendum suam magnã sapientiam, quæ per inimicantes sibi implet voluntatem suam. Vnde sicut reuelatio somnij de exaltatione Ioseph facta insidiantibus, secundum mirabilem Dei dispositionem fecit adimpletionem, licet secundum intentiones illorum esset ad impedimentum, sic Deus aliqua ostendit per Angelos suos dæmonibus, vt dũ illi obuiant, aliquid valde decens & competens ordinatissime impleat & eliciat. Et sic patet quod humanum consilium irritari potest, non diuinum. Secundo vt viri sancti non quærant scire ista futura, aut miracula facere tanquam magna, quando vident dæmonem, & diuinatores inimicos Dei in his abundare, & multos in errore mittere occulto Dei iudicio. Quarta propositio. Fit tamen reuelatio duplici

F Dæmon quæ futura cognoscit & quæ non.

Nota.

Psal. 77.

modo secundũ eundem. Vno modo mẽtis illustratione, sicut fiebat sanctis Prophetis, & hoc est gratiæ, & isto modo nõ fit dęmonibus. Secũdo modo sola prædicatione, sicut homo reuelat alicui volũtatem suam, & hoc non est gratiæ aliquo modo proficientis vel eleuantis naturam, sed potest esse opus misericordię, si illud ordinetur ad bonum eius cui prædicitur, vel iustitiæ, si ordinetur ad punitionem alicuius mali, vtpote si ad fallendum fallaces, vel vtriusque, si similiter ad vtrunque. Et isto secundo modo bene fit reuelatio dæmonibus, & permittuntur reuelata hominibus manifestare sępe ad punitionem superborũ & deceptionem fallacium, vt qui in sordibus sunt, sordescant adhuc. Sed respondit ei Præsul venerandus. Non est mirandum si tu cui non potuit sufficere natura dignitatis Angelicæ, modo inter immundas scortantiũ officinas sedẽ elegeris. Nõ potest diabolus ipse melius fugari, quã improperio, cũ sit superbia inflatissimus, iracundia indignantissimus, atque contumeliæ inpatientissimus. Hinc est quod viri sancti plerunque solo sputo contra dæmonẽ emisso, ipsum effugabant. Secundo liberauit Romanus ciuitatem ab inundatione maris superueniente ab Occidẽte, quæ pæne totam vrbis planitiem occupauit, ita vt populus succederet ad montes. Opposuit enim se vir Dei diluuio, & statim aqua ad alueum suum se recepit. In hoc datur doctrina, quod Prælati debent se periculis & tribulationibus exponere pro liberatione populi, sicut Paulus, qui expositus est periculis fluminum, periculis in mari, periculis latronum, &c. Secundo consolari populum verbis & operibus. Vnde consolando populum declarauit, quid illa aquarum inundatio signaret. Mittere enim solet Deus signa prænostica rerum notabilium futurarum, & sæpe quando vult exercere magnam punitionem, vt timeamus eum, & conuertamur. Sic tempore Iustini secundi Imperatoris maxime inundauit Tyberis, designans sanguinem

Nota de reuelatione.

2. Cor. 11

 guinem

guinem plurimum in Italia effundendũ. Tertio liberauit eam à periculo & perditione idololatriæ, subuertendo phanum in quo vidit legionem dæmonum, ibique inuenit sacerdotes templorum deludentes populos. Ad ingressum enim eius omnes imagines corruerũt, & impulsu manus tota machina templi dilapsa est. Sed timeo ne adhuc sit hic legio dæmonum, & magnorum, & paruorum. Dominus dixit Ioann. *Vnus ex vobis diabolus est*, sed forte sunt hic multi, & non duo aut tres tantum, sed legio. Quod declaratur, quia diabolus habet in primis, quod est obstinatus. *Initio diabolus peccat*. Sed quot obstinati sunt, qui non restituent vsuras, & huiusmodi. Secundo diabolus immitigabilem sæuitiam habet. Quot vero sunt crudeles, qui deuorant pauperem in abscondito, facientes sicut ille, de quo Pet. *Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret*. Tertio diabolus habet malos angelos. Sic magnus diabolus multos paruos satellites, qui insidiantur in vijs & plateis, & euertunt domum pauperis. Vnde clamat Ioannes: *Væ, væ, væ, habitantibus super terram, quia descendit ad vos diabolus, habens irã magnam*. Si ita clamat de vno diabolo, quomodo quando ipse, & parui diaboli veniunt? Sed de talibus dicetur, ite in ignẽ æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Quarto diabolus pugnat contra iustos. Sic illi contra bonos, vt dici possit: *Filij matris meæ pugnauerũt contra me*. Filij inquam matris, id est Ecclesiæ in qua regnant, & de qua adhuc sunt numero, ita quod sunt fratres bonorum illo modo ex parte matris, sed non ex parte patris, quia ex illa parte dicitur: *Vos ex patre diabolo estis*. Quarto liberabit eam à dracone inficiente & perimente. Venit enim cum cruce, & imperauit draconi, & stetit mansuetus. Sed timendum est ne multi adhuc manserint dracones in ista ciuitate. Draco enim (vt dicunt naturales) multas habet cõditiones. Prima est quod attrahit ad se aerem & ventum, & deglutit.

Ioan. 6. G *Mali cõparãtur diabolo* 1. Ioã 3. 1. Pet. 5. Apo 12 Cant. 1. Ioan. 8. H *Draconis proprietates mystice applicati*

Sic multi sunt superbi alti status, qui attrahunt ventum superbiæ, & volunt vẽto honoris & vanæ laudis pasci, & sicut pisa tria in vna vesica, ita inflantur superbia, vt omnes non solum à se expellere velint, sed etiam deuorare. Vnde figurãtur in dracone babilonico, de quo Dan. *Erat draco magnus quem colebant Babylonij, & deuorare dicebatur mirabilia*. Secunda conditio, quod iste draco depopulabatur totam patriam. Sic vnus talis, aut saltẽ pauci sufficiunt destruere vnum magnum regnum. *Ab vno sensato inhabitabitur patria, & à tribus impijs deseretur*. Tertio portat cristam super caput, id est mitra, vel corona dignitatis vult ornari, aut altum habere statum. Quarta cõditio, quod habet magnam caudam quam post se trahit, id est caudam magnæ pompæ, & familiæ, qua vult associari, & cauda ista trahit multos ad male agendum. Ista cauda est periculosissima, & ita venenosa sicut caput. Sunt enim latrones pennati, longe peiores latronibus syluestribus, qui pęne omnes domos penetrant & deprædãtur, vt dici possit illud: *Domus eorum replebuntur draconibus*, & iustus cõquerebatur merito cum Iob. *Frater fui draconum & socius strutionum*. Sed dicit Dominus Esa. *Auferam in vna die caput & caudam*. Quinta conditio, quod suo volatu tumere facit mare, & cum hoc ab omnibus timetur. Sic isti tument & faciunt populum timere, ita quod in aduentu eorũ potest dici pauperibus, timete pauperes, timete. Sexta conditio, flatu suo inficit aërem, & volãtes aues interficit. Sic talis peruersus homo in dignitate constitutus, inficit & interficit Prælatos & Doctores, ne audeant de sua conuersatione loqui. Et sicut lupus facit hominem raucum, sic iste tales ne loquantur, & cauda sua trahit, vt sint secum, vt habeant officia & beneficia, & non dicant veritatem, quia iam sunt infecti. Sed tales quando destruuntur, & ad miseriam deducuntur. Inde dicit Psalm. *Contribulasti capita draconum in aquis*, quia postquam alios molestauerint, frequenter

Dan. 13. Eccl. 16. Esai. 13. Iob 30. Esai 9. Psal 63.

ter per infortunia contribulantur, dedisti eum escam populis Æthiopum, quia balliuis & alijs exactoribus deuorandi traduntur. Vbi mirabile est quomodo exactores audent comedere alios exactores, quia miluus non comedit miluum, nec lupus lupum. Isti vero sibi similes deuorant. Vnde & beatus Romanus latronem à deuoratione draconis eripuit. Quo factum est, vt annis singulis in solennitate sua vnus latro de carceribus eripiatur, & à morte liberetur.

1 Damnādi ad mortem quando liceat dimittantur.

Vbi quæritur vtrum licitum sit propter sanctum aliquem damnandum ad mortem dimittere, vel propter aliquem dominum aperire omnes carceres. Arguitur quod non. Primo quia propter hoc redarguitur à sanctis Pilatus. Secundo non potest aliquis balliuus, vel inferior iudex superioris sua auctoritate infringere legem, sed lex Domini est, maleficos non patieris viuere. Quomodo ergo dispensabit, qui inferior est. In oppositum est consuetudo. Respondetur per propositiones. Prima est. Licitum est propter alicuius sancti reuerentiam, vel in memoriam beneficij accepti liberare maleficum, vbi casus est pius. Probatur sic. Primo, quia vulgo dicitur, vna bonitas aliam requirit. Sancti vero tot pro nobis bona fecerunt, & faciunt quotidie, & canit Ecclesia, adiuuent nos eorum merita, quos propria impediunt scelera, ita etiã vt clamet vnusquisque malefactor ad Dominum illud Psal. *Aspice in me Domine, & miserere mei secundum iudicium diligentium nomen tuum.* Sumus enim in carcere duplici, & quærimus misericordiam, & terribilis in consilijs super filios hominum Deus, apud quem habemus eos adiutores, & propter nos in maximis & summis casibus obtinent misericordiam, auertunt mala, igitur in honorem ipsorum bonitatẽ proximis impendere possumus parcendo eis. In hoc tria de eis confitemur. Primo quod sunt pij clemẽtes & misericordes, sicut & pater eorum, & quod conformes sunt voluntati diuinæ dicenti: Discite quid est, *Misericordiam volo & non sacrificium.* Secundo confitemur hoc faciendo, quod sunt potentes apud Deum eos eripere à malis. Sanctorum enim merita non diminuuntur in alia vita, nec eorum subuentio & charitas. Si ergo dando captiuũ repræsentamus, quod aliquando liberauerunt populum, repræsentamus multo magis, quod adhuc potentiores sunt liberare ipsum. Inde Romanus patronus huius loci reputandus est. Tertio repræsentamus familiaritatem & amicitiam quam habent apud Deum. Per familiaritatem enim apud iudicem sæpe criminis reus liberatur. Cum igitur ostendamus Romanum tantã amicitiam habere apud populum, vt liberetur singulis annis reus criminis, quantam putas habet apud Deum, qui diligit iustos, vt non solum vnum sua sanctitate & amicitia, sed etiam omnem populum liberare possit. Ita vt in recognitionem beneficij non tam præteriti quam præsentis liberatur captiuus à populo recognoscente, quod propter suam amicitiam in vnd vno peccatore vna tota ciuitas liberatur à diuina vindicta. Ex quo sequitur. Secunda propositio, quod propter sancti Romani reuerentiam expedit, vt vnus homo liberetur pro populi gaudio & solatio. Non sicut dicebant Iudæi de Christo, expedit vt vnus homo moriatur pro populo, sed expedit, vt vnus homo liberetur, & viuat pro omnibus reis. Primo in signum recognitionis & gratiarum, quia immemor beneficij debet redigi in seruitutem pristinam, vt dicit Terrentius in prima comedia. Secundo in signum recognitionis liberationis ciuitatis vnius per preces ipsius. Sic Iudæi ad gratias agendas Deo de liberatione ab Ægypto annis singulis captiuum vnum dimittebant. Tertia propositio, Expedit, & licet ad nouum ingressum regis omnes vinctos, & reos pro casibus pijs educi de carcere, vt ostendatur. Primo quod pulchrior lapis suæ coronæ est mansuetudo, per quam reges regnant & regere debent

Psal. 118

Math. 9

suos subditos in pace, ideo primum actũ illum exercent. Vnde Psal. *Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam, intende, prospere procede, & regna.* Illa enim sunt tria lilia regis francorum. *Clementia roboratur Thronus eius.* Seneca. Amor ciuium inexpugnabile regis munimentũ. Secundo vt ostendat regnum suum conformari regimini Dei. Nunc enim (vt inquit Iacobus) misericordia superexaltat iudicium. Ideo vt ostendat in regno misericordiam excellere, & non crudelitatem, propterea in ingressu regni primo exercet actum misericordiæ. Debet enim rex considerare, quod ipse sub Deo militat, & plus indiget Dei misericordia quam iustitia seuera. Sic & de populo suo qui humanus est, & defectuosus. Inde est cõmune Prouerbium. Qui multis præest, multis habet parcere. In hoc enim ostẽdit sequi diuinam pietatem cuius proprium est misereri semper, & parcere. Hinc Theodosius iunior lib. 11. hist. tripar. non patiebatur quemquam mori. Et quia conditionis erat diuinæ, Dominus omnia ei prospere tenebat in regno, homines enim (vt dicunt naturales) se diligunt, dum sunt eiusdem complexionis. Quarta propositio. Expedit maleficos nõ solum pios, sed etiam malos, vbi spes est eorum emendatione, & vbi imminet aliqua vtilitas reipublicæ maior quam esset eorum executio, & mors, propter reuerentiam sancti vel in aduentu regis liberare. Patet quia de duobus bonis melius est eligendũ, maius autẽ bonum est maleficum viuere, si ex eius vita speratur in futurum emendatio & correctio, & cum hoc vtilitas reipublicæ, vbi cum hoc occurrit sanctitas alicuius sancti, vel iucundus principis aduentus, igitur tunc licet eos liberare. Sic legimus de pluribus sanctis in quorum aduentu carceres aperti sunt, & plures iam suspensi meritis sanctorum leguntur liberati. Quinta propositio. Non expedit hominem reum criminis, vbi nec est pietas nec expectatur correctio, nec vtilitas, pro quocumque eum liberare. Probatur, per rationes ante oppositas. Hinc dicitur. Achab qui dimiserat regem Syriæ quem capere debebat. *Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima illius.* Sic si iudex dimittat noxium propter munera, aut amicitiam, erit anima eius pro anima noxij, & portabit pro eo pœnam apud iustum iudicem Deum. Non enim habet locũ venia, vbi non est spes de emenda. Vnde antiquitus pingebatur iustitia sine oculis & manibus, sed modo habet manus & oculos, manus ad capiendum, & oculos ad personas respiciendas. Ita quod modo pauperes bene ad lineam diriguntur, diuites & potentes, vel timentur, vel per pecuniam redimuntur, adeo vt nunc dicere posses de iustitia illud Amos. *Trullam cementarij ego video*, quæ plastrum molle bene complanat, sed non lapides grossos. Quinto liberauit vrbem Romanus à malitia dæmonum, subuertendo phanum execrandum in quo erat legio dæmonũ, & sacerdotes illudentes populo; reparando etiam vas in quo fuerat balsamum pro baptizandis fidelibus, cum chrismate ipso, quod quidem vas arte sua diabolus confringi procurauerat. Et ita de eo verificatum est illud Psal. *Liberauit pauperem à potente*, scilicet diabolo, *& inopem cui non erat adiutor.* Tandem vero meruit ipse liberari à dæmone, qui eum sub specie mulieris decipere moliebatur, & superueniente die vocationis suæ post grauissimos labores tactus dolore viscerum colligens se in lecto suo Cinereo & Cilicilio in pace quieuit.

Psal. 44. Prou. 20. 3. Re. 20. Amos 7. Psal. 71.

## DE SANCTIS CRISPINO & Crispiniano, Sermo vnicus, & in ordine LXXIIII. Per Thema.

*Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in vnum.* Inter omnia maxime Dominus amat, & diligit vnitatem. Propter quod cũ fecisset omnia animantia bina & bina masculum & fœminam, hominem solum fecit, ex quo mulier, & deinde omnes procreati sunt,

Psal. 132. A Vnitas maxime diligitur à Deo.

vt vnitatem in hominibus commendaret. Ideo cum Ecclesiam suam fundauit in Paradiso vnam fecit eam, quando fecit duo in carne vna, & similiter quando reparauit eam in Hierusalem fecit eam
Ephes. 2. vnam, secundum illud: *Qui fecit vtraque*
Act. 4. *vnum*, quando, *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna.* Sed vulgo dicitur, quod bonam societatem fecit Deus & dissipat eam diabolus. Laudabilem enim societatem fecerat in cælo, sed diabolus eius vnitatem dissipauit. De illo enim
Luc. 11. dicitur: *Qui non colligit mecum, dispergit.* Ideo veniēs Dominus in terram, collegit congregationem sanctorum in mundo, & maxime sanctorum fratrum Crispini & Crispiniani, quorum hodie solēnitas celebratur, vt essent exemplum vnitatis & amoris populo Dei. Vnde Ecclesia canit. Quomodo in vita sua dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati. Hæc vnitas maxime à Deo commendata est, quando in vtero virginis Deus & homo simul vnita sunt & vnum facta per maximam eius gratiam, quæ ibi tunc apparuit. Ibi igitur eam quæramus, dicentes: Aue. &c.

B
Patria est communiter homini exilium.

Quadruplicem vnitatem habuerunt isti sancti fratres. Primo vnitatem fidei propter quam primo dimiserunt patriā suam. Cuius derelictionis ratio erat, quia fides eorum dicebat eis non esse patriam suam sed magis exilium, & communiter patria est exiliū. Primo quia in ea cōmuniter homo vtitur voluptatibus quibus exulat à Paradiso. Secūdo quia si virtutibus innititur reputatur papelardus, nisi sicut mundus mundanè viuat. Ad quod
Luc. 4 propositū dicit Dominus: quod *Nemo propheta acceptus est in patria sua.* Tertio quia fides dicit principalem hominis partem esse naturæ spiritualis, cuius locus est in cœlestibus. Ideo fides contemnere facit patriam terrenam, & suspirare ad cœlestem, cum Paulo, qui pro cælesti patria
Rom. 7. ingemiscebat dicens: *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius.* Sic & Ber. cum ait. O beata patria video te, sed ad te intrare non possum retentus carne.

Dedit enim Dominus nobis os in sublime erectum, vt cœlestem contemplaremur habitationem & eam inquireremus, quod non fecit alijs animalibus, iuxta illud Poetæ. Pronaque cum spectent animalia cætera terram. Os homini sublime dedit. Secundo fides fecit eos derelinquere parentes & eos abnegare. Claritudo, & nobilitas parentum erat paruum lumen, sed ad maius cucurrerunt. Sciebant enim per fidem Christum dixisse. *Qui amat patrem aut matrem plusquam* Mat. 10
*me non est me dignus.* Ideo ad plantationem fidei dimiserunt parentes. Et quia dereliquerunt parentes propter Deum derelicti sunt ab eis, & à Domino suscepti, secundum illud Psal. *Quoniam pater meus, &* Psal. 26.
*mater mea dereliquerunt me*, &c. Sed quidam parentes dimittunt in necessitatibus, non amore Dei sicut isti, sed amore nummi. Tertio propter fidem omnia bona temporalia reliquerunt, quia fides quæ est de æternis bonis contēnere facit transitoria, & caduca, Cōsiderat enim fidelis per suā fidē, quod mundus est sicut venditor nebularū, gallicę *oublieur*, qui facit accipere nebulas suas & postea care cōputat. Quarto fides fecit eos adhærere sanctis viris, & doctoribus. Fides enim est ex auditu sanctorum virorū. Ideo relinquendo parentes associātur Quintino, Valerio, Lucino, & Eugenio, cuius corpus apud sanctum Dionysium requiescit. Bonum est esse in societate bonorum, & eorum, qui vadunt iter cæli, non qui inferni. Secundo habuerunt isti sancti vnitatem laboris. Cum enim Suessionicam ingrederentur ciuitatem & quærerent hospitium, repellebantur, & odio habebantur omnibus, propterea, quia nunciabant fidem, & cultum religionis nouæ. Malum est in iuuētute imbui mala doctrina, quia vix dediscitur, sicut malū est foueri in mala consuetudine, quia vix tollitur. Exemplum de Alexandro, qui à Leonida præceptore suo edoctus ebrietatibus deseruire, amicissimū sibi in conuiuio ingurgitatus vino peremit. Exemplum

plum de Liuigildo rege Visigothorum, qui in Arriana hæresi male imbutus, & enutritus, occidi fecit filium suum Hermigildum regem, ad veram & Catholicā fidem reuertentem.3.dialog.c.31. Ideo vt honeste viuere possent in medio nationis prauæ, & peruersæ arti calceorum sutoriæ operam dederunt, & sic de laboribus manum suarum viuebant.

Sed quæritur primo an decebat nobiles ex senatorio genere ortos tam vili artificio insudare, & in eo occupari. Respondetur quod non ideo dicitur homo nobilis, quia nihil operari debeat, cum magis talis ad opera vacare debeat. Adam enim pater noster, qui fuit summus Imperator orbis, fuit agricola. Similiter Octauianus fecit omnes filias suas lanificas. Fortuna enim sæpe aduersatur talibus, qui despiciunt opera artis, & artifices iuuat. Nam & parentes Christi delati ad Domitianum, propter laborem euaserunt mortem, vt habetur Hist. Eccles. li. 3. ca. 10. Sæpe etiam contingit, quod adueniente necessitate tales otiosi moriuntur, vbi plebs sibi subuenit artis ministerio. Credibile est autem tales artem illā Romæ didicisse antequam recederent, vt scirent in partibus alienis lucrari vitam suam. Vnde beati sunt, qui de laboribus suis viuunt iuxta illud: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es*, & vilitas artificij seu laboris multū facit ad remissionem peccatorum, secundū quod orabat idem Ps. *Vide humilitatem meam, & laborem meū*, sequitur, *& dimitte omnia peccata mea*. Secundum quæritur quare elegerūt potius hoc artificiū quā aliud. Respōdetur, quod hoc est propter tria, quæ calcei seu calciamenta in scriptura sacra repræsentant. Primo enim repræsentant miseriam cōditionis humanæ. Homo enim à principio in statu naturæ integræ, nec calceis nec pellibus animaliū indigebat, sed postquā cecidit in peccatum hoc signum accepit illius miseriȩ. Nam Dominus vestiuit primo hominem pellibus, ita bene in pedibus sicut in reliquo corpore, qui ambulaturus erat super terram, quæ sibi germinabat spinas & tribulos. Et ideo communiter dicitur, quod Deus fuit primus pelliparius induendo corpus pellibus, & primus coriarius induēdo pedes, & propterea artificium illud nō debet reputari inhonestum. Sic ergo sancti isti, vt continue ante se haberent materiā memorandi miseriam humanæ vitæ, vt hanc vitam contemnentes, ad illam tenderent quæ est sine miseria, ideo tale artificium elegerunt. Sic etiam conuenienter B. Petrus quando fuit in excessu mentis locatus erat in domo coriarij. Similiter comedimus agnum calciati calceis miseriæ considerando miseriam nostram, & humiliando nos. Secundo calciamentum repræsentat incarnationem Domini nostri Iesu Christi, secundum illud Psal. *In Idumæam extendam calciamentum meum*, id est humanitatem qua calciata est diuinitas, & tunc *mihi alienigenæ*, id est peccatores & gentiles *subditi sunt*. Considerantes igitur præcelsum diuinitatis & incarnationis mysterium, & quod per illam vnionē sibi subiecisset Christus mūdum, illud artificium conuenienter acceperunt, per quod ciuitatem illam regalem Suessionē subigerent Christo. Vnde per calciamenta humanitatem designans dicebat Ioannes Baptista. *Non sum dignus procumbens soluere corrigiam calciamentorum eius*, scilicet Christi. Tertio calciamenta repræsentant exempla sanctorum. Primo quia de mortuis animalibus facta sunt. Sic de sanctis viris qui ex hac vita decesserunt fiunt exempla quæ prædicātur, quibus pulchrior redditur Ecclesia. *Quam pulchri gressus tui in calciamentis filia principis*. Ista calciamenta non sunt attrita in solitudine huius sæculi, quia adhuc permanent sanctorum virorum exempla. Sed sicut corium non est aptum, nisi per manus plurium transeat, puta coriariorum & tannitorū, sic exempla nisi examinentur esse vera per prælatos. Et quia sanctorum martyrum exempla præcedebant, quæ eos animabant ad prælium, libenter amplectebantur

C *Nobilitati non derogat, sed conuenit labor.* — *Psal. 127* — *Psal. 24* — D *Calcei multa repræsentant in scripturis.* — *Psal. 59.* — *Marc. 1.* — *Cant. 7.*

bantur ea in quibus legebãt veterum patrum exẽpla. Sed dices, nõne etiam malũ corium in opere ponitur? Dicitur, quod imo. Sic cuiusdam iudicis mali fecit Cambises corium seu pellem in altum suspẽdi prope locum iudicij, vt alij timerent male iudicare.

Nota.

Malorum enim pelles & exempla multum iuuant, vt resipiscamus ab eorum operibus cauentes. Lupi enim pellis & vulpis bona est ad medicinam.

Tertio quęritur quid opus erat tali artificio. Respondetur quod illud artificiũ ad quatuor seruiebat. Primo ad lucrandũ vitam suam. Sic S. Arsenius nobilis senator factus monachus faciebat calathos. Sic multi nobiles propter Christum trãseuntes ad religionem, ad agriculturã conuertebantur. Secundo ad vitandum scandalũ ne facerent Euangelium quæstuosum, sicut & Paulus operabatur in vilibus pellibus, vt sine sumptu poneret Euangelium Dei. Ne etiam viderentur isti quęrere vanam gloriam per suam prædicationem. Manifeste enim ostendebant, quod nihil in hoc sęculo quærebant qui derelicta sęculi pompa pretiosa, tali exercitio adhærebant. Tertio ad conuertendũ alios per opera pietatis. Nihil enim magis afficit hominem quã pietas. Inde dicitur: *Quod pie remissionem habet vitæ quæ nunc est, & futuræ, & ad omnia vtilis est.* Ideo dantes sotulares seu calceos amore Dei & vestientes nudos, afficiebant corda hominẽ, vt conuerterentur ad fidem. Nihil etiam magis à principio fuit quod exaltaret & amplificaret fidem quam pietatis opera & hospitalitas.

2. Tim 4 E

Misericordia efficax est ad cõuertendum aliquando.

Hinc & Iulianus Apostata voluit sicut simia pingere idololatriam pietate, & sic facere sicut Ecclesia, sed non præualuit, imo captus est & occisus, sicut capitur simia, quæ postquã vidit hominẽ calciantem paruulum, se etiam calciat & sic fugere non potest. Non enim erat illa vera pietas sed fictitia, quę à vera pietate fidei & Christi auertebat. Quarto vt haberent occasionẽ seminãdi verbum Dei. Tunc enim non licebat aperte verbũ Dei prædicare nec audire. Ideo occasione emendi calceos homines ad eos veniẽtes audiebant verbum fidei, vbi alias nõ fuisset oportunitas, & sic sub tali artificio latebat gemma pretiosa. Tertia vnitas sanctorum fuit vnitas constantię & patiẽtię. O constantia martyrum inuincibilis. Adducti pauperes mundo, diuites Deo, diuitias Imperatorum & honores contẽnunt, vt Deum haberent. Iam enim gustauerãt de Deo quod esset, sicut & Paulus. Iussit autem Rictiouarus eos primo examinari in gehenna & extensos fustibus cædi. Sed solum rubiginem & paleam auferebant tortores. Augu. Quod fornax auro, quod lima ferro, quod flagellum grano, hoc facit tribulatio homini iusto. Et inde in tormentis orabant Deum, & magnificabant qui victores eos faciebat. O patiẽtia mirabilis, quæ eos infrangibiles faciebat, quam etiam à Deo esse sibi datam recognoscebãt. Nihil prætiosius vitro si malleo frangi non posset. Propter quod occisus est ab Augusto artifex, qui ei obtulerat vitrum malleabile. Sic ex frangibili corpore, & animo hominis facit Deus vasa infrangibilia, propter quod à Romanis & Iudæis occisus est, sed propterea non dimisit ea fabricare, secundum illud Ioã. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*, sicut fabricauit istos duos fratres tormentis infrangibiles, licet modo pauca talia vasa videantur. Nec mirum si fabricauit, & fecit solida vasa. Nam in vasis solidis, firmis, & malcatis vini conditi poculum committitur, & isti committendũ erat verbum Dei & testimonium fidei. *Bene patientes erunt, vt annuncient*, scilicet verbum Dei. Secundo sudes in vnguibus imposuerunt, vbi apparet maximus sensus. Sed digiti eorum pleni mirrha probatissima. Tertio in aquam proiecti sunt mola ad collum suspensa, vt sic submergerentur in flumine corpora sub glacie. *Sed aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*, venerunt flumina, & flauerunt vẽti, & non est mota, quia fundata erat super firmam petrã. Quarto in plumbum liquefactum proiecti,

P Patientia pretiosissima, quæ eos infrangibiles facit.

Ioan. 5.

Psal. 91.

Cant 8.

iecti, illæsi permanserunt. Verum cum gutta plumbi in oculos præsidis, exiliens ipsum excæcasset, sanctos Martyres in picem, & oleum, & adipem simul bullientia iactari fecit. Sed orantes Angelus ab igne illæsos eduxit, vt possent dicere Domino, transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.

G Martyres quare non sunt deiecti propter horribilia tormenta.

Sed ibi quæritur quomodo istos Martyres non deiecit passionis tormentum, cum etiam sola tormentorum quæ passi sunt, recordatio horrorem incutiat. Respondetur. Prima causa est, quia animæ illorum in manu Dei erant. Altile nō sentit cum coquitur, quia anima in carne nō continetur. Sic si anima nostra in cælo esset per conuersationem, & in Christo per dilectionem, si caro torqueretur, non sentiremus quia mortui essemus, &: *Vita nostra abscondita esset cum Christo in Deo.* (Coll. 3) Sed quia animæ nostræ sunt in carne per delectationē, ideo si affligimur, statim murmuramus. Anima auarorum est in pecunia, ideo in amissione eius torquentur. Anima superborum est in vano honore, ideo cum deprimuntur, vel despiciuntur, irascuntur, & per inuidiam, & in patientiam dejiciuntur. Certe si animæ nostræ essent in manu Dei, & mortui essemus mundo, gratissimum esset nobis, si palea diuitiarum auferretur, si corpus nostrum tanquam carcer pessimus confringeretur, quia in domo Domini vbi summa gloria est, lætantes intraremus, considerantes cum Apostolo, dicēte: (2. Cor. 5) *Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam æternam in cælis*, cum illis etiam, qui dicunt illud Ps. (Psa. 125) *Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Hierusalem.* Si enim pedes haberes fixos intra portos paradisi, & diabolus vel mundus retraheret, non solum pallium, sed tunicam & camisiam relinqueres, priusquā de gaudio paradisi exires. Si iam stant pedes tui in atrijs Hierusalem, si ibi fixa sunt corda, vbi vera sunt gaudia, pallium vanæ gloriæ, tunicam concretam sanguine, id est possessiones, in quibus est sanguis peccati, camisiam carnis delicatæ dimittas, & sic intrabis in aulam paradisi. Nunquam cum his tribus vestibus poteris perfrui visione Dei, quia: *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*, (1. Cor. 15) id est carnalis delectatio, & sanguis peccati. Secunda causa, quia Dominus Martyres istos mirabiliter defendebat. Primo dando fortitudinem resistendi, secundum illud: Mirabilis Deus in sanctis suis, ipse dabit virtutem, scilicet resistendi, & fortitudinem, scilicet patiendi, plebi suæ, maxime quia in ipsis patiebatur Deus. Deus autē fortior erat tyrannis. *Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde.* (Psal. 33) Videtur puero quod magnum pondus portet super collum, & tamen pater totum portat. Hinc dicitur: *Deus totius consolationis, qui consolatur nos, vt possimus, & pios consolari, qui sunt in omni pressura.* (2. Cor. 1) Contingit enim interdum in pressura existentibus, quod quidam propter calorem & commotionem cadunt, quibus adhibetur remedium, per aquā super faciem proiectam, & sic ad se redeunt, & recreantur. Saluator promisit suis. *In mūdo pressuram habebitis, in me autem pacem.* (Ioan. 16) Pax illa est Dei gratia, quæ habitauit in istis Martyribus. Illa est aqua proiecta super faciem mentis eorum, ne inter pressuras ruerent. Secundo imitando consolationes. Filijs Prophetarum apposita est olla cum pulmento amaro, clamauerunt ad Helysæum, qui protinus immissa farina dulcorauit pulmentum. (4. Reg. 4) Sic istis Sanctis Martyribus appositæ sunt tanquam pulmentum amarum tribulationes mundi. Propter quod ad Deum clamauerunt, qui immisit farinam interioris consolationis, & sic quod prius amarum videbatur, postea dulce apparuit. Quarta vnitas istorum Sanctorum fuit in amore Christi, propter quam meruerunt vniri suo capiti Christo. Nam perseuerauerunt in amore Christi vsque ad mortem inclusiue. Mortuo enim Rictiouaro, qui se iusto Dei iudicio in ignem præcipitauerat. Maximianus iussit eos capitali supplicio puniri.

Martyres non erubescebãt pati. puniri. Sed hic quæritur cum isti sancti essent tam nobiles cur, non erubescebant sic turpiter torqueri, & tandẽ occidi. Est enim multum confusibile duci ad mortem, vel supplicium. Respondetur merito non erubescebant martyres, sed multo magis tyranni. Primum erat rationabile. Primo quia ipsi martyres non patiebantur, vt fures, sed vt christiani, qui pro vnctione, & gratia Dei seruanda decertabant. Nullus autem erubescit decertare pro sua hæreditate, sed solum qui pro delictis patiuntur, erubescunt. Et ideo
1. Pet. 4. hortatur Petrus: *Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur aut maledicus, aut alienorum appetitor.* Patiens vero vt Christianus glorificat Deum in isto nomine, quoniam tempus est, vt iudicium incipiat à domo Dei. Secundo non erubescebant, quia nemo erubescit in eo quod opus diuinum, & supra naturam, & supra virtutem humanam fecit. Sic fecerunt Martyres isti in tormentis, vt posset de eis intel-
2. Cor 8 ligi illud Corint. *Secundum virtutem testimonium perhibeo illis, etiam supra virtutem voluntarij fuerunt.* Primo quia infirmitate vicerunt potentiam tyrannorum. Non esset autem hoc magnum, si per potentiam fecissent. Significatum est hoc Reg.
1. Re. 17 Vbi dicitur quod Dauid deposuit arma Saulis, quia non habebat consuetudinem, & tulit baculum. Arma Saulis deponere, est mundi subsidium non curare, sed abjicere. Baculum tollere est in cruce Domini confidere, vnde Goliath, id est tyranni indignati sunt. Secundo, quia in simplicitate vicerunt astutiam, hoc Domini promisso innixi. *Dum steteritis ante*
Mat. 10 *reges & præsides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini,* hoc significatum est Iudic.
Iud 5. Vbi Samson inuentam mandibulam asini, quæ iacebat, accipiens interfecit in ea mille viros. In mandibula asini, quæ iacet, interficere mille viros, non est nisi in ruditate & simplicitate sermonis, qui contemnitur, multos conuertere. Tertio quia in humilitate gloriam, & in paupertate diuitias superauerunt, sicut ille, qui dicebat Galat. *Mihi absit gloriari nisi in* Gal. 6.
*cruce.* Tertio erubescit pati, cuius passio nihil prodest. Multi enim multa sustinent, & eis parum prodest. Fructuosum est autem pro Christi nomine pati. Qui bono domino deseruit, bonam mercecedem expectat. Inde Domino Matth. *Beati eritis cum vos oderint homines, & per-* Matt 5.
*secuti vos fuerint,* &c. *Gaudete & exultate, quia merces vestra multa est in cælis.* Non enim est bona sufferentia, cum quis non audet dicere pro quo patitur. Fur aut homicida nocte discurrens in intemperie temporis per deuia & aspera, cum multo labore & timoris impietate, si peteretur ab eo quare hoc sustinet, non auderet dicere veritatem. Si quis, vt Christianus patitur, non erubescit. De puero qui nec patri nec matri, nec alicui de genere assimilatur, præsumitur quod sit illegitimus. Christus pater & creator omnium passus est. (Oportuit enim eum, ita intrare in gloriam suam) & omnes de genere eius, secundum illud Timoth. *Omnes, qui pie volunt viuere in Christo Iesu,* 2. Tim 3
*persecutionem patiuntur, quare.* &c. Secundum scilicet quod erubescerent tyranni torquendo Martyres, hoc erat. Primo quia in tormentis fortiores eos considerabant, & sic videbant quod nihil proficiebant. Eos enim sine timore aut terrore aspiciebant, quasi dicat Psal. *Non timebo* Psal. 3.
*millia populi circumdantis me,* hoc erat propter fortitudinem Ducis sub quo militabant. Chrysostomus. Nec timere debent hostem fortem, qui Principem habent fortiorem. Narrat Iustinus lib. 2. de Alexand. quod cum nullo hoste vnquam pugnauerit quem non vicerit, nec vrbem obsederit quam non oppugnauerit, nec vllam gentem adierit, quam non calcauerit. Ideo tantam fiduciam suis militibus fecerat, vt illo præsente nec hostem nec arma timerent. Multo magis Christus talem suis Martyribus fiduciam tribuit, qui in omni prælio se præsentem exhibet, secundum illud Psalmistæ. *Cum ipso sum in tribulatione.* Psal. 90.

Ideo

Iob 17. Ideo Iob. dicebat: *Pone me iuxta te, & cu iusuis manus pugnet contra me.* Secundo erubescebant cum eos viderent magis promptos ad sustinendum quàm illi essent ad torquendum. Vnde quodam hoste superueniente ad interficiendum quemdam Episcopum cum lancea, occurrit ei Episcopus nudo ventre dicens ei, percute. Quo viso percussor proiecit se ad pedes eius veniam petens pro delictis. Sic Iulianus apostata desijt persequi christianos libro 6. hystor. tripart. Sic si nos viderent homines paratos ad passionem, non ita essent prompti ad persecutionem.

## *IN EESTO OMNIVM SANctorum. Sermo I. & in ordine. LXXV. Per Thema.*

Phil 4 *A Sanctis in cælo, quomodo nos salutant, & nostri memorantur.*

SAlutant vos omnes sancti. Quæritur quomodo nos dignantur sancti salutare in hac valle miseriæ miseros, qui sunt Domini supremæ curiæ regis cœlestis. Quomodo curant de paruis socijs magni Domini. Videmus enim quod magni dedignantur salutare minores. Item ipsi quotidie memorantur illud: Psal. *Quoniam introibo in potentias Domini, Domine memorabor iustitiæ tuæ solius.* Si ergo tunc memorantur solius iustitiæ Dei, vbi erat misericordia quam quærimus? Quomodo nos salutant aut optant nobis salutem, qui quotidie peccamus, & iram Dei meremur assidue. Respondetur per duas veritates. Prima est. Sācti, qui sunt in paradiso nihil reputabunt suam iustitiam, bonitatem, & virtutes, in comparatione ad iustitiam, & bonitatem Dei. Scient enim tunc esse verum illud: Iob *Non iustificabitur homo compositus Deo*, & illud Psal. *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens,* & quod dicit saluator: *Nemo bonus, nisi solus Deus* sicut lux candelæ, vel vermis cōparata ad lumen solis. Ideo tunc memorabuntur iustitiæ Dei solius, id est quod solus ille in comparatione ad suas creaturas iustus, & bonus est. Secunda veritas. Vltra iustitiam & bonitatem Dei, sancti qui in cælo sunt, etiam memorabuntur nostri, & hoc propter quatuor. Primo propter vnionem eorum cū Deo, propter quod in diuinum quendam mutantur affectum. *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo.* Qui ergo vniti sunt Deo, & pleni Deo, & Deus charitas est, cui proprium est misereri semper & parcere, sequitur quod tales pleni charitate imitātur Dominum suum, vt misericordiam faciant, & saluti nostræ cooperentur. Cū ergo magnas causas habeamus, & periculosissimas in illa cœlesti curia, vbi sedet super thronos, qui iudicat iustitiam, vbi etiam sedet terribilis in consilijs super filios hominum, non solum de bonis temporalibus, sed de perditione æterna corporis & animæ, si terreat nos diuinū iudicium puniendo, recurramus ad sanctos, qui iam sunt in cœlesti curia aduocati, vt causas nostras agant. *Hi sunt viri misericordiæ, quorum iustitiæ obliuionem non acceperunt*, quia in Ecclesia adhuc recitantur opera eorum iustitiæ & misericordiæ. Et quia vna bonitas, & gratitudo aliā requirit, festiuemus hodie Dominos illius curiæ supremę nosque constituamus eis seruos, & debitores, dicentes Deo, *Aspice in me Domine*, oculo misericordiæ tuæ, *& miserere mei secundum iudicium diligentium nomen tuum*. Secunda ratio, quia ipsi sancti in charitate decesserunt, qua non solum amicos, sed etiam inimicos diligebant, & pro eis orabant. Maiorem autem nunc charitatem habent quam tunc, iuxta illud: *Viuit Dominus cuius ignis est in sion, & caminus in hierusalem.* Erat enim tunc ignis quando hic versabantur, nunc autem caminus, & fornax in illa superna hierusalem. Si autem tunc in illo paruo igniculo amoris, etiam inimicorum memorabantur, quomodo in illa fornace amoris amicorum obliuiscentur qui colimus eos, nec persequimur, qui tam solenne festum eis agimus? Et forte nullus est nostrum qui non habeat in illa solennitate octo vel decem de parentibus.

Iob 9. Psa 142 Luc 10 1. Cor. 6 Eccl 44. Psal 118 Esai. 31.

tibus. Faciamus ergo eos amicos, & congratulemur eis. Nam (vt dicit Aristot. 8. Ethic.) Sine amicis nullus vtique eligeret viuere, etiam habens reliqua bona omnia. Tertia ratio, quia Sancti illi compatiuntur nobis. Bernard. Et si perdiderint passionem, non tamen compassionem. Fuerunt enim sicut & nos parui socij in magnis periculis & agonibus constituti,
Psal. 65. dicentes nunc illud Ps. *Transiuimus per ignē & aquam, & eduxisti nos in refrigeriū*, & iterū
Psal. 123 illud: *Torrentem pertrāsiuit anima nostra*, &c. Vident enim miserias nostras in hoc sæculo, & pericula quæ nos expectant in futurum, quæ sunt abscondita ab oculis nostris, ideo iuxta charitatem eorum solitam, merita eorum intercedunt pro nobis. Vnde hodie canit Ecclesia: Adiuuent nos eorum merita, quos propria impediunt scelera, excuset intercessio, accusat quos actio. Quarta ratio. Quod memorētur nostri hoc ostendit, quod nobis reliquerunt pignora, & vadia quando recesserunt à nobis, scilicet corpora sua, & suas reliquias, nos expectantes ad reparandū ruinam cælestem, quia sine nobis & alijs futuris electis, non vestiētur duplici stola gloriæ, corporis scilicet & animæ. Vn-
Psal. 141 de Ps. *Me expectant iusti, donec retribuas mihi.*
Hebr. 11. Hebr. *Non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis aliquid melius prouidente, vt non sine nobis consummarentur.* Et Chrysost. homil. 28. Hebr. Nisi enim, & nos illic venerimus, prædixit ipsis sanctis pater nō dare mercedem. Sicut pater bonus amator filiorum, & probabilibus filijs, & opus perficientibus dicit non se daturum comedere, nisi venerint, & alij fratres. Ideo nos expectant porrigentes nobis manus, vt transeamus passum arctum mortis, di-
Psal. 121 centes nobis illud illud: *Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem*, ad pacem cum Deo, & nobis ipsis, quam pacem medio genitricis Dei quæramus dicentes: Aue gratia.

Salutant nos omnes Sancti. Dantur multæ salutes quę paucum valent, & domini de curia regiæ sæpe dant de aqua benedicta curiæ. Posset ergo quis dubitare an similiter domini illi de curia cælesti ita agerent. Quærimus enim omni die prouisionem super vita nostra, & hæreditate nostra, vt possimus viuere non ad tempus, sed in perpetuum dicentes, adueniat regnum tuum, scilicet nobis, omni die damus supplicationes (saltem qui curamus habere hæreditatem illam) præsidenti, & dominis de curia illa. Habebimus ne ergo prouisionem aliquam? Dicimus quod sic. Sicut enim in curia parlamenti Parisiensi pronunciantur communiter aresta in vigilia magni festi, ita hodie & heri recitantur octo arresta per prouisionem data super vita nostra, & hæreditate assequenda, non solum dominorum illius curiæ, sed cælestis regis ore prolata. Aperiens enim os suum, docebat eos dicēs: Beati pauperes spiritu, &c. Videns enim Dominus Iesus turbas, ascendit in mortem, vt doceret eos. Vbi Chrysostomus. Sicut carpentator (inquit) videns lignum pulchrum directum, & forte libenter in illo fabricat, & arator vidēs bonam terram & fertilem, libenter in eā semina iactat, sic prædicator videns docilem populum & attentum, super ipsum libenter doctrinarum imbrem effundit. Sic Dominus Iesus discipulos, qualiter populum erudirent instruxit, dicens & pronuncians octo arresta. Primum arrestum, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est, &c. hoc est, nolite prædicare quod diuites hic sint beati, qui in auro & argento, & temporalibus bonis cor apponunt, hos enim beatificant populi iuxta illud Psal. *Promptuaria eorum plena eructantia ex hoc in illud, oues eorum fœtosæ*, &c. Psal 143
sequitur: *Beatum dixerunt populum cui hæc* Matt 5.
*sunt*, sed prædicate, *Beati pauperes spiritu.* B
Sed quomodo an pauperes soli habeant regnum cælorum, & diuites inanes remaneant. An pauperes & coquini soli sint in cælo, & diuites alienentur ab eo? Responsio. Multiplex est paupertas. Prima est diabolica, qua quis abundans diuitijs & opibus, semper anhelat ad diuitias, & nunquam saturatur, sed est velut *sangui-* Prou
*sugæ*,

Paupertas multiplex.

*sugæ, quæ dicunt semper affer, affer.* Isti sunt sicut Tantalus qui in inferno existens in aqua vsque ad mẽtum non bibebat, & sicut bufo, qui non audet terram comedere ad saturitatem, ne sibi deficiat. Isti tales sunt pauperrimi, quia omnibus bonis vacui. Non enim argẽtum eorum replet animas, sed arcas. Secunda est paupertas mundana & corporalis, quæ proprie dicitur miseria, & hæc non est bona. Nam quædam est coacta, sed per patientiam transit in voluntariam, sicut quidam in necessaria egestate constituti faciunt de necessitate virtutem. Vellent enim libenter non esse miseri, sed quia aliter fieri non potest, patienter portant, gratias agentes Deo, sicut fecit pauper Lazarus vlceribus plenus. Et istis prouiderunt reges, quando domos Dei & leprosarias instituerunt, his enim benefaciendum est & compatiendum. Secunda huiusmodi paupertas est deterior eorũ, qui cum nihil habeant, & nihil operentur, semper volunt mendicare, & hæc est paupertas coquinorum modernorum. Vnde cum corpus B. Martini ob metum Rolonis Normanorum Ducis delatum fuisse Antissiodorum, & inde reportaretur in Turoniam, vbi in trãsitu viæ omnes sanabat ægros, duo coquini, quorum alter cæcus super se portabat alium paraliticũ, & paraliticus eum dirigebat dicebant. Fugiamus aduentum corporis istius. Ducimus enim in bonis dies nostros, & si sani fuerimus, nemo eleemosinas conferet nobis, sed ad laborandum mittemur. Qui cum fugerent, fortuito obuiauerunt corpori sancti Martini, & contra eorum voluntatẽ sani facti sunt. Multi sunt tales in hoc regno, qui mendicantes validi ad opera publica deberent conduci. Tertia misera paupertas est eorum qui nihil habent, & habere vellẽt, nec ad hoc laborant & illã impatienter portãt, sicut sunt miseri garsiones quãdoque nobiles carne, qui postquam omnia in ludis & libidinibus consumpserunt, ad miseriã peruenientes illã despõsant paupertatẽ cum vxoribus suis & liberis. Sunt enim illi ioculatores, gallicè *basteleux*, & vxores eorundem male assignatæ dicũtur. Et mirum est quomodo quilibet talis despõsat sibi duas vxores, scilicet male assignatam & dominam paupertatem, quæ vilis, rugosa, rixosa & turpis vnamquamque eorum velit nolit, omni die amplectitur. In nuptijs talium cecidit lira, gallice *la loure*, quam habẽt isti rationes, in qua alte sibilant & vno pede chorizant & dicunt cum lira, *malheureux tous deux, tous deux, malheureux tous deux, tous deux*, quod est dicere latine, miseri ambo, ambo, &c. Tertia paupertas est bona & sancta, quæ est paupertas spiritualis, & hæc est duplex. Vna est religiosorum, qua quis seipsum abdicat & subjicit, ita vt etiam non habeat seipsum, sed subsit alterius voluntati, & etiam omnia temporalia contemnit, & de hac nihil ad præsens.

Secunda est paupertas spiritualis, quando quis inter bona temporalia existẽs, ita scilicet vt pro acquirendis eis nũquam seipsum vellet auferre à Deo, sed semper humilis existens, neque seipsum neque sua aliquid esse existimat, nec esse se aliquid nisi quantum dona Dei sibi data ponderantur. Et hoc modo Reges & Principes pauperes esse debent. Sic erat Abrahã Rex Damasci, vt dicit Iosephus lib. de antiquit. qui tantas opes habebat vt cum fratre suo Loth eum terra capere non posset, & tamen loquens ad Dominum, dicebat: *Loquar ad Dominum meum cum sim puluis & cinis.* Gen. 18. Super quo Gregor. Quid enim sua existimabat, cum se puluerem & cinerem esse dicebat? Sic Dauid Rex opulentissimus qui dicebat: Inclina Domine aurem tuam, exaudi me, quoniã inops & pauper sum ego. Inter enim opes potest quis esse pauper, qui non eas appreciatur nisi ad necessitatem. Ps. *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Psal. 61. Vnde Reges & principes thesaurizare possunt pro futuris necessitatibus regni, & parentes iubentur thesaurizare filijs. Ne forte (vt dicit Guillelmus Parisiens. lib. de fide & legibus 2. Cor. 12

gibus) vxores eorum & liberi ægestate compulsi furentur, & blasphement, & *Prou. 30* periurent nomen Dei, vt dicitur: Non enim homo existens in aqua vsque ad collum periclitatur, sed si solum caput mergeretur, reliqua corporis parte intacta ab aqua, submergeretur. Sic homo si affluat diuitijs, dummodo cor non apponatur, non est malũ. Cor autem eis nõ apponere, est quando quis propter diuitias non extollitur, nec se aliquid reputat, nec propter eas acquirendas aut conseruandas perdit Deum. Secundum ar- *Matth. 5* restum. Matth. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Ac si dicat Dominus: Mũdus prædicat vindicatiuos homines, vt Aiacem, Vlixem, & Achillem, qui portare non potuerunt iniurias, sed feliciter se vindicauerunt, quod beati sunt. Nolite *Iob 9.* hoc prædicare, sed prædicate: *Beati mites,* & benigni, id est bene igniti & inflammati, *quoniam ipsi possidebunt terram.* Et si C dicatur: quod *terra data est in manus impij.* *Terra triplex.* Non ergo eam obtinent viri beati. Respondetur. Triplex est terra. Quædam est terra mortuorum, quæ est terra inferni, *Iob 10.* de qua Iob: *Antequam vadam & non reuertar, ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine, terram miseriæ & tenebrarum,* &c. Et istam soli impij obtinent, & dicitur in *Psal. 87.* Psalm. *Terra obliuionis,* quia ibi ponuntur quasi in prisione oublieta, seu in carcere obliuionis filij qui obliuiscuntur parentum suorum mortuorum & testamentorum eorum. Secunda terra est morientium, & hæc possidetur à malis & à bonis, plus tamen à malis iusto Dei iudicio, quia hic recipiunt mercedem suam, si qua bona opera gesserunt. Et propter hoc Aristoteles 12. Metaphicor. voluit, quod Deus circa hæc inferiora (sub Luna nihil intelligeret, videns quod mali vt plurimum dominarentur. Rex enim iustus non pateretur in regno suo tyrannos præsidere, quanto minus rex cælestis, quæ est totius bonitatis fons & origo.

Quam opinionem sequutus est Tullius, & à qua opinione descendit error Manichæorum, dicentium inferiora hæc creari & dirigi à spiritu maligno. Alia est terra quæ calcat, scilicet terra corporis nostri, & ista vix possidetur à malis, qui passione reguntur, & non possunt esse sui compotes & Domini, nec non possunt linguam suam, cor, aut manus frenare.

Talis erat Alexander Macedo, qui cum omnia sub potestate haberet, seipsum non habuit. Vnde Anticlaudianus. Tunc omnia iure tenebis, cum poteris rex esse tui. Prouer. *Melior est patiens viro* *Prou. 16* *fortis, & qui dominatur animo suo expugnatore vrbium.* Tertia terra est viuentium, de qua Psal. *Credo videre bona Domini, in terra* *Psal. 26.* *viuentium,* ita vt rex Dauid paratus esset pro illa istam relinquere, dicens: *Portio* *Psal. 49* *mea Domine sit in terra viuentium,* & hac soli mites possidebunt, de qua Saluator: *Beati mites,* &c.

Tertium arrestum. *Beati qui lugent quo-* *Matt 5.* *niam ipsi consolabuntur.* Ac si diceret. Nolite prædicare gaudissores & qui ducunt in bonis dies suos esse felices, nec qui rident & assidue iocantur, totam suam hic habentes consolationem, sed prædicate. *Beati qui lugent.* Et si dicatur, oporteret ergo, quod homo semper lugeret, & nunquam rideret, cum tamen sit natura risibilis sicut flebilis. Respondetur quod D duplex est risus, scilicet risus pro vo- *Risus duplex.* luptatibus sæculi huius, & iste si non sit moderatus est periculosus: Prou. *Extrema enim gaudij luctus occupat.* Ideo de- *Prou. 14* bet misceri luctui sicut vinum aquæ, vt suadit sapiens: *Risus* (inquit) *dolore miscebitur.* Alius est risus pro bono opere. Vnde Sara audiens se senem habituram filium, risit in corde suo, & hic risus est bonus quando quis gaudet de suis bonis aut alterius operibus. Dico quod secundum vulgare, *en tous pais toutes guises,* id est in diuersis patrijs diuersæ consuetudines. Aliter enim vtuntur in hoc sæculo, in Paradiso, & in inferno, quia in Paradiso qui vult consedere ad mensam

ſam Dei oportet primo ſoluere ſymbolum, quod eſt pati & lugere, ſicut Iob: Iob 3. *Antequam comedam ſuſpiro*, & diſcipuli quibus Dominus ait: *vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis*, ecce ſymbolũ, Luc 22. & ſubditur: *Et ego diſpono vobis regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam*, ecce cõuiuium. In inferno vero primo ſedetur ad menſam, deinde ſoluitur ſymbolum, ſicut dicitur de quibuſdam illius patriæ. Iob 21. *Ducunt in bonis dies ſuos, & gaudent ad ſonitum tympani*, ecce quomodo ſedent ad Luc 16 menſam, *& in puncto ad inferna deſcendunt*, ecce ſymbolũ. Sic diues epulabatur quotidie ſplendide, & ſepultus eſt in inferIbidem. no. Propterea Dominus, *Væ vobis qui ridetis*, ecce menſam, *quia flebitis vos*, ecce ſymbolum. In hac autem vita ſimul ſedetur ad menſam, & ſoluitur ſymbolum. Vnde Eccl. 11. ſapiens ait: *In die bonorum ne immemor ſis malorum*. Luctus enim cantilena eſt naturalis omnium, hoc eſt carmen, quod primo docuit natura egrediendo de vtero matris, quod rex Salomõ ſe ceciniſſe gauSap. 7. det. *Primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans*. Et ſolum vnus, ſcilicet Zoroaſtes, alio nomine dictus Chus primogenitus, Cham filij Noë, egrediens de vtero matris riſiſſe dicitur quaſi monſtrum in natura, qui poſtea artes magicas, & diuinationes, & dæmonum inuocationes adinuenit, turpiter tandem occiſus. Cum igitur in horto noſtro creſcat materia luctus, ſcilicet peccatorum, & miſeriarum, & tentationum multitudo, lugeamus, vt inde conſolemur. quia beati qui lugent. Quartum arreſtum. Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabũtur. Ac ſi diceret: Mundus prædicat eos felices, qui omnia ad libitum ordinant, quibus eſt pro ratione & iuſtitia voluntas, nolite hoc prædicare, ſed dicite: Beati qui eſuriunt, &c. Et ſi dicatur: Scriptum Eccl. 24. eſt Eccl. *Qui edunt me*, ſcilicet iuſtitiam, *adhuc eſurient*, quomodo ergo ſaturabuntur. Reſpondetur. Primo, quod eſuries iuſtitiæ eſt appetitus iuſtitiæ in ſe & in proximo ſuo ardens ſuper ſalutem animarum & recta communicatione. Vnde

E *Iuſtitia eſuries quid ſit.*

Bernardus: Iuſtus nunquam dicit ſufficit, ſed ſemper eſurit, ſititque iuſtitiam, vt ſi ſemper viueret, quantum in ſe eſt, iuſtior eſſe contenderet: *Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc*. Apo. 22. Dicitur ſecundo, quod aliqui ſunt qui eſuriunt iuſtitiam, ſed non faciunt, quia eam facere non poſſunt, cogẽtibus tyrannis ad oppoſitum. Et iſti ſaturabuntur in futurum, quando flagellum tradetur in manus eorum, ad proiiciendum in ignem æternum. Pſal. *Et dominabuntur eorum iuſti in matutino*, Pſal 48. quando veniet mane illud in quo reuelabuntur abſcondita cordis. Alij ſunt qui non eſuriũt facere iuſtitiam, & tamen faciunt, quia libenter aliter facerent, non poſſunt iuſtis conſiliarijs cogentibus ad oppoſitum, vel ipſo iure parenti vel ſuperiorum terrore coacti. Alij ſunt qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, & eam faciunt, qui in fine liberabuntur à calumnia malorum, iuxta illud Pſalm. *Feci iudicium & iuſtitiam, non tradas me calumniantibus me*. Pſal. 118 Alij ſunt qui nec eſuriunt nec faciunt, & iſti grauiter infirmantur, qui carent appetitu cibi. Signum enim ſanitatis eſt bonus cibi appetitus. Iuſtitia nempe populi cibus erat Chriſti, de quo ipſe ait Ioan. *Cibus meus eſt, vt faciam voluntatem patris mei*. Ioan. 4. Voluntas autem de iuſtitia eſt. Beati igitur qui eſuriunt cibum illum, ſcilicet iuſtitiã. Quintum arreſtũ. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*. Matth. 5 Ac ſi diceret Dominus. Crudeles & tyrannos, vt Herculem & Alexandrum, felices prædicat mundus, vos autem nõ ſic ſed dicite, beati miſericordes, &c. Miſericordia autẽ duplex eſt. Prima eſt ad ſeipſum. Secunda ad proximum. De prima. Eccl. *Miſerere animæ tuæ placens Deo*, Eccl. 30. quia ſi non placeas Deo, in futurum nõ placebis tibi ſed diſplicebis, quando igne gehennę torqueberis. Multi enim ſunt ſimiles illi, qui cum teſtamentũ diſponeret, & multa daret ſeruis, & ancillis, & parẽtibus, & concludere vellet teſtamentum, dixit ei ſacerdos, Et quid pro anima tua? tu mihil

F *Miſericordia duplex eſt.*

hil pro ea disponis. Respondit, in veritate ego eius immemor erã. Et ita secundum Aug. iusto Dei iudicio contingit, vt in morte obliuiscatur sui, qui dum viueret oblitus est Dei. Secũda misericordia, quæ est ad proximũ, est duplex. Vna corporalis, qua temporalia dantur pro æternis, iuxta illud Prou. *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis.* Sed multi sunt qui faciunt misericordiã, sicut asinus qui cõmuniter mittit vrinam in aqua & non in arido, similes cuidam ioculatori, qui cũ testamentum suum conderet, vrsum suũ & capram, cæteramque paruam suppellectilem primoribus de ciuitate derelinquebat, & nihil pauperibus. Interrogatus cur hoc faceret, respondit se in hoc imitari Deum, qui omnia dat diuitibus & nihil pauperibus. Quod tamen non est verum, quia sicut dicit Psal. *Non in finem obliuio erit pauperis, patientia pauperũ non peribit in finem,* quia Deus est sicut largitor magnæ donationis, qui nimiũ auidis in principio dat pauca, & expectantibus in fine dat multa. Alia est misericordia spiritualis, qua quis miseriæ alterius cõpatitur ipsum consolando, vel erudit alterũ ipsum ad viã iustitiæ dirigendo, vel quãdo alteri parcit iniurias remittẽdo. Et talis est valde bonus mercator, qui de re quę nihil omnino valet, scilicet de iniurijs cõlucratur vitam æternã, & de alterius cõstituit sibi omnium peccatorum suorum medicinam, quia dicit Dominus, dimittite, & dimittetur vobis, quia misericordia misericordiam subsequitur. Inde Dominus, beati misericordes, &c. Sextum arrestum. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Ac si diceret Dominus discipulis. Iouem & Saturnum, Martem & Venerem beatificauit mundus, qui in turpitudine vitæ suę gloriabantur. Vos autem non sic, sed prędicate. *Beati mũdo corde,* &c. Mundi corde sunt quorũ cor terrenis nõ hæret, quia si terræ hæreret, putresceret. De ligno enim cuius cor mundũ est, & non putrefactũ, fit ędificium. Aues ignobiles, vt miluus, & bubo quærunt prædã in terra, sed aues nobiles, vt aquila, & falco quærunt in alto. Accedat ergo homo ad cor altum, & nobile, & exaltabitur Deus, vt videat illũ, & apprehendat tanquam prędã suam. Sint nobiles saltẽ sicut aues, quas tenent per getia, quæ dant eis cor de pręda, tanquã morsellũ nobiliorẽ, & meliorem, & magis nutritiuũ, licet sit duræ digestionis, vt dicit Plinius, tamen Deus cui datur, habet optimã, & fortem degestiuam ad conuertendũ illud in mẽbra. Sed multi nobiles non habẽt cor succumbẽtes primę tẽtationi, & ad primum certaminis ictũ fugiẽtes, in manus inimicorũ se tradunt. Exemplũ ad hoc de vulpe, leone & ceruo nõ habẽt cor secũdum opinionẽ vulpis. Fabula enim est leonem dum infirmaretur citasse omnia animalia ad comparendũ coram eo, & multis recusantibus venire, quidã miser ceruus accessit ad speluncã leonis. Quem intuens leo dedit ei talẽ benedictionẽ pede suo, quod prostrauit eũ, & occidit. Assistentique vulpi præcepit, vt exenteraret ceruũ, & daret sibi cor illius ad reuelandũ infirmitatem suã. At vulpes exenterato ceruo inuenit cor valde pingue, & ideo comedit ipsum, persuadereque voluit leoni ceruũ non habuisse cor. Cum autẽ super hoc miraretur leo, ait vulpes. Noli mirari de hac re, quoniam si habuisset cor, cõsilium, prudẽtiam, & animũ, non venisset ad te, nec se tradidisset inimico suo, scilicet tibi, & non sic miserabiliter perijsset. Sed quia ad primũ edictũ tuum timuit, & cessit timori veniendo ad te, vbi tamẽ alias non potuisses ei nocere, signum est, quod non habebat cor. Sic est de his quĩ pirmæ tentationi cedentes, diabolicæ potestati se subdũt. Nihil enim est, quod nõ possit cor hominis, etiam ipsum cõtingeret cælũ si inaltetur, & turrificetur. Scripsit enim Alexander Macedo Aristoteli interrogans quid agere posset contra ciuitatem quandã opulentissimã, & munutissimam, si videlicet cõstrueret turres altas, quia alta erant mœnia ciuitatis, nec tunc erãt machinæ, & tormẽta sicut nũc.

Prou. 19

Psal. 9.

Matth. 5

G Mundi corde qui sunt.

Cui Aristot. Noli (inquit) turres altas cōtra mœnia alta erigere, sed solū corda hominum Altiora enim sunt corda hominū omnibus mœnibus ciuitatum, ita vt cælū contingere possent. Septimum arrestum,
Matt. 5. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Ac si diceret. Viri bellicosi, vt Troianus Hector, & Iulius Cæsar propter bellorū victorias felices à mundo prædicati sunt, non sic prædicate, sed dicite: Beati pacifici, &c. Est autem triplex pax. Est pax tēporis, pax pectoris, & pax æternitatis.
H Pax triplex.
Prima multis obest, aliquibus etiam prodest, quia cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis. Plures enim tēpore prosperitatis ruunt in peccatum, quam aduersitatis tempore, in quo ad Deum flagellati reuertuntur, vbi impinguati & incrassati diuitijs, & delitijs Dei
Deut. 32 obliuiscuntur. *Incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum.* Falco saturatus non redit ad manum Domini sui, vbi famelicus redit. Hæc pax paucum durat. Vnde S. Ezechias audiens omnia pretiosa Hierusalem, deducenda in Baby-
4. Re 20 loniam orat Dominum dicens: *Sit tamen pax in diebus meis*, & Ecclesia canit, da pacem Domine in diebus nostris. Neque enim continuam quærit, quia scit illam continuam non posset obtinere. Nam pro varijs meritis, & demeritis populi varia succedunt iudicia Dei. Secunda pax, scilicet pectoris, virtus est, & meritum. Ista est pax conscientiæ, in qua debet esse cuiuslibet Christiani gloria, habere scilicet pacem cum Deo, cum seipso, & proximo, & si cum se ipso habeat, cum reliquis
Psal 44. habet, de qua Psal. *Omnis gloria filiæ regis ab intus*, scilicet à conscientia. Hinc Cor. di-
2 Cor. 1 citur: *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.* Et vt ostenderet quantum ista sit appetenda, & quam necessaria sa
Ioan 14 luti ait Ioan. *Pacem relinquo vobis*, id est, quasdam reliquias pacis, non perfectam, nec diu mansuram pacem, ideo non addit pacem meam relinquo vobis, sed pacem, quia communiter pax patitur furta, latrocinia, aliqua homicidia, & pugillum duella. Pax autē pectoris secum patitur tentationes, ocia, venialia peccata, & quandoque mortalia, à quibus dejicitur homo, sed illico ad honorē suū per pœnitentiā resurgit. Delicatus enim per quodcunque tempus vix spinam tolerare potest in pede quin clamet. Sic delicata conscientia in affectu qui est pes animæ, vix spinam peccati tolerare potest, quin immediate clamet per confessionem. Vnde subdit postquam dixit: pacem relinquo vobis, scilicet temporalem, *pacem meam do vobis*, scilicet pacem æternitatis, de qua Psal 4.
Psalm. *In pace in idipsum dormiā, & requiescam.* In pace dormit, qui pacem pectoris habet, & in eo dormit Christus, quia in pace factus est locus eius, sed in idipsum requiescunt qui in pace æterna dormiunt. In idipsum enim bursa est cōmunis cœlestis Hierusalem, in qua omne bonū, iuxta illud, cuius participatio eius in idipsum. In idipsum enim tria nomina continet in vnum nomen, quia essentia diuina in tribus personis est, à qua omne bonum superius & inferius deriuatur. Bene enim dormit, qui bonam bursam plena auro & argento habet, sic iustus, qui dicit, in pace in idipsum dormiam. Prima pax est bonorum & malorum. Secunda est ministrorum Dei. Tertia vero filiorum Dei, de qua: Beati pacifici, quoniam filij Dei, &c. Octauum arrestum.
*Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Ac Matt 5.
si diceret Dominus Discipulis. Mundus eos prædicat felices qui nihil mali patiūtur, sed omnia ad nutum eis contingunt, felicitatem hanc temporalem pro beatitudine iudicantes, quos fallit error Crœsi regis Lidorum qui credere noluit sapienti Soloni. Cum enim visitasset eum Solō ostendit illi Crœsus omnes opes, delitias, & gloriam suam, & cum quæsiuisset ab eo si esset felicior illo in mundo, respondit Solon hominem non debere iudicari felicem, nisi ex extremis eius, qui miseranda fuerunt in eo, quia pulsus à Cyro Rege Persarum, & regno Lido-

rum

rum priuatus, postea in magnis periculis & miserijs vixit, vt recitat Herodotus. Sed Dominus non vult illos prædicari felices, sed iubet quod prædicetur. Beati qui persecutionem patiuntur, &c. Et non sine causa, quia illi multa sustinuerunt pro iustitia. Iustum est ergo, quod iustitia pro eis concludat regnum cælorum. Præterea scriptum est, quod in regnum cęlorum nihil intrabit coinquinatum. Cum igitur isti per ignē tribulationis purgētur quasi aurum in fornace, quare non intrabunt in regnum cęlorum? Fecerunt enim mali talibus barbam, & totunderunt pillos, id est superflua eorum, vt apparerent pulchri socij in festo omnium Sanctorū. Præterea via tribulationis, est via trita illius ciuitatis, quia vt dicit Saluator: *Arcta est via quæ ducit ad vitam.* Et Seneca: Non est ad astra mollis è terris via. Quia ergo isti qui persecutionem passi sunt, viam ciuitatis ambulauerunt, non mirum est si ipsorum est regnum cælorum, quod nobis concedat, &c.

Apo. 21

Matt 7.

DE EODEM FESTO SER. II. *& in ord. LXXVI. Per The. præcedens. Salutant vos omnes Sancti.*

A Sancti in cælo, salutant nos, hoc est desiderant salutem nostram.

QVæritur quomodo nos salutant omnes Sancti, qui incessabili voce proclamant, sanctus, sanctus, sanctus. Si semper est ille clamor in ore eorū, quomodo nos salutant. Pręterea quomodo nos salutarent Sancti, qui sunt ita remoti à nobis. Non enim agnitus est, qui redeat à cælis ad hoc faciendum. Respōdetur primo quod incessabili voce proclamant sanctus, &c. quia nullus fit ibi sermo nisi de sanctitate, non de turpitudine, de gloriosa Trinitate, & quæ pertinent ad laudem eius, nec fatigatur in laudando quibus laus est recreatio & consolatio. Hic fatigantur homines propter paucitatem cantorum, vel propter indeuotionem & segnitiem, ibi vna vox lætātium, & vnus ardor cordium. Secundo dico quod lingua cordis, de qua Psal. *Sed & lingua mea meditabitur iustitiā tuam*, toto die laudem tuam, lingua enim oris non meditabitur, illa inquam lingua clamando sanctus salutat nos, id est salutem desiderat. Desiderat enim laudem Dei quæ est in multitudine saluandorum, nec propterea minus intendit nobis cū intendit Deo. Sicut enim S. Thomas cum comedebat lampidam intendebat Deo, & etiā corpori suo pascendo ipsum, sic Sancti, & Deo, & corpori suo mystico intendunt semper, nec propterea impediuntur. Dicitur tertio, quod tribus modis quis aliū salutat. Primo per nuncium. Sic mādauit Dominus salutes Iacob per Gabrielē, scilicet Mariæ. Sic per Sanctos salutat vos, sic per Paulum cuius conuersatio erat in cælis, dicendo salutant vos omnes Sancti. Carne enim sunt in terris mente in cælis. Bern. O beata patria video te, sed intrare non possum retētus carne. Secūdo modo per literas, & hoc modo per doctrinam Sanctorum nobis dimissam nos salutāt, & salutem nostram procurāt. Dicunt enim Logici, quod Homerus viuit vt Poēta, quia in sua poēsi adhuc viuit, eo quod mens eius ibi cernitur. Sic Sancti in suis scriptis adhuc nobis loquūtur & viuunt. Tertio modo per præsentiam, & sic licet Sancti in anima nō sint nobis præsentes, tamen præsentia sunt nobis eorū merita, præsentes sunt suis orationibus & suffragijs, præsentes sunt etiam in suis corporibus, in quibus victoriam habuerunt de inimicis, quæ nobis tanquā pignora reliquerunt, & ita nos salutant Sancti. Et singulariter salutat nos filios suos pijssima parens. Male enim gratiosa esset domina, quæ sæpe salutaretur, & nō salutaret. Sic illam sæpe salutamus, & ideo non dubitemus quin nos resalutabit. Continuantes ergo salutationem dicemus Aue, &c.

Duplices sunt Sancti. Quidā sunt Sācti huius sæculi, quorum quilibet dicere potest. *Custodi animā meam quoniam sanctus sum*, & rursu: *Cū Sācto sanctus eris.* Alij vero sunt Sācti qui iam sunt in cælo. Qui multipliciter differūt. Nā primi licet sint in gratia Dei, & prædestinati ad gloriam, nō tamē

B Sancti duplices. Psal. 27. Psal. 17.

sunt securi, ideo eis dicebatur heri in introitu missæ, timete Dominum omnes Sancti eius, de alijs vero dicitur: *Perfecta charitas foras mittit timorem*, & sunt in securitate perpetua, & continuo lætantur, ideo cantatur eis, gaudeamus. Oportet enim festinare personas secundum statũ suum, & secundum quod eas decet. Secunda differentia est, quia Sancti in hoc mundo non se sciunt dignos gloria, nec sciunt numerum meritorum aut excellẽtiam. *Nemo scit an odio vel amore dignus sit.* solus autẽ Christus cognoscit hoc. Chrysostom. Sicut enim homo intelligit quod membrum habeat honorabile in corpore suo, & quod inhonestum, vnumquodque autem membrum non seipsum cognoscit si honorabile sit aut contemptibilius. Alioquin, & quæ honorabilia sunt superbirent, & quæ inhonorabiliora tristarentur, & per hoc fieret inter ea scissura. Sic differentiam inter sanctum, & sanctum, solus Christus cognoscit, cuius mẽbra omnes sumus. Ipsis autẽ sanctis non est concessum, vt cognoscãt differentiam suam ad inuicem, ne meliores superbiant, & deteriores contra meliores tristentur, & per hoc soluta charitate discordia inter eos nascatur. Sancti vero, qui sunt in alio sæculo cognoscunt sua merita, & suam excellentiam, qua digni sunt, & qua iustũ est eos honorari, quia Hier. *Omnes cognoscent me à minimo vsque ad maximum*, scilicet in cœlo, & per consequens seipsos poterunt cognoscere. Isti autem omnes procurant salutem nostrã. Primi quidem, quia sine ipsis non viueremus, imo finiretur mundus, vnde Chrys. Sicut enim quamdiu medulla in arbore fuerit sana semper floret, cum autem percomesta fuerit, tota paulatim marcescendo siccatur, sic quamdiu sunt fideles, stat iste mundus. Exemplum de Noe & Loth, quorum primus dum cõuersaretur cum cæteris hominibus non fuit factum diluuium, sed ipso separato, & posito in arca. Alter vero quamdiu fuit apud Sodomam ipsa non perijt, sed post recessum eius.

1 Ioan. 4.

Eccl 9

Hier. 31

Quandiu etiam fuerunt Israelitæ cum Ægyptijs, nõ perijt Pharao cum suo exercitu, sed solum postquam recesserunt. Inde dicebat Apostolus: *Quibus dignus non erat mundus*, id est, quorum comparatione licet sint pauci, non est reputanda multitudo malorum. Chrysost. homil. 27. Heb. Sicut decem millia pondera palearũ, vel fœni in comparationem decem margaritarum digna non essent, sic neque illi. Melior est enim (inquit) vnus faciens voluntatem Dei, quam decem millia iniqui. Et ideo illi sunt necessarij pro salute, non nostra tamen, sed totius mundi. Alij vero qui iam sunt in statu æternæ felicitatis, non solum ad preces eorum subsistimus, sed etiam querimonias nostras offerunt Deo, aliter quam domini de curia. Quod si in ciuilibus causis nulla periculosior, quam cũ de salute corporis agitur, quanto magis nulla periculosior, quam cũ de salute aut perditione animæ, & corporis agitur. Et quia quotidie in illo superiori parlamento agitur de causa nostrę salutis, de periculo corporis & animæ, multum solliciti esse debemus pro nobis, multum debemus rogare Sanctos, vt sint pro nobis in patrocinium illi causæ. Et certe ipsi pro nobis sunt solliciti. Inde Paulus sciẽs eorum desiderium mandat vobis, salutant vos omnes Sancti. Sed dices: Si salutant nos omnes Sancti, quid ergo cum salute nobis noui afferunt? Dicitur, quod longo tempore fuimus sine prouisione, mandant nobis bona noua quod lucrati sumus processum nostrum, & quod optimam habemus prouisionem super hæreditate nostra cælesti, & circa hoc habemus octo arresta regis cælestis ore prolata. Et propterea, quæ priori sermone dicta sunt, vt melius possimus demonstrare processum, deducemus postulationes in oppositas partes, & fundabimus allegationes vtriusque partis. Pro primi expeditione videtur, quod diuitibus debeatur regnum cælorum. Primo ipse Dominus testatus est. *Quod omni habẽti dabitur, & abundans abundabit*, igitur cum diuites

Heb. 11.

C

Nota.
Mat. 25.

diuites soli sint abundantes, soli diuites habebunt regnum. Præterea: *Dominus non subjicit potentes, cum ipse sit potens.* Si igitur non abjiciat à se, retinebit eos ad se, & regnum suum. Præterea ita practicatum est quod Sancti Patriarchæ fuerunt diuites, igitur. Præterea secundum Poëtam, asperius nihil est humili cum surgit in altum, sed nihil asperum aut malum intrabit in illam ciuitatem. Igitur pauper non intrabit ibi. Præterea diuitiæ sunt organa felicitatis, vt dicit Aristot. 1. Ethic. 1. instrumenta ad habẽdam felicitatem. Quis ergo habebit magis regnum cælorum quam diues, qui habet hæc instrumenta? Præterea ad perueniendum ad regnum, necesse est multos amicos habere, vel multa vti potentia, pauperes autem non habent de quibus, neque potentiam igitur non peruenient ad regnum cælorum. Si igitur diues habet media acquirendi, scilicet diuitias, & assimilatur Deo magis quam pauper, & iam arrestum Dei pro ipso, quod habenti dabitur, patet quod triplici iure debet habere regnum cælorum. Pro parte opposita est arrestum in curia Dei. *Quod facilius est camelum transire per foramen acus, quam diuitem intrare in regnum cælorum,* sed impossibile est camelum transire per foramen acus: igitur. Præterea Eccl. *Si fueris diues, non eris immunis à delicto,* sed nihil habens delictum, intrabit in illam ciuitatem, igitur neque diues. Item Psal. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Item. *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* Item Psal. *Diuites eguerunt & esurierunt.* Super hoc curia dicet opinionem. Processu posito super burellum, dicat Paulus Tim. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum & tentationem diaboli,* & hoc propter auaritiam. Sed iam dixi Cor. quod *Auari rapaces, & idolis seruientes, regnum Dei non possidebunt,* quare concludo, &c. Dicat deinde Iacobus Minor, dicet, quod non est mutanda electio Dei, sed ego dixi in Canonic. 2. cap. *Elegit Deus pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se.* Et rationem assigno huius electionis. Nã: *Diuites opprimunt vos, & trahunt vos ad iudicia.* Dicat & Esa. *Pauperum suorum miserebitur,* nihil habuerunt in hoc mundo, ideo oportet, quod aliquid habeant in cælo. Dicat & Salomon antiquior. *Quid amplius habet pauper, nisi vt pergat illuc vbi est vita?* id est ad regnum cælorum, quia non potest minus habere, cum hic nihil habeat. Veniat & Dauid pater eius, & dicat: Respondebit certe, *Ecce ipsi peccatores & abundantes in sæculo, obtinuerunt diuitias,* sed Dei consequenter, *Deiecisti eos dum alleuarentur,* & alibi dixi: *Quod præuaricatores quasi spinæ euellentur,* quæ non tolluntur manibus, à regno scilicet & societate Dei, igitur. Item dicit, quod hoc videatur, & inuenietur in testamento suo in prima clausula. Psal. *Animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem. Respice in testamentum tuum, quia repleti sunt, qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum,* & sequitur: *Ne auertatur humilis factus confusus,* id est noli facere confusionem pauperi humiliato, quia tales scilicet, *Pauper & inops laudabunt nomen tuum Domine,* non superbus diues. Dicat, & Abraham. Certe hæc est antiqua practica. Habui enim duos filios circa quos hoc est practicatum, vnum diuitem, & alium pauperem, & scio quod in inferno ita à me decretum est, & sententia Dei firmatum. Tu recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. Sed mulieres dicentne opinionem? Certe sunt in consilio appellatæ. Dicat Anna mater Samuelis, *dicit: Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat & sublevat. Suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem, vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat.* Dicat Maria cuius opinio est mirabilis, & tenebitur. Certe *Diuites dimisit inanes.* Et conformiter ad eius, opinionem præsidens in curia Christus Dominus sedebo in mõte perfectionis, quia prædicator & præses ita debent esse, aperuit os suum pronuncians arrestum. *Beati pauperes spiritu,*

Iob 36. Apo. vl. Mat 19. Eccl 11. Psal. 75. Psal. 67. Psal. 33. 1. Tim 6 2. Cor. 6 Iac. 2. Esai. 49. Eccl. 6. Psal. 72. 2. Re 23 Psal. 73. Luc. 16. 1 Regis Luc 1.

*ritu*,&c, Ex quo ſequitur, quod perdũt diuites cauſam ſuam non obſtantibus allegationibus ſuis, quãuis hic communiter lucrentur. Certe *mirabilia opera tua Domine, nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ*, ſed videtur, quod defectus eſt quod perdũt cauſam ſuam diuites, quia nõ habent ibi (in cælo videlicet) amicos, vbi tamen in hoc mundo multos habent. Pſal. 19.

F Pauper habet cælum hic. Sed non videtur quomodo pauperes habeant regnum cœlorum, cum non habeant neque recredentiam neque poſſeſſionem. Imo continue plebiſcitant de eo. Diabolus enim accuſator fratrũ noſtrorum accuſat eos die ac nocte. Dicitur primo, quod per prouiſionẽ habẽt, quia aliquid eius habẽt ſcilicet ſecuritatem conſcientiæ. *Secura mẽs quaſi iuge cõuiuium*, & & puritatẽ eius gratiã quæ eſt ara, virtutes, & opera bona. Dicitur ſecundo, quod pauper habet poſſeſſionem quia adiudicata eſt ſibi per hoc arreſtũ poſſeſſio regni cœleſtis. Sed quia adhuc ſub tutoribus ſumus, & paruuli, ſub tutoribus quidem Angelis, & prælatis. *Quãdiu hæres paruulus eſt nihil differt à ſeruo, cum ſit Dominus omniũ*, ideo pater noſter cœleſtis ſeruat nobis eã. Et quia adhuc eſt nimis paruus, nec habet os, id eſt, capacitatem de tanto morſello accipiendo, ideo adhuc nõ ſaturatur pauper, quamuis ipſius ſit regnum cœlorũ, & iam pauperes habẽt aliquid, quia omnes domus Dei ſpectant ad pauperes, ita quod ſi in eis reciperentur diuites, & comederent quod pauperũ eſt, eis fieret iniuria. Dicitur tertio quod non ſemper arreſtũ immediate demãdatur executioni, ſed expectatur opportunitas. Firmum eſt igitur arreſtum poſt hãc vitã exequẽdum, beati pauperes ſpiritu, quoniã ipſorum eſt regnum cœlorum tanquam viris regibus debitum. Vnde Aſtrologi dicũt, quod nati ſub maxima coniunctione Saturni, & Iouis erunt diuites, & reges. Sic pauperes ſpiritu nati ſub illa maxima coniunctione antea diuinitatis, & humanitatis, quia antea non reputabatur paupertas, facti ſunt reges. Imo (vt dicũt ſancti) mos eſt in curia regni cœleſtis, quod qui vult eam ingredi, opus quod ſit pauper ſpiritu. Secundo ſunt mites, qui ſunt non vindicatiui, & benigni contra ſuperbos, iracũdos, & vindicatiuos. Et videtur pro iracundis, & vindicatiuis quod debeant habere poſſeſſionẽ in terra. Primo per literas patentes, quia: *Terra data eſt in manus impÿ*. Et: *Abundant tabernacula prædonũ, & audacter prouocant Deũ, cũ omnia dederit in manus eorũ*. Et ita quod ſit allegabimus poſſeſſionem. Nam ab omni æuo ſemper mali poſſederunt terram, tyranni, & vindicatiui, vt patuit in omnibus regnis, & vidimus tẽporibus noſtris. Exemplũ eſt ad hoc de Lupo Agno, & Leone, quia iuxta fabulã dũ lupus argueretur à Leone, quod comediſſet oues, & agnos allegauit poſſeſſionem, & preſcriptionẽ omnium ſuorũ predeceſſorũ, & ſic fuit liber dimiſſus, & ad hoc eſt. *Oppreſſerunt pariter omnes manſuetos terræ*. Sed ad oppoſitũ arguitur. Nã regibus iubetur regnare propter pietatẽ, & mãſuetudinem, nec aliter ad proſperitatẽ deuenient. Sic enim ſcriptura, quæ fallere non poteſt dicit: *Intende, proſpere procede, & regna propter veritatẽ, & manſuetudinem, & iuſtitiam*. Et ſi alleges poſſeſſionem, ita & ego. Nam Moyſes regimen, & terram poſſedit, ſed de eo dicitur: *Erat Moyſes mitiſſimus hominum*. Similiter Dauid qui dicit, *Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius*, & de eo dicit Deus, *Inueni Dauid ſeruum meum, oleo ſancto meo vnxi eum*. Item Romani plus manſuetudine, quam rigore aut ſæuitia poſſederunt monarchiam mundi. Sicut enim magnes attrahit ferrũ, ſit mititas corda hominũ. Dicat ad hoc ſapientiſsimus Salomon. Dicet Eccl. *Sedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis*. Dicat Dauid, *Manſueti hæreditabunt terram*. Dicat & Maria. *Fecit potentiam, Deus pater in brachio ſuo*. Chriſto, & per eum, *diſperſit ſuperbos mente cordis ſui*, quia per duodecim manſuetos homines acquiſiuit ſibi totum mundũ, id eſt vindicatiuos. Quæ erit ergo concluſio? Certe

Prou. 15 · Gal. 4 · Iob 9. G · Nota. Iob 12 · Iob 24 · Pſal. 44 · Num 12 · Pſal. 131 · Pſal. 88 · Eccl 10 · Pſal. 36 · Luc 1

Matth 5 Certe conclusit Deus: *Beati mites, quoniam,*
Psal. 33 &c. *Audiant mansueti, & lætentur.* Sed dicet mansuetus, & nõ vindicatiuus. Quomodo ego potero lucrari causam meã? Sunt isti superbi, & vindicatiui, qui inueniunt tot cautelas, ego non possum me ab eis custodire. Sed non timebit, quia scriptũ
Psal. 24. est. *Diriget mansuetos in iudicio,* & ita mansueti semper lucrabuntur causam, scilicet difficultas est in modo procedẽdi, oportet ergo obseruare omnia foramina, & soluere omnes ambiguitates quas posset habere mãsuetus. Diceret enim vltra adhuc nesciã quomodo me habere in processu iudicij, ideo sequitur in præcedenti
Ibidem. Psal. *Docebit mites vias suas.* Sed nõ erit per seipsum certe per filiũ suum, ipsemet di-
Esai. 60. cit: *Ad annuntiandum mansuetu misit me.* Sed heu Domine, illi ita bene recipiuntur in iudicio, & audiũtur in hoc mundo. Non
Psal. 146 timeas, quia *suscipiens mansuetos Dominus, humilians autem peccatores vsque ad terram.* Sed dicet, vulgo dicitur, qui se facit ouem lupus illum comedit, & tales condẽnantur in hoc mundo. Respondetur, est ap-
Psal 75. pellatio cui defertur, quia Psal. *Cum exurgeret in iudicio Deus, vt saluos faceret omnes*
Psa. 149 *mansuetos terræ.* Et rursum: *Exaltabit mãsue-*
Esai. 11. *tos in salutem.* Et Esai. *Arguet in æquitate pro mansuetis terræ.* Sed dicet, turpe est pati iniuriam, & non se vindicare. Respondet,
Hier 11. ego tibi exemplũ ostendi. *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimã.* Sed dicet, verũ est, sed eras in basso statu, & humili, ego qui sum rex vel baro, non vindicabo
Zach. 9. me? Respõdet Propheta: *Ecce Rex tuus ve-*
Mat 11. *nit tibi mãsuetus.* Ideo ait Dominus: *Discite à*
H *me, quia mitis sum, & humilis corde.* Inde Pau. *Seruum Dei non oportet litigare, sed mãsuetum esse ad omnes.* Vnde in mititate duo sunt, sicut innuũtur in Ps. Quia postquã dictũ
Mititas duo habere debet
2 Tim 2 fuit. *Docebit mites vias suas,* subditur, *vni-*
Psal. 24 *uersæ viæ Dñi misericordia & veritas.* Primũ quidẽ est misericordia, vt parcat alijs si ei malefecerint. Vnde miser homo se suo
Psal. 36. penetrat gladio, quia *gladius eorum intret in corda ipsorũ.* Hoc fit quãdo gladius iræ penetrat cor eorũ, quia cum volũt alios destruere seipsos destruũt, & interficiũt, & arcus eorũ cõfringãtur. Arcus qui de lõge percutiunt, alios destruunt, quando destruũt per plebiscita, sed vt plurimũ seipsos destruunt alios destruẽdo. Isti multũ comparant infernũ, & multis expensis, & cum magnis rancoribus, vbi cũ dulcedine cordis, & verbo miserendi possent habuisse regnum cœlorum. Ideo cum videris malefacientem considera sicut vides volentem sylua ædificare nauem, qui lignum tortuosum respicit, vnde nauis construatur. Sic qui vult ædificare nauem virtutum, per quam ex hoc mari magno, & spacioso traducatur in cœlum, respiciat ad homines tortuosos, & iniuriosos, & eis compatiatur, & iniurias sibi vel suis factas libenter ferat, & sine dubio illud medium erit efficax ad perueniendum in cælum. Exemplum quo ad hoc habemus in Ioanne eleemosinario, & eius nepote. Nam cum nepos ille grauem à quodã tabernario iniuriã accepisset, & ipse conquestus fuisset Ioanni auunculo, pacificauit illũ Ioannes dicens se talem facturum iustitiam, vt inde Alexandria tota miraretur. Qui propterea reddens beneficium pro iniuria in admirationẽ totius Alexandriæ fecit prædictũ tabernariũ liberũ ab omni pensione, & tributo. Non enim si manus lędat oculũ, oportet ipsam euelli, nec si quis alium offendat, oportet ipsum exterminari, nec etiam si lædatur oculus, scilicet rationis siue moueatur per iniuriæ illationem, oportet illum totaliter extingui, sic quod homo solam vindictam exigat. Secundo, in mititate debet inueniri veritas, vt si quis iniuriam fecerit, faciat quod iustum est. Sed modo multi sunt austeri alijs, & non sibi, seruantes modum obseruari solitum in processionibus. In processione enim minores portant Crucem, sed maiores dedignantur.

Sic modo maiores alios onerãt alligan- I
tes onera grauia alijs, quæ digito suo no- Nota.
lunt mouere. Tertio arguitur pro ridentibus, & gaudissoribus, quia Salomon ait.

Animus

Prou. 17 *Animus gaudens ætatem floridam facit*, & dicitur: *Non pertranseat flos temporis nostri*, igitur semper debemus gaudere, & nunquã tristari. Secundo ad idem argumentum. *Cor gaudens exhilarat faciẽ, spiritus tristis exiccat ossa*, sed non debet homo se interficere, ergo non debet tristari, sed semper gaudere, & sic semper habebit consolationem. Item: *Laudaui lætitiam, quod nõ esset homini bonum sub sole nisi quod comederet, & biberet, & gauderet*. Similiter Apostolus: *Gaudete cum gaudentibus*, sed semper inueniuntur gaudentes, igitur semper est cũ eis gaudendum. Præterea non videtur apud logicos, quod ex opposito sequatur oppositum, sed manifeste luctus, & consolatio vel gaudium contrariantur, igitur. Item practica est ad hoc in curijs regum, vbi existentes chorizant, tripudiãt, & habent quod volunt, ibi est gaudium, & vt dicit magister in quarto, luctus longe est ab his, & pœnitentia. Ad oppositum tamen arrestum est aliquando datũ à Deo. *Væ vobis, qui ridetis, quia flebitis vos*. Et ad hoc habemus legem scriptã regalẽ vel imperialem. Codice Psalmorum regis Dauid, paragrapho, in conuertendo, versu. *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent*. Dicat hic Lucas, Respondebit practicatum fuisse. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*. Dicat & Salomon: *Melius est ire ad domum luctus, quã ad domum conuiuij*, & *Extrema gaudij luctus occupat*. & *Tempus flendi, & tempus ridendi*, vbi præmittitur tempus flendi, in signũ quod nunc est tempus flendi, & post erit tempus ridendi, quia de muliere sapiente dictum est: *Ridebit in die nouissimo*. Dicat Esaias. Domine tu disposuisti in tua prouidentia, & promisisti consolationem hic lugentibus: Dixisti enim per me. *Spiritus Domini misit me, vt consolarer lugentes, & mederer contritos corde*. Dicat & Hieremias: *Conuertam luctum eorum in gaudium*. Accedat Dauid & dicat. Sic practicatum est in me secundum quod dixi Domino. *Conuertisti planctum meum in gaudium mihi*.

Esai. 2. / Prou. 15 / Eccl. 6. / Rom. 12 / Mat. 6. / Psa. 125 / Act. 5. / Eccl. 7. / Prou. 14 / Eccl. 3. / Prou. 31 / Esai. 61. / Hier. 31 / Psal. 29

Dicat etiam Hester, sic fuisse practicatum. Aiebat enim: *Cum oramus te conuerte luctum nostrum in gaudium*, & ita fecit Dominus. Fuit similiter practicatum tempore diluuij, quod qui tunc erant bibentes, & comedentes, & ridentes submersi sunt. Dicat & Iob. De huiusmodi ridentibus, *Gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, & in pũcto ad inferna descẽdunt*. Dicat & Maria, dicet statim, ego aliàs dixi filio meo sententiam meam. *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*, quasi diceret, consolationem illam æternam quæ es tu, non aliter quam dolentes quærebamus. Concludat igitur præsidẽs. *Beati qui lugent*, &c. Vnde verus luctus causatur ex timore peccatorum, quando timet homo ne cadat in peccatum vel ne sit in peccato: Væ enim securo peccatori. Vnde *Firmamentum est dominus timentibus eum, & testamentum ipsius, vt manifestetur illis*, scilicet in consolatione quæ semper superuenit, *Quia iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde*, sicut mater adest pueris quãdo flẽt. *Cum factum est diluuium, testamenta sæculi*, id est, promissiones cæli *reposita sunt apud illũ*, & istud ex dolore contritionis. O vbi sunt gaudissores. Vobis placent risus & conuiuia vsque ad oculum, custodite vos à lachrymis illius loci, vbi erit fletus, & stridor dentium. Qui toto anno non luget obliuiscitur lectionis quã à natura didicit. Mirabile certe est quomodo nos peccatis onusti, & præsentia Dei indigni, nihilominus nõ lugemus peccata nostra, vt illum pacificemus, sed temere audemus apparere in cõspectu illius, & omniũ dominorum curiæ cælestis cum fœditatibus nostris ridentes, vbi tamen non auderemus intrare curiam regis terreni, eo non parato, & in fædo habitu. Verendum est ne dicatur nobis quod cuidam. *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialẽ?* Certe sic ridentes, sumus similes illi de quo Guillelmus Parisien. qui ducebatur ridens ad patibulum, & vitulo saltanti dum occidendus ducitur ad macellum, & merito reprehendendi cum illo, quem immo-

Hest. 13 / Mat. 24 / Iob 21 / Luc. 2. / Mat. 5. / K / Luctus verus causatur ex timore peccatorum. / Psal. 24. / Psal. 33. / Eccl. 44. / Mat. 22

immoderatius ridentem in vitis patrum quidã eremita redarguit dicens. Coram cęlo, & terra reddituri sumus Deo rationem, & tu rides? Beati ergo qui lugent in hoc mundo, quoniam ipsi consolabuntur in futuro. Sed de quo? De euasione periculi secundum illud: *Torrentem pertransiuit anima nostra*, &c. de victoria hostis, de peccatorum remissione, de amantissima societate, de iustitia Dei iuxta dictum Psal. *Videbunt iusti, & super eum videbunt, & dicent. Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum*, & alibi, *Veruntamen oculis tuis tuis considerabis, & retributionem peccatorum videbis*, & rursum, *Lætabitur iustus cum viderit vindictam*, & de visione diuina, quãdo videbunt eum sicuti est, & illo fruentur. Quarto arguitur pro violatoribus, & infractoribus iustitiæ, & contra desiderantes iustitiam, quia Iesus Iosedech vir sapiens iudicauit de iustitia quasi quod esset aqua salsa. *Qui edũt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient*, non ergo tales saturabuntur, & iterum Dauid practicã adducit, quia esurientes, & sitientes: *anima eorum in ipsis defecit*, imo manifeste videtur, quod multi moriũtur antequã satiẽtur iustitia. In oppositũ arguitur quia illi violatores iustitiæ sunt peccatores, & illi, qui desiderant iustitiam sunt iusti & boni, desideriũ autem peccatorũ peribit, sed desiderium bonorum attulit eis Dominus, nõ sunt fraudati à desiderio suo, & iterum, desiderium pauperum exaudiuit Dominus. Item desiderantes iustitiam, sunt iusti, *sed desiderium suum iustis dabitur*, Sed per inquesta, & informationem inquiratur à Mathatia, & dicet quod *phinees zelando zelum Dei accepit testamentum sacerdotij æterni*. Dicat & Dauid. *Animam esurientem satiauit bonis*; Et iterum: *Collocauit illic esuriente, & constituerunt ciuitatem habitationis*; & iterum, non satiabuntur, *sed satiabor cum apparuerit gloria tua*, & rursus, *Dat escã esuriẽtibus*, imo alibi per testamẽtum, *escam dedit timentibus se*, quales sunt sunt esurientes iustitiam, qui se abstinent ab iniustitijs sicut à cibis suspectis, sequitur. *Memor erit in sæculum testamẽti sui*, Dicat Anna in cantico, *famelici saturati sunt*. Dicat & Maria, *Esuriẽtes impleuit bonis*. Cõcludat præsidens, *Beati quia esuriunt, & sitiũt iustitiam*, iustitiam quidẽ non scientiã vanam quia esurientes, & sitiẽtes, qui bene sciũt per scientiam suã conducere vnũ processum de quibus Apostolus, *semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes*, sed cũ ad finẽ deueniunt nesciũt conducere animam suam, *Anima eorum in ipsis defecit*. Non pecuniã terrenam, vt cupidi, quia, *diuites eguerunt, & esurierunt*. Non voluptatẽ carnalẽ, vt voluptuosi, sicut filius prodigus. Non potentiam secularem, vt superbi. *Leo rugiens, & vrsus esuriens*, scilicet mel in arbore, *Princeps impius super populum pauperem*. Isti enim omnes sunt, & erunt semper miseri, quia nunquem saturabuntur: *Ecce serui mei comedent, & vos esurietis, serui mei bibent, vos sitietis*. Soli autem, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, saturabuntur. Sed nunquid iustitia est cibus, & potus? Dico quod est cibus. Est enim fructus. *Repleti fructu iustitiæ*. Magnũ bonum est in regno cum habetur ad bonum forum. Est etiam granum: *Augebit incrementa, frugum iustitiæ vestræ*. Et Oseæ. *Seminate vobis in iustitia* quia Prou. *Seminãti iustitiam merces fidelis*. Est etiam iustitia potus. *Reuelabitur quasi aqua iudicium, & iustitia quasi torrẽs fortis*. Sed adhuc duo quæruntur circa præfatum verbum seu arrestum Domini. Primo vtrum qui esuriũt, & sitiunt iustitiam hic, vnquam saturabuntur hic. Et videtur quod sic, quia aliàs esset occasio murmurandi, iuxta illud Psal. *Et si non fuerunt saturati, & murmurabũt*. Et sic Deus daret occasionẽ mali, dicitur primo quod iustitia potest tripliciter accipi. Vno modo pro rectitudine vitę, quomodo accepit glossã dicẽs: Amatores boni quibus non satis est, quod iusti sunt, sed semper sitiunt opus iustitiæ; & sic sæpe sumitur in scriptura. Et sic iustitia est linea recta, per quam qui non graditur nunquam perueniet ad terminum viæ, quia via recta est ad cælum.

*Iustitia*

Marginalia (left column): Psal 123; Psal. 51.; Psal. 90; Psal. 57.; Eccl. 24.; Psal. 106; Prou 10; 1. Mac. 2; Psal. 106; Ibidem.; Psal. 16.; Psal 110

Marginalia (right column): 1 Reg. 2; Luc 1.; Matt. 5.; 2. Tim 3; Psal. 106; Psal. 33.; Luc 15.; Prou. 28; Esai 65; Phil 1.; 2. Cor. 9; Osea 10; Prou. 11; Amos 5; Psal 58.; M. Iustitia tripliciter summitur

Psal. 84. *Iustitia ante eum ambulabit*, & de his qui per
Psa. 106 eam non incedunt, dici in Psal. *Errauerunt in inuio, & non via.* Secundo accipitur pro iustitia virtute legali, quæ est vnicuique reddere quod suum est, proximo, & Deo, Deo honorem in quantum creatori, mortem redemptori, timorē iudici, proximo superiori obedientiam, pari concordiam, inferiori subuentionem, & beneficentiam. Sibi tria, mundiciam cordi, custodiam ori, & disciplinam carni. Tertio potest capi pro inflictione pœnarum hominibus prauis, sicut solet dici quando suspenditur homo, quod fit iustitia. Et tunc. Dicitur secundo, quod nunquā esurientes & sitientes iustitiam ipsa saturabuntur in hoc mūdo. Probatur primo, quia homo nunquā potest esse ita rectus & perfectus in hoc mundo quin sit aliquid imperfectionis admixtum, iuxta il-
Esai. 64 lud: *Omnes iustitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ*, igitur nunquā homo poterit sanari huiusmodi rectitudine, quin semper eam, aut maiorem esuriat. Secundo nunquam in hoc vita perfecta fiet restitutio, nunquā perfecta iustitia. Ideo videmus in istis curijs quando homo quærit iustitiam quod nunquā recedit ad eis habens tortum, quin ad minus & labores & tēpus perdat, oportet dare vnam partē pro habēdo aliam, & si fiat vni non fiet alteri, immo tollitur vni pro altero, neque Deo satisfaciamus neque proximo, & istud experimur. Nō igitur hic saturabimur. Tertio quia multos malos videmus manere impunitos, imo penè omnes, & iustos semper afflictos, & horum sancti desiderant punitionem, & afflictionem, & correctionem, vt reordinetur malum per pœnam, igitur. Dicitur tertio quod illis tribus saturabuntur in gloria.
Psal. 16. *Satiabor cū apparuerit gloria tua.* Primo quia nullus ibi erit cum eis quin sit bonus, & qui non bene agat. Secūdo quia tūc totaliter viuent Deo, & se reddent Deo totaliter, à quo totaliter se habent, & tertio quia tunc nullum erit malum impunitū,
Psal. 57. tunc implebitur illud Ps. *Lætabitur iustus cum viderit vindictam*, & illud aliud, *saturabuntur ligni campi*, hoc dicebat alibi Ps. *Ze-* Psal. 72.
*laui super iniquos pacem peccatorum videns*, & cum omnia eorum mala deduxit, subdit:
*Hoc labor est ante me, donec intrē in sanctuariū* Psal. 72.
*Dei, & intelligā in nouissimis eorū.* Tunc enim mihi dabit intellectū, vt possim intelligere quare eos reseruauit in diem vltionis. Sed esurientes eruntne in periculo, quādo iudex erit ita terribilis? Dicitur quod non, quia allegabunt per se illud Psal. *Fe-* Psal. 118
*ci iudicium & iustitiam, non tradas me calumniantibus me.* Dicitur quarto, quod sancti non murmurant in hoc sæculo, quia sciunt, quod nondum venit hora, quando debent sedere super mensam in regno patris eorum, sed patienter expectant. Et propter hoc videretur Esaias nimis cito aduocasse pauperes dicens: *Omnes sitientes* Esai. 55.
*venite ad aquas, & qui non habetis argentū properantem*, quia adhuc non est tempus, sed expectate.

Secundo quæritur quare non ita bene dixit. *Beati qui esuriunt, & sitiunt misericordiam, sicut iustitiam*, cum Bernar. dicat, quod nobis miseris misericordia dulcius sapit, ideo magis esurienda. Dicitur, quod hoc ideo est, quia desideratur magis cibus rarior, misericordia autem Domini plena est terra, quia Deus nunc omnibus, vt experimur, facit misericordiam, peccatores expectando ad pœnitentiam, iustis dando gratiam & opera virtuosa, dando nobis esse & viuere, & quamdiu sumus in hoc mundo eam multipliciter habemus. Sed iustitia non videtur hic regnare, quia mali ferè omnes prosperantur, aut saltem pauci puniuntur in hoc mundo, nec tamen sequitur quin Deus sit iustus, sicut dicit Hierem. *Iustus quidem tu es, Do-* Hier. 12.
*mine si disputem tecum, veruntamen iusta loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur, & bene est omnibus qui præuaricantur, & inique agunt.* Vnde & subdit. *Congrega eos sicut gregem ad victimam*, quia in hoc mundo propter multitudinem malorum non sufficiunt furcæ patibulorum, sed reseruantur patibulo inferni, in quo erit plus

plus de iustitia quam hic. Secunda ratio. quia peccatores & miseri miseria peccati non sunt beati, & tales possunt esurire misericordiam. Non potest autem esse esuries & sitis iustitiæ, nisi sit magnus affectus ad iustitiam & rectitudinem vitæ, & talis affectus nō est sine aliquali iustitia, igitur.

Quinto arguitur pro immisericordibus, quia nulli sunt misericordes in terra, non igitur misericordes consequentur misericordiam, sed soli crudeles. Patet assumptum. Primo Oseæ. *Non est veritas non est misericordia, nō est scientia Dei in terra. Maledictum, mendacium, homicidium, furtum & adulterium inundauerunt.* Secundo ait Dauid, *Domine in cœlo misericordia tua, & veritas tua vsque ad nubes.* In oppositum sunt literæ passatæ in cācellaria regis: *Si dimiseritis* de corde *hominibus peccata eorū, & pater vester cœlestis dimittet vobis.* Itē aliç. *Dimitte & dimittetur vobis, date & dabitur vobis.* Itē est sapientis opinio. *Qui pronus est ad misericordiā benedicetur.* Et per practicam habetur. Nā Prouerbiorū vltimo dicitur de muliere sapiente, *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem,* & sequitur, *Non timebit domui suæ à frigoribus niuis. Omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus.* Dicat super Esa. *Feriam vobiscum pactum, misericordias Dauid fideles.* Sed quod pactum? Certe ex testamento, dicat illud Dauid, *& in æternū seruabo illi misericordiam meam, & testamentum meū fidele ipsi,* & rursus, *& misericordia illius in filios filiorum his qui seruant testamentum eius.* Dicat iterum Esa. *In misericordia præparabitur soliū.* Dicat & sapiens. *In iudicando esto pupillis misericors vt pater, & miserebitur tui magis quā mater.* Dicat & Thob. *Noli auertere faciē tuam ab vllo paupere. Ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita esto misericors.* Dicat & Maria, *& misericordia eius à progenie in progenies timentibus eū,* & custodiētibus mandata eius de misericordiam faciēdo in timore eius, & non est dubiū quin sint aliqui tales timētes Deū & misericordes, licet sint pauci in cōparatione ad crudeles. Concludat igitur præsidens, *Beati misericordes quoniā ipsi,* &c. Sexto arguitur pro lubricis & immundis, quia modo habent omnia apud principes, & cōparēt in curijs eorū, boni vero ad onera ponuntur. Exemplum est ad hoc de cane & asino. Videns enim asinus (vt habet fabula illa) quod canis esset semper cum Domino suo, & optime nutriretur, quia bene sciebat blandiri Domino suo, ipse vero mitteretur ad onera & male tractaretur, voluit similiter facere sicut canis, & vna die nisus est osculari Dominum suum, sed repulsus est tanquam ineptus & grauius vexatus quam prius. Sic soli ganeones, qui bene sciunt applaudere, bene tractantur in curijs, alij vero qui dixerint veritatem, duris nimis videntur, & repelluntur tanquam inepti, igitur. In oppositū arguitur, quia soli mundi seruiunt Deo, sicut ait Dauid in persona eius, *Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat,* ergo. Dicat super hoc sapiens per testamentum. *Benedictionem omnium gentium dedit illi,* scilicet videre Deum, quæ est benedictio ab omnibus gentibus expectata, *& testamentum suum confirmauit super caput eius,* id est super omnia bona confirmauit, quando dixit, *Beati mundo corde,* &c. Dicat & Dauid *Beati immaculati in via.* Item & ero immaculatus cum eo, & obseruabo me ab iniquitate mea, & alibi. *Quis ascendet in montem Domini?* respondet, *Innocens manibus & mundo corde.* Item Paulus: *Sequimini pacem, & sanctimonia, sine qua nemo videbit Deum,* Dicat & Maria, *Exaltauit humiles corde.* Humilitas enim omnia mala ad partem reiicit, & totum mūdat. Concludat igitur præsidens, *Beati mundo corde,* &c. Soli enim mundi apti sunt videre Deum. Nam non videtur res preciosa nisi lauentur oculi, nec tangitur nisi lauetur manus. Quæ res pulchrior, prçciosior, aut suauior Deo? Ideo mundi sint oculi nostri à luxuria, & cor similiter. Mundi sint oculi id est sacerdotes, non enim patitur oculus maculam vel

Marginal notes: Oseæ 4. | Psal. 35 | Mat. 18. | Luc 6. | Prou. 22 | Prou. 31 | Esai. 55. | Psal. 88 | Psal. 102 | Esai 16. | Eccl. 4. | Tob. 4 | Luc 1 | Matt 5. | Nota. | Psal. 100 | Eccl. 44. | Matth. 5 | Psal. 118 | Psal. 23. | Hebr. 12. | Luc. 1. | Matt 5.

vel sordem, non patitur, quod tangatur, ab omnibus, videtur & omnes iudicat. Sic debet esse de sacerdotibus & alijs, quia constituti sunt indices populi, vt digni sint videre magnalia Dei, quia Eccl.
Eccl. 17. *Testamentum æternum constituit cum illis, & magnalia honoru eius vidit oculus illorum*, scilicet populorum, qui oculus est præfatus iudex, cuius est cognoscere viam salutis, & alijs declarare.

Septimo arguitur pro bellicosis, quia Dominus dimisit terrã hominibus pos-
Psal. 113 sidendam, secundum illud Psal. *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum*, qui ergo poterit habere, habeat, siue iure bellandi siue alias. In oppositum arguitur, quia patrem sequitur sua proles, Dominus est rex pacificus qui pacem attulit in mundum, pacem seruauit in vita, pacem in morte, pacem post mortem, ideo filij eius debent esse filij pacis. Dicat super hoc Matthæus, dic & arrestum esse.
Matt. 5. *Benefacite his qui oderunt vos, orate pro persequentibus vos, vt sitis filij patris vestri qui in*
Psal. 28. *cælis est.* Dicat & Dauid: *Dominus benedicet populo suo in pace.* Item est lex testamenti.
Eccl 45. *Statuit ei Dominus testamentum pacis.* Et Da-
Psal 102 uid: *Et iustitia illius in filios filiorum his qui ser-*
Luc. 1. *uant testamentum eius.* Dicat & Maria: *Suscepit Israel puerum suum*, scilicet in pace, *recordatus misericordiæ suæ*. Concludat ergo
Matt 5. præsidens. *Beati pacifici*, &c.

Octauo arguitur pro persecutoribus,
Mat. 11. quia Matth. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, sed tyranni omnẽ vim faciunt iustitiæ, igitur: In oppositum est
Rom. 8. Paulus dicens: *Si compatimur & conregnabimus.* Dicat super hoc vnus ex illis septem
2 Mac 7 pueris Machabæis martyribus. *Fratres mei modico dolore sustentato, sub testamento vitæ æternæ effecti sunt.* Si parui & pueri hoc dicunt in scriptura, illud notum est. Dicat & Maria. Hoc fuit in me practicatum, secundum quod dixerat mihi Symeon.
Luc 2. *Tuam ipsius animam doloris gladius pertrãsibit*, quando qui persequebantur filium meũ, me quoque persequebãtur. Cõcludat igi-
Matth. 5 tur præsidẽs. *Beati qui persecutionẽ patiũtur.*

## DE EODEM FESTO SER. III. *& in ordine LXXVII. Per Thema.*

*Congregate illi sanctos eius, qui ordinant* Psal. 49.
*testamẽtum eius.* Bene congregat Ec- A
clesia Christo capiti omnes sanctos Sanctorum solemnitas cedet ad vtilitatẽ nostram
eius, quæ hodie Christo & omnibus eius sanctis solemnizat. Quod si magnum fit festum de vno sancto, manifestũ est quod valde magnum celebratur de omnibus. Sed accedetne nobis aliqua vtilitas ex hoc festo. Dico quod sic. Si non stet per nos. Sunt enim amici nostri parati intercedere pro nobis, si requerantur, de quibus Eccl. *Isti sunt viri misericordiæ quorum* Eccl 44.
*pietates non defuerunt*, & Apoc. *Habent pote-* Apo 11.
*statẽ super aquas misericordiæ*, scilicet gratiæ & gloriæ. Sicut ergo existentes extra patriam solemus mittere nũcios ad amicos, & eos salutare, & eis commendare negotia nostra, maxime quãdo non possumus illuc ire, sic quia sumus modo extra patriam cœlestem, nec ad eum adhuc ire possumus sed habemus amicos Christum & eius sanctos, mittamus nuncios salutis, quæ sunt orationes & bona opera. *Intrantes domum salutate eam.* Intrantes Mat. 10.
domum, scilicet Paradisum per meditationem, salutate eam immittendo bona opera, orantes sanctos omnes. *Salutate* Phil 4.
*omnes sanctos*, omnes ordines sanctorum & præcipue illos, ad quos habemus deuotionem, Ioan. *Saluta tu amicos no-* Ioan. 10.
*minatim*. Et credendum est, quod si sic fecerimus, quod de plenitudine gaudiorum quibus fruuntur, de vino iucunditatis quo cum hylaritate inebriantur, aliquam stillam nobis transmittent, vt spirituali vino refecti tam celebre festum cum spirituali incunditate celebremus. Vinum itaque, Paradisi, & epulas vitæ æternæ vobis denunciare propono. Nec vilitatem personæ despiciatis, quoniam qui vinum clamat, vilis, & despectus, & pauper apparet, attamen sollicite ausculatatur propter bonum vinum quod clamat. Et vos, vt spero propter bonas epulas & vinum quæ clamo vobis, mihi dabitis

bitis audientiam, & spero quod precibus omnium Sanctorum rex cœli de taberna Paradysi in corda nostra optimum vinum distillabit, quod in præsenti nos faciet exultare in gratia, quam habebimus medio eorum & præcipue Mariæ, quam salutabimus, &c.

B Sanctorum omnium solemnitas cur fiat. Quæri posset cur hodie sit solennitas omnium Sanctorum. Videtur enim quod sufficiant aliæ solennitates particulares. Respondetur quod multæ sunt causæ institutionis huius festi, quarum duas assignat Rabanus. Prima est propter templũ Pantheon prius à Gentibus omnibus dęmonibus consecratum, quod à Foca Cæsare Bonifacius quartus impetrauit donari fidelibus Christi, vt cultus qui exhiberi solebat idolis, exhiberetur omnibus Christi Martyribus, quia tunc nondum celebrabatur de Confessoribus. Sed tandem, quod Romæ fiebat de solis Martyribus per totum mundum de omnibus Sanctis ad præsens recolitur. Secunda ratio est, vt quicquid humana fragilitas per ignorantiam vel negligentiam seu occupationem rei sæcularis in solennitatibus Sanctorum minus egisset, plene in hac solennitate solueretur. Tertia ratio, vt nullus Sanctorum honore solennitatis celebris priuaretur. De multis enim Sanctis nullam specialem memoriam facimus. Tum propter Sanctorum multiplicitatẽ, quia quasi infiniti sunt. Tum propter nostram infirmitatem, quia infirmi & debiles sumus, nec ad hoc sufficere possumus. Tum propter temporis breuitatem, quia etiam totum tempus lõgissimæ vitæ hominis vnius non sufficeret, vt semel tamen in vita sua quis singulorum Sanctorum festa celebraret. Quarta ratio, quia vix est aliquis qui aliquem Sanctorum maxime in eius solennitate non offenderit, & cum omnes Sancti sint quasi vnum collegium vel capitulum, qui vnum de Sanctis offenderit, omnes videtur offendisse, sicut qui vnum de fratribus collegij offenderit, Capitulũ suam reputat iniuriam, & tenetur ipsi capitulo satisfacere, ita in omnes Sanctos redundat, offensa vnius, vt sic possit intelligi illud, qui offendet in vno, factus est omnium reus. Ideo vt omnes simul placari possint, fit eis festiuitas communis. Quinta ratio, vt multiplicatis intercessoribus petitio Ecclesiæ exaudiretur. Negaret enim Abbas vni fratri quid non negaret toti conuentui, & rex negaret vni Baroni, quod non negaret omnibus simul, & Papa vni Cardinali quod non omnibus simul, totus etiam populus liberat Ionatham à morte. Quem non liberasset sola persona. Inde Dominus dicit: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quacunque petierint, fiet eis à patre meo qui in cœlis est*, quanto magis quando omnes simul congregati sunt in cęlestibus ad orandum pro nobis. Et ideo congregandi sunt Sancti, vt intercedant pro nobis quandocunque indigemus Dei auxilio, sicut facere solet Ecclesia dicendo Lætaniam, & specialiter congregari debent in hac die, secundum quod hortatur thema. Congregate illi Sanctos eius, &c. 1. Re 14 Mat 18

Sancti Dei, & maxime Apostoli dum viuerent, ordinauerunt testamentum nouum, multa statuentes & declarantes, quę facerent ad eius perfectam obseruationẽ tanquam ministri eius, secundum illud: Idoneos nos fecit ministros noui testamenti. Sed nunc omnes generaliter in cęlo, quantum est ex parte sua, ipsum ordinant in nobis, & ad salutem nostram orãtes, vt scilicet impleantur in nobis promissiones noui testamenti. Christus autem tanquam Dominus ipsum in Euangelio hodierno ordinauit, & implet in electis. Et sicut primum testamentũ fuit datum Moysi in monte Synai, sic istud fuit ordinatum à Domino in monte. Videns enim turbas Dominus Iesus ascendit in mõtem. Per hoc innuens, quod qui vult alios docere debet turbas mũdi, negotiorum, & malarum cogitationum fugere, montem contemplationis & perfectionis ascendere, & in tranquillitate animi sedere, & quiescere, & sic prædicando

Esai 40 poterit alios docere. *Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas Syon.* Vnde in hoc testamento octo generibus hominũ Dominus diuersa legauit. Primo legauit pauperibus regni cœlestis adeptionem.
Matth 5 *Beati*(inquit)*pauperes spiritu*, &c.

C Et proper hoc Dauid causam pauperum agens tanquam eorum procurator generalis dicit, animas non corpora, quia terra id est corpus pauperum data est in manus impij ad excolendum per tribulationes, & hoc vt ipse pauperum cultor, non tyrannus vel diabolus fructum percipiat, pauperum non quoruncunque
Esai.49. sed tuorum. *Pauperum suorum miserebitur, ne obliuiscaris in finem*, quasi diceret. Et si ad horam videaris eos tradidisse obliuioni, non tamen finaliter, quoniam *Non in*
Psal 9 *finem obliuio erit pauperis*, &c. *Respice in testa-*
Psal.73. *mentum tuum*, id est, respice literam patentem quam habent de hæreditate regni.
Iac.2. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo hæredes regni?* Posuit igitur pauperes in ipso regno ratione paupertatis ius sibi vendicantes. Omnes enim domus Dei, & omnia bona eorum vbicunque sint, pauperum sunt. Omnia etiam quæ sunt in regno cœlorum, possidet pietas tanquàm magistra hospitalis: etiam ipsum regem cœlorum, quem vendidit pro captiuis redimendis. Quicquid autem pietas habet, pauperum est, & nihil iuris ibi habent diuites, imo iniuria fieret pauperibus, si ibi reciperentur diuites, & comederent diuites quod pauperum est. Ideo
Psal 73. subiungit Dauid, *quia repleti sunt, qui obscurati sunt terræ*, &c. quasi dicat: O pietas ne recipias eos, quia repleti sunt, & obscurati sunt. Terre enim posita inter illos, & istum solem iustitiæ obscurauit eos sicut lunam. *Ne auertatur humilis factus confusus*, quasi dicens. Noli facere confusionem humili, sed potius superbo, cui fuit confusio, quia non inuenitur scriptus in hoc testamento, sicut illi primo superbo
Esai.14. qui dicebat. *Sedebo in monte testamenti*, cui tamen dictum est, *Veruntamen in infernum descendes in profundum laci.* Gaudere igitur debet pauper ex hoc testamento. Non dixi Dominus. *Beati pauperes, quoniam ipsorum erit, sed est regnum cælum*, gaudere inquam debet quia omni rege ditior est. Illorum enim est regnum terrenum, suum vero regnum cœlorum. *Transite per Emath magnam, descendite in Geth, & ad optima quæque regna eorum, si latior terminus eorum termino vestro est.* quasi dicat: O pauperes spiritu considerate Emath, quod interpretatur munita, id est dignitates mundi, & Geth quod interpretatur torcular, id est Angustiã mundanorũ, & optima regna, si inueniatis tam bona, tam dulcia, tam digna sicut regnũ cœlorum quod vestrum est. Maledictus luxuriosus qui pro modica delectatione, & gulosus qui pro lenticula, & auarus qui pro auaricia vẽdit illud. Quidam stultus pro modica pecunia magnã hæreditatẽ vendidit, qua consumpta, quia nullus voluit ei succurrere, egestate perijt. Indignus enim est vt à sanctis succursum habeat, qui talẽ hæreditatem tã modico pretio vẽdit, nec inueniet in die mortis suæ, qui vnã guttã regni cœlorum sibi tribuat, vt apparuit in diuite. Vnde quidã miles crudelissimus seruiẽtibus sibi multa promisit, sed cũ bene seruierãt ipsos suspẽdit. Hic est diabolus, cui cũ quis peccando seruiuit, ipsum in patibulo inferni suspẽdet. Graue autẽ est seruire offenso, qui nunquã aliquo placatur obsequio. Pauperes ergo sunt actu reges sed quo titulo ascripti? Certo illo Iesus Nazarenus rex iudæorũ. Sceptrũ quoque illorũ est crux, de qua Ps. *Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga directionis virga regni tui.* Ecce quãta est dignitas & excellentia paupertatis, quæ etiã alio iudicio in euãgelio demõstratur. Nã in eo Martyres, & pauperes ad paria iudicãtur, quia par designatur præmium martyrũ, & pauperũ. Tam enim huic quã illi fit promissio de præsenti de regno cælorum. Vnde cum alij, scilicet milites pacifici, misericordes, &c. aliquid de puluere humanæ conuersationis contraxerunt, sæpe deferunt secum lignũ, fænũ, & stipulam. Isti autem duo

Marginalia (left): Paupe- ribus le- gatur re- gni cæle- stis adep- tio.

Marginalia (right): Matt. 5. — Amos 6. — Psal 44. — D — Paupe- ribus & Marty- ribus per præmiũ adiudi- catur.

duo qui purgati sunt, primus in sanguine suo, alter in camino paupertatis, & frixorio spiritus contribulati, nihil deferunt secum quod oporteat trãsire per ignem. De martyribus enim dicitur lauerunt stolas suas in sanguine agni, de pauperibus qui se iudicauerunt, qui in cordis cõtritione, in ardore deuotionis omnem in se peccati rubiginem extraxerũt, fratres manus vestras misistis ad fortia, regnum cælorum intra vos est, regnum cælorum apprehendistis, ad manum est merces laborum vestrorum. Nec mirandum si Christus amator sobrietatis paupertatem spiritus commendat, quando Epycurus præceptor voluptatum eam commendauit dicens, Felix paupertas læta, nec tamen paupertas, si læta non est. Sed valde mirum est quomodo tam pauci, imo fere nulli Christiani eam amplectantur aut curent, cum taliter sit commendata à Christo. Vnde verificata est illa parabola in qua dicitur, quod quidam rex habuit duas filias, vnam pulchram, & aliam turpissimã, pulchra appetebatur, & ab omnibus honorabatur, turpem nullus videre volebat. Cui flenti coram rege, dixit rex. Noli flere, quia qui te accipere voluerit, dabo ei regnum meum, qui autem acceperit sororem tuam, nihil accipiet secum nisi pulchritudinem eius.

Vita pulchra videtur vita sæculi, & diuitiæ, sed vita turpis reputatur paupertas, cui tamen promittitur regnum cælorum, & nihilominus pauci de ea curãt, multis amplexantibus solam pulchritudinem vitæ huius mundi, quæ est in diuitijs, delitijs, & honoribus. Secundo legauit Deus in testamento suo mãsuetis terræ viuentium possessionẽ, dicens: *Beati mites, quoniam*, &c. & hoc est quod dixerat Psal. *Mansueti*, id est mites *hæreditabunt terram*. Ideo Eccl. *Memorare testamenti altissimi, & despice ignominia proximi, ac si per ignorantiã fecisset abstinete à lite*, nõ dicit à cibo vel vino, sed à lite ac si diceret. Si vis habere partẽ in testamẽto, necesse est vt serues ordinationẽ testatoris, quę est *dimittite, & dimittetur vobis*. Filius enim qui vult habere hæreditatem patris, necesse habet testamemtum patris soluere. Vel per possessionem terræ potest intelligi pacifica possessio cordis. Iracundi enim propriam sui corporis terram non possident. Inde dicuntur amentes, id est extra mentem. Sed mites possident. *In patientia vestra possidebitis animas vestras*. Et Prouer. *Qui abijcit disciplinam despicit animam suam, qui autem acquiescit increpantibus possessor est cordis*. Vnde secundum Ambros. super illo passu Psal. *Mansueti hæreditabunt terram*. Mansueti (inquit) sunt, quos nullus dissensionis stimulus exagitat, non ira perturbat, non sæuitia exasperat, non rabies crudelitatis inflammat, & ideo Eccl. *In mansuetudine responde pacifica*. De quibus consequenter subditur in prædicto versu Psal. *Et delectabuntur in multitudine pacis*. Ex quo patet, quod certi erunt & securi de bonis suis, quia nullus inquietabit vos, & hoc est rationabile quia mansueti non inquietant alios, & per consequens vbi omnes sunt mansueti non poterit esse nisi pacis tranquillitas. Isto bono carent mali.

[Margin: X Mansuetis legatur possessio terra viuentium. Psal. 36. Matt. 5. Eccl. 28. Luc. 6. Luc. 21. Prou. 15. Psal. 36. Eccl. 4. Psal. 36.]

Quantumcumque enim in congregatione temporali substantia abundent, nunquam delectantur in pacis multitudine, quia si pacem extrinsecus habebant, non tamen possunt in eo delectari, quia semper timent de bello, & ab aliquo inquietari, qui ab eis bona acquisita rapiat. Ambros. libro de bono mortis, quid boni est homini in hac vita? Nec impleri potest cupiditatibus suis, & si expleatur diuitijs, fructum quietis amittit, quia cogitur custodire quod misera auiditate quæsierit. Dicit Auicenna 7. de naturalib. quod porci quandoque habẽt apostemata, quę faciunt illos multũ mouere pedes suos. Sic isti qui in luto versantur tanquam porci. *Tanquam lutum æstimabitur argentũ*, habent apostemata, id est, loculos multos in quibus sua congregauerunt, quæ merito dicũtur apostemata, quia

[Margin: Sap. 7.]

Luc. 22. *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meã.* E contra de diuite. Iob 20. *Cum satiatus fuerit irruet in eũ omnis dolor.* De hoc testatur. Psal. *Escam dedit timentibus se*, qui scilicet abstinent se à peccatis, sicut à cibis suspectis, sicut communiter dicitur, iste timet sibi à cibarijs, & sequitur, Psal. 110 *Memor erit in sæculum testamenti sui.* Vel potest dici de esurientibus, id est de certantibus pro iustitia, tales satiabuntur, quia desiderium eorum implebitur. Desiderium enim suum iustis dabitur. Talibus autem in testamento legabitur satietas: 1. Mac. 2 *Phinees pater noster zelando zelum Dei accepit testamentum sacerdotij æterni.* Matt. 5. *Beati ergo, qui esuriunt, & sitiunt*, &c.

Sitis multiplex. Sed aduertendum est, quod multiplex est sitis, vel esuries. Vna est sitis mala qua quis desiderat diuitias, dignitates, laudes hominum, pulchras mulieres, prandia delicata, proximis nocere, & huiusmodi. Quidam enim nunquam sedantur, donec de proximis vindicentur. Hæc sitis est febris acuta, & quanto morbus acutior tanto sitis ardentior. Bonus medicus vinum, & aquam prohibet, & remouet, ne ægrotus manus apponat. Sic cum Dominus vult ab hoc acutissimo morbo aliquẽ sanare, diuitias, & delitias ad commodũ nostrum amouet. Sed quidam ægroti aquam, & vinum furãtur, & illis vescuntur, hæc & bibunt & sic sua culpa moriuntur. Sic peccatores peccata sitiũt, & omnibus modis furtiue & fraudulenter laborant, vt diuitias, & delicias acquirant, & cum biberint, non satiãtur, sed in gehenna perpetuo moriuntur, vbi ex defectu omnium bonorum sitient in æternum. Hac febre acutissima coram iudicibus vexati causidici per allegationes exceptiones, reprobationes clamant aquam, pecuniam, pecuniam. Similiter mercatores vbique currunt pro talibus negocijs, & ita de alijs. Quandoque sacerdotes in altaribus, monachi in claustris clamant vinum, vinum, id est lucrum, lucrum. Ideo Dominus medicos suos prædicatores ad hunc morbum sanandum per vniuersum mundum transmisit, vt ab istis febribus genus humanũ curarent. Aliqua vero sitis est bona, & est triplex. Vna est insipiẽtium, de qua Dominus. Qui sitit, veniat ad me, & bibat, quando dabit taliter sitienti potum, qui faciet eum salire in vitam æternam. Alia est proficientium de qua Dominus dicit hic in euangelio, beati qui esuriunt & sitiunt, &c. Alia est perfectiorum, qui nihil desiderant nisi Christum, qualis erat Paulus, Prælatorum enim est sitire Ioan. 19 conuersionem peccatorum. Inde princeps pastorum ait, sitio, scilicet salutem animarum. Quinto legauit misericordibus misericordiam. Misericordibus legatur misericordia. Ideo dicitur de Dauid misericordissimo, Esai 55. *Feriam vobiscum pactum sempiternum misericordias Domini fideles. In æternum seruabo illi misericordiam meã,* Psal. 88. *& testamentum meum fidele ipsi.* Crudeles autem, & immisericordes nihil percipiũt in hoc testamento, & specialiter illi qui in suo testamento nihil Deo dimittunt, sed totum filijs, & cognatis. Misericordia enim faciet in hoc testamento vnicuique locum quia Iudicium siue miseIac. 2. ricordiam. Misericordia autem primo facienda est sibi secundum consilium sapientiæ: *Miserere animæ tuæ placens Deo,* Eccl. 30. deinde proximo, compatiendo miseriæ alienæ. Et hæc misericordia quam proximis impendimus vtilis est, quia disponit ad gratiam, & affert peccati veniam. Philisophus. 8. politic. vult, quod pueri Nota. exercitandi sint in musica, cum sint tantum octo melodiæ, vult quod primo exercitãdi sint in melodia quinti toni, quia illa magis mediat inter graue, & acutum, & maxime inclinat ad virtutem. Sic est in musica spirituali, qua diuinæ aures & sanctorum permulcentur. Sunt enim octo toni de quibus in Euangelio, qui dicuntur octo beatitudines, Propter eorum suauitatem magnam. Sed inter illos est, quintus tonus ad opera misecordiæ pertinens, scilicet, beati misericordes, qui maxime media inter gra-

ue, & acutum, scilicet inter grauitatem culpæ, & acumen pœnæ, & maxime inclinat ad virtutem. Et ideo quandiu sumus in ætate puerili, id est in vita præsenti expedit in hac melodia exercitari, id est, in operibus misericordiæ. Secundo per misericordiam pater cœlestis cognoscit filios suos non degeneres, sicut colore noscit coruus pullos suos, & aquila visu.
Matt 5. Luc. 6. *Diligite inimicos vestros, vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est*, & Lu. *Estote misericordes, sicut & pater vester cælestis misericors est*. Tertio iusto Dei iudicio aliorum defensione destituitur, qui auxilium suum alijs subtrahere non veretur. De quo Eccl. Eccl. 4. *Væ soli, quia cum ceciderit non habet subleuantē se*. Non enim sufficiunt lachrymæ tuæ ad sordiū tuarum ablutionem, neque preces tuæ ad tuam reconciliationem, neque pænitentiæ tuæ ad tuarum iniuriarum satisfactionem.

Aduoca igitur lachrymas Ecclesiæ, & preces, & pœnitentias, vt dicere possis: Psal. 118 *Particeps ego sum omnium timentiū te*, quia lachrymæ tuæ non sunt nisi tres vel quatuor guttæ, quas nisi cum alijs coniungas, iam non effundis, sed facile ebibuntur. Vnde Prou. Prou 5. *Bibe aquam de cisterna tua*, id est, luge pro peccatis tuis, & sequitur, *Deriuentur fontes tui foras*, id est, luge pro alienis & compatere eis. Sexto K. Mundis corde legatur Deus visio. legauit mundis corde Dei visionem. Necesse est ergo mundare oculos cordis scilicet intellectum & affectum, eos qui volunt habere partem in hoc testamento, sicut dicitur quando quis vult rem præciosam ostendere, lauate oculos vestros. Ideo Heb. Heb. 12 *Pacem sequimini*, contra irā quæ turbat oculum rationis, & inquinat oculum rationis, & inquinat oculum affectionis, *Sine qua nemo videbit Deū*. Eccl 44 De hoc testamento. Eccl. vbi fit mentio de cōditione hominis in statu innocentiæ quando adhuc habebat cor mundum. *Testamentum sempiternum constituit illis, & magnalia honoris eius vidit oculus eorum*. Et notabiliter dicit honoris. Visus enim fuit Christus in mundo, sed non in honore, quia Esa. *Vidimus eum despectum & nouissimum virorum*, vnde nec reputauimus eum, sed Esa. 53. in futuro videbitur in honore. Esa. *Regem in decore suo videbunt*. Esa. 33. E contrario in hoc testamento nihil habent immundi. Eccl. *Plurima eius opera sunt in absconsis*, & sequitur: *Longe enim est testamentum à quibusdam*, Eccl 16. scilicet testamentum apertæ visionis. Et statim subiungitur. *Qui minoratur corde, cogitat inania*, & hoc quantum ad terrenorum cupiditatem, quia sicut puluis excæcat oculum rationis, & imprudens cogitat stulta, quantum ad carnis voluptatem.

Peccatum enim carnis stultitia appellatur. Ab his ergo longe est testamentum. Sed contra hoc videtur esse illud Iob. vbi dicitur quod diabolus venit in Iob 1. conspectu Dei, inter filios Dei, ergo immundissimus conspexit Deum. Similiter Nota. Apoc. *Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupungerunt*, inter quos multi mali. Apoc 1. Respōdetur Primo secundū August. lib. de videndo Deum, quod scriptum est diabolum venisse in cōspectu Dei, nō ideo diabolus vidisse Deum credendus est. Ipse enim dicitur venisse in conspectu Dei, non Deus in conspectu eius. Veniunt autem in conspectum nostrum quæ videmus, non à quibus videmur. Et ideo dicitur quod diabolus semper est in conspectu Dei, quantum ad sapientiam eius, quæ omnia videt, specialiter tamen dicitur venire in conspectu Dei, quantum ad ordinem iustitiæ, quia ordinatur differenter mala voluntas diaboli, nunc ad tentationem bonorum, vt patet Iob. Nunc ad seductionem reproborum, vt habetur Reg. de Achab, & quadringentis eius Prophetis, 3. Reg 2 ideo est eius duplex aspectus, scilicet sapientiæ & iustitiæ, secundum eundem Augustinum libro prædicto, interiores oculi sunt iudices exteriorum oculorum, & illi quodam officio nunciandi in ministerio illis famulantur multaque illi vident, quæ illi non vident.

Dicitur secundo, quod (vt dicit beatus

tus Greg.) Dominus in iudicio, in forma serui hominibus apparebit, scilicet in forma humana, & tunc videbunt eum sui crucifixores, & alij reprobi, sed ad maiorem sui confusionem, non autem videbunt diuinitatem eius. Septimo legauit Dominus pacificis filiationem. Non enim dicit, pacati animo, quia hoc pertinet ad secundam beatitudinem, sed pacifici, qui paci reformandæ in se, & in alijs inuigilant. Hi filij Dei vocantur propter expressam imitationem vnius filij naturalis, qui est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Hoc est testamentum pacis, de quo Eccl. *Statuit ei Dominus testamentum pacis*, quod dicitur de Phinees, de quo Psalm. *Stetit Phinees, & placauit, & cessauit quassatio*. Potest tamen dici, quod pacifici sunt vere, qui pacem Deo, sibi, & proximo seruant.

L *Pacificis legatur Dei filiatio.*

*Eccl. 45.*

*Psal. 105*

Qui Deum non offendunt per superbiam, nec carnem polluunt per luxuriã, nec proximum lædunt per auaritiam. Pacifici sunt qui omnes motus carnis, quasi latrones sub arce rationis detinent. Vere pacificus est, cui si aufertur pallium dat tunicam. Vnde cum latrones cuidam monacho equum abstulissent & recederent, currit post eos clamans, quod expectarent, quod cum fecissent, dedit eis calcaria, cuius perfectionem & patientiam attendentes, equum restituerunt. Vxor Putipharis vim fecit Ioseph, vt Ioseph Deum amitteret, sed Ioseph pallium reliquit.

*Gen. 39.*

Maluit enim pallium quam Deum amittere. Gregorius. Qui terrena tenere desiderat, requiem mentis deserit quam quærebat. Sed multi plus paleam diligunt quam Christum, ideo legem Dei derelinquunt, de qua Psalm. *Pax multa diligentibus legem tuam Domine*, & ad leges litigiosas se transferunt, sicut illi de quibus Machab. *Qui patrios honores pro nihilo habentes, Græcas literas optimas arbitrantur*, id est, Gentiles scientias & ibidem sacerdotes, neglecto officio sacerdotis, festinabant participes fieri palestræ. Palestra autem sæcularis est scientia, in qua ministri Ecclesiæ desudare desiderant. Sed primus modus est conuenientior, vt ponatur differentia inter beatitudines. Vnde multiplex est genus hominum, qui diuersimode se habent circa pacem. Quidam enim sunt pacifici cum pacificis, hoc est imperfectorum, sicut esset diligere diligentes se. Matth. *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Hoc enim Ethnici faciunt*, id est imperfecti. Quidam sunt non pacifici cum non pacificis, & hoc est infirmorum.

*Psal. 118*

*2. Mac 4*

*Nota*

*Matt 5.*

Infirmi enim sunt sicut equi scabiosi, qui non permittuntur se scalpi vel tangi. Exod. *Tulerunt cinerem de camino, & sparsit Moyses in cælum, factaque sunt vlcera vesicarum turgentium in hominibus & iumentis, nec poterant malefici stare coram Pharaone*. Per vlcus significatur impatientia, & per vesicam superbia.

*Exod 9.*

Impatientia ergo superba vlcera cum vesicis facit, quia tentationibus resistere impotentes sunt, de quibus Eccl. *Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber*. Sæpes quæ non habent veram firmitatem, vt murus, significat quorundam patientiam infirmam, quæ cito diruitur. Sæpem dissipat, qui infirmum verbo vel alio modo prouocat, & tunc mordet eum coluber, dum pro vna contumelia duas ei infirmus respondet.

*Eccl. 10.*

Quidam sunt non pacifici etiam cum pacificis, & hoc est peruersorum. Exod. *Cum Moyses percussisset puluerem, omnis puluis conuersus est in cinifes*. Non dicitur quod percusserit omnem, & tamen omnis puluis conuersus est, hoc est cum vnus malus arguitur, omnes alij mali detrahunt arguenti. Reg *Si quis eas tangere voluerit, armabitur ferro, & ligno lanceato*. Vna enim spina alia defendit, & tuetur. *Cum* Psal *his qui oderunt pacem eram pacificus cum loquebar illis*, &c. Iob. *Squamæ sese premen tibus vna vni coniungitur*. Quidam sunt pacifici cum non pacificis, quia etiam prouocati non respondent, nec se vindicant, Iob: *Respondete obsecro absque con*

*Exod 8.*

*2. Re. 23*

*Psal 119*

*Iob 41.*

*Iob 6.*

*tentione, nec inuenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit.* Et hoc est quod dicitur quod magi Pharaonis percusserunt puluerem terræ Israel, id est, humiles sanctos reprehenderunt, nec potuerũt educere ciniphes, id est verba detractionis, & tunc coguntur dicere, digitus Dei hic est, id est Spiritus sanctus in talibus habitat. Octauo legauit Dominus regnum his qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. De hoc testamento dicebat ille adolescens. *Fratres mei modico nunc dolore sustentato sub testamento vitæ æternæ effecti sunt.* Vnde merito post omnes beatitudines ponitur ista beatitudo; per quam commendatur patientia, ad ostendẽdum, quod patientia est tanquam probatorium omnium præcedentium, tanquam murus ante murale in castro, ad sustinendum omnes ictus. Ideo propter patiẽtiam Domini dicitur Esa. *Vrbs fortitudinis nostræ Syon, Saluator ponetur in ea murus & antemurale.* Patientia etiam est magistra virtutum & scientiarum, omnes virtutes quasi discipulas suas examinans, & multos reprobat qui virtuosi creduntur. *Doctrina viri per patientiam dignoscitur.* Declarat enim qui sunt vere virtuosi & digni admitti in consortium Angelorum & Sanctorum, imo patientia est quasi porta per quam intratur in cælum. Sicut enim antiquitus, illi qui patienter iniurias ferebant, iudicabantur digni intrare Athenas, & recipi in numerum Philosophorum (cuius exemplum referebat Ioannes Abbas in vitis patrum, de quodam iuuene, qui vt assuesceret pati iniurias, mercede cõduxerat tribus annis aliquos sibi quotidie contumelias inferentes. Quem cum iuxta portam Atheniensium, senex quidam eum probatus contumelijs lacesseret, risit dicens se nihil præter solitum audire, & propterea annumeratus est cum Philosophis.) Sic qui patienter iniurias ferunt, digni sunt ingredi cælum, & aggregari numero Sanctorum. Tertio patientia sola implet officia aliarum virtutum, quia vasa fabricat, mundat, implet, & seruat. Ideo comparatur igni, quia in igne liquefit metallum, ad figuram vasorũ. Quod liquescit, habet ab igne, quod figuratur, habet à formula seu molleyo. Sicut ignis, sic patientia facit liquescere corda, vt facile ducantur in omnem figuram. Mala autem forma mundus, & ideo hortatur Apostolus. *Nolite conformari huic sæculo.* Bona forma Christus, Maria, & Sancti. Hi sunt terra argillosa, de qua solent fieri formæ. Omnia vasa quæ fecit Hiram regi Salomoni in domo Domini, de Auricalco erant. Debemus enim nos conformare Christo, beatæ Virgini, & Sanctis in humilitate, charitate, & cæteris virtutibus. Vasis autem non probatis stultum est in ea aliquid effundere. Vnde quasi videtur allegare, vt sibi aliquid infundatur, qui dicit se probatum, vt hic Psal. *Probasti nos Deus, igne nos examinasti.* Sap. *Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se,* & Iacob. *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Et hoc est quod hic dicit Dominus in Euangelio: *Beati qui persecutionem patiuntur,* &c. sed addidit *propter iustitiam.* Multi enim patiuntur propter suam malitiam & per iustitiam, qui propterea non sunt beati, sicut qui angustiantur in malitiæ suæ persecutione, quia contritio & infelicitas in vijs eorũ, & in malitiæ punitione. *In impietate sua corruet impius. Nemo vestrum patiatur quasi homicida aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.* Quidam autem sunt Martyres diaboli, qui pro explenda sua voluntate exponunt se supplicijs & morti, & quidam eorum feruntur, alij dure trahuntur ad patibulum inferni. Alij patiũtur propter suam stultitiam, vt qui credentes se felicitati mundanæ, incidunt in pœnam, vel propter defectum spiritualis consilij incurrunt difficultatem. Sic filius prodigus propter suam stultitiam incidit in penuriam, & homo qui descendebat ab Hierusalem, incidit in latrones propter suam stultitiam. Sed sancti Martyres passi sunt propter iustitiam, & ideo repromittitur

Exod. 8.
M Patientibus & martyribus legatur regnum cælorum
2. Mac. 7
Esai. 26
Prou. 12
Rom. 12
3. Reg. 7
Psal. 16.
Sap. 3.
Iac. 1.
Matt. 5.
Nota.
Prou. 12
1. Pet. 4.

mittitur eis pro mercede regnum cælorum. Qui enim seruit iusto Domino, non potest fraudari iusto stipendio, nec ille qui seruit iustitiæ. Alioquin iustitia non esset iustitia, si non liberaret eos in die iustitiæ.

X Beatitudo multiplex. Sed quæritur quomodo dicuntur beati qui persecutionem patiuntur. Non enim stant simul beatitudo & dolor, cum beatitudo debeat liberare ab omni pœna. Dicitur primo, quod multiplex est beatitudo. Quædam est beatitudo falsa, quædam vera. Beatitudo falsa est beatitudo amatorum mundi. Hinc Esa. dicit Propheta: Esai 3. *Populo meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt*, Psa 143 & Ps. *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt*, loquutus de abundantia temporalium, & subdit sententiam suam veram. *Beatus populus cuius Dominus Deus eius.* Cum enim beatitudo consistit in absentia mali & abundantia boni, & diuites habeant abundantiam mali culpæ, & defectum Eccl 31. boni gratiæ, patet eos non esse beatos. *Si diues fueris, non eris immunis à delicto.* Similiter de voluptuosis, quia secundum Boet. dulcedo felicitatis humanæ amaritudini- Eccl 7. bus multis respersa est. *Inueni amariorem morte mulierem*, quæ intelligitur voluptas carnis. Superbi etiam non sunt beati, qui vento vanæ gloriæ agitantur, qui à Deo & hominibus odiuntur, quos nunc torquet inuidia, nunc ira. Augustin. Curre per singula, & inuenies tot animę tormēta, quot vitia. Beatitudo vera est duplex, scilicet beatitudo viæ, quæ semiplena est, quam facit absentia mali culpæ, saltem mortalis, cum abundantia boni gratiæ, de qua hic loquitur Dominus, & ista non excludit dolores & afflictiones corporis. Alia est beatitudo patriæ quæ est plena, ad quam referri potest illud Ioan. *Petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.* Beatus autem hac beatitudine secundum Augustinum, est ille, qui omnia, quæ vult Ioan. 16. habet, nec aliquid vult quod non decet. In eo vero, in quo sunt gratiæ quę beatitudines dicuntur, iam impletum est illud, non aliquid vult quod non decet, illud vero omnia, quæ vult habet, quo ad temporalia videtur esse impletum, cum illa contemnat, & quoad futura bona quodammodo impletum est, quia habet ea in spe, & fere in re facilitate acquirendi. Et propterea hic dicitur persecutionem patientibus, quod ipsorum est regnum cælorum. Dicitur secundo quod licet non conueniant beatitudo, & dolor per se consideratus, tamen quia salutis argumentum est, correctus recte dicitur beatus, quoniam per hoc quod exterius affligitur, interius viuit. Paterna enim sunt flagella quibus affligitur, qui ad interiorem vitam ordinatur. *Flagellat enim Dominus* (vt inquit Apostolus) *omnem filium quem recipit.* Heb. 12. Vides quod licet sit magnum cuiquam vocari seruum Domini, tamen afflicti non vocantur serui, nec amici quod maius est, sed quod præstantissimum est etiam filij & dilecti. *Beatus igitur homo qui corripitur à Domino.* Iob 5. Vt autem scribit Gregorius in 8. Moral. Spes ista in nobis maneat, quoniam quantum in necessitatibus præsentis temporis de libertate in Dei filijs nihil apparet, tantum in futura libertatis gloria nihil in eisdem Dei famulis de seruitute parebit.

## *DE EODEM FESTO SER. IIII. & in ordine LXXVIII. Per Thema.*

*Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Matt 5. Quia Sancti, quorum solennia celebramus, dum hic essent, fuerunt misericordes, non solum misericordiam pro se cōsequuti sunt, sed etiam quotidie pro nobis consequuntur. Et ideo hodie maxime gaudere debemus, qui tot viris misericordiæ solennitatis obsequia impendimus, quia ab ipsis copiosam misericordiam sperare possumus. Vnde ad gaudium nos inuitat Ecclesia dicens in introitu missæ. Gaudeamus omnes, &c. Similiter dicitur in legenda beatæ Agnetis, quod cum post eius passionem parentes eius ad sepul-

A Solennitas omnium sanctorum est cum gaudio celebrāda.

chrum, vigilarent, & lugerent, viderunt chorũ virginum vestibus aureis radiantem, inter quas viderunt Agnetem simili veste fulgentem, & à dextris eius agnum candidiorem niue stantem. Quibus illa ait.

Videte, ne me quasi mortuam lugeatis, sed congaudete mecum, & congratulamini mihi, quia cum his omnibus luci das sedes accepi. Debemus igitur congratulari sanctis in die quo iunguntur agminibus beatorum, & in die quo regnare incipiunt, & testimonia veritatis fidei, & suæ sanctitatis nobis reliquerunt. Vnde Rabanus. Deus in diuersis mũdi partibus, diuersis pœnis martyres pati voluit, virtutibus diuersis relucere, vt vbique habeat testes veritatis, & exempla sanctitatis: vel etiam in die quo eorum memoria recolitur ab Ecclesia, sicut fit hodie, quemadmodum gaudere solemus de promotionibus, & bonis amicorum nostrorum. Secundo debemus illis congaudere, vt reddamus eis vicissitudinem Angeli enim & sancti faciunt festum &
Luc 15. gaudent de nobis. *Gaudium est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.* Christus etiam qui ibi designatur per mulierem quærentem dragmam perditam, dragma inuenta conuocat amicas & vicinas, id est virtutes Angelicas, vt ei de inuentione congratulentur. Similiter ibidem signatur per hominem habentem centum oues, qui inuenta oue quam prius perdiderat, gaudet cum amicis & vicinis.

Tertio debemus eis congaudere eos venerando, & orando, in eis confidentiam habendo. Sumus enim continue accincti ad pugnam, & ideo indigemus auxilio eorum qui inimicos nostros iam vicerunt, quoniam non debet gloriari accinctus æque, vt discinctus. Ideo dicitur in Psal. *Leuaui oculos meos in montes, vn-*
3 Re. 20 *venict auxiliũ mihi*, quia *de cælo est fortitudo*
Psa 110 Dicamus igitur Christo dicamus & ma-
1 Mac. 3 tri illud: *Cũ ignoramus quid agere debeamus,*
2 Pa. 20 *hoc solum habemus residui, vt oculos dirigamus ad te.* Sũt etiã sancti amici iudicis districti, coram quo habemus arduam causam pendentem, & ideo debemus eos rogare vt sint nostri intercessores. Quando enim Pharao plagatus fuit à Deo multis plagis rogauit Moysen & Aaron vt Deum rogarent pro eo vt tolleret plagas, & Deus abstulit. Similiter Moyses orabat Dominum contra Amalech, & obtinuit. Exod. 5. & 6.

Si igitur in hac vita mortales nobis similes tanta suis orationibus meruerunt alijs, quis dubitat quin sancti in cęlis Deo coniuncti inseparabiliter plus pro nobis possint impetrare? Et præcipue efficax est intercessio beatæ virginis quam salutabimus, &c.

Beati misericordes, hoc est dictum, qui misericordiam proximo facit misericordiam consequetur. Misericordia autem fit proximo multis modis, vel cum datur eleemosyna pauperi, vel cum iudex propter Deum viduæ, & orphani causam abbreuiat, discutit, & iudicat, vel cum pro innocente adiudicato alloquitur iudicem, vel pro populo vexato, vel exponit corpus suum periculo propter proximum, vel remittit offensam, vel qui aliorum necessitatibus quantũ in se est compatitur. Tales enim quia misericordes sunt, misericordiam consequentur. Hoc probatur tripliciter.

Primo auctoritatibus, secũdo inductione, & tertio rationibus. Primo auctoritate. *Miserebor eius qui fecerit misericordiam,* Osee 8.
non eius scilicet qui habuit. Multi enim habent misericordiam in hoc mundo, vt diuites latrunculi, & deprædatores populi. Sed istorum non miserebitur, sed eorum qui fecerint misericordiam. Secũdo auctoritate. *In iudicando esto pupillis misericors, vt pater, & pro viro matri illorum, & eris tu velut filius altissimi obediens, & miserebitur tui magis quam mater.* Nunquam enim mater ita miserta est filij sui vterini, sicut & Deus misericordis, igitur. Secundo batur inductiue. Primo in sanctis Patriarchis de Abraham qui cõpassus est subuersioni

*Misericordes consecuturos misericordiã probatur multipliciter.* Eccl. 4.

uersioni sodomitarum, vt patet in Dialogo facto inter Deum & ipsum, quo alloquutus est Deum pro illis. Et inde consequutus est à Deo misericordiam, & re
Gen. 11. promissiones magnas tam temporales quam spirituales pro se & pro semine suo.

Si in prophetis, habes Moysen qui ita pius & misericors fuit, quod Dominum alloquens super monte Synai ma-
Exo. 32. lebat à Deo separari, & de libro vitæ deleri pro tempore, quam deleretur & per-
Rom 9. deretur populus eius. Similiter in Apostolis Paulus id optabat, optans anathema esse à Christo pro fratribus suis secũdum carnem, scilicet Iudæis qui ipsum persequebantur, similis illi mulieri, sicut dicit Ber. quæ inuitata à diuite vt veniat ad prandium optimum, & quod dimittat puerum clamantem, non vult intrare nisi simul intret puer. Vnde & ille onustus compassione suorum fratrum dice-
2. Cor. 11 bat. *Quis infirmatur, & ego nõ infirmor.* Et tamen isti tantam misericordiam à Deo consequuti sunt, vt etiam viuentes in carne viderent gloriam Dei, & Apostoli per totum orbem reuerentur, & in cælo iudices constituuntur. Si ad martyres respiciatur, iam clare patet eorum misericordia, quomodo pro suis persecutoribus orauerunt Dominum. Plus enim eos affligebat compassio suorum inimicorum quam passio, imitatores Christi, quem crux interior plus afflixit compatiendo matri, & inimicis quam crux li-
Hebr. 5. gnea exterior. Hoc patuit *In oratione quam fudit pro suis persecutoribus cum lachrymis & clamore valido.* Et inde de misericordia eis facta cantat Ecclesia. Ideo regnum decoris, & Diadema speciei meruerunt de manu Domini. Si ad confessores prælatos, & religiosos descendamus, quanta compassione populum supportauerunt, nullus ignorat, nisi qui vitas eorum non legit, vel qui prædicationes sanctas non frequentauit. Quomodo orabant pro plebe, obijciebant se gladio Domini ferientis, & pacificabant iracundiam Domini, exemplo Aaron qui se pone- Num. 16
bat inter mortuos & viuentes. Num. Quomomo lachrymabantur peccata populi, vt patet de Ambrosio, qui plorabat quotiens peccatores confitentes audiebat, & inde magnam misericordiam consequuti sunt. Nam de miseri- Sap. 5.
cordia eis exhibita scribitur: Sap. *Ecce computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.* O magna gloria, o magna miseria, pauperem vermiculum adoptari in filium summi regis. Sed si ad virgines descendamus, istæ maxime misertæ sunt sui, quæ carnem suam castigantes inter magnos agones & tentationes carnem & animum integros seruauerunt.

Ideo de misericordia eis facta, dicitur: Apocalip. *Sequuntur agnum quo-* Apo 14
*cumque ierit. Magna autem est gloria sequi Dominum*, Igitur magnam misericordiam pro sua misericordia consecutæ sunt, igitur ex inductione concludere possumus. *Beati misericordes quoniam ipso-* Eccl. 28.
*rum*, &c. Tertio probatur duplici ratione. Vulgo dicitur homini sine misericordia, fiet tibi de tali pane talis offa, hoc est si non feceris misericordiã, non habebis misericordiam, quia tali vaginæ talis cultellus. *Iudicium sine misericordia fiet* Matt. 5.
*illi, qui non fecerit misericordiam.* Ideo de Antiocho illustri dicitur. *Orabat scelestus* Iac. 2.
*ille Dominum, à quo non erat misericordia consequuturus*, igitur per locum à contrario sensu, misecordiam habebunt, qui misericordiam fecerint, igitur. *Beati mi-* 2. Mac. 9
*sericordes*, &c. Secunda ratio. Vulgo dicitur vna bonitas aliam requirit. Cum igitur subueniendo indigenti quantum in te est subuenis Christo vt ipse testatur: Mathæi. *Quod vni ex minimis meis fe-* Mat. 25
*cistis, mihi fecistis*, sequitur quod ipse tibi debet retribuere misericordiam. Vnde & Angeli dicunt misericordibus quod scribitur: Reg. *Benedicti vos à Do-* 2. Reg. 2
*mino Deo, qui fecistis misericordiam cum Domino vestro*, igitur. *Beati misericordes, quoniam*, &c.

Dice-

pergit. Sepulchrum autem animæ mortuæ est corpus peccatoris, vt dicit Aug. Intolerabilis autē insaniæ est, viso feretro mortui, vel cadauere mortuo, ridere. Sic dementia est viso spirituali mortuo ridere. Exemplū de Eremita qui audito peccato fratris nunciato per alium fratrem, non potuit continere lachrymas dicens, ille hodie, & ego cras. Secundo prudentia mercatoris apparet, quando se associat cæteris ad lucrum numquā ad damnum, si velit fieri cito diues. Sic misericors Paulus faciebat, qui cū infirmis infirmus eras, sed cum scandalizatis non scandalizabatur, sed vrebatur. *Quis infirmatur, & ego non infirmor, quis scandalizatur, & ego non vror?* Quia autem misericors fœneretur putat in Paulo. Secundo per illud: *Domino fœneratur, qui miseretur pauperis*. Sed quod fœneretur patet ex tribus. Primo quia lucratur dormiendo cū pauper orat. Exemplo eremitæ à quo cum quærebatur quomodo possibile esset orare sine intermissione, Respondit, ego inquiens sum aliquando in oratorio, & postea operor aliqua quorū pretium supererogo pauperibus, qui pro me orant cum dormio. *Conclude eleemosinam in sinu pauperis, & ipsa orabit pro te*. Secundo quia tempore debiti creditores multa habent seruitia à debitoribus suis. Sic talis à Deo. *Qui accipit mutuū seruus est fœnerantis*. Tertio quia plus recipit quam det, scilicet vitam æternam. Vnde & Thomas Apostolus de modica pecunia temporali fabricauit Gōdoforo regi palatium nobile in cælo. Concedit enim pauperi, ac si dicat. Do tibi istam pecuniam Parisijs, sed tu reddes mihi centuplum imo millecuplum in tali loco, ad quē antequā perueniatur oportet trāsire pessimū passagium plenum latronibus, & piratis scilicet passagium mortis. Ibi enim transibit homo per foramen acus, vbi oportebit, quod spolietur. Sic itaq; apparet prudētia eius in hoc, quod fœneratur regi qui sibi potest capitale reddere conseruando gratiā, damna resarcire remittendo culpam, & vsuras soluere dando gloriā. De hac prudenti mercatura dicitur Math. *Quod prudentes virgines acceperunt oleum in vasis cordis cum lampadibus*, scilicet charitatis, quia sicut ignis sine oleo non ardet in lampade, sic ignis charitatis sine oleo misericordiæ nunquam ardet in corde. Tertio apparet prudentia in hoc quod scit intertenere suos mercatores, gratiose cū eis loquendo, non rixando, quia forte posset amittere forum per suam malam gratiositatē. Sic non oportet cum pauperibus, & cum his qui sunt in afflictione dure loqui, aut eos dure tractare propter duo. Primo, quia eorum maledictionē cito audit Dominus: *Maledicētu tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius, exaudiet autem eum qui fecit illum*. Bis dicitur quod exaudietur ad maiorem veritatis confirmationem. Quid ergo erit de malis qui deprædātur pauperes, & in afflictione constitutos, qui omni die pessima maledictione maledicunt eis. Certe quantumcumque tardet, Dominus audiet eos. Secūdo quia oportet ab eis emere regnū, quod notauit Dominus cum diceret: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum*, &c. Sic enim mercantur illi qui sibi amicos faciunt de mammona iniquitatis, vt cum ipsi defecerint, recipiant eos in æterna tabernacula. Sed quidam non curant de pauperibus, quia ignorāt bona spiritualia quæ exinde percipiunt. Non oportet autem intertenere eos, qui non sunt mercatores regni vt histriones, quia tales nunquam venient ad nundinas Paradysi, nec diuites, quia ridiculum est portare aquam fluminis ad mare. Similiter perditur vinum quod in vase iam pleno ponitur. Similiter merces portantur ad terram vbi sunt cariores, cariores autem sunt diuitiæ in domo pauperis quam diuitis. Secundo requiritur quod mercator sit diligens, ad quod duo requiruntur. Primo quod sit diligens cōsiderator mercantiarum reuoluendo eas, ne sint nimis veteres, corrosæ à vermibus quod sint tales in principio sicut in fine, ne sit fraus, aliter statim depaupe-

Marginal references: 2. Cor. 12 (beside "scandalizabatur"); Prou. 19 (beside "illud: Domino fœneratur"); Eccl. 29 (beside "pererogo pauperibus"); Prou 22 (beside "Qui accipit mutuū"); Matt 25 (beside "Quod prudentes"); Eccl. 4 (beside "Maledicētu tibi").

gna plebiscitatione retinentur. Exemplũ habemus ad propositum de quodã monasterio, quod cum quidam Abbas pius, & largus in pauperes moderaretur, maxime florebat etiam in temporalibus. Eo vero defuncto, cum Abbas sequens manum suam retraheret à pauperibus, cœpit quasi in nihilum redigi, vt vix haberent religiosi vnde nutrirentur. Qua vigente inopia, duę personæ in habitu pauperum introductæ sunt, (licet cum difficultate & occulte) in monasterium. Coram quibus dum fieret quærimonia de paupertate loci, responderunt hospites illi conquerentibus. Vnam personam abiecistis à monasterio, sine qua nihil dabitur vobis.

Sunt enim duo socij inseparabiles, date, & dabitur vobis, reiecistis, date, quia nihil amplius datis pauperibus, & ideo ablatum est, dabitur vobis. Sed reuocate primum socium, scilicet date, dantes eleemosynas pauperibus pro posse, & restituetur vobis secundus socius, quia plurima dabuntur vobis, quod & postea rei probauit euentus. Vnde & manus sacerdotibus inunguntur, vt discant sacerdotes exercere opera misericordiæ. Sed & Prælatis, vt etiam intelligant, non solum loquentes pauperes, sed & tacentes audire. Ratione sic probatur. Communiter dicitur, bene sunt debita bona his qui bene eis vtuntur, & de eis bene disponunt. Si enim sit vnus dispensator, qui non bene dispenset bona magistri, & sit durus pueris, licet pro tempore tolleretur, statim tamẽ expellitur. Si vero mitis, & dulcis pueris, & compatiens, sustinetur, ministrat omnia, & omnia sunt in manu eius, igitur à fortiori cum non sis nisi dispensator bonorum Domini, quæ dedit, si bene ministres, maiora dabit tibi. Prouer. *Qui dat pauperi non indigebit, & qui despicit deprecantes, sustinebit penuriam.* Vnde arbor abscisis ramusculis melius fructificat. Sic & diues abscisis superfluis, qui dat pro Deo, amplius fructificat, & fit amplius diues. Prou. *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt, alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt*, saltem conscientiæ, quæ non dat eis requiem die ac nocte. Tertio benedicitur benedictionibus vberum & vuluæ, id est fructus ventris Mariæ. Primo probatur auctoritate. *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam.* Misericors autem est mirabilis agricola. Primo, quia de spinis collegit ficus, quando de diuitijs, quæ spinæ sunt, colligit fructus vitæ æternæ. Item de rubo vindemiat vuas, quando de aculeis peccatorum compassionem lachrymosam, occasionaliter accipit. Et secundum Guilielmum Parisienem, quanto magis misericors oneratur aliorum oneribus, tanto velocius currit ad præmium æternum, & quanto magis oneratur cõpassione & dolore, tanto minus oneratur peccatis. Sed væ his qui non portant onera fratrum, & populi, sed magis propria populo imponunt, de quibus conqueritur Dominus: *Nihil compatiebantur super contritione Ioseph.* Galat. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*, & ita solus misericors adimplet legem Christi. Sic fecit Christus. *Quia peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum.* Sed contra legem Antichristi tenent, qui se exonerando alios onerant. Secundo ratione sic probatur. Curiales solent ad conuiuia, & festa à proximis inuitari, non autem homines tenaces qui non vellent expendere vnum obolum, nec alios volunt inuitare, nec (vt dicitur) sunt digni bona societate. Secundo, quia deuorant totum in manica sua, & in prandio, & sic nihil seruant ad cænam.

Tertio quia etiam vocati nolunt venire, pauperes autem bene, ideo ipsorum est regnum cælorum, igitur misericordes à Deo efficaciter inuitantur, non autem auari dicendo, venite benedicti patris mei, percipite regnum, &c.

Sed auaris dicet: Matth. *Ite maledicti in ignem æternum.* Propter me enim non velletis exponere vnum denarium.

Margin notes: Prou. 28. — Prou. 11. — 2. Cor. 9 — P Misericordes benedicuntur benedictione æterna. — Amos 6. — Gal. 6. — 1. Pet. 2. — Mat. 25.

Et quia sancti Dominum curialiter susceperunt, ideo in patria sua in regno suo eos maxime collocauit. Patriarchas, qui seniores in apocalipsi appellantur, consiliarios suos constituit, & Apostolos iudices, & martyres milites triumphantes de actibus quos hic fecerunt, cōfessores suos
Apoc. 5. prælatos regni, iuxta illud: *Fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes, & virgines*, Domicellas. Tertio hoc idē probatur exemplo de Panthera, cuius dum catuli in foueam syluæ cuiusdam delapsi, à quodam transeūte extracti fuissent, Panthera cum catulis gestiens virum illum vsque ad syluæ exitum deduxit. Simile quidam habetur. 11 libro histo. Ecclsiasti. ca. 4. de leena quæ pro catulorum luminibus à Machario restitutis, pelles ouium plurimas tamquam munera ei detulit. Si ista fecerunt bruta misericordibus, quid eis facturus est pauperum pater, qui pauperes suos in fouea paupertatis, & ab ignorantiæ, & peccatorum tenebris misericorditer liberare non cessat?

G Miseretur Dominus septem generibus hominum. Sequitur videre de secūdo scilicet qualiter misericordes à Domino misericordiam consequentur. Vnde multa sunt genera hominum, quæ à Domino misericordiam consequentur. Primo miseretur Dominus humilibus. Probatur per duo testimonialia. Primum est, quia dicitur
Dan. 3. Daniel. *Imminuti sumus super omnes gentes, vt possimus inuenire misericordiā*. Secundum
Sap 6. est Sap. *Exiguo conceditur misericordia*. Secūdo hoc ostenditur tribus similitudinibus. Primo quia piscator pisces paruos reijcit in aquam, aut transeunt per maculas retis, grossi vero retinentur. Sic per rete diaboli diuina misericordia pauperes spiritu, id est, humiles transeunt, grossi vero remanent, quia magis habent per quod teneantur, hinc est, quod nobilibus terræ Iuda captiuis, pauperes qui nihil habebant, dimisit magister militum in
4 Re. 24 terra Iuda. Vnde & leo humiliatis coram se parcit, sic & leo de tribu Iuda. Sed multi sunt peiores Leonibus qui pauperibus humiliatis insultant, similes canibus, quorum si vnus versetur in luto, alij currunt super eum, hoc modo miseretur Dominus pauperibus spiritu, qui sunt humiles subueniendo eis in necessitate eorum Ps. *Cito anticipent nos misericordiæ* Psal. 78. *tuæ, quia pauperes facti sumus nimis*, quasi dicat. Ne præcipitemur in diuersa pericula, quæ vobis imminent, cito anticipent nos misericordiæ tuæ. Secundo dando eis regnum cœlorum. Inde dicit: *Beati pauperes spiritu quoniam*, &c. Sic misertus est Dominus Apostolorum, qui pauperes omnia dimiserunt, ideo dedit eis regnum. Matt. 5. Secūdo miseretur timētibus se. Probatur duabus auctoritatibus. Primo per illud: *Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum*. Secundo per illud Ps. *Misericordia Domini ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum*. Et notanter dicitur ab æterno vsque in ęternum ad differētiam illius misericordiæ, quā facit Dominus diuitibus, qui non timent eum, quia illa est momentanea. *Misericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens*. Sicut enim nubes matutina madefacit terram, & postmodum adueniente calore solis totum siccatur, sic quod nihil plus apparet, sic post illam misericordiam quam habent in hac vita superuenit calor gehennæ, qui totum vrit, ita quod nihil plus apparet de illa misericordia. Et sicut post rorem magnum comiter sequitur magnus calor, sic post illam misericordiam sequitur ignis infernalis. Et propterea melius est hic sentire Deū quasi crudelem, vt in æternū sentiamus eum misericordem. Vnde Psal. *Mane sicut* Psal. 89. *herba transeat, & floreat, vespere decidat, induret & arescat*, in tormentis. Sed miseretur aliquando Dominus timentibus in hoc sæculo puniendo, & in alio sicut filij reseruando hæreditatem. *Quomodo miseretur* Psa. 102 *pater filiorum*, scilicet castigando, & flagellando. *Flagellat omnem filium quem recipit*, Hebr. 12. *misertus est Dominus timentibus se*, Et alibi: *Visitabo in virga iniquitates eorum*, & sequitur, *Misericordiam autem meam non dispergam* Psal. 88. *ab eo*. Hanc misericordiam petebat Augu.

Luc 1. Psal. 102 Osea 6.

hic vre,

hic vre, hic seca, vt in æternum parcas. Timétis enim, est præsentem tribulationem sustinere, vt euitetur æterna. Exemplum habemus de Mauricio Imperatore Romano, qui cum sæpius oraret Dominum, vt hic puniretur, & non in alio mũdo, timens iudicia Dei quæ exercentur in peccatores extra viam, traditus est Focæ militi suo, qui eum imperio priuans, cũ vxore & liberis in exilium pepulit. Et si dicatur, quia Focas Imperator dedit téplum Pantheon, & ideo videtur, quod fuerit bonus. Hoc non valet, quia & mali ædificant templa. Et secundum Aristot. 5. polit. cap. vlt. vna est de triginta sex cautelis tyranni simulare pietatem ædificãdo templa, vt sic videantur pij & iusti, & melius exerceant suam tyrannidem. Et propter hoc miseretur Dominus mitibus, qui timent irritare Deum & proximum, & inde possidebũt terram sui corporis, & consequenter terram viuentiũ. Similiter & pacificis, qui habent pacem in conscientia, qui timent offendere Deũ tanquam patrem suum, ideo filij Dei vocabuntur. Sic Confessores sancti, qui mitissimi fuerunt in populo, & pacificati in conscientia sua, habuerunt misericordiã à Domino, vt in hoc mundo fuerint vexati, sed postea possederunt terram, & filij Dei facti sunt. Tertio miseretur confitentibus. *Qui confessus fuerit, & reliquerit scelera sua misericordiam consequetur.* Ideo dicebat Psal. *Confitebor tibi in directione cordis mei, in eo, quod didici iudicia iustitiæ tuæ.* Vnde mitigatio est quibusdam amicis suis ostendere infirmitatem suam, à quibus nihil commodi reportare possunt, quanto magis summo medico, ostendendo ei quot accessiones, & quando, & quomodo habuit peccator in tali infirmitate. Ideo dicebat Dauid: *Miserere mei Domine. Sana animam meam quia peccaui tibi,* id est confiteor me peccasse. Quãdo enim homo deliquit & petit, quod fiat sibi secundum legem curiæ vel principis, non debet sibi negari. Lex quã Christus statuit, est quod homo habeat misericordiam si debite pe-

Prou 28
Psal. 118
Psal 40.

tat. Inde quando Dominus vocauit Matthæum, qui erat peccator, dixit: *Discite quid est, misericordiam volo,* ecce lex Dei. Et in hoc est curialitas Dei, qui dedit talem legem, quod qui allegat contra se, habet misericordiam. Ideo Ps. precatur: *In lege tua Domine miserere mei, dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via.* Et secundum hoc lugentes peccata sua habebunt misericordiam. Et ideo dicit Dominus beati qui lugent &c. Hinc Psal. orabat. *Fiat misericordia tua Domine, vt consoletur me.* Conuertitur autem aqua eorum in vinum lætitiæ conscientiæ, & præmij æterni. Et hoc modo Maria Magdalena, & Maria Aegyptiaca, quæ lugebant sua, & aliorum peccata, iuerunt per aquam in paradisum. Quarto miserebitur de se iusticiam facientibus per pœnitentiæ austeritatem. Hoc patet per illud *si anima in correptione fuerit, ad misericordiam tuam licebit peruenire.* Ideo dicitur Thob. *Conuertimini peccatores, & facite iustitiam.* id est non expectetis, quod de vobis fiat iustitia, sicut de latronibus. *Nemo vestrum patiatur quasi fur, aut homicida, sed vosipsi de vobis facite iustitiã.* Vnde obsequium facit Deo, qui de se ipso facit iustitiam. Defert enim ei, & parcit à labore, quia valde laboriosum est deo facere iudicium, & vindictam. Es. *heu consolabor ego super hostibus meis.* Ideo Dominus tali seruiet de seruitio suo, & suo proprio opere, quod est misereri, quia non cogitur se intromittere de alieno ministerio, quod est punire, de quo Esa. *Alienum est opus ab eo.* Inde sancti qui fecerunt de corpore suo iustitiam, beati sunt, & ipsi saturabuntur. Sic etiam qui bene iustitiam fecerint ad suum proximum, saturabuntur. Iustitia autem non est morsellus qui modo cito inueniatur, & si inueniatur, ita care venditur, quod per pauperem emi non potest. Et ita si velimus, quod Dominus nostri misereatur, oportet quod iustitiam de nobis faciamus. Non autem oportet facere sicut facit filius stultus, quia accedit ad tabernam super bursam patris sui. *Ne dicas mi-*

Matt 9.
Psal. 24.
Psal. 118
Tob. 3.
Tob. 13.
1. Pet. 2.
Esai. 1.
Esai 28.
Ecc.

*seratio Dei magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur*, quasi dicens, bene soluet quicquid expendam. Misericordia enim in bonos, & ira in malos ab illo cito proximabũt. Quinto miseretur Dominus misericordibus.

H Misericordia magna est virtus, per quã lapidatur diabolus. Vnde tanta res est misericordia, quod ipsa assignatur in præmium, & ipsa redditur sibi circularis sicut cœlum, quia ipsa cœlestis est, & sicut cœlum est quinta essentia super quatuor elementa, ita ipsa super virtutes est, ideo quinto loco ponitur in Euangelio. Tanta est etiam misericordia, maxime secundum Augustinum, quod eam diabolus timet, vt pote hostis misericordiæ, & qui eam habere non potest, eo quod inuenta est iniquitas eius ad odium. Hinc est quod cum homini cætera arma deficiunt, in hoc contra diabolum pugnare potest. Quod significatur Reg. Vbi dicitur: quod cum Dauid non haberet armorum consuetudinem, & non posset portare arma Saulis, tulit quinque limpidissimos lapides de torrẽte, & misit eos in peram pastoralem, quibus de Golya triumphauit. Arma pœnitentium sunt, ieiunia, vigiliæ, peregrinationes, & huiusmodi, quorum multi cõsuetudinem non habentes, tollant lapides de torrente, id est dona pauperibus eroganda de bonorum temporalium affluentia. Pera enim vas est pastorale, id est cor pium, de quo procedunt lapides ad interficiendum Golyam, id est munera de cordis compassione ad diabolũ prosternendum. Vnde diabolus dixit Domino: Dic vt lapides isti panes fiant. Sed Dominus de panibus fecit lapides, quia eleemosynæ lapides sunt quibus obruitur, & lapidatur diabolus. De quibus Eccl. *De stercoribus boum lapidatur piger*, id est diabolus. Eleemosyna enim de cordis compassione, tanquam de pera transire debet ad manum in opere. Sexto miseretur Dominus sperantibus in eum. Psal. *Sperantem autem in Domino misericordia circumdabit*, & Eccl. *Qui timetis Dominum sperate in illum, & in oblectationem veniet vobis misericordia Dei*, quia spes non est sine gaudio. Vnde allegabat Dauid: *Te sustinui tota die, reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum quæ in sæculo sunt*, quasi dicens, iam diu tenuisti consuetudinem hanc, ideo ad nos constitue tempus miserationum. Sic sancti Prophetæ sperabant in eum, expectantes misericordias eius. Psal. *Vsquequo Domine continebis in ira misericordias tuas.* Sed quidam sunt qui non expectant, sed qui præueniunt horam prandij, & replent se cibis prauis, id est vitijs, & per consequens fraudati sunt à desiderio suo. Sed alij sunt qui expectant Deum, qui nihil boni fecerunt. Sed hoc stultum est, quia qui nunquam seminauit nisi cardones, velit colligere frumentum. Beati autem mundo corde, qui abstinent ab illicitis desiderijs, tanquam à cibis malis propter munditiam cordis & carnis, sic expectantes horam refectionis, quæ erit in visione diuina, quoniam (vt ait Christus) ipsi Deum videbunt. Septimo miseretur Dominus diligentibus eum. Exod. *Ego sum Dominus Deus faciens misericordiam in millia his qui diligũt me.* Et Deut. *Dominus Deus fortis, & fidelis, custodiens pactum, & misericordiam diligentibus se.* Nullus autem amplius diligit Deum, quam qui persecutionem patitur propter iustitiam, quia talis patitur propter Deum. *Maiorem vero charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* & ideo maximam consequuti sunt misericordiam Martyres, qui pro iustitia fidei Christi conseruãda, mortem subierunt. Matth. *Beati igitur qui persecutionem patiuntur*, &c. Concludit Dominus in fine loquens Apostolis: *Beati estis cum maledixerint vobis homines*, &c. Ex quo patet, quod non est timenda maledictio mundi, quia Psal. *Maledicent illi, & tu benedices*, & sic maledictio mundi habet benedictionem Dei annexam, sed potius timenda est eius benedictio, quia illa habet annexam Dei maledictionem. Luc. *Væ vobis cum benedixerint vobis homines.*

Marginalia: 1. Re. 17 · Eccl. 22. · Psal. 31. · Eccl. 2. · Psal. 24. · Psal. 76. · Exod. 20. · Deut. 7. · Ioan. 15. · Matt. 5. · Psal. 108. · Luc. 6.

**DE DEFVNCTIS, SERMO** *primus, & in ordine LXXIX. Per Thema.*

Eccl 38. *Memor esto iudicij mei, sic enim erit & tuum, mihi heri, & tibi hodie.* Notandum quod principale & præcipuũ festum, & annuale in matrice vel cathedrali Ecclesia curatus pronunciat in Ecclesia sua, & facit solenniter celebrari Sed tamen quando habet aliquod festum sibi speciale, vtpote quãdo speciales reliquiæ in Ecclesia illa requiescunt, illud festum sacerdos solennius præconizat populo, & deuotius solennizat. Matrix Ecclesia est illa quæ sursum est Hierusalem mater nostra. In illa est solium & sedes Episcopalis, quam viderat Esaias: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, & plena erat omnis terra maiestate eius.* In hac cathedrali sunt proprie Canonici, habentes beneficia sine cura. Ita de ea cantamus, quam felix illa ciuitas in qua iugis solemnitas, & quam iucunda curia, quæ curæ prorsus nescia. Ecclesiam vero parochialem huic subditam, voco Ecclesiã militantem, in qua & si sint multi beneficiati, habentes beneficia Dei, siue in temporalibus siue in spiritualibus, tamen nõ sunt hæc beneficia sine cura. *In hoc*, scilicet mundo, *vanitas & cura superflua est.* Heri celebrauimus in Ecclesia nostra festum, sed non Ecclesiæ nostræ proprium, cantando gaudeamus, quod non est propriũ nobis, sed hoc fecimus confirmando nos matrici Ecclesiæ nostræ triumphanti, cuius est illud festum principale, scilicet festum omnium Sanctorum, hodie habemus celebrare festum nobis speciale & proprium, non de illis, sed pro illis, quorum reliquias habemus & custodimus in parochia nostra, scilicet pro mortuis, qui dimiserunt reliquias suas paruulis suis, scilicet parentibus iure successionis hæreditariæ, vel paruulis Christi pauperibus. Paral. *Reliquiarum est copia ista quam cernis.* Hoc est abundantia diuitiarum quam modo videtis in Ecclesia, est de reliquijs mortuorum. Ideo Psalm. *Reliquiæ cogitationum diem festum agent tibi*, id est pro cogitatione & recordatione reliquiarum, quas dimiserunt mortui, inde successores festiuabunt tibi.

*A Defunctorum commemoratio est quasi speciale festum nostrum.*

*Esai 6.* *Eccl 4.* *2 par 31* *Psal. 65.*

Duplices autem sunt reliquiæ quas dimiserunt, scilicet corpora, & ossa, & diuitiæ. Et ideo licet festa quæ facimus nos, confirmando illi Ecclesiæ supernæ, sint festa exultationis, tamen festum quod est Ecclesiæ nostræ proprium debet dici festum mortuorum vel afflictionis, quia confusa sunt hic omnia, spes, metus, mœror, gaudium, & incursu tot phantasmatum turbatur cordis sabbatum. Propter quod Augustinus ait: Quis non lugeat hic, quis non dicat, fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus, id est, vbi quotidie expecto sponsi mei præsentiam. Sic lugent animæ purgatorij ex dilatione sponsi Christi & coniunctionis ad eum, & eo pane afflictionis sustentantur. Durus certe panis ad masticandum: Et quia pia mater solet suis filijs distribuere bonum panem. Luc. *Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris*, &c. Ideo ad piam matrem Mariam tam pro illis amicis nostris: quam pro nobis accelerabimus petituri. Primo pro eis panem consolationis. Secundo pro nobis panem doctrinæ & gratiæ. Vt igitur petitiones nostras exaudiat, præsentemus ei: Aue gratia plena, &c.

*Luc. 11.*

Hodie sedet confratria omnium fidelium defunctorum. Beata anima quæ meruit esse particeps huius confratriæ, tenens compaginem charitatis, de qua Psalm. *Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum*, & Prouer. *Frater qui iuuatur à fratre quasi ciuitas firma*, id est firmata clypeis orationum. In confratria omnes fratres simul vescuntur, qui per omnes dies anni, solitarium vescebantur vnusquisque in domo sua: Sic fideles animæ omnes hodie conuescuntur. Per totum annum potuit quis sibi præ-

*B Defunctorum cõfratria est in dei anima rum.* *Psal. 132.* *Prou. 18*

do collocat eas in congregatione sanctorum, iuxta illud Psal. *In concilio iustorum & congregatione magna opera Domini.* Cuius collocationis in gloria accelerationem promerentur fideles hic existentes orationibus suis & oblationibus, & præsertim credendum est hodie multas animas à purgatorio liberari. Si enim (vt dicitur Iosue) Iosue rogante Dominum vt non moueretur sol contra Gabaon, & luna contra vallem haylon, stetit sol per spacium vnius diei, obediente Deo orationibus iusti hominis, sic elongata est dies per totum mundum ad impugnationem inimicorum, à fortiori ratione ad supplicationem omnium fidelium viuentium breuiabitur dies pœnæ iustorum. Secundum motiuum est magnitudo cruciatus. Pæna enim purgatorij est grauissima. Sed pro maiori intelligentia materiæ. Quæritur vtrum pœna purgatorij excedat omnem pænam temporalem. Quod non videtur, quia pæna purgatorij directe contra venialia ordinatur, sed venialibus cū sint leuissima peccata, leuissima pœna debetur, si secundum mensuram delicti sunt plagarum modus. Item vt ait comicus, pro peccato magno filij paululum supplicij satis est patri, sed existentes in purgatorio sunt filij Dei per adoptionē, quia in gratia eius, igitur licet admisissent grauia peccata, deberent tanto parū à Deo tanquam à patre suo puniri. Dicitur primo, quod pœna damni quam habent est valde magna. Secundum Thomam in. 4. distinctione. 21. & excedit maximam huius mundi pœnam. Patet, quia quantomagis aliquid desideratur, tanto eius absentia est molestior, & quia effectus quo desideratur summum bonum post hanc vitam, in animabus sanctis est intensior, quia non retardatur affectus mole corporis. Et etiam quia terminus iam fruendi aduenit, nisi aliquid impediret. Ideo de retardatione maxime dolēt. Dicitur secundo, quod pœna sensus est acerrima, quia tota anima læditur. Vnde secundum Bonauenturā in. 4. distin. 20.

Psal. 110
Iosue 10
D
Purgatorij qualis & quāta sit pœna.

In expositionem textus, duplex est status hominis, vnus in quo sceptrum habet misericordia, & hic est status vitæ præsentis, pro quo dictum est, *Melius est mihi incidere in manus Dei quam in manus hominū.* Alius est in quo sceptrum habet iustitia, & hic est status vitæ futuræ, pro quo: Heb. *Horrendū est incidere in manus Dei viuentis.* Et quia cum Deus sit misericordissimus, & ideo plus impendat quam mens humana possit æstimare, cum sit etiam similiter iustissimus, quamuis non sit ita pronus ad puniendum, tamen ita grauiter punit quod horribile est cogitare. Vnde Beda libro 3. hist. anglo. de sancto Furseo recitat, quia corpore exutus, & ab Angelis leuatus in cœlum, præcepto Angeli ima intuitus vidit vallem tenebrosam ignibus succensam, viditque dæmones in igne volitantes, quorū vnus super eum tunicam factauit ignitam, quā de bonis mortui prius se accepisse cognouit. Cui clamanti ait Angelus, quod incendisti arsit in te. Anima vero ad corpus redeunte signum incendij visibiliter pertulit in humero, & maxilla. Si iste tot pœnarum accepit arras pro dono sibi gratis dato, pro quo vt debuit non satisfecit, quid sustinebunt qui rapiunt iniuste bona defunctorum? Ideo facienda est hic pœnitentia, quia *Qui timet pruinam irruet super eum nix*, id est qui timet modicam pœnitentiam hic accipere, irruet super eū pœna purgatorij. Dominus enim patiens est creditor, & pœnitentes benigne expectat vsque ad purgatorium, dummodo abstineant, & vere doleant de peccatis, & tamen Deus misericordiam facit, quando ad purgatorium vadunt, quia pauci illuc intrant. Vnde tempore mortis Thomæ Cantuariens. quidam suo choro apparens reuelauit, quod illo die mortis Thomæ in toto mundo moriebantur tria milia hominum triginta & tres, de quibus tria millia iuerunt ad infernū triginta ad purgatorium, & tres ad cælum scilicet Thomas martyr, & duo alij. Cum igitur de die iudicij scriptum

2. Re. 24.
Heb. 10.
Iob 6.

Quod erat canticum viginti quatuor seniorum, & Thob. *Per vicos Hierusalem Alleluia cantabitur*. Tales autem nondum sunt in illa patria, & ideo dicere possunt. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena.* Secundo gaudent propter subuentionem per suffragia, quæ quidem subuentio innotescit eis quadrupliciter. Primo diuina inspiratione. Secundo angelica reuelatione, 13. quæstione secunda, fatendum. Tertio morientium nouiter intimatione. Quarto experientiæ cognitione, quia cognoscunt se alleuiari, & per consequens ibi superesse debere pauco tempore.

Tob 13.
Psal. 1. 6

Et inde est quod seruitium mortuorũ non habet secundas vesperas. Seruitium enim sanctorum, incipit à vesperis & completorio & terminatur in vesperas & completorium quasi sit circulus in laude eorum. Apud Philosophos enim circulus caret fine, ideo ad ostendendum, quod sine fine laudabuntur, eorum seruitium in vespera terminatur. Quia vero luctus mortuorum sanctorum finietur, quia non dabit Deus in æternũ fluctuationem iusto, & Apocalip. *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum*, ideo non habent secundas vesperas. Vt aut dicit Ioannes Beleth in hoc quod non habent secundas vesperas datur intelligi, quod terminabitur officium luctus pro eis factum, sed ideo sancti habent duas vesperas pro glorificatione corporis & animæ Tertio gaudent animę illę & alleuiantur quia vident quod sancti afficiuntur eis. Ciues enim superni orant Deum pro his quos cruciari cernunt. Secundum autem Bonaue. in. 4. dinstinct. 45. tria inducunt sanctos orare pro his qui sunt in purgatorio. Primo est eorum necessitas, quia indigent ab aliis releuari. Secundum, est Dei voluntas, qui vult vnum mẽbrum aliud releuet. Tercium futura iucunditas, vt scilicet eorum gloria accidentalis augeatur cum videat eos futuros cõciues suos. Potest autẽ superaddi quartum scilicet fidelis deuotio quam habuit defunctus in vita sua ad sanctum, vel ad sanctos. *Sancti per fidem vicerunt regna*, scilicet dæmonum, extinxerunt impetum ignis, scilicet purgatorij. Qui enim nunc propter honorem sanctorum aliquid faciunt, vtpote qui propter eos satiant pauperes, & famelicos, tunc à sanctis liberabuntur à purgatorio, vel etiam qui ædificauerunt Ecclesias, suas vt patuit in Dagoberto qui fundauit Ecclesiam B. Dionisij, qui à locis pœnalibus ereptus est per beatum Dionysium, Mauricium, & Martinum, vt recitauit vir quidam sanctus propinquus illis locis se vidisse, & mortem illius Dagoberti nunciauit. Quarto gaudent, quia sciunt pœnam illam esse ad purgationem, & ad vtilitatem suam, non ad exterminationem. Vnde purgatorij pœna solo nomine ignis appellatur, vt vult Thom. in. 4. distin. 21. Et pœna inferni pluribus secundum illud Psalm. *Ignis sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum*. Et hoc quia pœna inferni est ad affligendum ordinata, ideo nominatur omnibus illis, quæ hic nos affligere consueuerunt, pœna vero purgatorij principaliter ad purgandum reliquias peccati. Quia ergo ignis de sua natura habet purgare, & consumere, ideo sola pœna ignis purgatorio attribuitur.

Apoc. 7.
Hebr. 11
Psal 10.

Quinto quia à dæmonibus non puniuntur secundum Bonauenturam quia non decet illum, qui de aliquo iuste triumphauit, postea puniri per ipsum de quo triumphatum est, sed animæ quæ sunt in purgatorio adherendo iustitiæ vicerunt diabolum, igitur non esset conueniens, vt punirentur dæmonum ministerio. Aliqui tamen dixerunt oppositum allegantes quod nunquam in scripturis, vel historijs legitur, quod boni Angeli vexauerint bonos, sed mali bonos, vt de Iob, & Antonius & aliis sanctis legitur. Mali vero & à bonis, & à malis Angelis vexãtur, quia quod vexat alterum quodammodo ipsum odio habẽt, diabolus autẽ odit bonos, & malos,

ideo vtrosque affligit cum sibi permittitur. Boni vero solum malos odiunt, ideo solos affligunt vt Ægyptios & Sodomitas. Et hæc opinio concordare videtur multis exemplis, qui communiter narrãtur. Alij dicunt quod ministerio bonorũ Angelorum affliguntur. Sed non est verisimile, quod tam grauiter affligant & puniant conciues suos, nec hoc de facili probari posset per scripturam. Ideo Bona. & Rich. dicunt, quod licet boni Angeli, & mali morientibus assistant, boni ad iuuandum mali ad nocendum si possint, tamen in loco purgatorij non puniuntur animæ ministerio dæmonum nec bonorum Angelorum, sed sola diuina iustitia ignem purgatorij, sicut instrumentũ applicante ad punitionem earum, sicut & ipsos dæmones hoc modo affligere creditur. Boni tamen Angeli, vel etiam mali bene deducunt animas ad loca pœnarum. Vtraque pars est probabilis. Dicitur sexto & vltimo, quod ignis ille purgatorij licet non sit æternus, est tamẽ miro modo grauis, vtpote eiusdem speciei cũ igne inferni, ac exuperat omnem pœnã quam aliquis in hoc mundo perpessus est, vt dicit Augustin. Mirum est ergo quod non compatimur mortuis in illo igne existẽtibus. Si videres aliquem puerum vel alium etiam ignotum in igne, statim ei occurrere, etiam si tyrannus, & tu nõ occurris patri vel matri? Si etiã aliquis multum compatitur ei quem ignis S. Antonij comburit, quantum debet compati illi, qui igne illo valde grauiori cruciatur. Certe debes timere quando vides comburi domos proximorum tuorum, ne in igne illo comburaris, & non succurratur tibi, sicut nec alijs succurris. Tunc enim tua res agitur, paries cum proximus ardet, & vt vulgo dicitur. Nullus scit quid pendet ad oculum. Nam vix euaditur ignis ille, quia Dominus in futuro sæculo, vt dicitur Malac. *Sedebit conflans, & emundans argentum*. Exemplum est ad hoc in dialogo Gregorij de Paschasio diacono, qui licet vir esset sanctæ conuersationis, & taliter, quod post eius obitum ad tactum dalmaticæ suæ sanatus est quidam dęmoniacus, non tamẽ euasit pœnas purgatorij, sed in quibusdam angularibus thermis locum purgationis accepit. Quo cum venisset Germanus Capuanus Episcopus, ex medicorum consilio se ibidem lauaturus prædictum Paschasium illic reperit, quem tamen postea suis precibus liberauit. Tertium motiuum quo induci debemus ad compatiendum mortuis est obligatio multiplex. Prima est iure amicitiæ carnalis vel spiritualis, aut vtriusque simul. Et ideo clamat anima illic existens. *Miseremini mei: miseremini mei: saltem vos amici mei*. Potius enim auxilium ab amico quæritur quam ab alio, quia amicorum magis debet esse affectio pia, voluntas succurrendi magis prompta, & operatio minus pigra. Inde dicit Arist. 8. Ethic. quod amicorum est idem velle & nolle, & Catho. auxilium à notis petito, si forte labores. Et quia animæ iustorum laborant in purgatorio, ideo non est mirum si ad amicos recurrant dicentes: Misereminí, &c. Secunda obligatio est iure gratitudinis, concernẽs eos maxime quibus defuncti bona fecerunt vel reliquerunt. Solent autem homines nodum facere in corrigia pro memoriali. Nodus in corrigia sunt temporalia bona, quæ debent nos inducere ad memoriam defunctorum. Ideo pater quærit à filio illud quod Ioseph à pincerna Pharaonis. *Mementõ mei dum bene tibi fuerit, & fac mecũ misericordiam, vt suggeras Pharaoni & educat me de isto carcere*. Memento mei, scilicet mei & meæ paupertatis: dum tibi bene fuerit in diuitijs, quas dimisi tibi, vt in die bonorum non sis immemor malorum: & fac mecum misericordiam, scilicet sicut feci tecum, quia vna bonitas aliam requirit, vt suggeras Pharaoni. Iste enim est vnus modus quo releuantur animæ defunctorum, scilicet per orationes. Et ad hoc idem commonet Dauid pijssimus, dicens: *Considera Israel pro his qui mortui sunt. Filiæ Israel super Saul flete, qui vestiebat vos coccino*

Malac. 3. Iob 19. Gene 40. 2. Reg. 1

*coccino in delitijs*. Sed ecce quod debuit esse memoriale, est causa obliuionis. Gallina enim in augusto dum satis comedit, hominem contemnit. Tertia obligatio est iure promissionis, sicut in filio qui promittit patri sicut communiter accidit. Et si oportuerit me mòri tecum, non te negabo, id est nunquam tui obliuiscar. Sed inuenitur sæpe oppositum, & potest dicere pauper pater.
Esai. 1. *Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me*, & illud Ps.
Psal. 17. *Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt. O generatio peruersa & infideles filij, vtinam saperent & intelligerent, & nouissima prouiderent*, quia sic eis fiet.
Matt 4. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*, & non solum sic eis remetietur, sed se damnant & perdũt. Si Dominus profert sententiam in illum qui non est misertus conserui sui dicens:
Mat 18. *Nonne oportuit & te misereri conserui tui, mittite eum in tenebras exteriores*, quomodo iudicabit in eum, qui non miseretur patris & matris ibidem existentium? Sed dices: Nonne filij & amici satisfaciunt mortuis, qui sic eos plangunt, & qui talia eis funera faciunt. Dicitur primo quod plus plangunt proprium, quam mortui incõmodum. Vxor, quia non erit in tanto honore vel rerum copia, filij, quia non habent consuetam consolationẽ vel sustentationem, serui: quia seruitium amiserũt, amici quia non habent solita festa & cõmoda, vel quia solatium ab illo viuo habuerunt in re vel in spe. Dicitur secundo, quod in expensis illis communiter plus intendunt propriam ostentationem quam mortui vtilitatem, cuius rei primũ signum est, quod mallent in talibus expendere multas marcas, quam de debitis vnum solidum restituere, vel de male ablatis. Secundum signum quia de cera & pannis minus quam possunt pro defunctis apud locum sepulturæ dimittunt, & totum, si sine verecundia possent, reportarent. Hæc ergo non satisfaciunt mortuis: sed petunt suffragia, & eleemosynas, quæ extinguant ignem purgatorij, & releuent ab eis manum Domini. Clamant

F Funeralium sumptuositas non satisfacit defunctis.

enim sicut Iob: *Manus Domini tetigit me*, Iob 19.
quia Psal. *Extendit manum suam in retribuendo*. Psal. 54.
Sed ita ferreus es quod nulla compassione moueris, nec faciem tuam dignaris illuc conuertere. Ideo conqueritur pater.
*Quare faciem tuam abscondis, arbitraris me inimicum tuum?* Iob 13.
Et in hoc excedis feritatem bestiarum, quia bruta sibi inuicem naturaliter subueniunt. Sed quare hoc contigit mortuo, quia ante se non misit lumẽ, id est opera bona, vt possit dicere, *In tenebris straui lectulum meũ*, & ideo secundũ Ps. Iob 17.
*Factus sum sicut homo sine adiutorio?* & Mach. Psal. 87.
*Facta est extera semini suo, & nati sui reliquerunt eam*. 1 Mac. 2
Quartum motiuum est, quia nostri memorabuntur animæ illæ quas liberauerimus à purgatorio. Vnde quando aliqui sunt in miseria qui expectant venire ad aliquid magnum, solent dicere amicis suis. Licet modo simus pauperes, erimus tamen aliquando in magno statu, & hoc faciunt vt adiuuentur ab amicis. Sic faciũt mortui qui sunt in purgatorio. Licet enim nunc sint in pœna, tamen aliquando venient ad magnum statum, scilicet ad vitam æternam, ita vt possint dicere: *Mortui sumus cum Christo, credimus quia etiam simul viuemus cum illo*. Rom 6.
Et ideo debemus eos iuuare. Tunc enim cum fuerint in gloria, iuuabunt nos. Impossibile est enim vt sit ingratitudo in illa gloria, cum igitur cognoscant suos benefactores, sequitur quod pro eis rogabunt, & Dominus exaudiet preces seruorum suorum. Nam Ps. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus*. Psal 40.
& Gen. *Recordatus est Dominus Abrahæ, & liberauit Loth de subuersione Sodomæ*. Prouer. Gen. 19.
*In bonis iustorum exaltabitur ciuitas*, scilicet purgatorium. Prou. 11.
Ideo possunt dicere nobis quando liberamus eos, illud Psal. *Liberasti nos de affligentibus nos*, & illud Ruth. Psal 43.
*Faciat Deus misericordiam vobiscum, sicut fecistis cum mortuis*. Ruth 1.
Vnde cuidam religioso oranti apparuit mater sua post mortem, quasi per cratem ferream extensa, prunarum ardentium superposita congerie copiosa. Cui proinde admiranti & quærentĩ

rentiquæ nam esset: respondit quod mater sua, qui tali incendio durissimo torquebatur, sibique concessum erat à Deo de gratia speciali, quod ad filium accedere posset suffragia petitura: adiecitque quod si triginta missas pro ea diceret deuote, prorsus purgata rursus eidem appareret. Completis itaque triginta diebus & missis, mater ei gloriosa oranti gratias agẽs apparuit: se asserens suis orationibus liberatam, & ei cum gaudio val dixit. Clamant enim cuilibet nostrum:
1.Re.12 *Erue nos de manu inimicorum nostrorum, & seruiemus tibi.* Et certe ita facient, imo etiã aliquando temporaliter seruiunt. Legitur enim quod quidã miles fugiens hostes suos, intrauit in quoddam cœmeterium, & statim omnia corpora mortuorum surrexerunt, quasi vir vnus parati ad auxilium militis. Et hoc fuit quia libenter dabat eleemosynas pro mortuis: & frequenter pro eis orabat. Et tunc hostes sunt in fugam versi. Quintum motiuum est multitudo existentium in purgatorio. Videmus enim quando isti nũcij veniunt per Ecclesias de diuersis hospitalibus, & prædicant se multos habere infirmos & impotentes, multa eis dantur. Sed non est ita largum & magnum hospitale in toto mundo, nec vbi sint tot impotentes & indigentes sicut in purgatorio, etiam si omnes hospitales domus essent in vnum congregatæ, igitur multum sunt iuuandæ animæ illæ. Pro secũda parte quæritur, vtrum suffragia facta per viuos prosint defunctis.
Eccl. 11 *Vbicumque ceciderit*
G *lignum, siue ad austrũ, siue ad aquilonem, ibi sta-*
Defunctis an *bit.* Item Eccl. *Ibit homo in domum æternitatis*
prosint *suæ.* Quia igitur non habemus hic domũ
suffragia permanentem, & alia domus est æterna,
Eccl. 12 si in purgatorium ceciderimus, nunquam tamen exibimus. In oppositũ dicit scri-
2 Mach. ptura. *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro*
12. *defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Dicitur primo quod triplices sunt mortui. Quidam moriuntur contra Christum, & pessime, qui semper restiterunt mandatis eius, de quibus Ps. *Astiterũt reges terræ,* &c. *aduersus Dominum & aduersus Christum eius.* Et tales non resurgent ad vitam, quia Ps. *Non resurgunt impij in iudicio, neque peccatores* Psal. 6.
*in consilio iustorum.* Alij sunt qui moriuntur propter Christũ & pro Christo, vt Martyres, de quorum morte Ps. *Pretiosa in con-* Psal. 115
*spectu Domini mors Sanctorum eius.* Alij moriuntur in Christo, vt bene viuentes, de quibus Apostol. *Beati mortui qui in Domino* Apoc. 14.
*moriuntur.* Quia sicut dicimus quod aliquis moritur inter brachia eius, ita possumus dicere quod ipsi moriuntur in Domino: quia moriuntur inter brachia ipsius, id est inter baptismum & pœnitentiam ab ipsis brachijs tenti & adiuti, sicut tenetur & iuuatur à brachijs alterius, qui inter brachia eius moritur. Ideo dicit Ioannes Beleth, quod antiquitus in Sarcafago cum corpore mortui ponebatur laurus & hædera, quæ virorem perpetuum seruant, quia illi qui in Christo moriuntur, viuere non desinunt, quia licet illi secundum corpus moriãtur, secundum tamen animam in Domino viuunt. Dicitur secundo quod damnatis, & qui contra Christum moriũtur non prosunt suffragia. Primo quia in inferno nulla est redẽ-
ptio. *Firmatũ est magnũ chaos inter vos & nos,* Luc. 16.
*vt qui volunt inde transire* per intentionẽ & adiutorium *non possint.* Item sunt membra resecata, ideo ad eos nutrimentum Ecclesiæ peruenire nõ potest. Item cum viuerent bona per eos in peccato facta nihil proderant, igitur nec modo cum fiunt ab alijs pro ipsis. Item dicit Dion. 7.c. cœlestis Hierarchiæ, quod summus sacerdos non orat pro immũdis, quia in hoc auerteretur à diuino ordine. Et ratione sic probat Duran. in 4. dist. 45. quia suffragia vnius alteri prosunt, in quantũ sunt mẽbra vnius corporis, sed damnati cum iam sint obstinati in malo, non sunt corporis Ecclesiæ membra, cũ sint præcisi irreuocabiliter per sententiam diffinitiuã finalẽ, igitur nõ possunt eis prodesse. Sic nec cęco posset prodesse, quod aliquis oret solem, vt cæcũ illuminet, & sicut existẽs in terra, existentem in maris tẽpestate iuuare non

re nō poteſt. Et ſi obſtet de capite pagani damnati, quod apparuit Machario, & de Traiano ſimiliter, & de Dagaberto. Dicitur de Traiano, quod reſuſcitatus fuit, nec finaliter damnatus. Inde dicit Dam. quod teſtis eſt omnis oriēs & occidens. De Dagaberto ſimiliter, quod non fuit finaliter dānatus. De capite illius ſacerdotis dicitur, quod illud gaudiū quod habebāt, erat fantaſticū. Et ideo qui ſic contra Chriſtū moriuntur, maxime lugendi ſunt. Inde Sapiens: *Mortui luctus ſeptē dies, fatui autē & impij omnes dies vitæ illorū.* Et propterea, ſecundum Ambroſiū, Dauid mortē Abſalonis lachrymatus eſt dicens: *Abſalon fili mi, quis mihi tribuat, vt ego pro te moriar*, non autē mortem filij innocentis, quia ſciuit vnū peccatorē, & alterum innocentē. Dicitur tertio, quod Sanctis, & qui ſunt in paradiſo, non proſunt Eccleſiæ ſuffragia, quia viſione Dei fruūtur, dicentes: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit*, & quia nihil eis deerit, ideo nullius indigebunt, & per conſequēs nec orationibus noſtris. Et ſi dicatur, quod oramus pro paruulis quos credimus euolare ad cœlum. Dicitur quod oramus pro paruulis, nō propterea quia ſit in eis aliquid purgandū, vt credunt fatuę matres, quæ dicunt propter dolorē maternū, ibi eos aliquādiu detineri, nec quia eis proſit ad ampliorē gloriā eſſentialē. Sed vt dicit Alex. in 4 p. Primo vt beneficiū redemptionis, quod maxime habet locū in paruulis rememoretur eſſe factū merito redēptoris & laus ſibi reddatur, & gratiarū actio. Secundo vt connexio paruulorum cū mēbris Chriſti ſignificetur, ſcilicet ex hoc quod paruulorum exequiæ, ſicut & adultorū celebrantur. Tertio vt per hoc, quod iſto ſacrificio pro eis oblato pœnæ animarū purgandarū illorum gratia mitigantur, & laus Deo exoluitur, & deuotio fideliū ad eorundem meritum excitatur, accreſcat illis materia gaudij. Et hoc eſt quod dicitur in offertorio miſſæ, vt illis proſit ad honorem, non quidem gloriæ eſſentialis, ſed accidentalis, in quantum vident, quia ſunt materia profectus, & occaſio vtilitatis alijs. Dicitur quarto quod ſuffragia viuorū pr.ſunt defunctis, qui ſunt in purgatorio. Probat hoc Durandus in. 4. diſt 45. plus valet apud Deū amor charitatis inter fideles, quam valeat apud homines amor ciuilis, ſed tātū valet inter homines, quod vnus ex amore poteſt apud iudicem alium liberare à debito pœnæ vel rogando, vel ſatisfaciendo, igitur amor charitatis inter fideles tantū valet apud Deū, quod vnus poteſt alium liberare vel in toto, vel in parte orando, vel ſatis faciendo. Via orationis impetrat remiſsionem ex ſola liberalitate Dei qui oratur. Sed via ſatisfactionis impetrat illud per modum meriti, quale poteſt eſſe apud Deū ſuppoſita diuina acceptatione. Et cōfirmatur auctoritate Aug. lib. de cura. mortuorum, vbi allegat conſuetudinē Eccleſiæ, dicens. Non parua eſt vniuerſæ Eccleſiæ quæ in hac conſuetudine claret auctoritas, vt in partibus ſacerdotis, quæ domino ad altare offerūtur, locum ſuum habeat cōmendatiō mortuorum. Et hæc cōſuetudo ab apoſtolis ſumpſit initium, vt dicit Damaſ. in ſer. quodā, & Diony. vlt. c. Cœleſtis Hier. & Augu. dicit Origenē primum poſt Apoſtolos ampliaſſe ſeruitiū. Itē ſecundū Rich. in. 4. ſentē, di. 20. Defuncti fuerūt mēbra Chriſti dum vixerunt, nec deſinūt eſſe ea niſi per peccatum, quia peccatum eſt rumphea qua membra Chriſti truncantur, iuxta illud. *Quaſi rumphea bis acuta omnis iniquitas.* igitur licet ardeat in purgatorio membrum Chriſti, tamen non poteſt negari quin vnū mēbrū ſubveniat alteri. Item ſecundū Bona. 4. diſt. 45. In omni opere Dñi eſt miſericordia, *Vniuerſæ viæ Dñi miſericordia, & veritas*, iuxta quæ duo ſunt quę valere faciunt Eccl. ſuffragia, ſ. dignitas, & neceſsitas. Iuſtitia enim cōſiderat dignitatē, ſ. quod digni ſūt qui in charitate deceſſerunt ab alijs membris Eccleſiæ adiuuari, maxime ſi alios adiuuarunt, miſericordia vero conſiderat neceſsitatem, quæ magna eſt in purgatorio, quia grauiter

Marginalia: Eccl. 22. — 2. Reg. 18 — Pſal. 22. — H Suffragia ſunt pro paruulis baptizatis & quare — Eccl. 21. — Pſal. 24.

ter puniuntur, & se iuuare non possunt. Præterea hoc exigit regimen vniuersi, vt in communicatione influentiarum seruetur ordo. Inferius autem secundum naturales non influit in superius, nec in id quod est per omnimodam distantiam. Sed qui sunt in inferno sunt à corpore mystico penitus elongati, & loco, & mẽte, imo vacuum est gratiæ inter eos, & nos firmatum, per quod influentia nõ potest, beati vero sunt superiores nobis, ergo talibus communicare, & influere nõ possumus, sed ipsi beati in nos. Qui autẽ sunt in purgatorio sunt nobis inferiores ratione status, & loci, nec est vacuitas gratiæ, ratione cuius non possint in eos nostra suffragia influere, igitur. Vnde Arist. 1. Ethico. His qui deficiunt multum conferunt operatioes amicorum. Ideo debent fieri suffragia pro mortuis, & maxime à filijs, & amicis. Sed forte dicet filius, nescio si anima Patris mei sit in purgatorio, cur ergo orabo pro eo? forte quod iam est in paradiso, vel in inferno, & tunc nihil proderit illa oratio. Respõdetur quod si oratio tua non proficiat mortuo, aut quia est in paradiso aut in inferno, redit ad te, iuxta illud. Psal. *Oratio mea in sinu meo conuertetur*. Et hoc figuratum est Genes. vbi dicitur, quod Noë misit columbam ad videndum si cessassent aquæ, & primo reuersa est ad Noë, cum non inueniret nisi mare, nec vbi requiesceret pes eius. Secundo misit eam, quæ iterum redijt portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore suo, & tunc intellexit Noë, quod cessassent aquæ. Tertio misit eam, quæ vlterius non est reuersa ad eum, quia terram inuenit, in qua pedem figeret. Per columbam, quæ habet gemitum pro cantu intelligimus deuotam orationem. Quando igitur aliquis orat pro mortuo damnato, tunc mittit columbam, quæ redit ad Dominum suũ, eo quod non inuenit nisi mare amaritudinis, nec inuenit vbi pes requiescat. Quando vero orat pro anima alicuius saluati, tunc mittit secundam, quæ redit ad Dominum suum, & affert ramum oliuæ, in quo notatur, quod anima illa habuit misericordiam à Deo, & quod aqua, id est tribulationes purgatorij cessauerũt ab illa. Quando vero orat pro illo cuius anima est in purgatorio, tunc mittit columbam, id est orationem quæ non redit, quia illa bene inuenit, vbi pes eius requiescat, & ita pro quocũque fiat oratio nunquam illius meritum deperditur.

*1 Oratio pro defunctis non est vacua. Psal. 34. Genes. 8.*

## IN EODEM DIE SER. II. ET in ordine VIII. Per Thema præcedens.

Quæritur cum ita sit quod non sit conueniens societas diuitis cum paupere, imo pauperes libenter conueniunt inuicem, & diuites similiter inuicem, & mediocres cum mediocribus, cur Ecclesia post diem præcedentem in quo fit mentio de sanctis diuitibus, hodiernam diem vnit, & coniungit, in qua fit mentio de pauperibus. Dicitur, quod hoc fecit ad triplicem doctrinam, quæ triplici scriptura continetur. Primo ad docendum filios suos esse prudentes, ne sicut fatui semper rideant, quia: *Tempus flendi, & tempus ridendi*, heri erat tẽpus ridendi, nunc flendi. Ideo Ecclesia volẽs nos esse sapientes. (fatuus enim est qui semper ridet) & scire nostram continentiam inter gentes, vult his diebus nos docere lectionem Apostoli dicẽtes: *Gaudere cum gaudentibus flere cum flentibus*, fieri cum sanctis, & Dominis nostris, qui continue sunt in mensa regis, exultauimus, hodie cum amicis nostris, in carceribus flemus & lachrymamur. Vnde Hiere. *Vox in ramis audita est, ploratus, & vlulatus multus Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia sunt*, scilicet in consolatione. Thren. *Viæ Sion lugent*, id est viatores cœlestis patriæ. *Eo quod non sit qui veniat ad solennitatem* cœlestis patriæ, vbi consolabũtur. Et sic hodie mater Ecclesia Primo docet lectionem flendi, quia licet illa lectio sit nobis connaturalis, & illam nos natura docuerit, tamen alienati delicijs, quasi

*A Defunctorum commemoratio rite coniungitur festo omniũ sanctorum. Eccl. 3. Rom. 12. Hier. 31. Thren. 1.*

quasi extra naturam, & contra naturam eam obliuiscimur. Et non solum hoc docet, sed etiam quod Eccl. 7. Eccl. *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij.* In illa enim finis admonetur cunctorum viuentium, vt sic nos cogitemus morituros, vt sicut illi egressi sunt de mundo, ita & nos egressuri sumus. Eccl. 14 *Memor esto quoniam mors non tardabit.* Job 1. In domo autem conuiuij filij Iob sunt oppressi. Ideo periculosior est domus vbi fiunt risus, & habentur delitiæ, quam in qua est fletus & recordatio mortis in hoc sæculo. Secundo hoc fecit Ecclesia, vt ostendat diuitibus illud præ- 1. Tim 6 ceptum Apostoli. *Præcipe diuitibus huius sæculi non altum sapere*, quia *simul in vnum diues & pauper*. Quantumcumque enim homo diues sit, cum peruenit ad diem mortis, ita pauper est sicut pauperrimus coquinus, qui vnquam fuit. Tertio, vt ostendat illud impletum. Psal 48. Prou 22 *Diues & pauper obuiauerunt sibi*, licet enim in hoc mundo diuites secum non compatiantur pauperes, tamẽ in alio sæculo vbi erit perfecta charitas, pauperes amici non derelinquentur à diuitibus sanctis.

Et in hoc ostendit quantumcumque pauperem si bene vixerit, in alio sæculo etiam habere amicos, & esse in memoria, vbi malorum memoria peribit cum sonitu. Ideo sic pauperes animas diuitibus associat, vt habeant ab eis misericordiam & reliquias festi, & singulariter à beatissima virgine matre quæ ditior est, à qua etiam debemus misericordiã petere, &c.

B Defunctorum animæ à purgatorio liberantur tribus modis.

Tripliciter liberari possunt animę quę sunt in purgatorio. Primo quidem ex liberali donatione ipsius Dei. Misericors enim Dominus cuius misericordiæ non est numerus, audit (vt pie credi potest) quandoque eos qui destituti sunt in purgatorio. Patres enim quandoque clamãt ad filios, & non audiunt, ideo ad misericordiam Dei se conuertunt dicentes illud Psal. Psal. 143 *Emitte manum tuam de alto, & libera me de aquis multis*, id est tribulationibus istis plurimis, *& de manu filiorum alienorum*, scilicet à me, quia me non iuuant, *quorum os locutum est vanitatem*, quia mendaciter promiserunt se facturos multa bona pro me. Et tunc Dominus dicit illud Psal. *Eruam te, & honorificabis me.* Psal 48. Solent enim quandoque reges, vel principes ex mera liberalitate vinctos emittere nullo merito pręcedente, sed ex sola mera voluntate, vt patuit in pincerna Pharaonis. Sed hoc non fit regulariter, sed ex iudicio & voluntate Dei occultis, & raro hoc contingit, vt creditur. Secundo ex liberali sanctorum impetratione. Credimus enim pie quod sancti inuocati pro eis intercedant, & sæpe eos liberent, cum Dominus maiora legatur fecisse pro eis, interdum reuocando mortuos de statu damnationis ad vitam, vt patet in Traiano, & alijs. Si enim pietas diuina educit de carcere merito damnandum perpetuo ad ipsum, licet nondum sententia diffinitiua damnatum, credendum est, quod eadem pietas diuina multo magis hoc faciat de aliquo qui cõdemnatus est ad carcerem ad tempus. Et ideo Ecclesia orans pro defunctis dicit, intercedente B. Maria, cum omnibus sanctis tuis ad perpetuæ beatitudinis consortium peruenire concedas. Tertio liberantur per piam viuorum satisfactionẽ, de quo Gregorius, & recitatur decimatertia quęst. 2. Animæ (inquit) defunctorum quatuor modis soluuntur, aut oblationibus sacerdotum, aut precibus sanctorum aut charorum eleemosynis, aut ieiunio cognatorum. Hi sunt modi quibus petit defunctus, vt simus eius memores dicens: Eccl. 38. *Memor esto iudicij mei*, vt scilicet me iuues, &c. Et de vnoquoque suo ordine dicendum est.

C Missa est multum efficax ad liberandas animas de purgatorio

Primo igitur liberantur animæ sanctorum, quæ sunt in purgatorio oblationibus sacerdotum, & istud est maximum. Vnde Augustinus in Enchiridion. Non est ambigendum defunctorum animas pietate suorum viuentium reuelari, cum pro illis sacrificium mediatoris offertur. Ad hoc est exemplum in libello Petri Cluniacen. Quidam Episcopus suspendit quendam Sacerdotem, pro eo

quod

suum oblatum per manus Iudæorum in cruce, eundē recipiat per immundas manus pessimorum sacerdotum consecratum. Propter enim malitiam sacerdotū filium suum dilectissimum negare vel refutare non poterit. Præterea, secundum Guillel. illud sacramentum est saluberrimum medicamētum animarum, in nullo autem corporalium hoc inueniri potest, vt sanitas vel infirmitas ministrantis ipsum per se addat aliquid vel minuat virtuti ipsius, quanto magis medicina ista Deo plena non pendebit ex sanitate vel infirmitate spirituali illam ministrantis. Quid enim ad panem vel virtutem ipsius, si satur est aut ieiunus qui ministrat? Quid ad ignem de calore aut frigiditate ministrantis ipsum? Deus enim aliquando per coruos panes & carnes mittebat Heliæ. Vnde in vitis Patrū quidam solitarius à quodam sacerdote consueuerat oblationem altaris accipere. Quidam autem superueniens ad illū solitarium accusauit eum. Quo audito, senex scandalizatus venienti sacerdoti secundum consuetudinem & afferenti oblationem non aperuit. Et tunc discessit sacerdos, & facta est vox ad solitariū dicens: Tulerunt à me homines iudiciū. Tunc senex factus in extasi videbat quasi puteum aureum, & siculam auream, & funem aureum, & aquam valde bonam, videbat etiam leprosum quemdam haurientem & fundentem in vas, & cupiebat senex bibere, & non bibebat propter leprosum, qui hauriebat. Et ecce facta est iterum vox ad eum dicens: Cur nō bibis ex hac aqua? Qualem infectionem ministrat qui haurit? Haurit enim solummodo, & refundit in vas. Tunc in se reuersus senex intellexit visionem, & statim vocauit presbyterum, & fecit eum sicut prius offerre oblationem. Aliud quod considerandum est in Missa, sunt orationes, quæ ibi fiunt pro viuis & mortuis. Et hæc adhuc dupliciter considerantur. Vno modo, in quantum proferuntur in persona totius Ecclesiæ, cuius est minister. Et sic quo ad hoc est æque fructuosa non tantum oratio, quæ fit in Missa, sed etiam orationes quæ fiunt in officijs ecclesiasticis, in quibus geritur persona Ecclesiæ. Tunc enim, secundum Guilielmum, sacerdos non suas preces aut supplicationes, sed Ecclesiæ, vt eius internūcius & mediator offert. Et sicut aduocatus non iura sua vel statuta allegat, sed aliena, & verba eius, cui patrociniū præstat, in ore gestat, sic sacerdos ex officio publico interpellationis verba Ecclesiæ & orationes in ore gestat, & eas quodāmodo ore suo patri misericordiarū porrigit audiēdos ex parte Ecclesiæ. Et propter hoc nō dicit sacerdos orem, sed oremus. Quēadmodū enim petitio aliena in scriptis oblata principi, recipitur ad gratiā eius cuius est, & ex cuius nomine offertur, & qui in ea loquitur petēs ac supplicans, & ipse proprie exauditur, cuius desideriū adimpletur, & pro quo ista petitio offertur, nō autē ille per quem scriptura petitionis porrigitur. Nō enim refert quātū ad hoc in voce an in scriptura petitio offeratur. Nec amplius aliquid vendicare sibi debet in gratia exauditionis, procurator qui per vocem petitionē porrigit, quam ille qui per scripturā, neque vox exterior aliquid amplius operatur in eadem gratia quam scriptura. Vox enim interior & signatio, & intellectus orationis vox est Ecclesiæ, & nullatenus sacerdotis, & illa est quā audit pater misericordiarū. Exteriorem enim strepitum per se non curat, imo sępe muta vox altū clamorem repræsentat, iuxta illud Psal. *Tacui dum clamarem tota die.* Hæc Guilielm. Alio modo considerantur in quantū habent efficaciam ex deuotione orantis presbyteri, & sic missa melioris sacerdotis est fructuosior. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, ad Cayn autem & ad munera eius non respexit,* Et ita primo respicit Dominus ad personam bonam vel malam, quam ad munera eius, id est orationes, vel deuotionem. Et principaliter orationes quas particulariter facit, sunt

3. Re. 17 | Nota. | Psal. 31. | Genes. 4.

ſunt parum fructuoſe aut virtuoſe, iuxta illud: *Qui declinat aures ſuas, ne audiat le-* (Prou. 28) *gem, oratio eius erit execrabilis*, & illud Pſal. *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo non exaudiet* (Pſal. 65.) *Dominus*. Et hoc patet in figura. Helyas bonus ſolus erat ex vna parte orans, & octingēti quinquaginta ſacerdotes Achab orantes à mane vſque ad meridiem qui non exaudiebantur. Sed Helyas ſolus clamauit dicens: *Domine Deus patrum no-* (3. Re. 18) *ſtrorum exaudi me hodie*, qui ſtatim exauditus eſt. Nam ignis deſcendit de cælo, & conſumpſit holocauſtum. Ideo debent ſacerdotes ſe maxime præparare, vt poſſint ſuccurrere illis ſanctis animabus in neceſsitate exiſtentibus. Sunt enim velut quæſtores qui pro languentibus in illo magno hoſpitali totius orbis, etiam vſque ad carcerē purgatorium, debēt prouidere de eleemoſina, nō tam corporaliter quam ſpiritualiter ſuſtentante. Sunt etiam velut flabellum leproſi ad cuius ſonitum Dominus excitatur, quia licet illi non valeant clamare, clamant tamen Eccleſiæ ſuffragium pro eis. Quæritur ſecundo vtrum obligatus duabus perſonis defunctis vel viuis ad celebrandum pro eis ſatisfaciat ſufficienter dicendo vnam miſſam tantum pro eis. Et videtur quod ſic, quia in Eccleſijs collegiatis ſæpe duo vel tres obitus tranſeunt per vnum. Item qui habent plura beneficia pro quolibet obligatur ad horas, non tamen tenetur eas bis dicere. Cur ergo, qui obligatur pro duobus celebrare, non ſatisfacit per vnam miſſam tantum. Reſpondetur per

E aliquas propoſitiones. Prima eſt, ſacer-

(Miſſam [illegible] obligans [illegible] ſacer- duobus [illegible] bus ie [illegible] celebrare) dos obligatus dicere vnam miſſam pro ſorte, & aliam poſtea pro Platone, non deobligatur dicendo vnam miſſam tantum, quia ex forma verborum obligatus eſt ad duas dicendas. Si enim obligaretur ſorti ad dicendum vnam miſſam principaliter pro anima eius, & Platoni ad dicendum vnam miſſam, etiam principaliter pro anima eius, non videretur ſatisfacere. Principaliter autem celebrare pro aliquo eſt applicare vel intendere applicari ſuam miſſam animæ vnius, & ſic quod ſit quædam ſatisfactio apud deū pro anima illa ſi indigeat. Vnde cum diuerſi petunt ſigillatim à ſacerdote quod dicat vnam miſſam, intelligit, & credit quilibet ſe habiturum propriam miſſam. Et ideo non ſe obligat ſacerdos intendens tantum vnam dicere pro omnibus, niſi hoc omnibus explicaret. Poteſt tamē dupliciter intelligi, quod celebret principaliter pro anima ſortis. Vno modo, quod intendat, quod valeat multis in ſatisfactionem, ſed plus animæ ſortis, quam alicui de reliquis, & ſic bene per vnam miſſam poteſt celebrare pro ambobus. Sed ſi intendat, quod cedat animæ ſortis in ſatiſfactionem, ſic quod nulli alteri, non poteſt. Dicitur ſecundo, quod plus valet miſſa vni defuncto ſi pro eo ſpecialiter fiat, quam ſi pro eo, & alijs generaliter fieret. Tum per modum ſatisfactionis, quia valor miſſæ per modum diſtributionis cedit cuilibet in partem ſatisfactionis apud Deum, ſecundum æqualem proportionem, ſecundum numerum perſonarum, & per conſequens quanto plures ſunt: tanto minus habebit quilibet. Nam valor miſſæ eſt finitæ virtutis in purgatorio, alioquin ſufficeret vna miſſa pro omnibus, & ſic fruſtra dicerentur plures miſſæ in Eccleſia. Tum etiam per modum orationis ſiue ſupplicationis, quia loquendo de Deo ſecundū conditiones policæ humanæ, non apparet veriſimile, quod Deus æque faciliter concedat ſupplicationem, quæ fit pro remiſsione mille debitorum, ſicut ſupplicationem æque intenſam, quæ fit tamen pro vno debitore, quę procedit ex ęquali charitate. Dicitur tertio quod ſtultum eſt & periculoſum homini ſemet ad ſuffragia alijs ferenda obliganti recipere tēporalia, pro ſe vltra ſuſtentationem honeſtam ſtatus ſui, prout ſapiens iudicabit. (Nota.) Sicut enim opus ſatiſfactorium non valet tantum pro multis, ſicut pro vno vel paucis, ſic non poteſt tali æque ſatisfacere pro deletione reatus plurimorū, quē-

admodum

admodum deleret reatũ vnius vel paucorum. Considerent igitur obligationes suas, qui habent multitudinem beneficiorum. Si quis tamen sit religiosus, qui ex sua fundatione tenetur ad hoc, nõ debet esse nimium scrupulosus circa orationis suæ pondus, numerum, & mensuram, sed debet totum committere Deo, qui appendit tribus digitis sapientiæ, potentiæ, & clementiæ molem terræ, qui scit numerum arenæ maris, & tunc forte orationem pauperculam diuidet singulis benefactoribus prout opus erit. Exemplum in ciuilibus. Debitor non habens vnde soluat creditoribus suis, solet vel cogitur cedere bonis suis, tã habitis quam habendis, retenta necessitate victus sui, prout ordinauerit iudex suus. Ita similiter Deus noster, qui scit numerũ & pondus orationis nostræ, faciet. Et ideo non bene faciunt multi, qui in suffragijs volunt, vt singulariter numeretur pro quibus fiat oblatio, & pro nullis alijs, & volunt arctare & limitare ad illum vel illam, vt solum valeat tali & nõ alteri. Sed melius est totum diuinæ voluntati committere. Deus enim videt voluntatem, & rem oblatam, & scit quantum appreciabitur, ideo non esset conueniens ei limitare terminum. Legitur enim in vitis patrum, de quadam matrona Romana, quæ visitãs Eremitas Ægypti, obtulit vni trecentos solidos distribuendos in eleemosynas fratrum. Ille nec oculos quidẽ extulit ad eam, sed sacculũ nutu suo reponi iussit prope eum. Quæ mulier hoc attendens, nec digne ferens, quod illaudata maneret. Pater (inquit) aspice. Nam trecenti sunt solidi. Recte prorsus insinuares respondit pater, si id vel mihi vel hominibus tribueres: cum vero tu Deo tradas hanc oblationem, superfluũ est quærere numerationem, quoniã ipse est qui numerat multitudinem stellarum, & eius sapientiæ, non est numerus. Sic Deo non oportet numerare quantum valebit missa vel suffragium. Ipse enim nouit numerum & valorem, sufficit sibi totum committere. Hęc Gerson. lib. de valore orationis. Dicitur quarto, quod per intentionẽ sacerdotis applicantis hæc suffragia satisfactioni defunctorum, dummodo fuerit bene regulata, (Esurijt enim Daniel in lacu Leonum, id est cœtus ille beatarũ animarum in purgatorio) etiam statim vno Cincinno capitis, id est vnica attentione defertur prandium paratum, id est Christi conuiuium degentibus in illo lacu, vt dicat bonus minister Christi compatiendo eis, non solum quod dicit Zachæus, *Ecce dimidium bonorum meorũ do pauperibus*, Luc 19. sed etiam omne bonum meum tribuo ipsis. Et notanter dicitur bene regulata, quia cum summus sacerdos Christus sit principalis dispensator huius thesauri, minister autem est instrumẽtum, quod debet esse regulatum secundum voluntatem principalis dispensatoris. Si ergo vellet orare sacerdos & communicare bona spiritualia plus extraneis, quam parochianis suis, cum dicit missam pro ipsis parochianis, nisi forte ob causam rationabilem, forte hæc missa non plus valeret extraneis quam suis. Similiter si deberet celebrare pro eo vel ea qui multa bona dereliquit Ecclesiæ, & tamen vult intendere pro alijs, tunc Deus non assequeretur illam intentionem, sed pro quibus ille deberet intendere, Deus satisfactionem acceptaret. Hęc Godefrid. quodlibeto quinto. Dicitur quinto, quod qui volunt missas habere à suis Ecclesijs, supponendum est, quod intendunt habere missas secundum rationabilem vsum & possibilitatẽ illius Ecclesiæ. Et ideo cum vident, quod duo vel tres obitus per vnum transeunt, quandoque secundum necessitatem vel oportunitatem temporis, existimandum est, quod noluerunt obligare Ecclesiam, nisi secundum ritum & consuetudinem quam consueuit tenere, hæc Godefridus quodlibeto quinto. Dicitur sexto, quod sacerdos curatus principaliter ordinatur ad ministrandum sacramenta, ideo per se vel per alium idoneũ ad hoc tenetur; non autem ad horas canonicas principaliter,

ideo non tenetur ad dicẽdum bis horas. Secus autem videretur de Canonicis, qui ad hoc principaliter ordinantur, & deputantur. Et si quæratur, verum missa dicta de beata virgine, vel de aliquo alio sancto tãtum prosit defunctis, sicut missa dicta specialiter pro defunctis. Respondetur, quod missa continet duo, scilicet orationem & sacrificium. Ex parte igitur sacrificij oblati æqualiter prodest defuncto de quocumque dicatur, & hoc est præcipuum quod fit in missa. Sed ex parte orationum magis prodest illa, in qua fiunt orationes ad hoc determinatæ. Sed tamen iste profectus recompensari potest per maiorem deuotionem, vel eius qui dicit missam, vel eius qui facit dici, vel iterum per intercessionem sancti cuius suffragiũ in missa imploratur. Hæc Tho. in 4. d. xlv. q. 3. de suffragijs mortuorum. Si autẽ quæritur de sacramento Eucharistiæ, quare valet post mortem, cum alia sacramenta non valeant? quære in sermone 15. de Eucharistia circa vndecimum eiusdem Eucharistiæ effectum. Secundo, iuuantur animæ deputatæ pœnis purgatorij per orationes sanctorum.

Psal. 64. Psal. *Exaudi Domine orationẽ meam, ad te omnis caro veniet*, id est, exaudias orationem, qua nunc te oro, omnis caro, non quidẽ volucrum, aut serpentum, & bestiarum, non caro damnatorum, quia illa proprie

Esa. vlt. iam dicitur cadauer, iuxta illud Esa. *Videbunt cadauera eorum, qui præuaricati sunt in me.* Mortua enim caro cadauer dicitur: illi autem perpetuo mortui sunt. Sed caro rationabiliter & more humano viuentium, vbi proijciẽtur cadauera, quia fœtebunt, ad te veniet, & liberabitur. Inde est, quod in introitu missæ pro defunctis dicuntur duo versus, scilicet, Te decet hymnus, &c. &, Exaudi orationem meã, &c. quia rogamus eis duplicem stolam dari, scilicet animæ & corporis; hinc est, quod in primo versu fit mentio de hymno in Sion, id est, de laude in contemplatione diuinitatis, quæ est stola animæ, in secundo, de apparitione carnis, & corporis nostri in cõspectu Dei, quãdo induetur stola gloriæ. Quando autẽ aliqui habent amicos suos in carcere alicuius, solent eum rogare pro eis, & dicunt: Domine audias pro amore Dei preces & supplicationes, quas offerimus pro his qui sunt in carcere vestro. Sic Ecclesia scit quod habet amicos & filios suos in carcere Dei constrictos, ideo hodie rogat pro eis, dicens: Exaudi orationem meã, &c. Item ad hoc est auctoritas 2. Machab. 12. *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*, id est, à pœnis pro peccatis debitis. Ista autem oratio sic facta pro defunctis habet multas, & singulares, & excellentes prærogatiuas. Primo, quia talis oratio à maiori fide procedit, quam illa, quæ fit pro viuentibus, quia oportet quod mens eleuetur ad credendum & quasi ad videndum purgatorium, imo dat optimũ exemplum credendi vitam futuram. Secũdo, quia in maiori spe retributionis, eo quod talis non est solum meritoria præmij æterni, sed aliqualiter iure gratitudinis obligat illos de purgatorio, quãdo erunt in paradiso, ad reddendum simile. Et maxime, quando oratio eorum erit multum accepta Deo, & multi valoris. Tertio, quia à maiori charitate procedit, eo quod fit pro illis, qui magis elongantur à nobis, sine expectatione reditus eorũ neque remunerationis in hoc mundo per suas personas. Quarto, quia talis oratio meretur, vt qui eam facit, pariter adiuuetur post hanc vitam per orationes aliorum & Ecclesiæ. Nam vna bonitas aliam requirit, & misericordia redditur ei, qui misericordiã fecerit. Quinto, quia reddit hominem immunem ab obligatione magna, qua viui tenentur mortuis, propter diuersa bona ab eis recepta siue naturæ, siue fortunæ, siue hæreditatum, siue beneficiorum, & sic faciendo acquitat maiorem pœnam & prolixiorẽ, quam sit pœna dicendi illam orationem, sicut si pro obolo vno acquitaretur francus. Forte enim per multa tempora in

*2. Mac. 12*

*Oratio facta pro defunctis habet multas prærogatiuas.*

ra in purgatorio lueres, vel forte damnatus in inferno esses, si non acquitares te. Nunc autem cum oras & te & defunctũ acquitas vno pretio. Sexto quia talis oratio est Angelorum, qui defunctos custodiũt, lætificatiua. Et satis credibile est, quod reuelent eis orationes quæ fiunt & consolẽtur eas. Septimo quia talis oratio valde inducit illum qui orat, ad spernendum hanc vitam, & ad tendendum ad aliam, rememorando statum eorum, qui nuper viuebant in diuersis desiderijs rerum mundanarum, & tamen omnia ista transierunt, nisi solum bene factum, & specialiter nisi misericordia, quæ sola est comes defunctorum, vt dicit Ambrosius.

G Suffragia an prosint æqualiter omnibus in purgatorio existẽtibus. Hic quęritur vtrum omnibus qui sunt in purgatorio, vel eis solum pro quibus fiunt, suffragia prosint. Et videtur primum, quia oblatio pretij in cruce, æqualiter omnibus profuit, ac si pro quolibet per se esset oblata, ergo oblatio eius in altari similiter omnibus proderit æqualiter. Ad hoc respondetur, quod opinio præpositiui fuit, quod magis prosunt ei qui magis meruit, vt si candela accendatur coram diuite, non tantum sibi præbet lumen, sed etiam alijs, & eos qui melius vident, magis illuminat & magis eis proficit. Patet etiam in lectione quæ tantum valet si legatur omnibus in communi, quantum si cuilibet in speciali, & plus valet assistenti qui melius intelligit, etiã si pro alio legatur qui minus intelligit. Si ergo ita est in lumine creato, multo magis in hoc sacramento. Si in lectione, multo magis hoc erit in oratione, quia spiritualia sunt magis communicabilia quam corporalia. Sed hoc non videtur verum, quia tunc frustra fierent spiritualia suffragia pro certis personis. Ideo aliter dicendum, quia aut suffragia sunt cõmunia, & sic magis prosunt ei, qui magis meruit, alijs conditionibus paribus, quia non tantum dignitas, sed etiam necessitas consideratur, vt dicat Bonauen in 4. dist.
Mat. 25 45. *Omni habenti dabitur, & abundabit.* Sicut enim pia mater, habens multos filios infirmos, primo occurrit chariori, & meliori, & infirmiori, sic facit mater Ecclesia, & pius pater Deus distribuens iuxta dignitates, & necessitates singulorum. Si autem fiant specialia & specialibus. Tunc dicitur quod duplex est valor illorum suffragiorum. Vnus est per modum satisfactionis & recompensationis alicuius pœnæ, & sic suffragium non valet, nisi illi ad quem applicatur per intentionem faciẽtis, quia fructus alicuius operis, cuius operans est Dominus, & qui totus cederet in vtilitatem operantis, nisi per intentionem eius in alium transferretur, non prodest nisi illi in quem operans ipsum transfert, sed opus suffragij est huiusmodi, quia procedit ex libero arbitrio, ergo tale suffragium non prodest ad satisfactionem pœnæ, nisi illi cui applicatur per intentionem operantis. Alius est valor suffragiorum, scilicet gaudium, & consolatio, quam habent omnes existentes in charitate de aliquo bono opere, quia *charitas congaudet omni veritati*, & sic suf- 1. Co. 13
fragium plus valet illi, qui plus habet de charitate, dato quod pro eo non fiat, non quidem minuendo vel abbreuiando pœnam eius, sed fortificando eum per gaudium & consolationem, quam habet de bono illo opere. Quod autem dicitur, quod plus gaudet de bono opere qui maioris est charitatis, quam ille, pro quo fit, qui est minoris, intelligitur dupliciter, quia suffragium primo est bonum facientis, ita quod est actus eius bonus, reddens ipsum bonum, & laudabilem, & Deo acceptum, & secundo est bonum eius pro quo fit, & pro quo satisfacit.

Quantum ad primam bonitatem, plus gaudet qui plus de charitate habet, quãtum ad secundam bonitatem, plus gaudet alter. Vnicuique enim magis est amabile bonum proprium quam alienum. Valor autem iste est bonum illius solius pro quo fit. Hæc Durandus in 4. distinct. xlv. Dicitur secundo, secundum Bonauent. eisdem 4. & distinct. quod li-

cet sit idem sacrificium in ara crucis & in altari, non tamen vtrobique eodem modo operatur. Nam in cruce effusum est prætium in omnimoda multitudine, sed in altari habet effectum determinatum, cum quotidie sumatur, & propter hoc prima oblatio non iteratur, sed bene secunda, ideo illa pro omnibus oblata est, hæc specialiter pro vno fieri potest. Tertio iuuantur animę sanctæ purgatorij per eleemosynas viuorum. Vnde Aug. in ser. de verbis Apostoli, eleemosynas quę pro eorum spiritibus fiunt, non est dubium mortuos adiuuare. Hoc dicebat Raphael. Thob. *Ipsa est* (inquit) *quæ purgat peccata & facit inuenire vitam æternã.* Item Eccl. *Eleemosyna patris erit in obliuione, sed in die tribulationis cõmemorabitur tui, sicut glacies in sereno sic soluentur peccata tuę.* Item Eccl. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosina resistit peccatis, & Deus inspector est eius qui reddit gratiam, meminit in posterum, & in tempore casus inueniet firmamentum.* Parentes enim vt plurimum reliquerunt filijs suis abundantiam diuitiarum, & petunt sibi tribui aliquam portiunculam ad vsus pauperũ propter remissionem peccatorum suorum. Sed modo vix inuenitur qui velit etiã pro eis minima dare. Paruum enim emolumentum habent parentes post mortem de hæreditatibus quas filijs reliquerunt. Nam sæpe eas in luxurijs & ebrietatibus potius expendunt, quàm in eleemosynis vel orationibus pro parentibus suis. Paruam enim portionem debet expectare de caseo, qui eum catto & stulto tradit ad seruandum. Ideo non sine causa dicebat Salomon: *Detestatus sum omnem industriam meam*, scilicet qua hæreditates acquisiui, habiturus hæredem post me, de quo ignoro vtrum sapiẽs vel stultus futurus sit, & de facto in illud inconueniens incidit, quia post se dereliquit de semine suo gentis stultitiã. Præterea cogitare debet pater quod quilibet plus diligit animam suam quam filius suus diligat eum, & quod quantum ipse temporalia amat, tantum amabit ea filius suus, cum ad eum fuerint deuoluta vel forte plus. Si ergo ipse non ita amat animam suam, quod temporalia sua velit dare pro anima sua, quomodo credit quod filius suus det ea pro anima illa. dicebat Salomon. *Cognoui quod non esset melius nisi lætari & facere bene in vita sua*, gloss. quæ prosint in futuro. Cõmuniter enim dicunt homines: iste nunquam voluit in vita sua pro se aliquid facere, quis ergo nunc pro eo aliquid faciet. Sic respondit filius cuiusdam requisitus, quare nihil faceret pro anima patris sui, qui ei tot bona dimiserat: Quia (inquit) pater meus dum vixit reputabatur de sapientioribus huius villæ, & nihil pro se facere voluit, quare ergo facerem ego? Si ego plus facerem pro eo quam ipsemet fecerit, pater meus reputaretur fatuus, quod absit. Raro enim inuenitur filius qui non plus diligatur à parentibus, quam parẽtes diligat. Amor enim carnalis descendendo semper minuitur. Et ideo melius esset viuentibus se à purgatorio liberare restitutione, satisfactione, & pura confessione, quia confitendo os iustorum liberabit eos, quam expectare quod filij sui & hæredes hoc pro se faciant. Sanius enim est eis quod ignem extinguant per eleemosynas antequam ipsum intrent, quam quod in eo sedeant expectando vsquequo alij tardè extinguant, & quod prouisionem ante se ad locum quo ituri sunt præmittant, ne defectum habeant, antequam ingrati filij post eos remanentes eis mittant. Sicut ergo mare sine reditu transiturus non dimitteret pro vxore, filijs, vel amicis quibuscunque, quin bonam partem de bonis suis portaret secum vel ante se præmitteret, ita moriturus, Prou. *Fac quod dico fili, & teipsum libera.* & non sis viuentibus ita largus, quod sis tibi parcus, & quin sis tibi iustus faciendo partem tuam meliorem. Quicunque tamen habemus eorum bona, & si non velimus pro eis facere bona de proprijs nostris diuitijs, saltem faciamus de suis. Tergamus nasum illorum cum

Margin notes: H. Eleemosyna prosunt defunctis. — Tob. 12. — Eccl. 3. — Eccl. 3. — Nota — Eccl. 2. — Eccl. 3. — Prou. 6.

cum propria manica, & adhuc erunt nobis grati, in hoc sequentes conditionem cuiusdam balliui, qui quotiens ministri sui sibi miserunt aliquod xenium, dicere solebat, benedicatur, qui nobis benefecit de nostro. Pessimus autem iudicaretur homo, qui patrem vel matrẽ in igne cõburi videret, & ad eius liberationem lentus incederet. In igne enim sunt purgatorij, & eleemosynæ aquam, quæ ignem extinguat non proijciunt. Qui enim sciũt quod multitudo precum, & munerum possunt iuuare amicos erga iudicem, & sciunt, quod libenter intendit istis, libenter orant, & dant amicis iudicis. Sic certe facit erga iudicem Christum eleemosyna sibi data in paupere. Vnde legitur de quodam scholari qui Parisijs decedens reliquit socio suo quandam culcitrã pauperibus erogandam. Cum autem socius illam retinens in ea iaceret, apparuit ei mortuus multum afflictus quasi iacens in lecto super nudas cordas. Ad quam visionem territus ille ac confusus, culcitræ venditæ prætium dedit pauperibus. Quo facto, iterum apparuit ei defunctus quasi in lecto bene disposito suauiter requiescens. Et ideo iuuat multum defunctũ bonæ ordinationis suæ executio, vel per executores, vel per hæredes, qui cito legata soluunt, & eleemosynas faciũt pro eo. Inde & talibus dicitur Prou. *Ne dicas amico tuo vade, & reuertere, & cras dabo tibi*, cum statim possis dare, quia sicut dicit Seneca. Ingratum est beneficiũ quod diu inter manus dantis est. Ideo communiter dicitur. Qui cito dat, bis dat. *Cor inopis ne afflixeris*, suam eleemosynam diu expectantis, *& ne protrahas datum angustiati.* Circa quod attendere debent illi qui per manus proprias nihil volunt distribuere, sed per manus alienas post mortem suam diu expectantes, quo modo fit eis caudellum, id est sorbiciuncula postquã mortui sunt, & datur eis tunc medicina, contra consilium sapientis dicentis: *Ante languorem adhibe medicinam*. Melior enim est vna cãdela ante, quã duo retro. Eleemosyna enim quæ datur ab homine dum viuit, est sicut lucerna, quæ præcedit hominem seruans eum à læsione, & à lapsu, ne cadat in lutum vel foueam. Illa autem, quæ fit post mortem est sicut lucerna post tergum, quæ non custodit eum quin cadat in foueã inferni. Multi enim sunt sicut rusticus, qui in vita sua nõ habuit animum habendi vnam candelam ceream, quæ luceret ante eum, sed quando mortuus est, & nihil plus videre potest, accenduntur coram eo quatuor cerei. Sic in vita sua multi sunt qui animũ non habuerunt ad aliquod bonum, vel eleemosynam faciendam, qui tamen adueniente morte quando bona deserunt eos, parati sunt, quod alij faciant pro eis. Sed aliud consilium dabat Lucia matri suæ dicens. Quod moriens das, ideo das, quia tecum ferre non præuales. Si tibi vis gratum esse Deum, hoc illi da quo poteras tu vti. Vnde dicebat quidam deuotus. Quod das viuus & sanus, aurum est, quod das moriens, argentum est, quod das erogandum post mortem, plumbum est. Vnde August. Considerate fratres, quoniam multi bona sua perdiderũt, quę studiose recondebant. Et Chrysost. Illic cõgrega substantiam tuam vbi iturus es. Qui enim collocat thesaurum in terra nõ habet quod speret in cælo. Vt qui respicit cælum, vbi nihil habet repositũ, quasi dicens in vanum. Multi autem prouisionem suam non fecerunt ante mortem, quia non audierunt mortuum dicentem. *Memor esto iudicij mei*, &c. *mihi heri, & tibi hodie*, quia vt dicit Aug. Dominus, qui remissionem promittit, crastinum diem non spopondit. Psal. *Quoniam declinauerũt in te mala*, scilicet inferni vel purgatorij, cogitauerunt consilia quæ non potuerũt stabilire, & hæc fuit eorum excæcationis causa. Considerantes enim se habituros longam vitam cogitauerunt de habendo possesiones & de augendis rebus. Sed non potuerunt eas stabilire quia, Iob: *Cogitationes meæ dissipatæ sunt torquentes cor meum.*

Prou. 3. Eccl. 4. Nota bene. Eccl. 18. Eccl. 38. Psal. 20. Iob 17.

1 *Executionis dilatio praeiudicat animae testatoris quo ad satisfactionem.*

Circa hoc quæritur. Primo vtrum dilatio executionis in aliquo præiudicet animæ testatoris. Respondet Richardus. in.4. quod quantum ad meritũ eleemosinæ, ex dilatione nullatenus ei præiudicatur, maxime si quantum in ipso fuerit curam adhibuit, vt huiusmodi eleemosynæ cito darentur, quia meritum principaliter ex voluntate & intentione dependet. Sed quantum ad satisfactionem multum præiudicat. Primo quia quanto pauperes citius recipiunt legata, tanto citius & feruentius orant pro anima defuncti, & per hoc citius alleuiatur & expeditur. Præterea. Sicut defuncti in charitate aliquod purgabile secum portantes in hac vita meruerunt, vt si dentur pro eis eleemosynæ quod prosint eis post mortem, non ad augmentum gratiæ, sed ad alleuiationem & abbreuiationem pœnæ, sic testamentum faciens, & in charitate decedés, testamentum faciendo meretur, vt executio post mortem sibi valeat ad alleuiationem, vel abbreuiationem huiusmodi pœnę. Et ita dilatio præiudicat animę, nõ quia propter eam puniatur, sed quia sibi remedium non adhibetur. Hæc Richardus. Tertio grauantur in pœnis & affliguntur animæ propter peccatum suum, quibus se stultos fuisse considerant ordinando tales fatuos in executione sua, considerantes illud Hiere. *Maledictus vir qui confidit in homine, & ponit carnem brachiũ suum.* Quarto quia vidét infidelitaté executorum nimis differentium, vel nihil facientium de testamento, vel si faciant, nõ facientium sicut debent, & quod amorem & beneficia quæ eis fecerunt, perdiderunt, ita quod periit memoria eorum cum sonitu. Amici enim diuitum & executores sunt sicut amici peregrinantium, quia sicut peregrinãtes ab aliquibus amicis conducuntur distantius quando de domo recedunt, vel propinquius, ita mortui ab aliquibus conducuntur, qui forte ibi offerunt, & à fouea recedunt, nec postea de eis curant. Quibus loquitur Deus. *Vsque ad terminos emiserunt te, omnes viri fœderis tui illuserunt tibi.* Bene dixit illuserunt ei, quia post mortem ludit de bonis defuncti illudit ei. Ex quo ostenditur veritas responsionis cuiusdam, qui quærenti de statu cuiusdam nobilis, respondit. Mortuus est & sepultus & obliuioni traditus in tribus diebus, quia tales sunt positi in prisione seu carcere obliuionis. Ideo mortuus potest dicere illud Psalm. *Qui videbant me, foras fugerunt à me, obliuioni datus sum, tanquam mortuus à corde.* Simul enim recedit & à corde memoria, & ab aura sonitus campanæ. Vnde non dicit defunctus ab ore, quia nec orant pro me, vel opere, quia nihil faciũt pro me, sed à corde, quia nec cogitant de me, quod tamen facilius esset. Tarde ergo facerent alia grauiora, qui nec pro mortuis faciunt illud facilimum. Nec mirum si obliuioni tradunt mortuos, qui seipsos tradunt obliuioni & viuos & morituros, quia nec cogitant qualiter viuunt, nec qualiter morientur. Sunt itaque diuites huius mundi, vt communis, sicut equus & mulus quibus non est intellectus. Equus enim tota die thesaurum laboriose portat, & de nocte nihil sibi remanet de illo, nisi dorsum læsum. Sunt etiam sicut nauis onusta multis bonis, quæ quando venit ad portum deoneratur omnibus illis, & nihil ibi remanet, nisi fœtor & fæces iuxta illud: Psal. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Sunt etiam sicut quercus prostrata, cuius plures inter se partes diuidunt, alij cortices quærũt, vt tinctores; alij ramos, puta qui focalibus indigent, & Dominus vult habere medullam arboris ad ædificium. Sic vermes quærũt corticem corporis, parentes ramos diuitiarum, & dæmon vel ignis purgatorij animam, quæ est velut medulla arboris. Et ideo bene dicitur: Esa. *In nouissimo aggrauata est via maris*, id est, mortis. Bene etiam verificatum est illud Micheæ. *Inimici hominis domestici eius*. Non enim curant filij & executores dummodo habeant

*Hier. 17.* *Abd. 1.* *Psal. 30.* *Psal 75.* *Esai. 9.* *Mic. 7.*

beant bona. Et sic est diues ille mortuus sicut paruum repositorium terreũ, quod dicitur vulgo, *la tirelire*: quod antequam frangatur, nihil potest pecuniæ vel argẽti emittere, sed eo fracto vbique spargitur, ita vt qui potest capere, capiat. Sic isti antequam morte frangerentur, nihil boni vel eleemosynæ pro anima sua volebant facere: sed ipsis fractis per mortem, qui potest capere, capiat. Bona enim sunt sicut os in medio canum. Pugnant enim inter se quis habebit: executores cum vxore, vxor cum filijs, filij inter se placitando, & defunctum fraudibus circũueniendo. Vnde moriens quidam, vxore executrice facta, bouem legauit pro anima sua: vxor bouem & gallum simul ad forum ducens, vtrumque simul vendidit eo pacto quod emptor pro gallo marcam argenti, pro boue obolum daret, & sic pro anima mariti solum obolum dedit. Et vere talis bene dicitur aries vel muto, qui dum occiditur, pelliparius vel pergamenarius habet pellem, carnifex carnes, mulier omasa, carnes, sanguinem & intestina. Sic mortuo illo quasi mutone, vnusquisque rapit quod potest, & pauperrima anima sola dimittitur in pœnis, nec de ea curatur, quia plus diligebãtur bona temporalia, quæ videbantur, quam anima, quæ non videtur. Ideo de ea bene potest dici: *Omnes amici eius spreuerunt eam inter angustias.* Tren. 1

K. *Executores quã do tenentur terminare executionẽ*

Quæritur secundo, vtrum executores teneantur infra annũ vel citius quã possunt terminare executionẽ. Respondet Richardus in 4. distinct. 45. articulo 5. quæstione 3. quia aut testator determinat tempus, infra quod vult testamentũ esse completum, aut non. Si sic, non tenentur de necessitate citius complere, nisi viderent se citius implendo animæ defuncti magis prodesse, tunc citius ad complendum deberet eos eorum conscientia arctare. Si autem non determinat tempus, tunc aut executores habent libere & in prõptu bona, de quibus possunt testamentum complere aut non. Si primum, tenentur implere quam citius possunt, quia sunt illis debitores, quibus sunt legata, & vt dicitur ff. de regulis iuris, in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debẽtur. Præterea etiam quanto citius testamentum completur, tanto citius anima defuncti liberatur. Si autem non habeãt bona in promptu, de quibus possint testamentum implere, possunt aliqualiter differre, sed tamen tenentur quam citius prouidere vt habeant, & ea distribuant. Et si quæratur: Si bona defunctorum nõ essent in valore pro tunc, ita quod male venderentur, & pauci tunc reputarentur pretij, sed si per aliquod tempus expectaretur, essent ad debitum pretium, nonne per aliquod tempus posset differri & expectari executio. Respondetur, quod quatuor communiter continentur in testamentis exequenda. Primũ est inhumatio, & quia istud est de iure naturę, quod corpus sepeliatur & inhumetur, & est de his quæ sunt necessitatis, ante omnia hoc est faciendũ, nec expectandũ. Secundũ est debita, & ista debent anteferri omnibus & legatis & precibus, quia ea restituẽda sunt iure diuino indispẽsabili ab homine, nec potest differri pro quocũq; nisi in casu vbi alius, scilicet debitor deberet iudicare rationabiliter quod differendum esset, puta si alius esset in necessitate, vel huiusmodi. Et ideo si ita posset iudicari, tunc in casu posito differendum esset. Tertium est suffragia ordinata per testatorem, & in istis posset differri ad arbitrium boni viri. Quartum est legata amicis & donaria, & in istis potest satis expectari, donec res sit in debito valore. Dicitur secundo, quod executor accipiens pro se bona defunctorũ vltra illa, quæ sibi taxarentur pro pœnis & laboribus, fur est, vt patet 17. q. 4. sacrilegium. Pauci tamen inueniuntur fideles executores, qui non rapiant meliora bona defunctorum pro minori pretio quam valeant. Vnde quidam trufator cum quasi sortilegus coram iudici-

bus ecclesiasticis esset citatus: eo quod super infirmos carmina diceret: quibus plures sanare videbatur: & esset ab eis iuramento astrictus de veritate dicenda: quibus scilicet verbis vtebatur in carminibus suis, respondit, quod nulla verba dicebat pręter ista. Ita veraciter, sicut verum est quod non est aliquis fidelis executor in Episcopatu isto, rogo veracem Deum quod te sanet ab ista febre, & forte videbatur ei, quod verbo tantæ veritatis nulla resistere poterat infirmitas. Et hoc aliquãdo procedit ex inordinata voluntate & appetitu ad bona temporalia, ita quod nũc, tam sæculares, quã religiosi ac parentes plus ad spolia quam ad iuuandum mortuos currunt. Mortui enim sunt in bello huius mundi: ideo veniunt ad detrahenda spolia mortuorum: & propter hoc sunt similes vermibus, qui corrodunt cadauera mortuorũ. Sic enim & isti cadaueri insistunt, & in modum vermium ipsius substantiam rodunt, de liberatione animæ non curantes. Sunt etiam tales sicut vulpes. Quando enim tempus habet, gallinam meliorem occupat. Sic isti meliora bona defunctorum, sibi appropriant: ideo similiter in morte prędabuntur: & in similem pœnam incident, quia *in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Marc 4.

Nota. Dicitur tertio, quod tales executores infideles debent priuari hæreditate temporali & æterna. Temporali quidem, quia secundum iura canonica, successor non adimplens vel non seruans vltimam defuncti voluntatem, debet exhæredari. 2. q. 1. Siluester. & secundum leges ciuiles omni successione priuatur. C. de fideicommissarijs lib. 6. Vocantur enim in lege ciuili executores fideicommissarij, quia fidei illorum moriens committit omnia. De æterna patet, quia tales grauiter peccant, & si nõ satisfecerint, perpetuo damnabuntur, ita quod potest dici illud Psalm. *Introibunt in inferiora terræ,* scilicet in infernum, *tradẽtur in manus gladij,* æternæ damnationis, *partes vulpium erunt,* id est aliorum executorum, qui similiter sua bona inter se diuident. Sed væ illis qui nimium confidunt in talibus, quia sæpe de labore suo nihil reportant, de quorum quolibet dici potest: *Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea.* Et est mirabile valde, quod non se custodiunt à deceptione falsorum hominum post mortem, videntes deceptiones & fraudes quæ alijs fiunt, in quo tamẽ deberent præmuniri. Similiter illi Patriarchæ Aquileiæ, de quo in libro de apibus dicitur, quod in quodam mortis tractu, cum sui eum mortuum vel quasi mortuum putarent, & illum spoliarent, vndique penetrantes domum, & postmodum superuiueret, & illum non lateret, non illos à se eiecit, nec minus dilexit. Sic de quodã rege Siciliæ, qui ante paucos annos cũ ad mortem appropinquaret, loquela amissa, quilibet illorum, qui circa illũ erant, aliquid accepit pro parte sua. In tantum quod quãdo de extasi redijt, & potum petijt, non inueniebatur scyphus in quo bibere posset, quousque aliquis illorum confusione ductus, scyphum de sinu suo, in quo illum absconderat, abstraxit, nec tamen his præmonitus illos eiecit à se. Sed homines boni, sapientes, & animæ suæ prouidentes, nõ circumueniuntur fraudibus talium, nec expectant vsque ad terminum illum sibi prouidere. Nam sicut homo certus de sententia & confiscatione omnium bonorum suorum, ante diem illum prouidentiam facit, vt bona sua ad alia loca mittantur, vbi à confiscatoribus nõ inueniantur: sic homo sano vsus consilio, ante diem illum sibi prouidet, vt bona sua mittat in alio sæculo, quia cito hic cõfiscabuntur, nec proficient ei, & de hoc Deo gratias debet, quod illum diẽ sic sibi ad memoriã reducit, quod de bonis suis disposuit, dicens: *Notas mihi fecisti vias vitæ:* quia sequitur ex hoc, *adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* De stultis vero dicitur: *Nescit quod tempus prætereat illum, & mors appropinquet, & relinquat omnia.* Cuilibet tali pro-

Margin notes: Psal. 18. (beside "Introibunt in inferiora terræ"); Psal. 38. (beside "Thesaurizat"); Psal. 15. (beside "Notas mihi fecisti"); Eccl. 11. (beside "Nescit quod tempus")

Luc. 12 promittit Saluator: *Stulte hac nocte repetẽt*
Psal. 91 *animam tuam à te*: quia Psalm. *Vir non cognoscet, & stultus non intelliget hæc*. Sed vir bonus, qui cum bona dispositione discedit, potest dicere illud Psalm. *Omnis cõ-*
Psal. 118 *summationis vidi finem*. Ideo à morte non læditur, sicut alij qui mortis casum non præuidebant. Vnde cæcus cadens in puteum magis læditur, quam videns, quia improuisus est, nec habet auxilium manuum aut oculorũ sicut videns. Sic peccator, qui non videt finem suum, magis
Ezec. 7. læditur, vt dicere possit: *Venit finis, finis venit omnium*, scilicet quæ dilexi. Iustus vero omni hora paratus est ad reddendã lectionem vel cõputum, qui omnis consummationis vidit finem. Quarto, iuuari possunt animæ purgatorij ieiuniis & abstinentijs amicorum pro ipsis voluntarie assumptis, & peregrinationibus & alijs laboribus, quæ fiunt ad honorẽ Dei
Gal. 6. & sanctorum, adimplendo illud: *Alter alterius onera portate*. Cum igitur onerentur pœnis pro debitis suis, possumus nos partem portare pro eis. Vnde Aristotel. Ethic. 1. His qui deficiunt, multum conferunt operationes amicorum. Et si dicatur, grauior est mors temporalis, quam passi sunt, quam quæcumque pœna quã possumus pro eis portare. Cur ergo per eius tolerantiam voluntariam non liberantur à tam graui pœna, cum per multo leuiorem per nos vltro portatam liberentur? Ad hoc respondet de Halis in 4. parte, quod pœna mortis debitum est originalis peccati, nec est ordinata ad animæ purgationem, nisi suscipiatur voluntarie, cum vitari potest, vt patuit in martyribus, vel nisi suscipiatur voluntarie, & sustineatur cum vitari non potest, ratione illius à quo infligitur, sicut si pro iustitia facta vel aliquo alio bono facto tyrãnus hominem in carceribus vel alio modo interficiat, & ille patienter, & voluntarie ferat mortem illatam. Si autem alio modo fiat, non satisfacit. Nam satisfactio est redditio voluntaria alicuius, ita alias indebiti.

L. Mors naturalis an sit satisfactoria.

Circa hoc quæritur vtrum suffragia vel ieiunia eius qui est in peccato mortali prosint ei, qui in charitate decessit. Et videtur, quod non, quia *Deus peccatores non audit*, igitur. Ad hoc respondetur, quod si sunt opera sacramentalia, vt missa, vel quę nomine Ecclesiæ publice fiunt, vt officium mortuorũ, vel quodcunque aliud simile, tunc illa valent, vt iam dictum est. Tum quia illa à Deo non ab operante efficaciam habent. Tum quia ille non proprio nomine, sed totius Ecclesię hoc agit. Si vero tãquam priuata persona, aut hoc agit alieno nomine, vt defuncti, seu alicuius alterius existentis in charitate iussu, & sic iterum valet, quia qui de bonis alterius tanquam minister eleemosynam facit, pro eo satisfacere intelligitur, cuius mandato fit, vt dicitur extra de sent. excom. mulieris, vel si cum eo, qui in charitate est, officium dicit, vtpote si legit Psalterium cum eo qui est in charitate, tunc etiam ad minus valet, ratione charitatis hominis adiuncti. Si autem suo priuato nomine eleemosynã det aut ieiunet, vel aliquid aliud faciat solus, dicunt quidam, quod non valet defunctis. Sed hoc videtur nimis durum, nec sequendum, quia nullus scire potest pro certo, vtrum sit in statu gratiæ, iuxta illud Eccl. *Nemo scit an odio vel amore dignus sit*. Si igitur tantũ suffragia prosunt, quę fiunt per eos, qui sunt in gratia, non posset homo scire quando iuuaret defunctos, & sic multi retraherẽtur ab adiutorio eorum. Et ideo posset aliter dici, quod prosunt eis, non ex merito vitæ agentis, sed quia illa fiunt secundum doctrinam Ecclesiæ, & per eum qui in fide est, & pro eo, qui talia recipere meruit beneficia. Vbi enim deficit charitas agentis, supplet meritum fidei, & charitas Ecclesiæ talia dictantis, & charitas defuncti, nec non & liberalitas Dei miserentis. Vnde si Titio quis decem præstiterit, quocunque illa decem soluente liber est. Et secundum Augu. quamquam in lapideo canali nihil generet aqua, tamen inde transiens terram fœcũdat, ideo

Nota. Ioh. 9. Eccl. 9.

opera illius licet non sint reconciliatiua, sunt tamen satisfactoria vel esse possunt, & hoc concordat opinioni doctoris subtilis, qui dicit, quod per opera facta in peccato mortali potest quis satisfacere.

N *Opera hominis præcedũt comitantur, & sequuntur ipsũ.*

Quæritur secundo, si melius est facere eleemosynas, ieiunare, & alia bona opera facere ante mortẽ quã expectare vt fiat ab amicis, quomodo ergo dicitur in Epistola de defunctis, quod opera illorum sequuntur illos, & non quod præcedũt. Respondetur quod opera hominis præcedunt, concomitantur, & sequũtur. Præcedunt enim quasi garnitio posita in horreo paradisi, cõcomitantur, vt ipsum defendant in exitu, & pro eo loquantur in conspectu iudicis, qui tũc reddet vnicuique iuxta opera sua, dicẽs, date ei de fructu manuum suarum, & laudent eum in portis opera eius, scilicet in portis mortis, & ingressu paradisi. Sed sequuntur opera, quia ipsum liberant à pœnis. Sunt enim opera, quæ meruerunt adiutorium, & maxime propria, quæ fiunt ante mortem, licet opera parentum, quæ sequuntur iuuent, vt spiritus requiescat à laboribus suis. Tunc enim fugient omnia, in quibus nostra spes ponebatur, & quæ vidimus. Non enim sequetur pecunia, quæ liberet donis, non scientia, quæ cautelis, non eloquentia, quæ verbis excuset, non amicitia simulata, quæ in necessitate perseueret. Sed opera bona non delinquent in Domino morientem, quin eum inducant in requiem. Peccatorum autem, quia duplex est onus, vnũ temporaliũ, quod deponent in foramine mortis, aliud peccatorũ, quod est gibbus maximus, quod nunquã deponere poterunt, ideo per foramen paradisi nunquã transire poterũt.

## DE S. EVSTACHIO, SER. I. & in ordine LXXXI. Per Thema.

*Thren. 3*

*A Venatores instruũtur exemplo Eustachij venatoris.*

*VEnatione quasi auem ceperunt me inimici mei gratis.* Quæritur cum dicat Hier. super Ps. 85. & recitatur. 86. de Esau, quod nullus inuenitur venator sanctus in scripturis, quomodo sit festum huius venatoris, scilicet Eustachij. Respondetur primo quod huius festum sit duplici de causa. Primo vt discant venatores quomodo debent viuere. Ad hoc enim proponitur eis exemplum B. Eustachij. Dicitur eum quod fuit magnus eleemosynarius, & pius in pauperes. Sic debẽt venatores, & si non dent eleemosynas, saltem non nocere pauperibus, non transire per segetes, non destruere pauperẽ, non eius dietam occupare. Secundo fuit deuotus Deo, patet in pictura qua ei exhibetur genibus flexis corã crucifixo. Tales ergo habent esse deuoti, & nisi habeant tibias rigidas, debent flectere ambo genua. Sed nihil facient, imo facient Deũ mendacẽ, qui dixit, per memetipsum iuraui, quia mihi curuabitur omne genu. Tertio fuit patiens. Et vere venari est vnum officiũ, in quo maxime necessaria est patientia, singulariter quando venatores nihil capiunt, vel quando fera euasit. Sicut igitur datur pueris exemplar correctum, vt circa illud studeant & scribant, sic venatoribus, vt sic agant. Sed certe non est inuentus similis illis. Secunda causa est, vt ostẽderetur, quod nullum statum Deus spernit. Sicut enim in statu Ecclesiastico multi fuerunt perfecti & digni martyrio, sic etiam in statu plebis communis, in statu sæculari, in statu nobilium, & singulariter bellatorũ. Placuerunt enim Deo tanquam ministri & iustitiæ defensores, & plebis, vt patet de Dauid & multis alijs, ita etiam, vt ad summum & perfectissimum statũ deuenire possint, scilicet Martyrij. Vnde ait Petrus: *In veritate comperi, quia non est personarũ acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, & qui operatur iustitiã, acceptus est illi.* *Act. 10.* Dicitur secũdo, quod nullus sanctus mortuus est venator, & voluit hoc Hier. dicere. Distrahit enim venatio à diuino seruitio, & à deuotione. Ideo raro inueniuntur aliqui multum deuoti, & sic venatores non canonizãtur, quia venatores, alioquin multi nũc canonizarentur, quia multi nunc ascribũtur Martylogio venatorũ. Nisi forte Maria, quæ ita venata est

ta est inter syluas huius mũdi, quod prędam attulit humano generi, de qua omnes pascimur & vescimur, pretiosã Christi humanitatem. Ad eam igitur, vt de venatione sua nobis tribuat, recurremus, dicentes: Aue gratia plena. &c.

B Venatur Deus, & diabolus & mundus.

Venatur Deus, venatur & diabolus vel mundus. Diabolus tripliciter, scilicet laqueo, reti, & visco. Primo laqueo venatur superbos, & hoc in omni statu, quia in omni statu regnat superbia, vt vere in quocũque statu dicere quis possit. In via hac qua ambulabã, absconderunt superbi laqueum mihi. In via nobilitatis laqueus pompæ & superbiæ. Primo in dominãdo pauperibus. Secundo in dominãdo ęqualibus, quia frater fratrẽ venatur in mortem. Sed se custodiant, quia secundũ Ps. *Diabolus in laqueo suo humiliabit eum*, scilicet superbum, *inclinabit se & cadet cum dominatus fuerit pauperum.* Videtur enim nobili superbo, quod teneat laqueo vel reti populum, sed: *Veniet illi laqueus quem ignorat, & captio quam abscondit apprehendet eum.* In statu Ecclesiastico, in multitudine beneficiorum & dignitatum immensarũ pompa, & ferculorum. Sed contra Ps. imprecatur. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueũ*, quo per guttur capiuntur ingurgitando se, & in retributiones, quia forte est laboris eorum retributio, & in scandalum populi, qui videt eos substãtiam comedere pauperum, & in hoc scandalizatur. In statu populari est etiam quandoque tanta superbia, quod non condescendunt ad parcendũ sibi, sed incessanter se infestant, & obloquuntur, & vnus alteri se pręfert, & hic est laqueus de quo Eccl. *Liberasti me à laqueo linguæ iniquæ, & à labijs operantium mendacium.* Secundo visco capit luxuriosos, etiam aues maximas, id est, supremos & sapientissimos, nec vmquam quis tetigit picem, quin inquinaretur ab ea, nũquam illuc vadit aliquis, quin dimittat plumas. Tertio per rete, scilicet impatiẽtiæ & murmuris capit multitudinem populi. Simplex enim populus cũ pungitur à venenosis hominibus, vix patientiã ser-

Psal. 9.
Psal. 34.
Psal. 68.
Eccl. vlt.

uat, & vbique seminantur hæc retia. Sed Dominus venatur cursu. Psalm. *Exultauit vt gigas ad currendam viam.* Et alibi: *Velociter currit sermo eius.* Inde in cursu cepit Eustachium. Sed qui inimici infidelitatis & idololatriæ eius? Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: hinc dicere potest: *Venatione quasi auem ceperunt me inimici*, &c. Primo dicetur, quomodo à beata Trinitate captus est Eustachius in venatione. Secũdo quomodo in tribulatione multipliciter captus est, & tandẽ in martyrio. Quantũ ad primum, erat Eustachius vir nobilis, Romanus, magister militiæ Traiani, pius & misericordiæ operibus insistens. Magnum est, cum nobiles sunt pij in pauperes. Et qui tales sunt, debent post mortem lugeri, quia vix inueniũtur. Sic Dauid lugebat super Saul, & volebat filias Israel lugere, dicens: *Filiæ Israel super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in delitijs, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro.* Sed quæritur, vtrũ ex præcedentibus meritis Deus vocauerit Eustachium ad fidem: & videtur quod sic, quia recitãtur eius eleemosynæ siue præcedẽtes vocationẽ eius, quasi processerit ex eis. Idem habetur de Cornelio Act. decimo. Respondetur per propositiones.

Psal. 18.
Psal. 147
Thren. 3
2. Reg. 1.
C Conuersio ad fidem est ex gratia Dei.
Act. 10.

Prima quod nullus vocatus est ex meritis suis præcedentibus à Christo ad fidem, patet ex eo. *Et qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*, id est ei qui operatur merces debetur ex iustitia, non ex gratia. Sed conuersio ad fidem est ex Christi gratia, qui hunc vocat, & non illum. Tunc enim erant multi venatores, & solus iste vocatus est, igitur. Inde potest dicere. Venatione cæperunt me gratis, id est non ex meis meritis. Ideo nõ debet homo superbire si se sentiat alijs meliorem, quia hoc procedit non ex se, sed ex Dei gratia, quæ alijs subtrahitur, & sibi conceditur. Secundo quia ante gratiam homo est in statu peccati, peccatum autem est impedimentum ne quis aliquid mereatur, ita vt sit dignus cui merces reddatur, igitur.

Rom. 4.

Dicitur

Dicitur secundo quod aliqua bona opera possunt esse dispositiua quædã ad gratiam, vt eleemosynæ Cornelij & Eustachij. Exemplum de terra quę nihil boni fert, est tamen ex aliquibus apparentibus apta ad colendum, ideo agricola libenter vrticas euellit, & eam colit. Cum quadam die processisset Eustachius venationis gratia, inuenit Christum inter cornua cerui dicentẽ: Cur me persequeris, ego sum Iesus quem tu persequeris.

D Venatio multiplex. Hic quæritur vtrum venatio sit licita. Respondetur secundum Glos. distin. 68. quod triplex est venatio. Quędam arenaria, quæ est cum quis pugnat in arena cũ bestia dentata, & hoc cum locat operas suas, & ista modo non solet exerceri, & qui hanc exercet, regulariter peccat, quia exponit se periculo mortis. Vnde Hannibal occidit hominem Romanum, qui singulari certamine elephantem occiderat, dicens eum indignum vita, qui cogi potuisset cum bestijs dimicare, vt ait Plinius. Ad istam positus est Eustachius, & multi tempore Diocletiani ponebatur ad bestias. Secunda est oppressiua in qua nõ feris, sed domesticis venatur, per quam videlicet opprimitur populus, sicut fecit Nemroth, qui dictus est robustus venator. Ista nunc multum regnat. Antiquitus solebant homines venari lupos, modo deuinculantur lupi vt venentur, & comedant oues. Nota. Tertia est saltuosa, & hæc potest esse licita. Quod sit quandoque licita patet, quia Esau ex mandato patris venatum profectus est, vt satiaret esuriẽ patris, & promissam benedictionem obtineret. Si enim sine culpa exerceri non posset, nunquam tantus Patriarcha ad opus illud misisset filium, quem benedictionis gratia in caput Gentium cõstituere disponebat. Est autem licita consideratis quatuor, scilicet tempore, persona, loco, & modo. Tempore quidem, quia tẽpus obseruari debet ita, quod non fiat tẽpore quo debent homines esse in Ecclesia, vel orare, siue sint clerici siue laici. distin. 68. putatis, etiam nec fiat tempore ieiuniorum, & festorum, quia sic facile laxatur ieiunium, & præceptum soluitur. Secundo debet status personæ considerari. Et ideo mechanici qui habent aliam occupationem meliorem, non debent ad hoc occupari, & singulariter Ecclesiastici, & religiosi maxime, & clamorosa singulariter eis inhibetur. Tales enim debent aliter venari scilicet Christum, vt capiunt eum, & debent esse magistri, vt alij sequãtur vestigia Christi, proponentes illud. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* 1. Pet. 2. In Ecclesia tamen sunt multi modo, quorum vestigia non sunt ad sequendum facilia nec vtilia. De lepore dicitur, quod vt venator in finem perdat vestigia eius, salit tres aut quatuor saltus, & sic amittuntur eius & à dextris & à sinistris, vt sic nesciatur ad quã viã declinauerit. Sic licet multis faciant multa bona opera, tamẽ aliquando passus trãsuersales faciũt, & mali exẽpli, propter quos populus dimittit insequi eos. Tertio debet considerari causa. Possunt autem esse multæ causæ mouentes ad venationem. Prima est ex necessitate famis ingruẽte, & si sicut fames facit exire lupum de siluis, sic fames hominem intrare in syluas. Secundo cum vastãt segetes, & sic apud Athenas solis suburbanis concessa erat venatio. Tertio contra animalia infestantia & inuadentia hominem, sicut contra lupos, & sic forte antiquitus concessa erat venatio nobilibus, ad tuitionem suorum perditorũ. Quarto pro pellibus & carnibus habendis, supposito tempore debito. Quinto, causa sanitatis, & sic etiam clericis est licita pro exercitio, & principibus ad transeundum melancoliam. Sed si fiat voluptatis causa, tunc est periculosa propter multa. Primo propter temporis amissionem, & forte propter hoc, quia Esau minimam traxit Gen. 2. moram in venatione ex delectatione, benedictionem perdidit. Secundo quia delectaretur homo in effusione sanguinis, & sic per consuetudinem ad hoc posset deuenire ad crudelitatem, vt sanguinem

non

non horreret. Vnde narrat Policratus, quod, ex quo Thebani venationem cõmunicandam censuerunt, illa gens crudelis & voluptatibus dedita esse cœpit. Etiam venatores omnes in scriptura reprobi sunt. Patet de Nembroth, quẽ nec pœna recens diluuij potuit arcere à crudelitate sua, ita quod bestijs conformatus est. Secundo de Esau, qui postea sitiebat sanguinem fraternum, & taliter, quod pro bestiola aliquando non verétur humanum sanguinem fundere. Tertia causa, nimis sumptuosa est. Canes enim venatici plus constant quam conferant, & homines, qui insectantur illos, comedunt dominũ. Exemplũ de Actheo duce Thebanorum, qui transformatus est in bestiam, comestus à suis canibus, vt fingunt Poëtæ. Huiusmodi enim venatores quasi bestijs similes effecti, à suis deuorantur in eorum substãtia, propter suam stultam prodigalitatem. Sed quarto in omnibus istis est modus seruãdus, ne quid nimis, ne dimittantur ea, circa quæ debent homines occupari, sicut magistratus ne dimittant iudicia aut administrationes publicas. Et propter hoc dicit Themistocles, magistratus à ludis, & quibuscũque leuioribus esse arcẽdos, ne respublica ludere videatur, defectumq; sui, relicta grauitate, pronunciet. Et propterea apud Athenas tempore philosophorum prohibita erat venatio habitantibus in ciuitate, quia iniquum erat nobiliora ingenia studijs dehonestari vilioribus, & eo tempore captiuati sunt, qui edictum publicum censuerunt esse tollendum. Vnde sanctus Eustachius erat in fuga seu venatione, & Dominus ex altera parte ad venandum eum, & ibi accepit eum, & gaudium summum Angelis de illa venatione siluestri fecit. Pro secunda parte, captus est Eustachius in multiplici tribulatione. Vnde, secũdum Guilielmum Parisiensem, licet opera misericordiæ ædificent in cælis, & multum collocentur, tamen adhuc excellentius opera patientiæ. Et quia pius & misericors fuerat Eustachius, voluit Dominus vt per patientiam probaretur, quia in liberalitate licet sit largitio & contemptus bonorum, tamen ibi proprie non est victoria. Sed hoc est in patientia. Ideo fecit eum Dominus patientem, & abstulit ei omnia bona, seruos & ancillas, sicut & Iob. Sic & Christus habuit loculos ad distribuendum egenis, & patiebatur furem, & tandem passus est carnificum rapinam, qui diuiserunt sibi vestimẽta sua. Inde est, quod procedendo de gradu in gradum, post beatitudinem misericordiæ ponitur beatitudo persecutionis. Causa autem quare Dominus incepit à tribulatione eius, est, vt erudiret eum. Nihil enim est quod magis erudiat quam tribulatio. Patet. *Sola vexatio dabit intellectum auditui.* Psalm. *Nox illuminatio mea in delitijs meis.* Thren. *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius*, id est, in tribulatione, quam ex indignatione videtur infligere. Culpa oculos clausos habet & pœna apertos. Propter hoc dictum est Nabuchodonosor: *Septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod in regno hominum dominatur excelsus, & cuicumque voluerit, dabit illud.* Et post pauca: *Redditus est sensus meus mihi*, ita quod illuminatus est per illam tribulationem. Et propter hoc flagellantur adhuc paruuli, & flagellum eis quasi lucerna adhibetur, vt per eam videant quod alias non cognoscerent. Nec mirum, cum & ipsa bruta erudiãtur super virtutem brutalem. Vnde & Gregorius: Idcirco cor Salomonis funditus sapientiam deseruit, quoniam ipsum nulla disciplina tribulationis custodiuit. Gloria autem erat illi habere talem magistrum eruditorem, & castigatorem, & pædagogum, sicut ille, qui ait: *Castigasti me Domine, & eruditus sum.* Nam *flagellat omnem filium quem recipit.* Super quo August. Si exceptus es de numero flagellorum, exceptus eris de numero filiorum.

Septem autem genera tribulationum passus est, vt posset de eo dici: *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te ma-*

Margin notes: Gen. 27. — Themistoclis dictum. — Iob 1. — E Tribulatio multum erudit. — Esa. 28. — Psal. 118 — Thren. 3. — Dan. 4. — Hier. 31. — Heb. 12. — Iob 5.

*te n alum*. Prima tribulatio fuit perditio amicorum, quia peste perierunt amici sui serui, & ancillæ, cum tamen.8. Ethico. sine amicis nullus vtique eligeret viuere, habens reliqua omnia. Ideo si perdas amicos, respice ad patronum tuum, qui perdidit omnes. In quo videtur magis afflictus quàm Iob. quia Iob erat in tribulatione, sed ab amicis visitatus est. Secunda fuit perditio officij & omnium bonorum tẽporalium. Homo oneratus post gygantem currentem non bene potest currere, sed Dominus exultauit, vt gigas, ideo, vt curreret post eum Eustachius, oportuit ipsum esse exoneratum. Iob autem omnia bona mobilia perdiderat, sed tamen adhuc sibi remanserant immobilia, scilicet terræ suæ, & adhuc habebat sterquilinium suum. Non sic Eustachius, sed exulauit à terra sua. Ita contigit sæpe vt perditis amicis insurgant mali in te, & tunc perdis officium, perdis & bona. Sed tunc respice ad patronum tuum, qui hæc ita patienter portauit. Tertio perdidit vxorem. Cum enim fugiẽs venit ad nautam, & non haberet naulum, nauta retinuit vxorem pro naulo. O qualis tẽtatio. Perdiderat enim quasi mediam sui partem. Sed vtrum erat paraliticus? Dicitur quod non, quia vbicunque esset vxor sua cor suum erat ibi. Iob autem habuit vxorem suam in sua tribulatione. Ideo si perdas vxorẽ per mortẽ, ne desperes. Quarto venit ad fluuium, & ibi perdidit filios suos. Iob quidem suos perdidit in terra sua, sed iste in aliena terra, & in medio fluminis quasi in loco desperationis. Sed:
Tren 3. *Bonus est Dominus sperantibus in se, & qui fa-*
1. Co. 10. *cit in tentatione prouentum*. Quinta tribulatio est seruitus, quæ est mors seruilis. Posuit enim se in quodam vico ad seruiendum, ne esset ociosus, & lucraretur vitam suam. Non autem fuit Iob in seruitute, & si in tribulatione, forte per quindecim vel viginti dies: iste per quindecim annos in seruitute fuit, vbi Domino seruiens corde, manibus operabatur. Sexta tribulatio eius fuit in suo martyrio quando cecidit in tyrannorum manus, & expertus est persecutorum sæuitiam, & tunc primo ad bestias positus est, sed nihil eum læserunt, postea in boue æneo bullitus est. Si ergo multa patiaris à tyrãnis, noli mirari, quando sanctiores te ista passi sunt. Septima fuit mors, in qua ipsum non tetigit malum, quod solum vere malum est, scilicet mors æterna, sed ibi laudauerunt animam eius in portis opera eius. Sed quæritur cum B. Eustachius tantas & tam multiplices passus sit tribulationes, quomodo Martyres dicuntur. *In paucis vexati*. Respondetur per propositiones. Prima est. Multæ fuerunt & magnæ tribulationes iustorum. Quod multæ, patuit in Eustachio ex supradictis septem generibus tribulationum. Sed magnæ fuerunt in eodem, quia cum esset nobilis per tribulationes à statu nobilitatis deiectus est, & tandem à paganis odio habebatur, nec erat huius occasio. Maiores, quia in his odiebatur, à quibus erat diligendus, scilicet ab Imperatore, & Romanis, cum tamen obtinuisset victoriam de inimicis eorum. Nec mirum, quia prędixerat Dominus, tradet frater fratrem in mortem, & exurgent filij in parentes. Sed maxime, quia inde odiebatur vnde erat diligendus, quia nomen salubre portabat, & lumen in Gentibus. Sed dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Magna fuit eius tribulatio in perditione omnium bonorum, maior in afflictione corporis, & morte, sed maxima, quia ex eorum perditione qui ei coronam gloriæ fabricabant, interius in fontẽ sensationis supramodum afflictus. Gratias tamen agebat eis, sicut rasori, qui gratis aufert barbam gratiæ sunt referendę, id est temporalium abundantiã. Cum Absalon propter crinium abundãtium suspẽdium incurrerit. Medicus crines ægroti abradit, ne in frenesim incidat. Sic nobis tẽporalia, ne in peccatorũ dementiam incidamus. Sed scabiosus vel vlceratus lachrymatur cum raditur, id est auarus, cum diuitias amittit. Scabies enim

F Martyrũ tribulationes fuerunt multæ & magnæ. Sap. 3.

2. Re. 18

enim est ardor habendi. Quam scabiem habuit diues ille cui dixit Dominus: *Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, qui sentiens nouaculam Christi abijt mœrens, & tristis, & consilium Domini non impleuit. Pulchrior autem est homo cum barba ei ablata est. Sic cum fimus temporalium Martyribus auferebatur, imo & cũ pellis. Nec enim est de moderno tempore nouum, quod multæ & magnæ sint tribulationes iustorum, quia à principio Ecclesiæ non defuit iniquitas premens, & iustitia patiens. Secunda veritas, quamuis tribulationes beati Eustachij, & aliorum martyrum fuerint multæ in se, paucæ tamen sunt in respectu ad quinque. Primo in comparatione diuinę reputationis, & amoris Dei. Gen. *Videbuntur ei dies pauci præ amoris magnitudine*. Augustinus, vis desideriorum facit tolerantiam laborum, & nemo nisi pro eo quod delectat, sponte suscipit ferre quod cruciat. Qui enim timore amissionis modicæ rei negotium dimittit, non videtur habere negotium cordi. Qui vero sibi chariores pro negotio exponit, videtur habere cordi negotium. Sic martyres, qui non solum temporalia, sed etiam corpus aut partem nobiliorem corporis pro fide dederunt, quia caput suum, sicut patuit in Eustachio, qui totum corpus cremandum dedit. Hoc enim erat necessarium ad faciendum perfectum sacrificium. In Leuitico enim legitur: *Si holocaustum fuerit eius oblatio, offeretur ad ostium tabernaculi, ponetque in caput hostiæ manus*. In antiqua lege differentia erat inter sacrificium & holocaustum, quia qui holocaustum offerebat, totum offerebat & totum cremabatur, in sacrificio vero pars vna Deo, altera Sacerdoti. Sic Martyres totum offerebant, temporalia, vitam propriam, & omnia membra. Sancti vero Confessores partem sibi & mundo reseruabant, scilicet vitam, & hoc licite, dum tamen adeps cordis Deo daretur, quia omnis adeps Domini erit iure perpetuo, scilicet pinguedo cordis, & totius affectionis. Alioquin qui Deo simulat se offerre sacrificium, & adipem cordis sui mundo tribuit, Deo furatur, quod ei proprium est. Secundo in comparatione ad passionem Christi: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor similis sicut dolor meus*. Inde Psal. ait: *Absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum*, scilicet Apostoli, & alij maiores. Expedit enim afflictis in hoc sæculo, vt aliorum maiores afflictiones intueantur, vt eorum comparatione suæ leuiores appareant, sicut peruersis hominibus ex comparatione peiorum peccata sua modica videtur. Eccl. *Homo peccator vitabit correptionem, & iuxta voluntatem suam inueniet comparationẽ*. Boni vero exemplo meliorũ semper facta sua modica existimant, & electi dum affligũtur, respectu Christi & aliorum suas afflictiones minores reputant. Tertio, in comparatione futuræ mercedis. Apost. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam*. Iterum: *Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Omnis enim dolor voluntarie assumptus, aut habet delectationem præsentialiter annexam, aut in posterum expectatam, quia malum, vt malum nunquam acceptatur. Omnia enim bonum appetunt. Ideo quando dolor acceptatur, oportet quod sit ratione boni præsentialiter adiuncti aut expectati. Sic vrsus dum mel inuenit inter spinas, puncturam spinarum sponte tolerat, dum dulcedinem mellis degustat, & agricola cum multo labore colit & seminat, propter fructum quem expectat. Quarto, in comparatione æternæ afflictionis, quam euadunt. Iob: *Qui timet pruinam, irruet super eum nix*. Quinto, in comparatione diuinæ consolationis. Vnde Augustinus in Sermone de sancto Vincentio: Si consideretur in martyre humana patientia, incipit esse incredibilis. Si virtus agnoscatur diuina, desinit esse mirabilis. Psal. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscon-*

Mat. 19 · Nota. · Gen. 29. · Leuit. 1. · Tren. 1. · Psal. 140 · Eccl. 32. · Rom. 8 · 2. Cor. 4. · Iob 6. · Psal. 30.

*absconditi timētibus te*, ita vt multi dum paterentur dicerent se epulari, & præ gaudio psallebant. Quinto in comparatione obligationis, & debiti propter commissa & omissa. Vnde: *Consummatus in breui expleuit tempora multa*, quia in vno die soluit Eustachius debita, quæ vix per multos annos soluisset. Propterea Deus non parcit Martyribus in tormentis, vt parcat eis in peccatis. Chrysost. in quodam sermone. Qui liberis parcit, is eos perdit. Qui castigat & non parcit, salutē eis præbet. Quod & sapiens ait: *Si erudieris filium tuum virga, non morietur, sed animam eius eripies de morte*, hoc & in re militari fieri solet. Nam si dux militibus parcat, & idcirco eos in vrbe detineat, tā milites quam alios simul corrumpet & perdet. Bellum enim graue indicitur, nec domi sedendum, sed expeditum ad pugnam egredi oportet.

Sap 4.

Prou. 23.

## DE EODEM SANCTO, SER. II. & in ordine LXXXII. Per Thema.

Iob 1.

A Visitauit Dominus mūdū quadrupliciter.

*Visitatio tua custodiuit spiritum meum*. Nota, quod quadrupliciter visitauit Dominus mundum. Primo prædicationis officium exercendo. *Propheta magnus surrexit in nobis*, & quia Dominus visitauit plebē suam. Nesciebat enim ostium paradisi inuenire tanquam cæcus, quia quilibet cadebat in foueam inferni. Psal. *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant*. Secundo, discordias magnas pacificando. Erat discordia inter Deum & hominem, hominem & angelum, hominem & hominem, nec erat qui posset pacificare. Nō enim volebat se ponere Deus super hominem purum, ideo dixit de Christo Deo & homine: *Ponam in salutari*. Et sic Christus mediator est factus, qui potius voluit mori in pœna, quam quod nō pacificaret. Vnde pro hoc clamat humanum genus: Visita nos in salutari tuo. Tertio, indulgentias & absolutiones fecit genus humanum quasi excommunicatum à communione Ecclesiæ triumphantis, ad ipsius communionem recipiendo. Luc. *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit*, &c. Hinc Ioseph dicebat: *Post mortem meam visitabit vos Deus, & ascendere faciet de terra ista*, id est, de limbo. Hoc petebat natura humana dicens: *Respice de cælo, & vide, & visita vineam istam*, scilicet Ecclesiæ militantis, de cuius propagine erat beatus Eustachius, cuius etiam visitationem ipse senserat in se, & ideo gratulabundus dicebat Domino: *Visitatio tua custodiuit spiritum meum*. Quarto (quæ tamē dispensatio fuit prior) dispensando in arduo casu, scilicet in Incarnatione super omne decretum, vt esset virgo sine defloratione fœcunda, sine grauamine grauida, sine dolore puerpera, virgo mater pueri, femina mater Dei, vt vere dicat Psalmista Deo: *Visitasti terram, & inebriasti eam*, scilicet fluminibus gratiarum. Vt igitur de eius plenitudine aliquid accipiamus, recurremus ad eam, dicentes: Aue.

Luc. 7.

Psal 81.

Psal. 12

Luc. 1.

Gen. 50.

Psal. 79.

Iob 10.

Psal. 64.

Tripliciter visitauit Dominus Eustachium. Primo sicut medicus infirmum. Secundo sicut amicus amicum. Tertio, sicut rex militem suum. Primo visitauit eum tanquam medicus infirmum. Certe tanquam medicus, qui curat leuiter ex integro, & hoc corporali præsentia sanādo eum ab infidelitate. Et sicut medicus corporalis solet quatuor facere, sic fecit ei Christus. Primo tamen iste medicus vult sibi solui. Hoc fecit Eustachius soluendo Christo bonis operibus, & pijs. Vnde multa fuerunt causa conuersionis beati Eustachij. Primo opera misericordiæ. Insistebat enim operibus eleemosynarum. Vna enim bonitas aliā attrahit. Psalm. *Abyssus abyssum inuocat*. Sic humana misericordia diuinam attrahit, vt filia matrem. Sic Cornelius ad misericordiam Dei peruenit per eleemosynā. Est enim eleemosyna vnguentum, quod sustinere non poterat Iudas, id est, diabolus. Sic conuersus est saracenus quidā, qui fame existente in Ægypto cum pauperibus cōpatiens euacuasset omnia horrea

B Conuersionis operari fuerunt multa.

Psal. 41.

Act 10.

rea sua, quædam domina, quæ videbatur honestissima, & gerens puerum speciosissimum, venit ad eum, rogans vt benefaceret ei. Et cum assereret nihil superesse, adiurauit eum per illam dominam, quæ virgo pepererat Saluatorem mundi, quod faceret videri si adhuc aliquid ibi inueniretur. Cum autem pietate motus curreret ad horreum, inuenit omnia horrea plena, nec vltra dictam dominam potuit inuenire. Hoc viso miraculo, & pueri visi gratia motus, cum omni domo sua baptizatus est. Quia ergo Eustachius fecerat Deo misericordiam in membris suis, ideo Deus ei fecit secũdũ illud. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. & vbi alia exercitia corporalia inania erant, sola misericordia profuit. *Exercitatio corporalis*, scilicet venationis, quam exercebat Eustachius, *ad modicum vtilis est, pietas ad omnia valet*. Secundum fuit opus iustitiæ & æquitatis, quia iniuste damnatos eripiebat. Tu, qui es in dignitate, qui familiaritatem habens principum, habes mnam creditam à Deo, qua debes vti releuando oppressos & iniuste condemnatos. Sed de iuste damnatis non eripiebat, sed permittebat de eis iustitiam fieri. Tertium fuit passio Christi. *Aspicient ad me, quem confixerunt*, sicut respicitur ad speculum, vt tergantur sordes ad eius visionem. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum*, & non solum ad conuersionem, sed etiã ad tentationes patienter tolerandas. Inde in figura huius dicitur, quod ostendebant elephantis sanguinem vuæ & mori, vt acuerent eos in prælium. Sic beato Eustachio inter cornua cerui, quasi in modum crucis apparens Dominus, dixit ei quæ passurus erat. Et in Hist. Tripart. lib. 1. cap. 5. iussit Constantinus signum nobilissimum, quod labarum dicebatur, in vexillum sanctæ crucis transformari, ad animandũ suos, & in bello Godefridi contra paganos portabatur lancea Saluatoris. Quartum verbum Dei, secundũ illud Psal. *Lucerna pedibus meis verbum tuũ, & lumen semitis meis*. Et iterum: *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis*. Et alibi: *Præceptum Domini lucidũ, illuminans oculos*. Et: *Discipuli cognouerunt Dominum in fractione panis*, id est, in declaratione verbi Dei. Verbum Dei mundat. Apost. *Verbo virtutis suæ purgationem peccatorum faciens*. Et ideo *beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eũ*, sicut fecisti Eustachium. Secundo, solet medicus considerare morbum, tangendo pulsum & videndo vrinam, conditiones infirmi, & qualitatem morbi. Sic medicus spiritualis Christus. Cõsiderat enim peccati & peccatoris conditiones, ipsum peccatorem ad suiipsius & peccati cognitionem illuminãdo. Non enim quantũ in se est, indiget signorũ inspectione. Ipse enim sciebat quid esset in homine. Vnde Iob: *Visitas eum diluculo*, id est, in principio infirmitatis, quia peccator, cũ in profundum malorum venerit, contemnet. *Visitauit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris*, &c. Sic visitauit Eustachiũ in specie cerui, dicẽs. Quid me persequeris. Sed quare dixit: Cur me persequeris, cũ tamen persequeretur ceruũ. Nõ enim legitur, quod Eustachius vnquã persecutus fuerit Christianum. Respondetur primo, quod Dominus dixit se esse persecutũ in ceruo propter multa. Primo, quia in scripturis ceruo comparatur, & in capite, & in membris. In capite. *Similis esto dilecte mi capreæ hinnuloque ceruorum*, propter velocitatem currendi & frequentiam saltãdi, de quo Psal. *Exultauit vt gigas ad currẽdam viam*. In mẽbris, eo quod sicut ceruus venatus recurrit ad aquas, sic sancti viri lassati & fugati varijs tribulationibus ad misericordiã & auxilium Dei confugiunt, sicut ille, qui dicebat: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum*, &c. Dicitur secundo, quod omnes iniqui suis iniquitatibus persequuntur Christum, quia ea sequuntur, & cum his ambulant, quæ Deus odit, etiam cum inimicis suis, & ideo amicis Dei dicit Psal. *Qui diligitis Dominum, odite malum*. Et quia Eustachius

Marginalia: Matt. 5. — 1. Tim. 4 — Zach. 12 — 1. Pet. 2. — 1. Mac. 6 — Psal. 118 — Ibid. — Psal. 18 — Luc. 24. — Hebr. 1. — Psal. 93. — Iob 7. — Luc. 1. — Cant. 2. Nota bene. — Psal. 18. — Psal. 96.

erat idololatra, semper persequebatur Dominũ. Secundo, in hoc moraliter loquẽdo, sicut Eustachius persequẽdo ceruũ dicebatur persequi Dominum, sic qui persequuntur simplices, & bestiales homines, Christum in eis persequuntur, Mat. 25 quia *quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Tertio, in hoc datur exemplũ, quod Christus suos electos à via mala reuerti facit. Venator enim videns quod sui canes sequuntur prædam nullius valoris, vbi vexari possunt, & parum lucrari, retrahit & reuocat eos. Sic videt Christus, quod multi sequuntur prædam vilissimam, delicias carnis, & diuitias, quæ nihil sunt, vt Salomõ, qui de eis multum habuit, testatur: Eccl. 2. *Cum me conuertissem ad omnia opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaueram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole*. Ideo vnumquemque nostrũm monet Dominus, dicens: Osee 14 *Conuertere ad Dominũ Deum tuum*. Sed aliquãdo canes sunt ita famelici, quod non possunt retrahi. Sic mundani, qui se arrestãt ad tripas mundi, & nolunt redire. Osee 6. *Fornicatus est Effraim, contaminatus est Israel, non dabunt cogitationes suas vt reuertantur ad Dominum Deum suum, quoniam spiritus fornicationis est in medio eorum*. Et multotiens cõtingit, quod qui insequuntur prædam, non apprehendunt eam, vt multi qui cumulant diuitias, nec vnquam est finis & terminus, sed vbi volunt delitiari, superuenit repentinus interitus. Psalm. Psal. 139 *Virum iniustum mala capient in interitu*. Venatores enim aliquando confringunt & destruũt vnum equum valentem triginta libras pro vna bestia quæ non valet quadraginta solidos, & quando secuti sunt, aliquãdo non apprehendunt, & sic in fine inueniunt se nihil fecisse, & cum hoc amiserunt equum suum. Sic amici diuitiarũ, delitiarum, & honorum, quando satis cucurrerunt post illa, & perdiderunt corpus & animam. Eccl. 11. *Si sequutus fueris, non apprehendes: cum recedunt, sunt vacui*.

Secunda quæstio est, quare Dominus inter cornua cerui in modum crucifixi se manifestauit, quare non in gloria, sicut Paulo. Respõdetur primo, quia memoria passionis Christi (vt paulo ante dictũ est) prouocat ad patiendum malũ pœnæ pro Christo, & ad fugiendũ malum culpæ, & ad ardua opera aggrediendum. Hoc fuit acumen martyrũ ad bene agendum, pugnandum, & patiendũ. Aug. de symbolo: Antidotũ Christi crucifixi sanguine cõfectum martyres Christi biberũt, & qui prius erãt Ecclesiæ persecutores, eius facti sunt defensores. Sanguinẽ eius biberunt, & pro eo sanguinẽ eius fuderũt. Sic etiam B. Eustachio Dominus in forma crucifixi apparuit, vt inde exemplo eius sanguine per baptismũ mũdaretur, & ad similia patienda armaretur. Secundo, ad ostendendum, quod sicut ceruus est animal timidum, quod fugit immediate, cũ audit canes venantes ipsum, sed cũ crucifixus inter eius cornua stetit, constanter venatorem expectauit, sic homines timidi sunt in aggrediẽdis periculis pro Christo, sed Christi virtute fiunt robusti. Inde dicebat Ps. Domino in persona martyrũ: *In nomine tuo exaltabitur cornu nostrũ*. Et iterũ: Psal. 43. *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium*, quia ibi dimiserunt plumas, Psal. 123. corpus, & tẽporalia: sed principale euasit, scilicet anima. *Laqueus cõtritus est, & nos liberati sumus, adiutorium nostrum in nomine Domini*. Ibidem. Tertio, quia ceruus est animal cornutum, & velox, quod tamẽ stetit, apparente inter cornua eius crucifixo, significantur nobis, quod si illi, qui cornua habent, currentes quasi cerui in silua huius mundi, haberẽt crucifixum inter cornua potentiæ eorum, non agitarẽtur diuersis infestationibus & bellis, sed fixi permanerent in rupe, & populus ante eos flecteret genua, imo & maiores. Quod bene aduertebat Ps. cum diceret: *Prouidebã Dominum in conspectu meo semper*, quod est Psal. 15. habere crucifixum inter cornua animæ. Sequitur effectus: *A dextris est mihi, ne commouear*. Tertium, quod facit medicus, est, quod cõsiderata infirmitate dat infirmo medi-

medicinam expulsiuam, vt sirupum, vel aliquid tale. Sic dedit Dominus Eustachio medicinam baptismi, quæ conficitur ex herbis amaris passionis Christi, & doloribus eius. Dedit & medelam contritionis. Vnde & nocte iuit Eustachius ad Episcopum. Sed quare nocte, cum sacramenta debeant dari manifeste & corá omnibus? Respondetur, quod tunc non erat tempus putandi vineam, id est, tempus mortis eius, & tunc persecutio Christianorum vigebat. Si ergo de die iuisset, tunc persecutionem sustinuisset, & forte non erat tunc satis fortificatus. Sad dum tempus putationis aduenit, manifeste cõfessus est quod in baptismo acceperat. Quartum, quod facit medicus, est, quod instruit infirmum qualiter se debet regere, vt caueat à recidiuo in peccatum. Sic instruxit Dominus Eustachium, dicendo sibi quæ postea pateretur.

C Visitat Dominus amicos multipliciter. Secundo, principaliter visitauit Dominus Eustachiũ, sicut amicus amicũ, mittendo sibi de bonis suis. Primo, corripiẽdo eum, sicut dicit in Psalmo de filijs David: *Si dereliquerint filij eius legem meam*, &c. *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo.* Et hoc est signum magnæ dilectionis, quia hoc modo solum electos visitat. *Tantummodo cognoui vos ex omnibus cognationibus terræ, idcirco visitabo vos*, id est, iniquitates vestras. Quam visitationem petebat Psalmista, dicens: *Intende ad visitandas omnes gentes*, non miserearis in præsenti, vt miserearis in futuro. Et causam subdit: *Quia conuertentur ad vesperam*, scilicet si fuerint visitati. Sic visitatus est Eustachius, quando omnia bona sua perdidit, & vxorem & filios, & exulauit à patria sua. Sed multi non cognoscunt. Inde legitur Dominum fleuisse super Hierusalem, eo quod non cognouerit tempus visitationis suæ. Secundo, visitauit eum, in afflictione positum consolãdo, vt dicitur de tribus amicis Iob, qui condixerunt inter se, vt pariter venientes visitarent eum, & consolarentur. Sic visitauit Dominus Eustachium, cum

Psal. 88.

Amos 3.

Psal. 58.

Luc. 19.

Iob 2.

esset in loco deserto, & pæne cederet, propter paupertatem, dando ei gratiam patienter ferendi, quasi dicens ei illud Psalmistæ: *In terra deserta, inuia, & inaquosa: sic in sancto*, scilicet signo crucis, *apparui tibi, vt viderem virtutem tuam* patientiæ, *& gloriam*, quæ consequitur ad illam.

Tertio visitauit ad honorandum eum, etiam in hoc mundo, & hoc fuit quando restituit ei vxorem & filios & dignitatem pristinam, in quo maxime eum lætificauit, honorauit etiam dando victoriam de inimicis Romanorum.

Sed quæritur. Primo an sit melius tentari, vel tribulari in principio vitæ quam in fine, vel è contra. Dicitur primo quod sancti viri non sunt in hoc mundo sine persecutione, licet alquando modicum respirent. Dicitur enim eis: *In mũdo pressuram habebitis*. In præssura enim non est ordo, neque cognoscitur, aut discernitur perfectus ab imperfecto, sed indifferenter magni & parui truduntur. Sic in mundo. Sic & Eustachius in principio, & in fine vitæ sustinuit tribulationes, licet in medio paululum respirauerit. Dicitur secundo quod melius est quod homo visitetur in principio, quam post longas moras infirmitatis spiritualis. Inde Iob: Admirãdo dignationem Dei de eius visitatione circa hominem ait. *Quid est homo quia magnificas eum*, &c. sequitur: *Visitas eum diluculo*, id est, principio vitæ vel infirmitas peccati.

Ioan. 16.

Iob 7.

Secunda quæstio. Quare est quod tribulationem superueniens dulcedo iudicatur maior, sicut hic apparet in sancto Eustachio post inuentionem vxoris & filiorum, cum tamen post acetum vinum dulce bibitum acetosum appareat. Dicitur, quod secundum differẽtias gustuum iudicandum est. Aliter autem gustus corporalis iudicat, aliter spiritualis. Gustus corporalis, quia indispositus per acetum, secundum quod informatur, iudicat aliquando dulce acetosum. Sed è cõtra spiritualis gustus animæ & rationis

iudicat quando afficitur aceto omnia acetosa, quando dulci, dulcia. Vnde quãdo gustus hominis repletur delicijs sęculi superueniéte huius amaritudine mortis vel tribulationis iudicat omnia friuola & non fuisse verum iudicium, & tribulatio hoc iudicat. Sed quãdo postea recipit consolationé diuinã, tunc illã tribulationé iudicat ratione illius dulcedinis esse dulcé. Oportet enim illã bene dulcem esse, quando omnia amara conuertit in dulcia, ita vt nihil dulcius videatur, quã tribulationes medio Dei & sanctorum euasas enarrare. Tertio principaliter visitauit Dominus Eustachiũ sicut rex milité suũ ad pręmiandum & coronandum de quo Ps. *Quid est homo quod memores eius,* &c. sequitur. *Gloria & honore coronasti eum.* Licet enim martyres visi sint oculis insipientium mori, illi tamé sunt in pace & gloria. Nam caro martyrum data est in manus tyrannorũ ad torquendum, non autem anima. Psal. *Deus non derelinquet eũ,* scilicet Eustachium in manibus eius, scilicet tyranni, vt consentiat. Glossa super illud: *Terra data est in manus impij,* id est caro in quam seruire potest, sed animam inuictam educit Deus. Si enim martyres metu mortis cõsensissent, fuissent in manibus tyrãnorum derelicti. Sed Deus eos non dereliquit, qui eis fortitudinem patiétiæ tribuit. Narratur libro de vita philosophorum, quod Anaxerxes à tyranno morti damnatus cum tunderetur, dicebat carnifici. Tundis Anaxerxis follem, quia Anaxerxem non tundis, quasi diceret, corpus quod est follis tundis, sed non ipsum Anaxerxem, quia animus remãsit illæsus. Multo magis hoc verum est de sanctis, de quibus Psalm. *Non derelinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum,* sicut patuit in beato Eustachio vxore & filijs eius quorum corpora etsi pro tempore essent in manu impij, poterat tamen quilibet eorum dicere Domino. *Visitatio tua custodiuit spiritum meum,* vt intactus remaneret, & custodiretur in gloria perpetua.

*Psal. 8.* E *Martyrũ caro erat in manu tyrannorum non anima.* *Psal. 70.* *Iob 9.* *Iob 10.*

SERMO TERTIVS DE EOdem festo, & in ordine. LXXXIII. Per Thema.

*Multæ tribulationes iustorum.* Multæ quidem tribulationes iustorũ, sed transeunt. *Omnia tẽpus habent.* Vsus virgæ & ferulæ & flagella tempus habét quandiu necessaria est eruditio, fornax quandiu necessaria est purgatio, mallei fabriles quãdiu necessaria est fabricatio. Cum autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est, merito cessabunt omnia prædicta. Necessaria enim sunt rasoria propter imminentem æternæ iucunditatis solennitatem. Nam pili noxiarum cogitationum & affectionum vlterius non renascentur, & ideo tunc non erunt rasoria necessaria. Tempus enim habent paleæ sustinendi, nutriendi & custodiendi grana, sed reconditis granis, non erunt necessariæ. Ideo sancti martyres istas tribulationes sustinuerunt quasi sibi vtiles, & pro tempore transitorio, vt æterna deuitarent torméta, & perpetuam acquirerent gloriam, sicut fecit Eustachius cum suis. Sciebant enim se non posse aliter euadere, cum nec ipse Christus absque tribulatone transierit, nec virgo immaculata, imo eius animam doloris gladius pertransiuit. Ad quam recurramus dicentes: Aue gratia plena, &c.

*Psal. 33.* A *Tribulationes iustorum transitoriæ sunt.* *Eccl. 3.*

Licet dicatur Eccl. *Tempus belli primum, & tempus pacis post.* Primo tamen dicemus de tempore pacis seu prosperitatis beati Eustachij, vt clarius fiat tempus aduersitatis eius. Secundo dicturi de illo tempore aduersitatis. Pro prima par sciendum est quod prosperitas hominis consistit in quatuor. Primo in vnione pacis, & hoc primo quo ad proximum, & credendum est quod talem habuerit Eustachius, quod est contra illos qui plebicitant contra se inuicem & pugnãt. Talium enim non est prosperitas nisi fatua, sicut delectatur strutio in comedendo ferrum, Secundo in se & in domo

*Eccl. 3.* B *Prosperitas hominis consistit in multis.*

mo sua spirituali, hoc est in conscientia sua, & non est talis prosperitas sicut illa, quia non est oblectamentum super cordis gaudium. Sed multi non curant, nec sentiũt vermem suæ conscientiæ, sed bene aliorum, sicut per experientiam videmus, quod non ita sustinemus contra cor videre vermes nostros & pediculos sicut vermes aliorum, & istam non habebat Eustachius ante conuersionem. Tertio in domo sua materiali, quæ si sit perfecta, consistit in tribus, secundum Aristo. scilicet in viro & vxore, qui se mutuo diligere debent, sicut Eustachius qui vnice diligebat vxorem. Vnde matrimonium eorum est exemplum omnium bonorũ matrimoniorum, cum fuerit amore plenum & castissimum. Nam quindecim annis, quibus vagatus est in campis extra patriam suam, non cognouit mulierem, nec vxor similiter virum. Videte igitur patronum vestrum, sicut vitriarij vel pictores nihil faciunt sine eo quod vulgo vocant, *patron*. Secundo consistit perfectio domus in parente & filio. Quando autem pueri sunt mali, & malarum conditionum, tunc est maxima tristitia bono patri, quando scilicet arbor bona fructus malos facit. Iste autem bonos habuit filios, & qui sequuti sunt patrem. Tertio in domo perfecta est Dominus & seruus, vbi seruus debet esse fidelis & prudens & obediens Domino suo. Sed sic nõ fuit in eo plena prosperitas, quia non habuit seruos fideles, & tãto melius pro eo, quia vt ait Seneca. Nihil eo infelicius cui nunquam aduenit aliquid aduersi. Exemplũ de Crœso rege Lidorum, qui post multas prosperitates tam turpitur deiectus est, vt fieret magister ludi, seu scholæ puerorum ad vitam sustentãdum. Similiter legitur de quodã diuite in vita beati Ambrosij, qui morabatur in quadam villa Tusciæ, apud quem hospitatus idẽ Ambrosius cum Romam pergeret: cognito quod semper gloriosus & felix fuisset omnibus bonis temporalibus abundans, ait suis: Surgite, & hinc quam toties, fugiamus, quia Dominus non est in loco isto. Cum ergo fugerent & aliquantulũ processissent, subito se terra aperuit, & diuitem illũ cum vniuersis quæ ad eum pertinebant absorbuit, vt nullum inde vestigium remaneret. Quod cernẽs Ambrosius dixit: Ecce fratres, quam misericorditer Deus parcit, cũ hic aduersa tribuit, & quàm seuere irascitur, cũ semper prospera elargitur. In eodem autem loco fouea profunda remansisse dicitur, quę vsque hodie in huius testimonium perseuerat. Sed beatus Eustachius sustinuit aduersa multa, etiam à seruis suis, seu vicinis deprædatus, quia communiter vbi multæ sunt opes, ibi multi qui comedũt eas. Patet in istis magnis principibus, qui pæne vndique depredationi subiacent. Secundo consistit prosperitas in honoribus. Qui quidem boni sunt, quando homo intelligit. Sed verum est regulariter illud: Psal. *Homo cum in honore esset non intellexit*. Communiter enim qui est in culmine honorum, non intelligit se, neque proximum, quem non cognoscit, neque Deum, cui non obedit, nec ad eius mandata attendit. Non sic Psal. qui ait: *A mandatis tuis intellexi*, sequitur, *Propterea odiui omnem viam iniquitatis*. Sed ex hoc conuincitur quam bonus esset Eustachius in honore principatus militiæ, quando postquam depositus fuerat, multũ desiderabatur, & desideratus restitutus est. Tertio consistit prosperitas in diuitijs. Sed sæpe sunt diuitiæ congregatæ in malum Domini sui. Multi enim sæpe moriuntur propter diuitias, qui si nullas habuissent, adhuc viuerent. Sic iste habuit in foruna sua multos amicos, qui verterunt ei dorsum in aduersitate. Exemplo canis qui bene vestito solet applaudere, male vestitum mordere. Considerauit autem ista, & fecit veros amicos, scilicet pauperes, quia operibus misericordiæ insistebat, & propterea meruit conuerti ad fidem. Quarto consistit in delicijs. Sic iste habebat multos delicias, & singulariter delectabatur in venatione, quia venator

Nota. Exẽpl. Psal. 48. Psal. 118

Dicitur secundo quod aliqua bona opera possunt esse dispositiua quædã ad gratiam, vt eleemosynæ Cornelij & Eustachij. Exemplum de terra quę nihil boni fert, est tamen ex aliquibus apparentibus apta ad colendum, ideo agricola libenter vrticas euellit, & eam colit. Cum quadam die processisset Eustachius venationis gratia, inuenit Christum inter cornua cerui dicentē: Cur me persequeris, ego sum Iesus quem tu persequeris.

D Venatio multiplex.

Hic quæritur vtrum venatio sit licita. Respondetur secundum Glos. distin. 68. quod triplex est venatio. Quędam arenaria, quæ est cum quis pugnat in arena cũ bestia dentata, & hoc cum locat operas suas, & ista modo non solet exerceri, & qui hanc exercet, regulariter peccat, quia exponit se periculo mortis. Vnde Hannibal occidit hominem Romanum, qui singulari certamine elephantem occiderat, dicens eum indignum vita, qui cogi potuisset cum bestijs dimicare, vt ait Plinius. Ad istam positus est Eustachius, & multi tempore Diocletiani ponebatur ad bestias. Secunda est oppresiua in qua nõ feris, sed domesticis venatur, per quam videlicet opprimitur populus, sicut fecit Nemroth, qui dictus est robustus venator. Ista nunc multum regnat. Antiquitus solebant homines venari lupos, modo deuinculantur lupi vt venentur, & comedant oues. Tertia est saltuosa, & hæc potest esse licita. Nota. Quod sit quandoque licita patet, quia Esau ex mandato patris venatum profectus est, vt satiaret esuriē patris, & promissam benedictionem obtineret. Si enim sine culpa exerceri non posset, nunquam tantus Patriarcha ad opus illud misisset filium, quem benedictionis gratia in caput Gentium cõstituere disponebat. Est autem licita consideratis quatuor, scilicet tempore, persona, loco, & modo. Tempore quidem, quia tēpus obseruari debet ita, quod non fiat tēpore quo debent homines esse in Ecclesia, vel orare, siue sint clerici siue laici. distin. 68. putatis, etiam nec fiat tempore ieiuniorum, & festorum, quia sic facile laxatur ieiunium, & præceptum soluitur. Secundo debet status personæ considerari. Et ideo mechanici qui habent aliam occupationem meliorem, non debent ad hoc occupari, & singulariter Ecclesiastici, & religiosi maxime, & clamorosa singulariter eis inhibetur. Tales enim debent aliter venari scilicet Christum, vt capiunt eum, & debent esse magistri, vt alij sequãtur vestigia Christi, proponentes illud. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* 1. Pet. 2. In Ecclesia tamen sunt multi modo, quorum vestigia non sunt ad sequendum facilia nec vtilia. De lepore dicitur, quod vt venator in finem perdat vestigia eius, salit tres aut quatuor saltus, & sic amittuntur eius & à dextris & à sinistris, vt sic nesciatur ad quã viã declinauerit. Sic licet multis faciant multa bona opera, tamē aliquando passus trãsuersales faciũt, & mali exēpli, propter quos populus dimittit insequi eos. Tertio debet considerari causa. Possunt autem esse multæ causæ mouentes ad venationem. Prima est ex necessitate famis ingruēte, & si sicut fames facit exire lupum de siluis, sic fames hominem intrare in syluas. Secundo cum vastãt segetes, & sic apud Athenas solis suburbanis concessa erat venatio. Tertio contra animalia infestantia & inuadentia hominem, sicut contra lupos, & sic forte antiquitus concessa erat venatio nobilibus, ad tuitionem suorum perditorũ. Quarto pro pellibus & carnibus habendis, supposito tempore debito. Quinto, causa sanitatis, & sic etiam clericis est licita pro exercitio, & principibus ad transeundum melancoliam. Sed si fiat voluptatis causa, tunc est periculosa propter multa. Primo propter temporis amissionem, & forte propter hoc, quia Esau minimam traxit moram in venatione ex delectatione, benedictionem perdidit. Gen. 2. Secundo quia delectaretur homo in effusione sanguinis, & sic per consuetudinem ad hoc posset deuenire ad crudelitatem, vt sanguinem

non

non horreret. Vnde narrat Policratus, quod, ex quo Thebani venationem cõmunicandam censuerunt, illa gens crudelis & voluptatibus dedita esse cœpit. Etiam venatores omnes in scriptura reprobi sunt. Patet de Nembroth, quē nec pœna recens diluuij potuit arcere à crudelitate sua, ita quod bestijs conformatus est. Secundo de Esau, qui postea Gen. 27. sitiebat sanguinem fraternum, & taliter, quod pro bestiola aliquando non veretur humanum sanguinem fundere. Tertia causa, nimis sumptuosa est. Canes enim venatici plus constant quam conferant, & homines, qui insectantur illos, comedunt dominũ. Exemplũ de Actheo duce Thebanorum, qui transformatus est in bestiam, comestus à suis canibus, vt fingunt Poëtæ. Huiusmodi enim venatores quasi bestijs similes effecti, à suis deuorantur in eorum substãtia, propter suam stultam prodigalitatem. Sed quarto in omnibus istis est modus seruãdus, ne quid nimis, ne dimittantur ea, circa quæ debent homines occupari, sicut magistratus ne dimittant iudicia aut administrationes publicas. Et propter hoc dicit Themistocles, magistratus à ludis, & quibuscũque leuioribus esse arcẽdos, ne respublica ludere videatur, defectumq́; Themistoclis dictum. sui, relicta grauitate, pronunciet. Et propterea apud Athenas tempore philosophorum prohibita erat venatio habitantibus in ciuitate, quia iniquum erat nobiliora ingenia studijs dehonestari vilioribus, & eo tempore captiuati sunt, qui edictum publicum censuerunt esse soluendum. Vnde sanctus Eustachius erat in fuga seu venatione, & Dominus ex altera parte ad venandum eum, & ibi accepit eum, & gaudium summum Angelis de illa venatione siluestri fecit. Pro secunda parte, captus est Eustachius in multiplici tribulatione. Vnde, secũdum Guilielmum Parisiensem, licet opera misericordiæ ædificent in cælis, & multum collocentur, tamen adhuc excellentius opera patientiæ. Et quia pius & misericors fuerat Eustachius, voluit Dominus vt per patientiam probaretur, quia in liberalitate licet sit largitio & contemptus bonorum, tamen ibi proprie non est victoria. Sed hoc est in patientia. Ideo fecit eum Dominus patientem, & abstulit ei omnia bona, seruos & ancillas, sicut & Iob. Sic & Christus habuit loculos ad Iob 1. distribuendum egenis, & patiebatur furem, & tandem passus est carnificum rapinam, qui diuiserunt sibi vestimẽta sua. Inde est, quod procedendo de gradu in gradum, post beatitudinem misericordiæ ponitur beatitudo persecutionis. Causa E autem quare Dominus incepit à tribulatione eius, est, vt erudiret eum. Nihil enim est quod magis erudiat quam tribulatio. Tribulatio multum erudit. Patet. *Sola vexatio dabit intellectum auditui.* Esai 28. Psalm. *Nox illuminatio mea in delitijs meis.* Psal. 118 Thren. *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius*, id est, in tri- Thren 3. bulatione, quam ex indignatione videtur infligere. Culpa oculos clausos habet & pœna apertos. Propter hoc dictum est Nabuchodonosor: *Septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod in regno hominum dominatur excelsus, & cuicumque voluerit, dabit illud.* Dan. 4. Et post pauca: *Redditus est sensus meus mihi*, ita quod illuminatus est per illam tribulationem. Et propter hoc flagellantur adhuc paruuli, & flagellum eis quasi lucerna adhibetur, vt per eam videant quod alias non cognoscerent. Nec mirum, cum & ipsa bruta erudiãtur super virtutem brutalem. Vnde & Gregorius: Idcirco cor Salomonis funditus sapientiam deseruit, quoniam ipsum nulla disciplina tribulationis custodiuit. Gloria autem erat illi habere talem magistrum eruditorem, & castigatorem, & pædagogum, sicut ille, qui ait: *Castigasti me Domine, & eruditus sum.* Hier 31. Nam *flagellat omnem filium quem recipit.* Heb 12. Super quo August. Si exceptus es de numero flagellorum, exceptus eris de numero filiorum.

Septem autem genera tribulationum passus est, vt posset de eo dici: *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget* Iob 5. *te ma-*

*te n alum*. Prima tribulatio fuit perditio amicorum, quia peste perierunt amici sui serui, & ancillæ, cum tamen. 8. Ethico. sine amicis nullus vtique eligeret viuere, habens reliqua omnia. Ideo si perdas amicos, respice ad patronum tuum, qui perdidit omnes. In quo videtur magis afflictus quàm Iob. quia Iob erat in tribulatione, sed ab amicis visitatus est. Secunda fuit perditio officij & omnium bonorum tẽporalium. Homo oneratus post gygantem currentem non bene potest currere, sed Dominus exultauit, vt gigas, ideo, vt curreret post eum Eustachius, oportuit ipsum esse exoneratum. Iob autem omnia bona mobilia perdiderat, sed tamen adhuc sibi remanserant immobilia, scilicet terræ suæ, & adhuc habebat sterquilinium suum. Non sic Eustachius, sed exulauit à terra sua. Ita contigit sæpe vt perditis amicis insurgant mali in te, & tunc perdis officium, perdis & bona. Sed tunc respice ad patronum tuum, qui hæc ita patienter portauit. Tertio perdidit vxorem. Cum enim fugiẽs venit ad nautam, & non haberet naulum, nauta retinuit vxorem pro naulo. O qualis tẽtatio. Perdiderat enim quasi mediam sui partem. Sed vtrum erat paraliticus? Dicitur quod non, quia vbicunque esset vxor sua cor suum erat ibi. Iob autem habuit vxorem suam in sua tribulatione. Ideo si perdas vxorẽ per mortẽ, ne desperes. Quarto venit ad fluuium, & ibi perdidit filios suos. Iob quidem suos perdidit in terra sua, sed iste in aliena terra, & in medio fluminis quasi in loco desperationis. Sed:
Tren 3. *Bonus est Dominus sperantibus in se, & qui fa-*
1. Co. 10. *cit in tentatione prouentum*. Quinta tribulatio est seruitus, quæ est mors seruilis. Posuit enim se in quodam vico ad seruiendum, ne esset ociosus, & lucraretur vitam suam. Non autem fuit Iob in seruitute, & si in tribulatione, forte per quindecim vel viginti dies: iste per quindecim annos in seruitute fuit, vbi Domino seruiens corde, manibus operabatur. Sexta tribulatio eius fuit in suo martyrio quando cecidit in tyrannorum manus, & expertus est persecutorum sæuitiam, & tunc primo ad bestias positus est, sed nihil eum læserunt, postea in boue æneo bullitus est. Si ergo multa patiaris à tyrãnis, noli mirari, quando sanctiores te ista passi sunt. Septima fuit mors, in qua ipsum non tetigit malum, quod solum vere malum est, scilicet mors æterna, sed ibi laudauerunt animam eius in portis opera eius. Sed quæritur cum B. Eustachius tantas & tam multiplices passus sit tribulationes, quomodo Martyres dicuntur. *In pauca vexati*. Respondetur per propositiones. Prima est. Multæ fuerunt & magnæ tribulationes iustorum. Quod multæ, patuit in Eustachio ex supradictis septem generibus tribulationum. Sed magnæ fuerunt in eodem, quia cum esset nobilis per tribulationes à statu nobilitatis deiectus est, & tandem à paganis odio habebatur, nec erat huius occasio. Maiores, quia in his odiebatur, à quibus erat diligendus, scilicet ab Imperatore, & Romanis, cum tamen obtinuisset victoriam de inimicis eorum. Nec mirum, quia prędixerat Dominus, tradet frater fratrem in mortem, & exurgent filij in parentes. Sed maxime, quia inde odiebatur vnde erat diligendus, quia nomen salubre portabat, & lumen in Gentibus. Sed dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Magna fuit eius tribulatio in perditione omnium bonorum, maior in afflictione corporis, & morte, sed maxima, quia ex eorum perditione qui ei coronam gloriæ fabricabant, interius in fontẽ sensationis supramodum afflictus. Gratias tamen agebat eis, sicut rasori, qui gratis aufert barbam gratiæ sunt referendę, id est temporalium abundantiã. Cum Absalon propter crinium abundã- 2. Re. 18
tium suspẽdium incurrerit. Medicus crines ægroti abradit, ne in frenesim incidat. Sic nobis tẽporalia, ne in peccatorũ dementiam incidamus. Sed scabiosus vel vlceratus lachrymatur cum raditur, id est auarus, cum diuitias amittit. Scabies enim

F *Martyrũ tribulationes fuerunt multæ & magnæ. Sap. 3.*

enim est ardor habendi. Quam scabiem habuit diues ille cui dixit Dominus: *Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, qui sentiens nouaculam Christi abijt mœrens, & tristis, & consilium Domini non impleuit. Pulchrior autem est homo cum barba ei ablata est. Sic cum fimus temporalium Martyribus auferebatur, imo & cũ pellis. Nec enim est de moderno tempore nouum, quod multæ & magnæ sint tribulationes iustorum, quia à principio Ecclesiæ non defuit iniquitas premens, & iustitia patiens. Secunda veritas, quamuis tribulationes beati Eustachij, & aliorum martyrum fuerint multæ in se, paucæ tamen sunt in respectu ad quinque. Primo in comparatione diuinę reputationis, & amoris Dei. Gen. *Videbūtur ei dies pauci præ amoris magnitudine*. Augustinus, vis desideriorum facit tolerantiam laborum, & nemo nisi pro eo quod delectat, sponte suscipit ferre quod cruciat. Qui enim timore amissionis modicæ rei negotium dimittit, non videtur habere negotium cordi. Qui vero sibi chariores pro negotio exponit, videtur habere cordi negotium. Sic martyres, qui non solum temporalia, sed etiam corpus aut partem nobiliorem corporis pro fide dederunt, quia caput suum, sicut patuit in Eustachio, qui totum corpus cremandum dedit. Hoc enim erat necessarium ad faciendum perfectum sacrificium. In Leuitico enim legitur: *Si holocaustum fuerit eius oblatio, offeretur ad ostium tabernaculi, ponetque in caput hostiæ manus*. In antiqua lege differentia erat inter sacrificium & holocaustum, quia qui holocaustum offerebat, totum offerebat & totum cremabatur, in sacrificio vero pars vna Deo, altera Sacerdoti. Sic Martyres totum offerebant, temporalia, vitam propriam, & omnia membra. Sancti vero Confessores partem sibi & mundo reseruabant, scilicet vitam, & hoc licite, dum tamen adeps cordis Deo daretur, quia omnis adeps Domini erit iure perpetuo, scilicet pinguedo cordis, & totius affectionis. Alioquin qui Deo simulat se offerre sacrificium, & adipem cordis sui mundo tribuit, Deo furatur, quod ei proprium est. Secundo in comparatione ad passionem Christi: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor similis sicut dolor meus*. Inde Psal. ait: *Absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum*, scilicet Apostoli, & alij maiores. Expedit enim afflictis in hoc sæculo, vt aliorum maiores afflictiones intueantur, vt eorum comparatione suæ leuiores appareant, sicut peruersis hominibus ex comparatione peiorum peccata sua modica videtur. Eccl. *Homo peccator vitabit correptionem, & iuxta voluntatem suam inueniet comparationē*. Boni vero exemplo meliorū semper facta sua modica existimant, & electi dum affligūtur, respectu Christi & aliorum suas afflictiones minores reputant. Tertio, in comparatione futuræ mercedis. Apost. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam*. Iterum: *Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Omnis enim dolor voluntarie assumptus, aut habet delectationem præsentialiter annexam, aut in posterum expectatam, quia malum, vt malum nunquam acceptatur. Omnia enim bonum appetunt. Ideo quando dolor acceptatur, oportet quod sit ratione boni præsentialiter adiuncti aut expectati. Sic vrsus dum mel inuenit inter spinas, puncturam spinarum sponte tolerat, dum dulcedinem mellis degustat, & agricola cum multo labore colit & seminat, propter fructum quem expectat. Quarto, in comparatione æternæ afflictionis, quam euadunt. Iob: *Qui timet pruinam, irruet super eum nix*. Quinto, in comparatione diuinæ consolationis. Vnde Augustinus in Sermone de sancto Vincentio: Si consideretur in martyre humana patientia, incipit esse incredibilis. Si virtus agnoscatur diuina, desinit esse mirabilis. Psal. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscon-*

Marginalia: Mat. 19; Nota; Gen. 29.; Leuit. 1.; Tren. 1.; Psal. 140; Eccl. 32.; Rom. 8.; 2. Cor. 4.; Iob 6.; Psal. 30.

*absconditi timentibus te*, ita vt multi dum paterentur dicerent se epulari, & præ gaudio psallebant. Quinto in comparatione obligationis, & debiti propter commissa
Sap 4. & omissa. Vnde: *Consummatus in breui expleuit tempora multa*, quia in vno die soluit Eustachius debita, quæ vix per multos annos soluisset. Propterea Deus non parcit Martyribus in tormentis, vt parcat eis in peccatis. Chrysost. in quodam sermone. Qui liberis parcit, is eos perdit. Qui castigat & non parcit, saluté eis præ-
Prou. 23. bet. Quod & sapiens ait: *Si erudieris filium tuum virga, non morietur, sed animam eius eripies de morte*, hoc & in re militari fieri solet. Nam si dux militibus parcat, & idcirco eos in vrbe detineat, tā milites quam alios simul corrumpet & perdet. Bellum enim graue indicitur, nec domi sedendum, sed expeditum ad pugnam egredi oportet.

## DE EODEM SANCTO, SER. II. & in ordine LXXXII. Per Thema.

Iob 1. *Visitatio tua custodiuit spiritum meum*. Nota, quod quadrupliciter visitauit Dominus mundum. Primo prædicationis officium exercendo. *Propheta magnus surrexit in nobis*, & quia Dominus visitauit plebē suam. Nescicbat enim ostium
A Visitauit Dominus mūdū quadrupliciter.
Luc. 7. paradisi inuenire tanquam cæcus, quia quilibet cadebat in foueam inferni. Psal.
Psal 81. *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant*. Secundo, discordias magnas pacificando. Erat discordia inter Deum & hominem, hominem & angelum, hominem & hominem, nec erat qui posset pacificare. Nō enim volebat se ponere Deus super hominem purum, ideo dixit de
Psal. 12 Christo Deo & homine: *Ponam in salutari*. Et sic Christus mediator est factus, qui potius voluit mori in pœna, quam quod nō pacificaret. Vnde pro hoc clamat humanum genus: Visita nos in salutari tuo. Tertio, indulgentias & absolutiones fecit genus humanum quasi excommunicatum à communione Ecclesiæ triumphantis, ad ipsius communionem recipiendo. Luc. *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit*, &c. Hinc Ioseph Luc. 1
dicebat: *Post mortem meam visitabit vos Deus, & ascendere faciet de terra ista*, id est, Gen. 50.
de limbo. Hoc petebat natura humana dicens: *Respice de cælo, & vide, & visita vineam istam*, scilicet Ecclesiæ militantis, de Psal. 79
cuius propagine erat beatus Eustachius, cuius etiam visitationem ipse senserat in se, & ideo gratulabundus dicebat Domino: *Visitatio tua custodiuit spiritum meum*. Iob 10.
Quarto (quæ tamē dispensatio fuit prior) dispensando in arduo casu, scilicet in Incarnatione super omne decretum, vt esset virgo sine defloratione fœcunda, sine grauamine grauida, sine dolore puerpera, virgo mater pueri, femina mater Dei, vt vere dicat Psalmista Deo: *Visitasti terram, & inebriasti eam*, scilicet fluminibus Psal. 64.
gratiarum. Vt igitur de eius plenitudine aliquid accipiamus, recurremus ad eam, dicentes: Aue.

Tripliciter visitauit Dominus Eustachium. Primo sicut medicus infirmum. Secundo sicut amicus amicum. Tertio, sicut rex militem suum. Primo visitauit eum tanquam medicus infirmum. Certe tanquam medicus, qui curat leuiter ex integro, & hoc corporali præsentia sanādo eum ab infidelitate. Et sicut medicus corporalis solet quatuor facere, sic fecit ei Christus. Primo tamen iste medicus vult sibi solui. Hoc fecit Eustachius soluendo Christo bonis operibus, &
pijs. Vnde multa fuerunt causa conuersionis beati Eustachij. Primo opera misericordiæ. Insistebat enim operibus eleemosynarum. Vna enim bonitas aliā attrahit. Psalm. *Abyssus abyssum inuocat*. Sic Psal. 41.
B Conuersionem operati sunt multa.
humana misericordia diuinam attrahit, vt filia matrem. Sic Cornelius ad misericordiam Dei peruenit per eleemosynā. Est enim eleemosyna vnguentum, quod Act 10.
sustinere non poterat Iudas, id est, diabolus. Sic conuersus est saracenus quidā, qui fame existente in Ægypto cum pauperibus cōpatiens euacuasset omnia hor-

rea

rea sua, quædam domina, quæ videbatur honestissima, & gerens puerum speciosissimum, venit ad eum, rogans vt benefaceret ei. Et cum assereret nihil superesse, adiurauit eum per illam dominam, quæ virgo pepererat Saluatorem mundi, quod faceret videri si adhuc aliquid ibi inueniretur. Cum autem pietate motus curreret ad horreum, inuenit omnia horrea plena, nec vltra dictam dominam potuit inuenire. Hoc viso miraculo, & pueri visi gratia motus, cum omni domo sua baptizatus est. Quia ergo Eustachius fecerat Deo misericordiam in membris suis, ideo Deus ei fecit secũdũ illud.
Matt. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* & vbi alia exercitia corporalia inania erant, sola misericordia
1. Tim. 4 profuit. *Exercitatio corporalis*, scilicet venationis, quam exercebat Eustachius, *ad modicum vtilis est, pietas ad omnia valet.* Secundum fuit opus iustitiæ & æquitatis, quia iniuste damnatos eripiebat. Tu, qui es in dignitate, qui familiaritatem habens principum, habes mnam creditam à Deo, qua debes vti releuando oppressos & iniuste condemnatos. Sed de iuste damnatis non eripiebat, sed permittebat de eis iustitiam fieri. Tertium fuit passio
Zach 12 Christi. *Aspicient ad me, quem confixerunt,* sicut respicitur ad speculum, vt tergan-
1. Pet. 2. tur sordes ad eius visionem. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum,* & non solum ad conuersionem, sed etiã
1. Mac. 6 ad tentationes patienter tolerandas. Inde in figura huius dicitur, quod ostendebant elephantis sanguinem vuæ & mori, vt acuerent eos in prælium. Sic beato Eustachio inter cornua cerui, quasi in modum crucis apparens Dominus, dixit ei quæ passurus erat. Et in Hist. Tripart. lib. 1. cap. 5. iussit Constantinus signum nobilissimum, quod labarum dicebatur, in vexillum sanctæ crucis transformari, ad animandũ suos, & in bello Godefridi contra paganos portabatur lancea Saluatoris. Quartum verbum Dei, secundũ il-
Psal. 118 lud Psal. *Lucerna pedibus meis verbum tuũ, & lumen semitis meis.* Et iterum: *Declaratio* Ibid.
*sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat*
*paruulis.* Et alibi: *Praeceptum Domini lucidũ,* Psal. 18
*illuminans oculos.* Et: *Discipuli cognouerunt* Luc 24.
*Dominum in fractione panis*, id est, in declaratione verbi Dei. Verbum Dei mundat. Apost. *Verbo virtutis suæ purgationem* Hebr. 1.
*peccatorum faciens.* Et ideo *beatus homo quem* Psal. 93.
*tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eũ*, sicut fecisti Eustachium. Secundo, solet medicus considerare morbum, tangendo pulsum & videndo vrinam, conditiones infirmi, & qualitatem morbi. Sic medicus spiritualis Christus. Cõsiderat enim peccati & peccatoris conditiones, ipsum peccatorem ad suiipsius & peccati cognitionem illuminãdo. Non enim quantũ in se est, indiget signorũ inspectione. Ipse enim sciebat quid esset in homine. Vnde
Iob: *Visitas eum diluculo*, id est, in principio Iob 7.
infirmitatis, quia peccator, cũ in profundum malorum venerit, contemnet. *Visi-* Luc 1.
*tauit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris,* &c. Sic visitauit Eustachiũ in specie cerui, dicẽs. Quid me persequeris. Sed quare dixit: Cur me persequeris, cũ tamen persequeretur ceruũ. Nõ enim legitur, quod Eustachius vmquã persecutus fuerit Christianum. Respondetur primo, quod Dominus dixit se esse persecutũ in ceruo propter multa. Primo, quia in scripturis ceruo comparatur, & in capite, &
in membris. In capite. *Similis esto dilecte* Cant. 2.
*mi capreæ hinnuloque ceruorum*, propter ve- Nota bene.
locitatem currendi & frequentiam saltã-
di, de quo Psal. *Exultauit vt gigas ad currẽ* Psal. 18.
*dam viam.* In mẽbris, eo quod sicut ceruus venatus recurrit ad aquas, sic sancti viri lassati & fugati varijs tribulationibus ad misericordiã & auxilium Dei confugiunt, sicut ille, qui dicebat: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum*, &c. Dicitur secundo, quod omnes iniqui suis iniquitatibus persequuntur Christum, quia ea sequuntur, & cum his ambulant, quæ Deus odit, etiam cum inimicis suis,
& ideo amicis Dei dicit Psal. *Qui diligitis* Psal. 96.
*Dominum, odite malum.* Et quia Eustachius

erat idololatra, semper persequebatur Dominũ. Secundo, in hoc moraliter loquẽdo, sicut Eustachius persequẽdo ceruũ dicebatur persequi Dominum, sic qui persequuntur simplices, & bestiales homines, Christum in eis persequuntur, quia *quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Tertio, in hoc datur exemplũ, quod Christus suos electos à via mala reuerti facit. Venator enim videns quod sui canes sequuntur prædam nullius valoris, vbi vexari possunt, & parum lucrari, retrahit & reuocat eos. Sic videt Christus, quod multi sequuntur prædam vilissimam, delicias carnis, & diuitias, quæ nihil sunt, vt Salomõ, qui de eis multum habuit, testatur: *Cum me conuertissem ad omnia opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaueram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole*. Ideo vnumquemque nostrûm monet Dominus, dicens: *Conuertere ad Dominũ Deum tuum*. Sed aliquãdo canes sunt ita famelici, quod non possunt retrahi. Sic mundani, qui se arrestãt ad tripas mundi, & nolunt redire. *Fornicatus est Effraim, contaminatus est Israel, non dabunt cogitationes suas vt reuertantur ad Dominum Deum suum, quoniam spiritus fornicationis est in medio eorum*. Et multotiens cõtingit, quod qui insequuntur prædam, non apprehendunt eam, vt multi qui cumulant diuitias, nec vnquam est finis & terminus, sed vbi volunt delitiari, superuenit repentinus interitus. Psalm. *Virum iniustum mala capient in interitu*. Venatores enim aliquando confringunt & destruũt vnum equum valentem triginta libras pro vna bestia quæ non valet quadraginta solidos, & quando secuti sunt, aliquãdo non apprehendunt, & sic in fine inueniunt se nihil fecisse, & cum hoc amiserunt equum suum. Sic amici diuitiarũ, delitiarum, & honorum, quando satis cucurrerunt post illa, & perdiderunt corpus & animam. *Si sequutus fueris, non apprehendes: cum recedunt, sunt vacui*.

Mat. 25

Eccl. 2.

Osee 14

Osee 6.

Psal. 139

Eccl. 11.

Secunda quæstio est, quare Dominus inter cornua cerui in modum crucifixi se manifestauit, quare non in gloria, sicut Paulo. Respõdetur primo, quia memoria passionis Christi (vt paulo ante dictũ est) prouocat ad patiendum malũ pœnæ pro Christo, & ad fugiendũ malum culpæ, & ad ardua opera aggrediendum. Hoc fuit acumen martyrũ ad bene agendum, pugnandum, & patiendũ. Aug. de symbolo: Antidotũ Christi crucifixi sanguine cõfectum martyres Christi biberũt, & qui prius erãt Ecclesiæ persecutores, eius facti sunt defensores. Sanguinẽ eius biberunt, & pro eo sanguinẽ eius fuderũt. Sic etiam B. Eustachio Dominus in forma crucifixi apparuit, vt inde exemplo eius sanguine per baptismũ mũdaretur, & ad similia patienda armaretur. Secundo, ad ostendendum, quod sicut ceruus est animal timidum, quod fugit immediate, cũ audit canes venantes ipsum, sed cũ crucifixus inter eius cornua stetit, constanter venatorem expectauit, sic homines timidi sunt in aggrediẽdis periculis pro Christo, sed Christi virtute fiunt robusti. Inde dicebat Ps. Domino in persona martyrũ: *In nomine tuo exaltabitur cornu nostrũ*. Et iterũ: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium*, quia ibi dimiserunt plumas, corpus, & tẽporalia: sed principale euasit, scilicet anima. *Laqueus cõtritus est, & nos liberati sumus, adiutorium nostrum in nomine Domini*. Tertio, quia ceruus est animal cornutum, & velox, quod tamẽ stetit, apparente inter cornua eius crucifixo, significantur nobis, quod si illi, qui cornua habent, currentes quasi cerui in silua huius mundi, haberẽt crucifixum inter cornua potentiæ eorum, non agitarẽtur diuersis infestationibus & bellis, sed fixi permanerent in rupe, & populus ante eos flecteret genua, imo & maiores. Quod bene aduertebat Ps. cum diceret: *Prouidebã Dominum in conspectu meo semper*, quod est habere crucifixum inter cornua animæ. Sequitur effectus: *A dextris est mihi, ne commouear*. Tertium, quod facit medicus, est, quod cõsiderata infirmitate dat infirmo medi-

Psal. 43.

Psal. 123

Ibidem.

Psal. 15.

medicinam expulsiuam, vt sirupum, vel aliquid tale. Sic dedit Dominus Eustachio medicinam baptismi, quæ conficitur ex herbis amaris passionis Christi, & doloribus eius. Dedit & medelam contritionis. Vnde & nocte iuit Eustachius ad Episcopum. Sed quare nocte, cum sacramenta debeant dari manifeste & corã omnibus? Respondetur, quod tunc non erat tempus putandi vineam, id est, tempus mortis eius, & tunc persecutio Christianorum vigebat. Si ergo de die iuisset, tunc persecutionem sustinuisset, & forte non erat tunc satis fortificatus. Sad dum tempus putationis aduenit, manifeste cõfessus est quod in baptismo acceperat. Quartum, quod facit medicus, est, quod instruit infirmum qualiter se debet regere, vt caueat à recidiuo in peccatum. Sic instruxit Dominus Eustachium, dicendo sibi quæ postea pateretur.

C Visitat Dominus amicos multipliciter.

Secundo, principaliter visitauit Dominus Eustachiũ, sicut amicus amicũ, mittendo sibi de bonis suis. Primo, corripiẽdo eum, sicut dicit in Psalmo de filijs David: *Si dereliquerint filij eius legem meam*, &c. *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo.* Et hoc est signum magnæ dilectionis, quia hoc modo solum electos visitat. *Tantummodo cognoui vos ex omnibus cognationibus terræ, idcirco visitabo vos*, id est, iniquitates vestras. Quam visitationem petebat Psalmista, dicens: *Intende ad visitandas omnes gentes*, non miserearis in præsenti, vt miserearis in futuro. Et causam subdit: *Quia conuertentur ad vesperam*, scilicet si fuerint visitati. Sic visitatus est Eustachius, quando omnia bona sua perdidit, & vxorem & filios, & exulauit à patria sua. Sed multi non cognoscunt. Inde legitur Dominum fleuisse super Hierusalem, eo quod non cognouerit tempus visitationis suæ. Secundo, visitauit eum, in afflictione positum consolãdo, vt dicitur de tribus amicis Iob, qui condixerunt inter se, vt pariter venientes visitarent eum, & consolarentur. Sic visitauit Dominus Eustachium, cum esset in loco deserto, & pæne cederet, propter paupertatem, dando ei gratiam patienter ferendi, quasi dicens ei illud Psalmistæ: *In terra deserta, inuia, & inaquosa: sic in sancto*, scilicet signo crucis, *apparui tibi, vt viderem virtutem tuam* patientiæ, *& gloriam*, quæ consequitur ad illam.

Psal. 88. Amos 3. Psal. 58. Luc 19. Iob 2.

Tertio visitauit ad honorandum eum, etiam in hoc mundo, & hoc fuit quando restituit ei vxorem & filios & dignitatem pristinam, in quo maxime eum lætificauit, honorauit etiam dando victoriam de inimicis Romanorum.

Sed quæritur. Primo an sit melius tentari, vel tribulari in principio vitæ quam in fine, vel è contra. Dicitur primo quod sancti viri non sunt in hoc mundo sine persecutione, licet alquando modicum respirent. Dicitur enim eis: *In mũdo pressuram habebitis*. In præssura enim non est ordo, neque cognoscitur, aut discernitur perfectus ab imperfecto, sed indifferenter magni & parui truduntur. Sic in mundo. Sic & Eustachius in principio, & in fine vitæ sustinuit tribulationes, licet in medio paululum respirauerit. Dicitur secundo quod melius est quod homo visitetur in principio, quam post longas moras infirmitatis spiritualis. Inde Iob: Admirãdo dignationem Dei de eius visitatione circa hominem ait. *Quid est homo quia magnificas eum*, &c. sequitur: *Visitas eum diluculo*, id est, principio vitæ vel infirmitas peccati.

Ioan. 16. Iob 7.

Secunda quæstio. Quare est quod tribulationem superueniens dulcedo iudicatur maior, sicut hic apparet in sancto Eustachio post inuentionem vxoris & filiorum, cum tamen post acetum vinum dulce bibitum acetosum appareat. Dicitur, quod secundum differẽtias gustuum iudicandum est. Aliter autem gustus corporalis iudicat, aliter spiritualis. Gustus corporalis, quia indispositus per acetum, secundum quod informatur, iudicat aliquando dulce acetosum. Sed è cõtra spiritualis gustus animæ & rationis

mo sua spirituali, hoc est in conscientia sua, & non est talis prosperitas sicut illa, quia non est oblectamentum super cordis gaudium. Sed multi non curant, nec sentiũt vermem suæ conscientiæ, sed bene aliorum, sicut per experientiam videmus, quod non ita sustinemus contra cor
Nota. videre vermes nostros & pediculos sicut vermes aliorum, & istam non habebat Eustachius ante conuersionem. Tertio in domo sua materiali, quæ si sit perfecta, consistit in tribus, secundum Aristo. scilicet in viro & vxore, qui se mutuo diligere debent, sicut Eustachius qui vnice diligebat vxorem. Vnde matrimonium eorum est exemplum omnium bonorũ matrimoniorum, cum fuerit amore plenum & castissimum. Nam quindecim annis, quibus vagatus est in campis extra patriam suam, non cognouit mulierem, nec vxor similiter virum. Videte igitur patronum vestrum, sicut vitriarij vel pictores nihil faciunt sine eo quod vulgo vocant, *patron*. Secundo consistit perfectio domus in parente & filio. Quando autem pueri sunt mali, & malarum conditionum, tunc est maxima tristitia bono patri, quando scilicet arbor bona fructus malos facit. Iste autem bonos habuit filios, & qui sequuti sunt patrem. Tertio in domo perfecta est Dominus & seruus, vbi seruus debet esse fidelis & prudens & obediens Domino suo. Sed sic nõ fuit in eo plena prosperitas, quia non habuit seruos fideles, & tãto melius pro eo, quia vt ait Seneca. Nihil eo infelicius cui nun-
Exẽpla quam aduenit aliquid aduersi. Exemplũ de Crœso rege Lidorum, qui post multas prosperitates tam turpitur deiectus est, vt fieret magister ludi, seu scholæ puerorum ad vitam sustentãdum. Similiter legitur de quodã diuite in vita beati Ambrosij, qui morabatnr in quadam villa Tusciæ, apud quem hospitatus idẽ Ambrosius cum Romam pergeret: cognito quod semper gloriosus & felix fuisset omnibus bonis temporalibus abundans, ait suis: Surgite, & hinc quam toties fugiamus, quia Dominus non est in loco isto. Cum ergo fugerent & aliquantulũ processissent, subito se terra aperuit, & diuitem illũ cum vniuersis quæ ad eum pertinebant absorbuit, vt nullum inde vestigium remaneret. Quod cernẽs Ambrosius dixit: Ecce fratres, quam misericorditer Deus parcit, cũ hic aduersa tribuit, & quàm seuere irascitur, cũ semper prospera elargitur. In eodem autem loco fouea profunda remansisse dicitur, quę vsque hodie in huius testimonium perseuerat. Sed beatus Eustachius sustinuit aduersa multa, etiam à seruis suis, seu vicinis deprædatus, quia communiter vbi multæ sunt opes, ibi multi qui comedũt eas. Patet in istis magnis principibus, qui pæne vndique depredationi subiacent. Secundo consistit prosperitas in honoribus. Qui quidem boni sunt, quando homo intelligit. Sed verum est regulariter illud: Psal. *Homo cum in honore esset non in-* Psal. 48.
*tellexit*. Communiter enim qui est in culmine honorum, non intelligit se, neque proximum, quem non cognoscit, neque Deum, cui non obedit, nec ad eius mandata attendit. Non sic Psal. qui ait: *A man-* Psal. 118
*datis tuis intellexi*, sequitur, *Propterea odiui omnem viam iniquitatis*. Sed ex hoc conuincitur quam bonus esset Eustachius in honore principatus militiæ, quando postquam depositus fuerat, multũ desiderabatur, & desideratus restitutus est. Tertio consistit prosperitas in diuitijs. Sed sæpe sunt diuitiæ congregatæ in malum Domini sui. Multi enim sæpe moriuntur propter diuitias, qui si nullas habuissent, adhuc viuerent. Sic iste habuit in foruna sua multos amicos, qui verterunt ei dorsum in aduersitate. Exemplo canis qui bene vestito solet applaudere, male vestitum mordere. Considerauit autem ista, & fecit veros amicos, scilicet pauperes, quia operibus misericordiæ insistebat, & propterea meruit conuerti ad fidem. Quarto consistit in delicijs. Sic iste habebat multos delicias, & singulariter delectabatur in venatione, quia venator

erat. Sed si venator, quomodo ergo ei apparuit Dominus? Venatores enim (vt communiter) sunt leues, dissipatores bonorum, & mali regiminis. De his autem & sibi similibus, dicitur: *Tollatur impius ne videat gloriam Dei*. Respondetur. Primo quod duplex est venatio, scilicet corporalis & spiritualibus. Spiritualis est mulplex. Prima est venatio Lamech, qui venatus est duas bestias, id est duas mulieres. Ad hanc nocte & die venantur, non in syluis, sed in villis gaudissores vitam bestialem ducentes & bestiales, quia exponunt tempus suum ita carũ pro scorto, cuius secundum sapientem, prætium vix est vnius panis. Criminantur isti & culpant venatorem ceruorũ, quia equos exponunt & canes nutriũt, isti vero corpus corrumpunt & destruunt & licissas nutriunt & omnem dissipant substantiam. Secundo venabatur bestias vt eas occideret.

Esai. 26. C *Venatio multiplex.* Gen. 6 Prou. 6

Vnde dum venaretur credendo occidere bestiam, occidit hominem. Ista est venatio iracundorum. Secunda est venatio Nemroth, id est potentum, de qua Eccl. *Venatio leonis onager in heremo*. In hac ad similitudinem venationis communis sunt canes magni & parui qui dicuntur Bracqueti, & venatores. Bracqueti sunt clientes, qui faciunt exire bestiam, & venire aquam ad molendinum, magni sunt balliui, & alij officiarii, & aduocati, venatores sunt magni Domini. Sed in hoc est dissimilitudo, quia venatio communis nõ est semper temporanea, gallice *de saison*, sed omni tẽpore hæc venatio sortitur effectum, & nunquam fuit, & nunquam erit, quin magni pisces comedant paruos, & quin lupi comedant agnos, & vulpes gallinas, & aues prædaces alias. Tertia venatio fuit sidonis, quæ est venatio aranearum, quæ venantur muscas, & capiunt retibus suis. Venantur hac venatione auari, de quibus potest intelligi comminatio illa prophetæ Hieremiæ, *Mittam vobis venatores, & venabuntur vos de omni monte, & de omni colle, & cauernis petrarum*, Sidon enim interpretatur venatio tristitiæ, quia qui quærit temporalia non venatur nisi materiam tristitiæ. Nam temporalia cum labore acquiruntur, cũ timore conseruantur, & cum dolore & tristitia amittuntur. In istis tribus venationibus totus mundus occupatur, & ita bonum est artificium venandi, quod quilibet vult se occupare in illo. Miratus sum aliquando quare hoc festum inuentum erat, sed nunc non miror, eo quod sint venatores, sed magis miror quare nõ plura faciunt festa, vt in eis à venatione quiescant, sed dies festus est tempus in quo melius venantur.

Eccl. 13. Hier. 16.

Quarta venatio est Esau, id est gulosorum, & ociosorum, qui venantur bonos morsellos, & etiam curiosorum, qui nimis curiosa venantur, & inuestigant. Quinta est venatio Apostolorum, & Christi, qui venantur vermes, id est, peccata, vt occidantur, & destruantur. Hæc venatio inter nos est. Vtinam ad hanc bene sæpe venaremur. Illis enim qui venantur hac venatione apparet Dominus, sed non qui venantur quatuor primis venationibus prædictis. Alia est venatio corporalis, quæ est exercitium corporale, de qua satis dictum est in primo sermone huius festi, & regulariter non apparet Dominus hominibus quandiu sunt venatores hac venatione. Dicitur secundo quod non apparuit Dominus Eustachio, quia venator, sed quia misericors, & clemẽs erat in pauperes. Vt enim dicit sapiens: *Omne animal diligit simile sibi, & omnis caro ad simile sibi coniungetur*. Et idem: *Volatilia ad sibi similia conueniunt*. Ideo quia similis erat Deo, libenter ei coniunctus est, in signum, quod Deus misericordes diligit. Et inde est, quod prælati, qui misericordiam exercebant in pauperes canonizabantur, & reuelationes à Deo habebant, sicut legitur de sancto Luciano sacerdote. Et de his Eccl. *Hi sunt viri misericordiæ quorum iustitiæ oblivionem non acceperũt*. Multi autem sunt viri iustitiæ, qui non sunt viri misericordiæ

D *Misericordes diliguntur à Deo.* Eccl. 13. Eccl. 27. Eccl. 44.

diæ. Hi sunt qui licet iustitiã taliter qualiter exequantur, non miserentur viduæ neque pupilli, nec causas eorum audire aut expedire volunt, vel qui pauperes respuunt, quia non habent vnde. Ideo iustitiæ eorum in obliuione sunt apud Deum, ità sicut Sancti sunt homines iustitiæ, ita & misericordiæ. Secundo quia S. Eustachius erat vir simplicis vitæ non astutæ. Nimia enim cautela reprobatur in
Prou. 6. iure. Sed Prou. *Cum simplicibus sermocinatio eius.* Erat enim affabilis & sanctæ cõmunicationis. Ideo non mirum si Christus cum eo sermocinatus est. Tertio hoc est diuinum beneplacitum, qui cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat. In secunda parte videndum est de tempore aduersitatis B. Eustachij. Fuit autem multis tribulationibus vexatus, ita quod potest dici, quod fuerit in illis octo pericu-
2. Co. 1. lis, de quibus Cor. Quę dicit Apostolus se expertum fuisse, scilicet *periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus.* Primo igitur exordiendo ab vltimo, fuit in periculis ex falsis fratribus, quando à suis accusatus perdidit Eustachius officium suum, quod fuit ei valde
Psal. 54. graue, quia vt dicit Psal. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique, tu vero homo vnanimis,* &c. Secũdo fuit in periculis latronum, quãdo fures omnia deprædati sunt. Sed quæritur quomodo credibile est, quod fures ita venerint in domũ eius, & quod ad tantam paupertatem deuenerit, vt inde coactus sit exire. Respondetur. Primo quod qui hoc non crederet, non crederet de Iob qui erat rex, quod in tantam deuenisset paupertatem. Secundo dico quod hoc potuit esse duobus modis. Vno modo per adulatores male referentes Domino, cuius erat officiarius. Cõmuniter enim boni officiarij, & qui quærunt reipublicæ bonũ, per tales dehonestãtur, accusantur, & male tractantur, & officiũ Domini nõ est hæreditas. Inde est quod nos sumus sicut canes,

E
*Adulatores nocent hominibus*

quando vnus percutit super alium, & alij similiter, quãdo vnus ludit in ludo, multi sunt ad expellendum eum, & qui potest ei dare falsum ludum, dat vt subintret. Sic forte factum est Eustachio, quia forte per confiscationem aut alias à bonis expulsus est. Secundo hoc potuit esse ex cognitione, quod Christianus erat, vel ex Sanctorum releuatione tempore persecutionis Traiani. Lux enim non potest diu abscondi, quin luceat & quin appareat, ideo ex Dei voluntate omnia perdidit. Non ergo tristentur, qui propter iustitiam sua perdunt officia, quando tam sancti viri eos præcesserunt, qui propter iustitiam omnia perdiderunt. Tertio ex malitia seruorum eius qui furabantur, sicut quotidie contingit apud Principes. Apes enim sequuntur mel, & canes ossa cum carnibus, sed non sine carnibus. Et si dicatur, quod Traianus sub quo militabat, erat optimus Imperator, & ideo hãc rem iniustam non fecit, vt tantum hominem suis priuaret officijs per adulatores. Respondetur quod non est ita iustus, quin aliquando adulatorum vocibus decipiatur, vt patet in Dauid, decepto à Si- 2. Re. 19
ba seruo Miphiboseth. Vnde adulatores confringunt ossa principum, id est omnẽ virtutem & constantiam, vt inde accipiãt medullam, id est pensionem, & hi maxime nocent. *Plaga vulneris liuorem facit, plaga* Eccl. 28.
*autem linguæ comminuit ossa.* Quarto in periculis in mari, quando Nautæ pro Naulo retinuerunt vxorem. Quis cogitaret qualis erat ei tentatio? Sed nunquid tunc blasphemabat? Certe hæc est differentia poti pleni & vacui, quia plenus aqua non crepat ad ignem, sed tantum vacuus. Sic homo vacuus gratia Dei, sed non Eustachius plenus. Sic enim vult Dominus suos probare, iuxta illud: *Vasa figuli probat for-* Eccl. 28.
*nax, & homines iustos tentatio tribulationis,* & Sapient. *Tanquam aurum in fornace probauit* Sap. 3.
*illos.* Quinto in periculis, in fluminibus, quando amisit filios, cum esset in medio fluminis. Sed nunquid tunc inimicus præualuit contra eum, vt duceret eum

F
*Gratia plenus non murmurat in tribulatione.*

ad impatientiam? Certe hoc erat impossibile. Quomodo enim castrum potuisset inimicus accipere in medio amaritudinis, & ripariæ & maris? Inundationes enim maris operient exercitum. Vnde si inimicus ibi venisset, dixisset Dominus verbum Helisæi: Dimitte illum, quia in amaritudine est anima eius. Tunc enim gratias Deo reddebat, similis nuci, quæ dum verberatur, fructus reddit. Sexto, periculis ex genere, quando in maximã paupertatem deductus, quasi in desperationem cadebat, sed illius nobilis faciei & visionis, quam viderat, dulcedo eum refouebat & restaurabat, & Dominus, qui non patitur suos esse in continua tribulatione, voluit eum restitui in statum
Tob. 3 pristinum. *Qui post tempestatem tranquillum facis.* Septimo, periculis in solitudine propter bestias, ad quas positus est in arenaria. Octauo, periculis ex gentibus, quando ab eis propter nomen Dei est occisus.
G Martyribus seruiebant tyranni. Sed nonne multum nocebant tyranni Eustachio, & alijs martyribus? Dicitur quod non, sed multum proderant, & eis
Prou. 11. multipliciter seruiebãt, quia *qui stultus est,*
Rom. 8. *seruiet sapienti*. Et: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Et ideo Vincentius ad Dacianum: Numquam aliquis æque bene mihi seruiuit vt tu. Primo enim seruiebant de medicis, vt ait Guillelmus Parisiensis, ad curandam omnem scabiẽ peccati, & quanto amplius vexabãt, tanto magis illos purgabant. Quam necessaria esset aqua tribulationis ad purgandas scabies multorum, maxime luxuriosorũ, quæ magis adhærent. Aqua enim salsa maris scabiem purgat. Sed paruuli scabiosa habentes capita lauari ea vehemẽter formidant, & interdum non sustinent. Sic scabie luxuriæ vlcerosa corda habentes tribulationis lauacrum expauescunt, & ad instar paruulorum lacti delectationum innituntur, & plerumque dentibus & vnguibus repugnant, quemadmodum panni putrefacti lauari se non patiuntur, sed in ipso lauacro diripiũtur: sic corda putredine luxuriæ tamquam spirituali vetustate corrupta, in manibus persequentium, tamquam reuera in manibus lauantium, franguntur & lacerantur. Secundo, seruiebãt Eustachio de seruis stimulantibus suum animum, vt cito iret ad paradisum. Vadunt enim post asinum nostrum tyranni, & accelerãt gressus nostros, vt fugiamus prædones infernales, & festinemus ingredi in illam requiem. Sic Eustachius ab istis acceleratus est ascendere in ollam feruentẽ, hæc est breuis via, arcta scilicet pœnitentia. Propter defectum istius stimulationis multi ambulant tardo gressu, quare merito illos apprehendit Angelus Dominĩ persequens eos. Vnde quando quis est in bello & in periculo latronum, si habeat duos equos, capit gradarium, Gallice, *le troter*, qui durius ambulat, & non illum qui dulciter & lente ambulat, scilicet, *la haquenee*. Sic ad effugiendum pericula latronum infernalium ceperunt sancti duram viam pœnitentiæ & martyrij. Tertio, seruiebant ei de fabro fabricante sibi coronam gloriæ. Væ illis, qui prohibent suam coronam fieri, & nõ permittunt tales operarios operari. *In* istis autem varij sunt operarij. Alij malleando fabricant, qui percutiunt, alij lapides pretiosos imponunt, qui durissimas tribulationes ingerunt, alij clauos aureos, qui pungentes molestias inferunt. Quanta mercede cõducendi essent tales fabricatores, qui ita studiose operantur, & sumptibus suis animas & corpora in eius opera expendentes, & nullam à nobis vel ab alio mercedem expectantes!

## DE S. MARCELLO PARISIENSI *Episcopo, Sermo vnicus, & in ordine LXXXIIII. Per Thema.*

O*Mnia possum in eo qui me confortat.* Quæritur, vnde procesꝭit quod de antiquis sanctis tam pauca inueniuntur scripta, cum tamen eorum facta sint magna. Si gesta Alexandri, per quæ acquisiuit regnum mundi, fuerint tam accu-

accurate descripta, quanto magis gesta Marcelli, per quæ acquisiuit regnum cæli, debuerunt diligentius scribi.

A Sanctorum primaueru cur pauca scribuntur gesta.

Dicitur ad hoc quod potuit esse triplex causa. Prima potuit esse negligentia scriptorum qui tūc erant. Semper enim Galli negligentes fuerunt in scribendo. Vbi enim inueniuntur Anglici diligenter scripsisse gesta sui regni, & euentus, & facta magnorum virorum à tempore Helyæ Prophetæ, & consequenter, vix inuenimus à mille annis initium huius regni, sed pauca reperiuntur cum difficultate, & absque certitudine digesta. Et forte quod tunc adhuc vigebat illa consuetudo druidum, vt omnia mente tenerent, nihil libro discererēt, & sic non curantes de suis successoribus nihil ad memoriam scripserunt. Secundo quia tunc sancti viri, quibus creditur, dum res sui temporis describerēt, erant occupati prædicationi & conuersioni populi, ita vt alteri rei vacare non possent. Tempore autem beati Marcelli populus erat semipaganus. Et ideo paruipēdebant minus meritum propter maius, & exteriorem scripturam propter interiorem, quæ digito Dei scribebatur, ideo pauca de ipsis scripta sunt. Tertio quia tales viri quod prædicabant, opere implebant. Prædicabant autem summe contemptum mundi & gloriæ eius, & propterea illam fugiebant. Ideo cum magna & pręclara essent gesta eorū, propter humilitatem nihil ea reputabāt, nec ea volebant in scriptis redigi, ne etiā populus nouus dimittendo ea quę Christi sunt, doctrinam videlicet, & ea quæ sunt salutis, ad ista diuerteret minus vtilia. Sic de beatis Apostolis pauca legūtur scripta. Sic etiā de beatissima virgine pauca legimus: ad quā tamē recurremus, &c.

B Deus habens omnia potest, & sine eo nihil.

Non est mirabile, si B. Marcellus hæc verba dicat in suis actibus magnis. Nam sine Deo nihil possumus, & qui eum habet, omnia potest. De primo patet multipliciter, quia sicut non est à carne, sed supra carnem, quod facit viuere carnem, sic non est ab homine, sed supra hominē quod facit hominem iuste viuere. Ideo sicut vita carnis anima est, & sine qua nō viuit homo, ita vita iusta hominis Deus est, sine quo non viuit homo. Inde dicebat Dominus: *Ego vado, & in peccatis vestris moriemini*. Ioan. 8. Præterea: *Sicut palmes non potest facere fructum, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis*. Ioan 15. Vnde & dicebat Psalm. *Bonitatem fac cum seruo tuo Domine secundum verbum tuum*. Psal. 118. Et Discipuli Domino dicebant: *Adauge nobis fidem*. Luc 17. Et rursum Psalmista: *Fac mecum Domine propter nomen tuum*. Psal. 108 Verum est tamen, quod nū solus ipse agit, sed necesse est teipsum agere cum eo, quia sicut ad hominis productionem naturalem de necessitate duę causæ concurrunt, ita necessarium est ex diuina ordinatione, quod ad hominis spiritualem gratiæ propagationem duæ causæ concurrant, scilicet causa vniuersalis virtutem influens, & causa particularis coadiuuans, quia secundo Physicorum, sol & homo generant hominē. Et Apostolus causæ vniuersali causam particularem applicat, dicens: *Dei enim adiutores sumus*. 1. Cor. 3. Cui cōcordat exemplū artis, in qua videmus, quod chirurgius nūquam plagatum sanat, qui gratis seipsum vult perimere. Exemplum de Eremita qui cum orans pro malo homine non exaudiretur, ostendit causam trahendo pellem contra illum, dicens se trahere ipsum ad Deum suis orationibus, sed non præualere, quia non iuuaret, sed ali[illegible]rsum fortius trahere suis iniquitatibus. Sed qui habet Deum omnia potest. Nam quid est quod non habeant, qui habentem omnia habent? Quid est quod non possint, qui omnipotentem habent? Non est ergo mirum, si Marcellus, in quo Deus habitabat, dicebat: Omnia possum in eo qui me cōfortat. Primo dicemus de causis illius omnipotentiæ Marcelli. Secundo, quomodo omnia poterat.

Pro prima parte dico, quod tres fuerūt causæ illius omnipotentiæ, tres scilicet virtutes. Sicut enim vitia reddunt hominem impotentem ad omne bonum, sic

virtutes potentem, & facilem ad omne bonū. Prima fuit humilitas, & huius potuit esse multiplex ratio. Vna est, quia per hoc quod homo humiliatur, tanto plus exaltatur, & hoc in materialibus videmus, quod res, quæ cedit alteri, & in hoc se humiliat, per hoc exaltatur, vt in lāpade oleū aquæ appositæ cedit, & per hoc exaltatur, & aqua vadit ad fundum. Sic humilis per hoc quod alteri cedit, magis exaltatur, & magis à Deo fortificatur, & iuuatur, & hæc est mirabilis Dei sapientia, vt homo descendendo ascēdat, contra multos, qui præ superbia nec dignantur componere pacē ad inuicem, sed tenent rancorem, nec dignantur sibi inuicem humiliari. Beatus autem Marcellus fuit humillimus, vt dicit legenda sua. Erat enim de satis diuitibus parentibus, & vnde diuitias habere poterat. Sed tamen ex hoc non superbiebat, vnde alij occasionem superbiæ accipiunt. Secūdo, quia conductus gratiæ ad hominem est per humilitatem, quia *Deus superbis resistit, humilibus dat gratiam*. Ideo homo humilis omni tentationi resistit & impetui. Nec mirū, quia vbi humilis impugnatur, Deus pro eo pugnat, quia ille solicitatur de victoria, cui attribuitur tota victoriæ gloria. Humilis autē totam victoriæ gloriam Deo attribuit, ideo non est mirū, si Deo adiuuāte omnia potest, omnia vincit. Psal. *Custodiens paruulos Dominus, humiliatus sum, & liberauit me*. Huius figura habetur de Nabuchodonosor, qui duxit in captiuitatem nobiles & altos, pauperes & humiles relinquens. Sed diabolus facit sicut prudentes bellatores, qui quādo sciunt aliquem conductum venientē ad ciuitatem, obstruunt ipsum, vt ciues se reddant propter aquæ defectum, vt patuit de Holoferne obsidente filios Israel in Bethulia. Sic diabolus obstruens cōductum humilitatis, per quem procedit omnis gratia. Videāt ergo matres in pueris, vt omnem superbiam tollant. Superbia enim nō patitur correctionē, ideo iuuenis superbus pronus est ad omne malum. Beatus vero Marcellus quantæ humilitatis fuerit, ostendunt dona gratiarū & fluenta, quæ subsecuta sunt, ita vt ei obedirent etiam animalia & bestiæ, &c.

C *Humilitas reddit potentem ad omne bonum.*

*Iac. 4.*

*Psal. 114.*

*4 Re. 25*

*Iudit 7.*

Secunda causa fuit vitæ asperitas. Nam per vitæ austeritatem subiugatur corpus & iumentū domatur. Sed qui habet corpus subiugatū, omnia potest, quod patuit in primo homine, qui cum haberet corpus spiritui subiugatū, dominabatur omnibus animalibus, igitur per vitę austeritatem processit homo ad omnia posse. Iob: *In vastitate & fame ridebis, & bestias terræ non formidabis, sed bestiæ terræ pacificæ erunt tibi*. Ad Eremitas enim veniebāt feræ saltus, & non tangebant eos. Sic motus bestiales non tangunt viros sanctos, sed plurimi hoc non possunt, qui per gulam tenentur. Mastinus autem habens clauos circa guttur non potest strangulari. Miles etiā fortis in bello non recusat onus armorū, nec peregrinus in via onus loculorum, nec equus onus quadrigæ. Sic nec peccator onus pœnitentiæ, exemplo B. Marcelli, qui cum esset iustus, tamen tantum se afflixit, vt caro vndique maceraretur, & qui non habebat quod puniret in se, aliorum peccata in se puniebat, ideo eius merita adhuc pro peccatoribus intercedunt. Tertia causa fuit castitas eius, per quam quasi veniebat ad statum innocentiæ, & ideo dominium illius status habebat. Quod ista sit causa, patet, quia locus allicit ad manendum propter sui munditiam & decorē. Vnde apis inueniens in horto arborem floridā & decoram, & interius concauam, libenter eam visitat & inhabitat, dimisso proprio aluearí. Sic vbi Deus reperit locum mundū & honestum per castitatem, & concauum per humilitatem, libenter inhabitat. Vbi autē inhabitat, ibi est fortitudo eius omnipotens, quia Psalm. *Deus meus fortitudo mea*. Igitur. Inde est, quod cohibēda sunt carnis desideria, si velimus quod Dominus habitet, & operetur in nobis. Aquæ Iordanis diuisæ sunt, inferiores descenderunt in mare mortuum, aquæ superiores

D *Asperitas vitæ & castitas faciunt hominem omnia posse.*

*Iob 5.*

*Psal. 117.*

*Iosue 3.*

*Apo 17.* res steterunt. *Aquæ multæ, populi multi.* Sic qui sunt iusti, & superiores supra carnē, cohibent fluxus carnalium desideriorū, & sic manent semper in dulcedine gratiæ, sed carnales fluunt in mare mortuū inferni. Vnde tam castus fuit Marcellus, quod mulierem vix aspiceret. Pro secūda parte videndum est, quomodo Marcellus omnia poterat. Dico igitur quod poterat. Primo, super elementa, & in primis in ignem, quando virtute diuina penes fabrum ferrum ardens accepit. Hoc enim erat signum specialiter castitatis eius. Hoc patuit in illo sene, ad quē diabolus in specie mulieris accessit. Secundo, ex hoc patet quod antiquitus dabatur ad purgationem adulterij. Exemplū de muliere adultera, quæ restituta munditiæ per sacramentum confessionis, cepit ferrum ardens sine læsione, sed cum recidiuasset, idem ferrum frigidum arsit contra eius manum. Cum enim homo calorem interiorem suppeditauit, facile calorem exteriorem extinguit. Sic legitur de Austreberta, quod propter castitatem furnum ardentē intrauit, & inde exierit. Sic pueri in Babylone, quibus in hoc comparandus erat B. Marcellus. Vide quomodo creuit in virtutibus & moribus, qui iuuenis ista peregit. Sed in porcis crassis, in pinguedine ignis libidinis accendetur, & ei continuabitur ignis inferni, iuxta illud, ignis accensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima. Secundo super terrā, in quantum terrestre, tamen suo intellectu discussit. Dixit enim quod nouem librarum erat ferrum, ex sola acceptione. Huius erat signū quod in eo habitabat qui palmo terram ponderat, & librat montes in statera, id est, reges ne inueniantur minus habentes. Sic debet Prælatus discernere inter merita populi, vt cum venerit faber qui fabricatus est auroram & solem, inueniatur iudicium eius iustum. Ferrum enim est populus communis, qui omnibus vsibus aptus est. Tertio super vndas. Nam vnda porrecta Prudentio cæpit balsamum fragrare, & quasi in balsamum mutata est. In quo significabatur quod bonus ille Prælatus mutaret populum corruptum, & corruptę vitę, (Aqua enim putrefieri potest) in honestatem vitæ & bonam famam, sicut patuit in prædicatione sua, dum conuertit populum Franciæ. Nondum enim erant reges Francorum, & magna pars populi erat idololatriæ dedita. Hoc autem fuit per exemplū bonum, & castitatem eius, quæ licet tunc esset sub modio, tamen non potuit abscōdi, sed postea supra montē posita est. Hoc balsamo seruantur corpora incorrupta, sic balsamo castitatis animæ incorruptæ, & quandoque corpora. Exemplum Bedæ in historia Anglorum de religiosa virgine Edilfrida, quæ primo marito defuncto, 11. annis cum rege Egfrido virginitate seruata, monasterium ingressa est. Vbi annis sedecim post eius mortē cum corpus ipsum esset prolatum in lucem, ita incorruptum inuentum est, ac si eodē die fuisset defuncta. Aliud exemplum est de quadam Abbatissa, quę ædificabat Ecclesiam in honore duodecim Apostolorum, morte præuenta.

E *Ignis purgans solebat suspectos de adulterio.*

Secundo, mutauit aquam in vinum, cū aquam, quam hauserat in fluuio, propinauit Prudentio. Quod signabat tribulationes imminentes populo Christiano mutasse in fluuium dulcedinis. Multum enim valet consolatio boni Prælati. *Meliora sunt vbera tua vino.* Dato enim quod aqua sit dulcis, tamen boni potatores eam gustare nolunt, sed si quis eam conuerteret in vinum, optime de illa potarent. Sic fecit Marcellus, qui aquas tribulationum, quamuis dulces sint ex natura sua, propter admixtionem amaritudinum Christi, quæ dulces sunt faucibus dispositis, tamen si conuertantur in vinum æternæ gloriæ, optimæ sunt; Iste fecit sicut Christus, quia seruauit bonum vinum in fine. Nam licet bene vixisset, & in humilitate in principio, tamen cum ad præsulatum deuenit, humilior fuit. Multi sunt è conuerso exem-

F *Prælati boni consolatio multum valet.*

*Cant 1.*

exemplo Architiclini, qui primo bonum vinum ponunt, qui amore & humilitate acquirunt sibi amicos, vt ad honorem deueniant, sed postquam acquisierunt, tunc eos subijciunt superbia & rigore, & tunc malum vinum ponunt. Quarto super aërem potestatem habuit. Patet in voce restituta. Perdit non sine causa inuidus vocem suam qui abutitur instrumento linguæ male loquendo & diffamando alium. Sunt enim inuidi similes Iudæ, qui non potuit sustinere odorem vnguenti, vnde tota domus recreabatur. Similes etiam auibus nocturnis, quæ de radijs solis, vnde alij illuminantur, excæcātur. Similes quoque Hely qui non poterat lucernam Domini videre donec extingueretur. Vnde vitium istud viuit ab eo à quo deberet extingui, scilicet à bono viso, vel audito, sed simile est igni græco, qui in aqua magis illuminatur. Secundo principaliter habuit potestatem super omnem infirmitatem. Nam de vino ex aqua facto bibentes infirmi omnes sanati sunt. Hanc potestatem dedit Dominus sanctis suis, qui solo verbo vel benedictione sua super creaturas data immediate sanabant præcedente vita. Sanabunt quippe antichristi infirmos, sed vita non præcedet. Sanant isti diuini, sed vita non præcedit, ideo periculum est credere talibus. Tertio habuit potestatem super creaturas Dei insensibiles. Nam vinum illud ita multiplicatum est, quod cum omnis populus ex eo communicatus esset, adhuc inuentus est vrceolus plenus. Dona enim Dei quæ data sunt Sanctis, ex eo quod distribuuntur populis, non minuuntur, sed magis augentur. Iste est Helysæus, qui parum olei multiplicauit. Hoc erat futuri pastoris boni signum, qui non rapere, sed bona suorum multiplicare disponeret. Hoc enim interest boni pastoris ea ordinare, quibus possūt multiplicari, & temporalia & spiritualia non vacando otio. Et ideo videtur quod in Ecclesia Dei sunt nimia festa, propter quę pauperes non possunt lucrari vitam suā, & parua pœna digni sunt operantes in paruis festis. Quarto habuit potestatem super creaturas rationales, scilicet super homines. Exemplum de illo qui vinculatus erat, quem à vinculis absoluit. Habemus enim potestatem aperiendi cælum. Nam & vincula dirupit. Quidam autem se permittunt ligari ab vxore sua, scilicet à carne, sicut Samson, qui male se habent, quia quantumcunque blandiatur caro, non se debent permittere ligari, sed præcindere omnia vincula desideriorum gladio disciplinæ & virtute spiritus excreantis contra huiusmodi tentationes, & cogitationes præ indignatione considerata dignitate sua. Audi fortitudinem vinculorum istorum. *Telas araneæ texuerunt*. Fila aranearum, sunt omnia vincula peccatorum, quæ sola voluntate rumpuntur. Mirabile est quod homo dicit se non posse abstinere, videtur quod non sit muscula fortior quæ illas telas quandoque disrupit. Sed similes muscis, ibi capiuntur, & ab araneis inferni deuorantur, & non solum ab eis, sed etiam ab hominibus, sicut Samson à Dalida, tondentur per depauperationem, excæcātur per obstinationem, incarcerantur per malam consuetudinem. Quidam vero vinculantur per auaritiam, quæ ligat cor & bursam, & sunt sicut muli mercatorum, qui capistris suis taliter inuoluuntur, quod etiam à comedendo coërcentur. Sic vinculum auaritiæ taliter eos ligat, quod comedere de suo non sunt ausi. Tertio vinculum tepiditatis ligat manus & pedes, vt non possit se piger mouere ad bonum, sicut homo ligatus non potest. Sed secundum exhortationem Psal. *Disrumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum*, scilicet dæmonum & peccatorum. Quinto habuit potestatem super animalia irrationalia. Exemplum de dracone, in legenda sua. Mirum est quod animalia ratione carentia obediebant Sanctis, & non homines, sicut conquerebatur beatus Martinus.

[Left margin: G / *Inuidus similis est Iudæ, & auibus nocturnis* / *Mat. 26.* / *Nota bene* / *4 Re. 4.*]

[Right margin: *Iud. 16.* / *Esai. 59.* / *Iud. 16.* / H / *Vincula carnis auaritiæ & pigritiæ rumpenda sunt.* / *Psal. 2.*]

## SERMO I. DE S. MARTINO *in transitu eius, & in ordine LXXXV. Per Thema.*

Iob 21. ISte moritur robustus & sanus diues, & felix. Quæritur cum Ecclesia sic pingit imaginem B. Martini. Nam in maiori perfectione erat, quando fuit Episcopus, quã quando erat miles, igitur secundum maiorem eius dignitatem, & perfectionem debuit pingi Episcopus. Præterea Ecclesia omnes Episcopos secundum Episcopalem dignitatem depingit, cur igitur nõ sic fecit de Martino? Respondetur quod ad triplicem doctrinam eum ita depingit Ecclesia. Primo ad docendum gentes armorum quid agere debeant, vt sint sicut Martinus. Datur enim eis exemplar singulariter in Martino, qui cum non recepisset donatiuum à Iuliano Imperatore, nihilominus partitus est pallium suum pauperi. Ex quo sequitur quod aliena nõ rapiebat, qui pauperi, quod necessarium erat sibi, erogabat, hoc itaque eis proponitur in exemplum, vt eis proueniat desiderium essendi tales. Equus enim Martini non comedit auenam pauperũ. Credo quod nullus modo inueniretur inter eos Martinus. Potest de eo cantari, non est inuentus similis illi. Et quia talis erat, nullus vnquam fuit validior miles. Ait enim: Hostium cuneos in nomine Domini Iesu penetrabo securus. Sed ideo sunt modo nostri milites timidi, & quasi improbi, quia fures sunt & latrones. Secunda doctrina, quod nullus est status in quo homo, si velit, non posit salubriter operari. Licet enim ille status militaris multum sit periculosus propter multa, in quibus implicari solet illud hominum genus, tamen si voluerit miles, potest sic agere sicut ille quem sic pingit Ecclesia, qui ad talem statum perfectionis attigit, vt de militia temporali ad militiam transiret Domini. Ideo alios in forma militum, alios in forma religiosorum, alios in forma Prælatorum depingit Ecclesia. Sunt enim picturę libri simplicium. Tertia doctrina ad generale omnium documentum, vt discant homines assimilari Deo in hoc quod est misereri, & non solum de superfluo, sed etiam, si opus sit, de necessario ad statum suum. Ibi enim ostenditur, excellentissimum exemplar miserendi scholaribus Christi, vt discant misereri, quod est proprium Dei. Ad reginam igitur misericordiæ recurramus dicentes: Aue gratia plena.

*A Martinus cur pingitur vt miles.*

*Nota.*

In præsenti sermone. Primo ostendetur quomodo Martinus moritur robustus. Secundo quomodo sanus. In sequẽti vero, quomodo primo diues. Secundo modo felix, & sic thema duobus sermonibus explicabitur. Primo igitur mortuus est Martinus robustus, quia est mortuus in bello vincendo & triumphando. Primo carnem suam asperitate pœnitentiæ, & in principio, & in medio, & in fine vitæ suæ, in principio quidem qui adhuc in monachali statu se haberet sic abstinẽter, quod omni die ieiunans vinum nesciebat, contra illos potatores, qui dicunt quod S. Martinus fuit bonus socius, & quod opertet se inebriare in vigilia eius. Vnde & viuebat de radicibus, quod patuit in hoc quod comedit Elleborum herbam venenosam, sed cum instaretur à veneno, tunc ad orationem recurrens, sanatus est. Orationes enim erant Martini arma, ad quę in necessitatibus confugiebat, vt etiam patuit quando visitanti diocœsim paratus erat lectus solito suauior, quo cum surrexisset, & stramen super pauimẽtum strauisset, fortuito pars straminis ignem attigit, quæ inflammata ignem vbique in cameram sparsit, sed ad orationem recurrens ignem extinxit. Sed dices, ieiunabo eius exemplo. Bene facis, sed non cum illa fide facias, quam quidã prædicauerunt, quod quicunque ieiunauerit vigiliam huius festi, nunquam peste morietur. Non enim est verum, quia expertum est de opposito, nec sanctum credo hoc petisse, nec alicui reuelatum fuisse, nec expediret, quia multi propter illud ieiunium non timerent peccare, exempti

*B Nota.*

empti à gladio Dei. Potuit nihilominus sanctus petere, vt merita sua alijs suffragarentur tam consolatione spirituali quã corporali. Secundo in medio vitæ pœnitentiæ austeritate vsus, carnem deuicit cilicio ad carnem indutus, quasi arma
Mat. 10 C continue contra carnem gerens, quia. *Inimici hominis domestici eius*, vnde sæpes spinosa agrum & ortum conseruat. Similiter
Asperitas pœnitentiæ seruat corpus & animam. tabernaculum Dei operiebatur saccis cilicinis. Sic spina pœnitentię conseruat ortum mentis nostræ, & tabernaculũ Dei,
Exo. 26. scilicet animã nostrã operire debet pœnitentia. Asperitas enim pœnitentiæ est sicut nidus, exterius spinosa, intus suauis. Sed multi sunt, qui eligunt nidificare sicut mus, qui elegit nidificare in lardo, qui ex toto fugiunt pœnitentiæ loca desiderantes paradisum Parisijs; de quibus
Psal. 113 dici potest: *Mare vidit*, id est amaritudinem pœnitentiæ, *& fugit*. Beatus autem Martinus toto tempore vitæ suæ in abstinentia fuit, vt fortificaret spiritum cõtra carnem. Differenter autem fortificatur caro à spiritu, quia caro vsque ad certam ætatem fortificatur, & postea debilitatur. Spiritus vero vsque ad mortem per bona opera, & castigationem carnis fortificatur, contra senes ribaldos, qui libenter lamberẽt veru. Sed diceres. Quomodo dicitis, quod anima in sanctis hominibus continue fortificatur, cũ B. Martinus dicere solitus esset, quod in se sentiebat maiorem virtutem ante Episcopatum quam post. Respondetur, quod hoc
D Nota. dictum Martini potest dupliciter intelligi. Vno modo, quod habuerit minorem virtutem in Episcopatu quam post ad dominandum carnem, & ad faciendum solitas abstinentias, & hoc potuit esse verum.

Tum quia magis ad senectutem accedebat, in qua caro non potest tales abstinẽtiæ labores gerere sicut in iuuentute. Vnde & cuidam sancto patri electo, & rapto de desertis in Antistitem contigit quod infirmaretur præ ieiunijs, vbi in desertis non infirmabatur. Cui dictum est ab Angelo, quod dum erat in desertis non poterat ab hominibus iuuari, & tunc fouebatur auxilio angelorum. Nũc vero quia inter homines versabatur, necessariũ erat ei vti omnium auxilio, & infirmitatibus hominum participare. Secundo quod habuerit minorem virtutem, vel faciendi miracula vel ad deuotionem, vel opera virtutum, & sic non habuit minorẽ virtutem. Candela enim accensa non indediminuitur, si plures incendat candelas. Psal. *Ibunt de virtute in virtutem*. Semper Psal. 83.
enim sancti viri proficiunt. Non tamen illud ita sentiebat, sicut quando erat in loco contemplationis, & cum contemplatiuis viris in statu quieto monachali. Tunc enim magis distractus erat. Quanto autem viri sancti se sentiunt magis distractos, sentiunt minus fortes.

Virtus enim vnita fortior est seipsa dispersa. Tunc autem distrahebatur ad reddendum omni poscenti rationem. Sic olim lugebat beatus Gregorius quietem quam habuerat in monasterio deperditam, & solicitudines importunas, quas habebat in pontificatu. Tertio in termino vitæ mirabiliter carnem domauit. Inde Sulpitius Seuerus artus *febre* fatiscentes spiritui seruire cogebat. In quo habemus considerare miseriam nostram, qui cum simus potẽtes ad operandum, non possumus contra carnem nostram militare, & hic moriens eã suo spiritu seruire cogebat. Poterat enim dicere: Nota.
*Dum infirmor tunc potens sum*. Sunt enim 2. Co. 12.
caro & spiritus duæ situlæ putei, quando vna ascendit, alia descendit. Secundo robustus fuit moriendo, triumphando de hoste maligno.

Nesciuit enim quicquam lucrari super eum, vt sicut Christus emisit illam vocem, appropinquante morte sua. *Venit* Ioan. 14.
*princeps mundi huius, & in me non habet quicquam*, sic Martinus moriens illam, nihil in me funeste reperies. Et ideo non sine causa aduersus eum roboratus est in morte, quia longe ante sciuit magnum diem, & vltimum sui certaminis. Scriptum

Gen. 3. ptum enim est de serpente, *& tu insidiaberis calcaneo eius*, id est, fini vitæ. Sed insidiæ eius reuelatæ sunt, quando ei reuelata est dies vltima congressionis. Iacula autem præuisa minus feriunt.

E Mors cur reuelatur Sanctis, & nõ nobis. Sed quæri posset cur reuelauit Martino obitum suum, cum dies Domini sicut fur in nocte veniat, id est venit ad mortem quando non expectatur. Cur etiam nobis non similiter reuelat, vt nos præparemus. Respondetur, quod hoc potuit quatuor de causis contingere.

Prima ratio, quia charis suis & amicis vix & cum difficultate nunciantur mala noua. Vnde & Ioab: Achimaas nunciauit
2. Re. 18 mortem Absalon. *Non eris* (inquit) *boni nũcij baiulus*. Et quia Dominus nos omnes
Sap. 11. diligit. *Nihil odisti eorum quæ fecisti*, ideo charis suis tantummodo nunciat bona noua, & non mala. Nuncius autem mortis, quibusdam bonus est, quibusdã malus. Malus quidem his, qui diligunt hoc sæculũ, bonus his qui diligunt Deum. De malis
Eccl. 41. enim dicitur: *O mors quam amara est memoria tua homini iniusto, & habenti pacem in substantijs suis*. Si enim amara est memoria, quam amara est ipsa mors. Bonis vero,
Phil. 1. vt Paulo, qui dicebat: *Coarctor è duobus desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius, permanere autem in carne necessarium est propter nos*. Sic de B. Martino, qui dicebat, Domine, iam satis est, quod hucusque certaui. Sic de sanctis Martyribus, qui vltro currebant ad mortem.

Sic de his de quibus Paulus ad Tit.
Tit. 2 *Expectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei, qui habebant mortem in desiderio, & vitam in patientia*. Ideo non est mirabile, si talibus Dei amicis notum fecerit Dominus finem suum, non nobis qui diligimus mundum: Mors enim non est nisi saltus in malo passu, in quo salitur in paradisum, vel in infernum, vel si sit medius saltus, manet anima in purgatorio. Vnde mortis reuelatio iustos non tur-
Prou. 12 bat. *Non contristabitur iustũ quicquid ei accide-*
Iob 21. *rit. Sed mali inde turbantur*. Et Iob: *Alius moritur in amaritudine animæ suæ absque vllis operibus*.

Secunda ratio, quia mors est multum nobis incerta quo ad quatuor, statum scilicet, locum, tẽpus, & modum. Nescimus enim in quo statu decedemus, vel damnationis, vel salutis, nec scimus in quo loco in aëre, vel in aqua, in terra, vel in mari, nec scimus qua die, vel hora, nec scimus an per vim, vel per infirmitatem, an compotes mentis vel alienati moriamur. Hæc autem incertitudo ad nostram vtilitatem nobis donata est, vt semper viuamus in timore Dei secundum Senecæ sententiam, expectantes omnẽ diem tanquam vltimum, & vt semper vigilemus, tanquam debeat à latronibus effodi thesaurus animæ nostræ, qui est in vasis istis fictilibus. Et quia *perfecta charitas foras mittit timorem*. Ideo quia Martinus perfectus erat in charitate Dei & proximi, non erat huiusmodi mortis incertitudo ei necessaria. Propter quod ei Dominus conuenienter reuelauit, non nobis in quibus charitas refrigescit. Quod Martinus fuerit perfectæ charitatis patet, quia cum intraret scholam Christi, vnum tale opus fecit circa proximum, & propter Deum, quod illud enunciat nobis Ecclesia sanctorum, & Dominus dignatus est propter hoc ei apparere, & ostendere ei quãtum sibi placuerit. Si in initio scholæ Christi, cum adhuc cathecuminus esset, & nondum baptizatus tener iuuenis, & delicate nutritus, ex parentibus nobilissimis, non timuit frigus, pudorem, inopiam, quæ mundanis timere solent, quomodo charitas quæ continuo in eo excreuit, omnem timorem procul pellebat. Nota. 1 Ioã. 4.

Tertia ratio, amici debent scire secreta, & maxime in quibus confidit rex. Vnde Amos: *Non faciet Dominus verbum quod non reuelauit seruis suis Prophetis*. Et quia Martinus fuit summe amicus Dei, quod patuit, quia pensiones multiplices habuit à Rege. Tales enim à regibus diliguntur. Primo quia dederat regi partem pallij, dedit ei rex Amos 3. Nota.

ei rex manicas in brachijs de paradiso allatas per Angelū, vt dicit magister Ioannes Beleth. Secundo, dedit ei bonū episcopatum, quem non quærebat, sed fugiebat. Tunc temporis vix Martinus poterat introduci, nūc sunt Martinetæ, qui se locant vbique, omnia stercorizantes. Tertio dedit ei discretionem spirituum, vt in quacunque figura sibi diabolus appareret, ipsum cognosceret, vt patuit cū apparuit ei in diademate nitenti dicendo se esse Christum. Secundo in morte, & in pluribus alijs locis. Quarto dedit ei sciētiam theologalem. Inde, & Gallus Monachus, & quidam alius Clarus nomine id affirmabant, quod maximæ scientiæ erat, licet nunquam in aliquo studio didicisset, & cum inquirebatur de legis difficultatibus, optime satisfaciebat. Fecit enim quendam librum de Trinitate. Sed secretum maximum regis æterni est dies iudicij tam particularis quam vniuersalis, propter quod dicit Esa. *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* De vniuersali nemini vnquam quātumcunque amico reuelauit, quinimmo Apostolis sibi amicissimis hoc inquirentibus dixit: Nō est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. *De die autem illa nemo scit neque Angeli cælorum, neque filius hominis*, scilicet, vt reuelet, particulare vero nisi paucis & amicis. Quarta ratio, quanto persona pauperior, tanto miserabilior, & cui magis compatiendum est, & quæ magis digna est exauditione, sed Martinus post Christū inter omnes fuit pauperrimus. Quod probatur. Primo, quia quasi per excellentiam de eo canit Ecclesia: Martinus hic pauper & modicus. Secundo, quia omnia sua bona dereliquit, imo ipsum regnum Poloniæ vel Hungariæ, quod pater sub Romanis gerebat, licet esset de magna parentela. Erat enim valde propinquus Diocletiano & Constantino Magno. Tertio, seipsum & propriam voluntatem dereliquit, vt præ sorde & vestis vilitate à pontificibus despiceretur, imo erat pauperior de sua

*Esa. 24.* *Mar. 13.*

diœcesi, qui etiam aliquando non habebat vnde vestiri. Ideo in suis requestis & petitionibus sæpe à Domino quærebat diem obitus sui, sicut canonici fundant diem obitus sui, & nesciunt quando, & sæpe deficit ille obitus, vel præ vetustate, vel præ multitudine obituum, vel propter redditus annihilatos. Sed Martinus obitum suum longe ante præsciuit, & fundauit obitum perpetuum, non in vna Ecclesia, sed per vniuersam Ecclesiam, quia, vt dicit Gregorius Turonensis, per vniuersam Ecclesiam fit de eo memoria, ideo iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum. Petebat enim à Domino liberari in suis tribulationibus, & Dominus ei reuelauit vltimum terminum tribulationum suarum. Psal. *Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum*, &c. Petebat enim illud quod olim Balaam: *Moriatur anima mea morte iustorum*: & istud obtinuit, quia *iste moritur robustus & sanus*, &c. Vnde aliqui sunt, qui sciunt obitum suū longe ante, qui nocte & die de eo meditantur, & eū quasi omni hora expectant, quia secundum Basilium Magnum summa philosophia est meditatio mortis. Alij sciunt, sed de prope, & adhuc satis est, dummodo suos hostes, scilicet peccata ad tempus proijciant, antequam inuadat eos inimica mors. Magnum enim est habere hostes infra ciuitatem, & exterius circūquaque hostibus vallari. Quidam enim sciunt esse de prope propter senectutem, quidam propter emergentia, in quibus sūt, pericula. Vnde Seneca: Mors iuuenibus in insidijs, senibus in ianuis. Alij sunt qui capiuntur impræmeditati, hoc est, *qui sont prins en desarroy*, gallice, qui nesciunt nisi ad horam, sicut diues Epulo, cui dictum est: *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te*, & plures sunt ei similes. Non sic Martinus, qui bene præuisus longe ante præsciuit obitum suū. Pro secūda parte, Martinus moritur sanus. Sed quomodo sanus erat, erat iam infirmus febre continua. Respondetur. Duplex est infirmitas, quædam corporis, &

*Psal. 33.* F *Nota. Num. 23.* *Iob 21.* *Luc. 12.* G *Infirmitas duplex corporis, & animæ.*

ris,& alia est animæ. Aliqui sunt vtroque modo infirmi,& isti sunt in periculo maximo, & maxima indigent medicina, & festina. *Medicina in festinatione nebulæ*, id est pœnitentiæ vel sacramenti, quam Confessor debet cito annunciare, vt faciat quod scribitur in Psal. *Nebulam sicut cinerem spargit*. Alij sunt corpore infirmi, sed mente sani. Sicut enim sanitas corporis constat ex æqualitate humorum, sic sanitas animæ ex æqualitate iustitiæ, quando omnia opera ad æqualitatem iustitiæ redacta sunt. Alij vero è contra sunt sani corpore, & infirmi mente, & aliquando in istis Dominus facit sicut medicus, qui vnam infirmitatem inducit, vt aliam pellat, vt tertiana pellat acutam. Sic inducit quandoque infirmitatem corporis, vt pellat infirmitatem mentis. *Adiuuit pauperem de inopia*, Martinus autem, licet infirmus corpore, erat tamen sanus in anima. Quod probatur. Primo quia alios ad æqualitatem reducebat. Nam cum sciret finem propinquum, videns dissensionem inter clerum Condatensem, commissionem accepit, non ruinosam, vt faciût mali, sed commissionem pacis faciendę. Non similis Prælatis, qui de grege suo non curant, iste cum nô plus poterat ambulare, ibat in propria ad visitandum non bursam, sed conscientiam ad pacem scilicet reformandam. Existimabat enim cum hilaritate ex hoc mundo migrare, exemplo boni patrisfamilias, si pacem inter filios relinqueret, quod & fecit. Vnde &, secundum Ambrosium in Hexameron, talem principem sedantem iurgia eligût apes, apem scilicet maiorem aculeo carêtê. Talis fuit Martinus, ideo sedauit subditorum iurgia. Princeps enim apû omnibus venenosis & immundis inimicatur, ideo ne inficiâtur apes, venenosa expellit. Sic princeps litigiosos homines, & qui virus guerrarum & dissensionem seminant, longe à se debet abijcere. Inde & Martinus fecit in fine quod in principio inchoauerat. Nam in principio suæ conuersionis verbis suis, id est orationibus monstra placauit, quando hostilem impetum contra ciuitatem Ambianensem pacauit. Nunc vero cum dilexisset suos, in finem dilexit eos, dimittendo eis quod dimisit Christus, cum diceret: *Pacem relinquo vobis*, &c. Secûdo quis sanus apparet, quando sanorum opera exercet. Sic iste eundo ad Condatensem vicum, charitatiuas doctrinas discipulis suis fundebat. Non enim poterat tantus charitatis caminus se continere, quin sanæ doctrinę emitteret fumum. Prima doctrina, quam dedit. Nam cum nauigaret per Ligerem, vidit serpentê transeuntem, & imperauit vt rediret. Quo facto, serpens obediuit. Tunc ille: Serpêtes me audiunt, & homines me nolunt audire. Virtus enim verbi eius efficaciam habebat in brutis, & tamê non habebat in hominibus. Et propterea populus libenter debet audire doctrinâ sanctorum pastorum. Hæc autem efficacia erat ei data, vt dicit Alti. secûda parte summæ, capitulo de hierarchia. Homines enim sic domantes carnem suâ, quod ad statum innocentiæ quasi deueniût æquiualenter sicut Adam, communiter habent à Deo communicatum bonum, quod Adæ datum est, scilicet, animalibus omnibus dominari. In cuius signum adhuc maiora animalia, & inferiora, vt leones, & pediculi nos infestant, mediocria adhuc sub nostra manêt obedientia. Quod autem Martinus sic domuerit appetitum patet, quia adhuc in lecto mortis carnê spiritui seruire cogebat. Quod vero dominatus sit animalibus minutis, patet de ranis, de quibus Ambrosius in libro de virginitate Gregorius turonensis testatur de Gallis Bituricen. Item de lepore, Secunda doctrina fuit cum vidisset mergos in flumine mergendô se capere pisces dixit. Forma hæc dęmonû est. Incautos capiunt: captos deuorant, & deuoratis nequeunt saturari. Pisces in fundo non capiuntur, sic humiles cauent à laqueo, non qui volant ad alta mundi. Et nunc plures mergos habet diabolus. Multi enim ministri sathanæ nunc respiciunt

Eccl. 43. Psal. 147. Psal. 06. ¶ Litigiosi homines expellantur à principibus. Ioan 14. Nota.

ciunt in curijs plus ad deuorandum subditos, quam corripiendum eos, facti sunt piscatores pecuniarum, non animarum, venatores non luporum, sed leporum, non diuitum, sed pauperum, & laxant vbique retia sua in capturam: hæ sunt muscæ perdētes suauitatem pacis Ecclesiasticæ: quas vtinam Abraham cum flabello abegisset à sacrificijs. Sed nunc creuerūt vsque in coruos, & allecti cadaueribus non tendunt ad Arcam. Inde cuidam prælato capienti parua munuscula ait quidam: Putaui te esse austorium sed nunc scio, quia alietus es. Martinus autem huiusmodi mergis præcepit, vt abirent, & statim petierunt montes & syluas. Cum igitur Martinus tot, & tanta virtutum opera exercuerit, & circa finem sanam doctrinā seminauerit, conuenienter concluditur, quod iste moritur robustus & sanus, &c.

DE EODEM FESTO, SERMO *secundus, & in ordine LXXXVI. Per Thema præcedens.*

A MVlti volūt mori morte iustorum, qui nolunt viuere vita iustorum, Sed cauda illa non est de illo vitulo, sicut Balaam, qui ita dicebat. Nec mirum si cupiant mori morte iustorum, quia talis mors pretiosa est. Primo, quia rara. Rari enim sūt qui tali morte moriātur. Secundo, quia plena præmio, cū post mortem sequatur præmium. Sed *mors peccatorum pessima*. Mala, quia omnia delectabilia eius auferuntur in morte. Peior, quia omnia tristabilia eis infliguntur. Pessima, quia nulla solatia vel remedia eis conceduntur. Ideo comparatione huius mors sanctorum est pretiosa. Qui autem vult mori morte iustorum, oportet viuere vita iustorum, sicut Martinus fecit, ideo iste moritur robustus & sanus, &c. Propterea mater Ecclesia, vt exemplo eius bene moriamur, hodie festum de transitu suo facit, & proponit in exemplum vitam eius & mortem. Vnde bonus magister, videns scholares male informatos, propter defectum exemplaris, solicitus est dare exemplar verum & bene correctum, & ponere spectaculum ante eos. Sic factum est Ezechiæ, ipso dicente: *Ecce missa est ad me manus, in qua erat inuolutum liber, & expandit illum coram me, qui erat scriptus intus & foris*. Sic videns Ecclesia multos Christianos male informatos & morigeratos, propter defectum exemplaris. Exemplaria enim in schola Ecclesiæ sunt clerici, religiosi, & prælati. Vnde Gregorius in Homil. Admonendus est clerus, quatenus sic viuat, vt exemplum vitæ sæcularibus præbeat. Hieronymus: Domus Episcopi & conuersatio quasi in speculo posita magistra est disciplinæ. Quicquid enim fecerit, omnes sibi putant faciendum. Et quia ista exemplaria vt in pluribus sunt male correcta, ideo multi male recti, idcirco proponit hodie valde perfectū exemplar, sanctum Martinū. Si enim vis habere exēplar pietatis & misericordiæ, vide illū in media hyeme, quæ solito asperior inhorruerat, seipsum denudantem, & pauperem vestientem. Si exemplar perfectionis & munditiæ, vide pompam sæcularis militiæ relinquentē, & ad eremum cōuolantem. Si exemplar austeritatis & pœnitentiæ, vide ipsum in cinere & cilicio recubantem, &c. Quod si exemplar perfectius volueris habere, vide in manus Mariç exemplar omnium exemplarium Christum correctum & emendatum per Pilatum. Istud autem exemplar non habetur nisi mutuo, ideo à beata virgine matre nostra mutuemur ipsum, qui sumus in schola filij sui, vt prouideat nobis de libro isto & exemplari, dicentes: Aue.

Postquam dictū est iuxta thema, quomodo Martinus mortuus est robustus & sanus. Hic dicendum est de alijs duobus, scilicet quomodo moritur diues & felix. Tertio igitur moritur Martinus diues, quod quadrupliciter probari potest. Primo, ex multitudine diuitiarum spiritualium,

Marginalia: Num. 23 (beside "vitulo, sicut Balaam"); Psal. 33. (beside "mortem sequatur præmium"); Nota. (beside "huius mors sanctorum"); Ezec. 2. (beside "Ecce missa est ad me")

lium, quas habebat, quia de corporalibus nihil. Quod ita sit, dixerunt discipuli ad beatum Martinũ, Cur nos pater deseris, aut cui nos desolatos relinquis. Inuadent enim gregem tuum lupi rapaces. Scimus quidem desiderare te Christum, sed salua sunt tibi præmia tua, nec dilata minuentur, nostri potius miserere, quos deseris, pater. At ille eis compatiẽs, sicut erat plenus charitate & pietate, nihil eis respondit. Semper enim ignis sursum fumũ emittit. Sic charitas summa in eo spiritũ semper sursum dirigebat, ideo conuersus ad Dominum præ compassione dixit: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem. Attamẽ Domine iam satis quod hucusque certaui, ac si parcis ætati, bonum est mihi, fiat voluntas tua. O beatum virum nec labore victum, nec morte vincendum. Nõ sic Petrus, qui dixit, cum videret gloriã, Domine bonum est nos hic esse, & laboris obliuiscebatur. Iste vero, cum iam propinquus esset quieti, nec laborẽ metuebat, dicens illud Psalm. *Paratum cor meum* Psal. 56. *Deus, paratum cor meum.* Paratum quidem ad laborem, sed etiam paratum ad mortem, vt diceret quod Petrus: *Paratus sum* Luc 22. *tecum & in carcerẽ* huius sæculi, *& in mortem ire.* Vnde sancti aliquando rogati, vt B Nota. peterent dilationem mortis, noluerunt audire rogantes præ nimia charitate Domini Iesu volentes hinc recedere, vt de beato Ambrosio legimus, ad quem, cum esset in lecto mortis, accessit Comes Italiæ, rogans, vt impetraret à Domino adhuc viuere, quia timebat Italiæ post eius obitum. At ille respondit: Bonum habemus Dominum, scit quid sit vtile vobis & mihi, & ex discessu suo pene perijt Italia. Sic est de sanctis, qui discedũt. Esaias: *Iustus perit, & non est qui recogitet, à facie mali* Esai 57. *collectus est iustus.* In hoc habemus documentum non multum curare de hoc sæculo, sed sanctorum virorum exemplo ex toto desiderio tendere ad Christũ, parati reddere depositũ, quod dedit nobis Dominus, thesaurum istũ in vasis fictilibus. Sed quasi omnes nunc petunt dilationẽ, cum mors instat, cum Dominus repetit quod dedit, dicentes: *Patientiam habe in* Mat. 18. *me, & omnia reddam tibi.* Sunt qui nullatenus recedere volunt, qui numquam voluntarie moriuntur, quibus dicitur illud: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à* Luc 12. *te.* Sunt qui depositum in malos vsus cõsumunt, ideo non audent appropinquare, sicut prodigus, qui dissipauit omnem substantiam suam. Alij fuerũt sancti, qui à Deo dilationem petierunt, vt beatus Basilius pro Conuersione Ioseph Iudæi medici sui. Alij vero inter vtrumque fluctuantes, totum voluntati diuinæ submiserunt, vt Martinus.

C In hoc notandum, quod prælati maxime debent esse soliciti super gregem suũ: etiam vsque ad mortem. Aquilarũ enim (vt dicunt naturales) quædam habent caudam nigram, quæ non multum laborant in educatione pullorum suorum, quædam albam, quæ ad hoc multum laborant. Sic prælatorum, & principum quidam habent caudam nigram, id est, affectiones inordinatas, & ministros malos, & isti non curant prodesse suis, sed solum præesse, lucrum pecuniarum non animarum quærentes. Alij habent caudã albam, id est candorem innocentię, & isti multum laborant pro subditis. Secundo se diuitem ostendebat, quia de suo thesauro semper optima documenta proferebat. Vnde cum discipuli vellent eum sub mollioribus stramentis ponere, noluit, sed in nobili illo cubili ex cinere cũ cilicio recubans ait. Non decet Christianum nisi in cinere, & cilicio mori. Et si aliud exemplũ vobis relinquo, ipse peccaui. Sed dices, quomodo hoc potest verum esse, cum multi sancti viri aliter mortui sint, & sancti martyres, Ad hoc Nota. dicitur, quod illud dictum beati Martini potest dupliciter intelligi. Primo quantum ad sensum literalem, & hoc modo à religiosis tunc temporis obseruabatur, quibus tunc circumdabatur, & loquebatur. Sermones (inquit Aristoteles)

Prælati debent esse solliciti de suis, etiam vsque ad mortem.

Sed quomodo Martinus semper cælum aspiciebat, & terram contemnebat, cum terra sit mater omnium, iuxta illud: Eccl 40. *Vsque in diem sepulturæ in matrem omnium.* Malum autem est contemnere matrem. Secundo iustificatus est publicanus qui oculos non audebat in cælum leuare, sed in terrã flectebat: Quomodo ergo Martinus oculos in cælum leuabat. Respondetur. Primo quod sic oculos in cælum dirigebat Martinus, ratio erat, vt spiritus recto itinere dirigeretur ad Dominum, rectum autem iter est conscientia tranquilla. Ipse vero nihil in terra nec quærebat, nec habebat, quod erat signum tranquillæ conscientiæ. Turbatur sæpe conscientia, cum hic aliquid quærit. Res autem feruenter desiderata quæ haberi non potest, causa est turbationis, sicut videmus, quia os proiectum canibus ab vnoquoque desideratur haberi, & hoc fieri non potest, inter se turbantur. Temporalia autem huius conditiones sunt quod non possunt omnia simul & à singulis possideri, & tamen sunt illud cui inhiat cor humanum & desiderium eius, ideo sunt causa turbationis & guerræ inter mundanos. Sed si esset aliqua res quæ omnis bonitatis plenitudinem contineret, quæ talis esset conditionis quod à singulis posset simul tota sine sui partitione possideri, esset causa pacis & tranquillitatis cordium, cuius conditionis est Deus & gloria eius, quem ita possidere potest pauper sicut diues, ignobilis sicut nobilis, quemadmodum sol ab omnibus possidetur. Ideo quærens Deum, & eum habens pace fruitur conscientiæ, secura autem conscientia alta petit non infima, non igitur mirum si Martinus semper in altum respiciebat & non in terram, sequendo inclinationem spiritus cuius est sursum ferri ad Deum tanquam ad patrem & creatorem qui fecit illum, & non inclinationem corporis, cuius mater est terra.

E *Temporalia sunt causa turbationis non spiritualia.*

Dicitur secundo quod dupliciter fit extollentia oculorum & dupliciter, depressio. Vno modo fit extollentia, cum erigit quis oculos per superbiam, vt pharisæus, & per oppositum depressio oculorum corporis signum est humilitatis & pœnitentiæ, vt in publicano qui noluit oculos leuare ad cælum præ pudore peccati sui, sicut de filio prodigo patet, & de Manasse, qui dicebat, *Non sum dignus videre altitudinem cæli præ multitudine iniquitatis meæ.* Luc. 15. Prima est vituperanda. Secunda extollenda. Secundo fit oculorum extollẽtia cum serenata conscientia, spe viuens futurorum per deuotionem oculos erigit in cælum cum beato Martino, & hæc est commendanda & per oppositum oculorum depressio per auaritiam ad terram quæ tollit omnem deuotionem, vituperanda est, sicut in illis qui oculos suos statuerunt declinare in terram, vt toto tempore comedant terram sicut serpentes.

F *Oculorum extollentia fit dupliciter.*

Pro secũda parte dicitur quod quarto moritur Martinus felix quia scilicet securus de euolando in cælum, & hoc propter quatuor. Primo propter paupertatem, quia Psal *Parcet pauperi & inopi, & animas pauperum saluas faciet.* Psal. 71. Hæc enim saluagardia paupertatis illic exprimitur. Nõ timet pauper latrones, dũ nemora transit. Martinus autem pauper fuit & modicus, ideo cælum felix ingreditur & securus. Et licet qui moriuntur pauperes in bonis huius sæculi existimentur infelices à populo, felicius tamen moriũtur. Primo quia non habent pœnam & solicitudinem distribuendi & disponendi. Secũdo non habent cor in eis, sed cor eorum alibi est, nec eis malum est cor extrahi Tertio quia non curant exire de hoc sæculo propter mala quæ in eo habuerunt. Sic erat de B. Martino qui pauper erat in bonis mundi. Secundo securus erat propter bonam societatem. Nam non formidat bestias infernales, qui ab Angelis deportatur in cælum. Multum enim timendus est ille incursus dæmonum in obitu, propter quem Dominus commendauit spiritum suum, & Stephanus orauit vt

G *Pauperes feliciter moriuntur.*

susciperetur à Domino. Sed non timet qui bonam societatem habet, qui amicos in vita sibi fecit Angelos Dei, orando & caste viuendo, & in vita sancta cum eis conuersando, sicut fecit Martinus. Tertio Dominus in morte, & post mortem ita pauperes honorat, quod eis iudicium tribuit. *Dominus pauperibus iudicium tribuit*, Matth. *Sedebitis & vos, iudicantes duodecim tribus Israel.* Vos scilicet qui reliquistis omnia, & hoc iustum est, vt qui iudicati sunt à mundo & vilipensi, mundum iudicent. Quem honorem potestatis iudiciariæ attendebat ille rex, de quo legitur in Barlaam, qui cum obuiasset duobus pauperibus religiosis in habitu vili, descendit de equo suo, flectens genua coram eis petens orationum suarum suffragia. Cum autem nullum talem honorem exhiberet principibus aduenientibus, indignati sunt principes. Quod perpendens, fecit fieri duo scrinia plena auro & lapidibus pretiosis operta vili sacco, & alia duo fæcibus plena pretiosissime cooperta, quibus dixit vt eligerent quæ iudicarent meliora. Cumque elegissent pretiosius inuoluta, apertis eis se deceptos inuenerunt. Quibus ostendit pauperes sub vili habitu celatos pretiosum gratiæ thesaurum habere, & diuites de foris ornatos, sed intus vitiorum fæce repletos. Propter quod Dominus pauperes consueuit in morte venerari re & nomine, nomen eorum vocando, vt patuit in paupere Lazaro, cuius nomen, non diuitis nominauit, & in Martino, cuius nomen ore expressit, cum pauperē veste induit. Si igitur iudicium eis tribuit, quo iudicabunt etiam Angelos. *Nos Angelos iudicabimus*, poterat secure exire Martinus pauper. Psal. *Honorabile nomen eorum coram illo.* Quarto quia Martinus misericordiam fecerat in pauperes, modo secundum Ambrosium: Sola misericordia comes est defunctorum. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem*, &c. *Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum, & nō tradat eum in animam inimicorum eius.* Nihil timet qui Deum comitem habet, qui conseruat eum. Faciat igitur misericordiam, qui vult securus hanc exire vitam. Vnde felicitas Martini patuit ex quatuor. Primo ex gloria resurrectionis, quæ quodā modo patebat in corpore, ex qua intelligi poterat magnitudo gloriæ animæ eius. Quando enim riuulus à fonte fluens, notabiliter crescit, si aqua in solo fonte maneat, & in riuulum non effluat, non habetur signū abundantis aquæ in fonte. Anima comparata ad corpus in statu beatitudinis est fons, quia beatitudo & omnes eius dotes ab ipsa in corpus redundant. Signum igitur est quod anima perfecta beatitudine fruatur, quando dos aliqua in corpore à quo separata est, inuenitur. Ideo quia sic lucebat corpus eius, signum erat beatitudinis perfectæ, in qua erat anima. Eccl. *Testamentum suum confirmauit super caput eius*, id est certum promissum & pactum de statim consequenda gloria in capite eius, imo in toto corpore confirmatum est, & manifestum. Secundo ex assistentia, quia ibi fuerunt Turonici & Pictaui, & duo millia monachorū ad honorandū tantum hominem. Tertia quia ibi de illa nobili gleba, & thesauro corporis contētio fuit, cuius esset, ita quod filij altercabantur cuius esset cadauer. Non sic de filijs modernis, qui vellent cadauer esse extra domum vt habeant bona. Quarto ex reuelationibus. Primo quia multi audierunt voces Angelorum psallentium in sublime. Multum autem lætari debent, qui sciunt se offerri iudicio Dei in lætitia Angelorum, de quibus Ps. *Offerentur in lætitia & exultatione.*

Sed ibi quæritur vtrum Angeli laudēt Deum vocaliter. Quod nō videtur, quia non habent organa corporalia. Itē similiter apparet de hominibus beatis post resurrectionem, quia erunt in cælo empireo, vbi nō erit aer, vox autem formatur ex repercussione aëris. In oppositum est illud Iob: *Cum me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei*, & ex reuelationibus multorum Sanctorum, vt hic in

Marginalia (left column): Iob 36 — Mat 19. — Nota Exemplum. — 1. Co. 6. — Psal 71. — Psal. 40.

Marginalia (right column): H — Anima gloriosa est fons beatitudinis. — Eccl 44. — Psal 44. — Iob 38.

*Esai. 6.* in S. Martino. Item: *Clamabant alter ad alterum*, & Apoc. *Requiem non habebant dicentia, Sanctus, sanctus, sanctus.*
*Apoc. 4.*

*Nota.* Respondetur secundum Bonauenturam 1. in expositione, quod quantum ad homines erit laus vocalis post resurrectionem, vt non solus animus laudet Dominum, sed etiam lingua, & totus homo feratur in Deum, erit illa vox non per asperationem, & respirationem, sed vel per aërem cõnaturalem, qui erit beatis quasi naturaliter complantatus, vel deseruiet cælum empyreum corporibus glorificatis, sicut aer non glorificatis. De Angelis vero, quia non competit eis corpus neque laus vocalis. Quia tamen nobis ministrando assumũt corpora ad nostri solatium, & in eis loquuntur, sic Deũ vocaliter laudant. Hæc Bonauentura. Melius tamen dicendum est, quod etiam Angeli vocaliter laudabunt Deum, sicut & homines. Decet enim in illa ciuitate ciues esse conformes, & quod sine corporibus poterunt formare voces, sicut & animæ à corpore separatæ. Quali autem modo possint formare, nunc nobis ignotum est, tunc autem cognoscemus, cũ eis similes erimus. Secundo, ex alijs reuelationibus, quarum vna facta fuit Seuerino Coloniensi Episcopo. Secunda Seuero Sulpitio eius monacho. Tertia Ambrosio Mediolanensi Episcopo, sicut patet ex legenda eius. Ex omnibus præcedentibus innotescit, quomodo Martinus, iuxta thema, moritur robustus & sanus, diues & felix. In quo tenuit doctrinam cuiusdam ex patribus, quam etiam tenere debent omnes, qui volunt consequi salutem. Legitur enim in vitis patrum, quod quidam iuuenis requisiuit à sene quodam moriente verbum ædificationis. Cui ille: Fili, respice ad solẽ, terram, formicam & gallum. Sol propter quemcumque ingratum cursum suũ nõ retardat, nec à quoquam radios suos retrahit, imo omnibus beneficium charitatis impendit. Sic nec tu propter cuiuscũque ingratitudinem pietatis opera subtrahas nec ordinem charitatis, sed omnibus bene fac. Sic enim fecit Martinus. Patuit in eis, qui illum verberauerant, & equis eorum, qui fixi remanserant sicut simulachra, propter crimen in ipsum cõmissum, quos tamẽ restituit pristino operi. Sic enim sis robustus, & nõ mouearis à tuo bono proposito propter iniurias aut tribulationes. Secundo, respiciendum est ad terram, quæ licet ab omnibus conculcetur, non tamen frangitur, & tamẽ omnibus creaturis producit arbores, fructus & huiusmodi, & sine retributione. Sic Martinus sanus fuit, licet ab omnibus conculcaretur, vt patuit in exemplo dato, & in sancto Britio, qui eum deridebat. Tertio, ad formicam, quæ meliora grana congregat, de quibus in hyeme viuit. Sic in hac vita salutis opera multiplica, vt viã eas longissimam, & nisi prouideris, stultus eris. Sibi enim prouiderat Martinus, & propterea dicebant ei discipuli: Salua sunt tibi præmia tua, nec dilata minuentur, & in hoc diues mortuus est. Quarto, ad gallum, qui lætum est animal, & ala se verberans nequaquam noctis obliuiscitur. Ita si velis habere coronã in capite, sicut gallus, & lætari cum sanctis, verbera te abstinentia, & nequaquã obliuiscaris horas mortis, vt sicut Martinus moriaris felix.

*1 Opinio patrum verisimilis.*

*Nota doctrinam.*

*DE EODEM SANCTO SER. III. & in ordine LXXXVII. Per Thema.*

*Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Hæc poterant esse verba Martini, qui spe illius futuræ resurrectionis in triplici vitæ suæ statu quem tenuit, scilicet militari, monachali & pontificali Domino feruenter seruiuit. Propter quem statum triplicem inter omnes quos legi in Scripturis Ioseph Patriarchæ maxime assimilatur, & hoc in tribus quæ illos tres gradus repræsentat. Primo quia sicut Ioseph habens pallium, ipsum

*Phil. 3.*

*A Martinus comparatur Ioseph.*

Gen. 39. dimisit adulteræ. Sic Martinus in statu militiæ pallium suum pauperi dimisit. Pallium enim voluptatis carnalis omni relinquendum est, sed pallium compassionis semper partiendum est, quia quoad se, secundum documentum Sapientis: Eccl. 30. *Miserere animæ tuæ placens Deo*, & quoad proximum, sicut hortatur Esaias, dicens: Esa. 58. *Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam.* Secundo, sicut Ioseph fuit in carcere, vbi vidit visiones, & futura præuidit, sic Martinus factus monachus in carcere claustri habitauit, vbi vetus homo incarceratur, sed homo interior præuidet futura bona, quorum intelligentia & præuisione præsentia sustinet. Tertio autem fuit Ioseph dominus Ægypti, & pauit patrem, & fratres, & famatus est per totã Ægyptum. Sic beatus Martinus in prælationis statu pastor fuit ouium suarum verbo & disciplina, & nutrimento corporali, quasi alter Noe, regens Ecclesię nauem in fluctibus maris huius. Et quia cum expectamus aliquem dominum magnum, obuiamus ei, ideo Martinus expectans saluatorem, obuiauit ei ascendendo. Sciebat enim quia in fine veniret ad iudiciũ particulare, ideo ascendit obuius ei. Primo, ascendẽdo de statu militari ad clericalẽ. Secundo, de clericali ad monachalẽ. Tertio, de monachali ad pontificalem. Quarto, de pontificali ad sibi obuiandum in finem, & ad saltandum in cælũ. Duos primos disposuerat secundum illud Ps. Psal. 83. *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum.* Tertium vero non disposuerat, quia eo renitente ad Episcopatũ assumptus est. Quartum vero maxime disposuerat. Inde oculis ac manibus in cælum semper intentus inuictus ab oratione spiritum non relaxabat, quia corpore & anima illuc totus tẽdebat. Quia si quęreretur ab eo cur hoc semper respiciebat, respondere poterat cum Apostolo: *Saluatorem expectamus Dñm nostrum Iesum Christum*. Sic & nos facere debemus exẽplo eius, & ad hoc inuocare auxiliũ Dei, quod facilius obtinebitur medio Mariæ, cui propterea dicemus: Aue gratia.

Dicetur, quomodo beatus Martinus expectauit Dominũ. Primo, in statu militiæ, studendo operibus pietatis. Secundo, in statu monachali, studendo operibus abstinentiæ & asperitatis. Tertio, in statu prælationis, studendo operibus iustitiæ & charitatis.

Primo igitur dicendũ est de statu militari, in quo fuit. Legitur enim quod ille nobilis ex nobili prosapia ad Ecclesiam decem annorum inuitis parentibus properauit, seque fieri catechumenum postulauit. *Ex studijs suis*, vt ait Salomon, *cognoscitur puer*, quia qualis est à iuuentute, talis putatur successiue. Prou. 20. Licet enim nondum esset baptizatus, tamen poterat iudiciũ accipi bonitatis & sanctitatis futuræ. Exemplum Augustini in libro contra Faustum, de cultore vidente terram incultam, quam iudicat bonam ex herba, etiam si bonæ non sunt, dummodo colatur. Catechumenus postulat fieri, id est, instrui in fide, & abrenunciare iam sæculi pompis. B Nota. *Bonum est viro, cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua.* Thren. 3. Quidam enim expectant senectutem ad seruiendum Deo, qui florem iuuentutis suæ Deo auferunt, & senectutis fæcem dant Deo, quasi Deus sit malus potator, ministrant ei fæces, & quando non plus possent seruire, nisi de excreando. Sed caueant sibi, quia in macello tot vendũtur carnes vitulorum, quod boum vel vaccarum. Exemplum de illo, qui habuit pulchrum asinum, quem noluit in iuuẽtute onerare, quia nimis erat pulcher, sed deficiente pulchritudine, cum voluit ei dare pondus in senectute, portare non potuit, & sic numquam sibi seruiuit. Aliud exemplum est de curato, qui nouerat peregrinationem ad sanctum Iacobum, sed non potuit inuenire tempus ad faciendũ illam. Noluit enim ire in vere, quia est tẽpus quadragesimæ, in quo habebat audire confessiones suorũ parochianorum, nec in æstate, quia calor erat nimis

nimis vehemens, nec in autumno, quia oportebat eum colligere fructus & decimas, nec in hyeme ire poterat, propter intemperiem aëris, & difficultatem itineris, & sic numquam fuit completa peregrinatio. Sic timendum est de illis, qui renuunt facere pœnitentiam, dum fortes sunt, semper se excusantes & differẽtes, ne numquam faciant pœnitentiam, nisi forte nimis tarde, quando erunt in inferno. Nolẽte Martino cingulo militiæ donatus est à patre. Patres volunt libenter suos filios carnaliter promouere ad honores, matres ad delitias procurãdas. Sed dicere poterat Martinus: Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus assumpsit me, scilicet ad Episcopatum. Sub Iuliano Apostata militauit. Quia tunc mos erat nobilium. Sed si sic sub malo Imperatore militauit, quomodo igitur bonus, quia difficile est hominem malis seruire, & nõ sentire quicquã de malitia. Respõdetur primo, quod

C *Militare licet sub malis principibus.* militauit adolescens, eo quod erat mos nobilium optimus defendere rempublicam cum paruis expensis, & populus diues erat potẽs facile succurrere. Sed modo oppositum fit. Dicitur secundo, quod sub malis Imperatoribus & regibus militandum est, & sancti militauerunt, & cũ præcipiebant quæ erant propter rempublicam necessaria, debebant facere: cũ vero contra fidẽ & contra bonos mores, repugnabant, vt patet de Mauritio, & hic de Martino. Exemplum etiam de Dauid

*1. Re. 14* qui militasse legitur sub Achis, sed cõtra fratres, scilicet Israel, non processit cum eo. Dicitur tertio, quod B. Martinus militiam dimisit, nec tamen eam more militum modernorũ exercuit. Seruauit autẽ formam viuendi & regulam, quã Ioannes Baptista militibus constituit, continentem solũ tria capitula. Dicitur enim, quod interrogabant Ioãnem milites, di-

*Luc 3.* centes: *Quid faciemus & nos?* Et ait illis: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris.* Primũ

D *Militum regula.* igitur capitulum est, Neminem concutiatis, scilicet verberando, occidendo, iniuriose incarcerando vel detinendo. Solebant enim antiquitus balneari in aqua, antequam cingulum militiæ reciperent, in signum interioris lotionis. Sed nunc balneantur in sanguine pauperum, quos verberant & cruciant, quibus deberent esse tuitio. Sic solebant nobiles valere duo scuta, sed nulli modo sunt istius põderis. Istud autem nobile, scilicet Martinus, boni ponderis est, quia dum militaret, numquam fuit implicatus illis vitijs, quibus illud hominum genus implicari solet. Sed vbi nunc milites superbi concutiunt & deprædantur pauperes, Martinus in porta Ambianensi dedit pauperi *Nota.* chlamydem in asperrimo hyemis frigore. Si habuisset duas chlamydes, non mirabile si vnam dedisset, sed nõ nisi vnam, & quod necessarium erat sibi, quia reliqua in similibus operibus exposuerat, quod habuit, Domino dedit. Mirabile est, quod tot exempla habemus coram nobis, & tamen pauperum non misеremur. Si Martinus habuisset tale exemplum, certe totum dedisset. Nos habemus tantum fimi ad impinguandum terram nostram, & non dispergimus, contra naturam eius. Non expectauit Deus extremum iudicium, ad faciendum suum. Impleuit enim illud Catonis:

*Exiguum munus cum det tibi pauper amicus,*
*Accipito placidè, plenéque laudare memento.*

Primo itaque laudauit. Secundo pro Martino præmissas ad iudicium fecit. Tertio sanauit eum, quia eleemosynas eius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum, non solum Ecclesiæ, sed etiam parietes, & picturæ. Hæc enim eleemosyna fuit occasio Baptismi Martini, & similiter *Act. 10.* eleemosynæ Cornelij. Legitur etiam de quodam diuite, qui dedit eleemosynam pauperi, quod propter suam eleemosynam, & pauperis orationem euasit mortem subitaneam, & damnationem perpetuam, quibus subiacuisset, nisi pauper pro eo orasset. Secundum capitulum regulæ militum est, nemini calumniam facia-

faciatis, id est, neminem accusetis, vt eius possessiones extorqueatis, vel nemini iniuriam faciatis. Vnde & milites antiquitus post illam lotionem noctem ducebant insomnem in prędicationibus, & seruitio diuino, dicentes se esse paratos ad vigilandum seruitio, & omni sanctæ actioni, non calumniæ. Ad exemplum illius militis, qui priusquam triũpharet de diabolo, liberando populum suum, vigilauit, & vigilare suos milites exhortatus est. Modo de illis dicitur illud Iob: *Vigilantes ad prædam præparant panem liberis, agrum non suum demetunt, vineã eius, quem vi oppresserant, vindemiant*. Hi præcipue sacerdotes & Ecclesiam calũniantur in superbia magna. Quod contra Martinus decennis ad Ecclesiam cõfugit, sic humilis fuit, vt vno seruo contentus esset, cui etiam plerumque calceamenta detrahebat. Vbi modo superbi milites nõ sunt contenti seruitio bonorũ virorũ, quando de suo seruiunt, nisi exquisita ministrent de alieno, siue sit pro Ecclesia, siue nõ. Vnde in aliquibus locis erat consuetudo, vt gladio cingerentur, quem de altari accipiebant, vt Ecclesiam defenderent, & iurabant defendere Ecclesiam & fidem. Sed modo destruunt & dissipant Ecclesiæ bona, & sacerdotes ludibrio habent, & cum detestatione iurant. Ideo dicitur de eis illud Esaiæ: *Omnis militia eorum defluet*, scilicet in bello, *sicut defluit folium de vinea, quoniam inebriatus est in cælo gladius meus*. Sed qui Ecclesiam honorant, semper prosperantur. Exemplum est de Machabæis, qui propter zelum legis, quem habebant, & amorem ad restaurationem & sanctificationem templi, prosperati sunt. Tertium capitulum est, Contenti estote stipendijs vestris. Si dicas, Stipendia non sufficiunt. Cur ergo militas? quia nemo militat propriis stipendijs vmquam, non video quod facis, nisi vt prȩderis, sicut nunc fit communiter, quia nũc milites fures sunt & raptores, nec reputandi nobiles. Inde quibusdam militibus

*Iob 24.*

*Esa. 34*

ducentibus ex præda oues, boues & vaccas, non assurrexit quidam bonus pater, nec salutauit eos, illis arguentibus quod nobiles non salutasset, respondit: Parcite mihi, quæso, non enim putaui vos nobiles esse, sed bubulcos, quia consuetudo est in patria nostra bubulcorum, non nobilium, sic ducere oues & boues. Non sic Martinus, qui non solum erat contentus stipendijs suis, sed etiam noluit accipere donatiuũ, dicens: Christi miles ego sum, pugnare mihi non licet.

Sed quęritur, Quomodo dixit, Christi miles ego sum, &c. imo sequitur oppositum, miles sum, igitur ad me spectat pugnare. Respõdetur quod duplex est pugna, vna est corporalis, & illa est necessaria militibus sæcularibus etiam Christianis, dummodo sit auctoritate principis & propter bonum reipublicæ, & non propter furtum, licet hoc, scilicet ablatio rei alterius, ex consequenti posset prætendi. Tertio, quod sit in iusto bello, vel saltem quod nesciatur esse iniustum. 23. q. 1. quod culpatur, & ista fuisset licita beato Martino, nisi votum aut propositum perueniendi ad Ecclesiam fuisset propter irregularitates. Manus enim tanti pontificis, quæ debebant oleo vngi, cruentari non debuerunt sanguine. Sed alia est pugna contra mundum, diabolum, & carnem, & in ista audaces sunt sancti viri, sicut beatus Paulus. *In quo quis audet, in insipientia dico, audeo & ego.* Sed & dum dicebatur ei, quod alligarent eum in Hierusalem, ait: *Ego non solum alligari, sed & mori paratus sum pro nomine Domini mei Iesu Christi*. Hanc pugnam suscipiũt omnes sancti. Animalia inter se pugnant, quando sunt differentis complexionis, vt mustella contra regulum, canis contra lupum. Sic iustus contra diabolũ & membra eius.

*E*

*Pugna duplex, corporalis & spiritualis.*

*2. Cor. 11*

*Act. 21*

Sed multi sunt sicut miluus, qui bene inuadit pullos, sed non grues & ardeas. Similiter nostri arcitenentes contra pullos sagittant, sic nostri iusticiarij contra paruos, non contra magnos iudicant. Nõ sic

sic Martinus, imo Iulianum apostatam inuasit. Nam cum ab eo quæreretur cur donatiuum nõ accepisset, & respondisset quia erat miles Christi, & ideo pugnare sibi non licere. Iuliano dicente ipsum detrectare militiam ex inertia. Respondit audacter inducendo illud, quod odiebat Iulianus, scilicet crucem Christi, dicens. Ego signo crucis, &c. Tunc vero Iulianus iussit eum seruari, vt in Crastino opponeretur inermis hostibus. Sed pax facta est sine effusione sanguinis, vt creditur eius precibus, ita quod de eo potest
Psal. 4. dici illud: Psal. *Scitote quoniam Dominus mi-*
Eccl 45. *rificauit sanctum suum*, & illud: *Magnificauit eum in conspectu inimicorum suorum, & in verbis suis monstra placauit*. Vide quomodo Iulianus ille voluit magnus fieri in mundo, imo fuit Imperator, & nunc perit memoria eius, & vix scitur quis fuerit. Martinus autem voluit humiliari, & modo scitur qualis & quanti fuerit præmij.
F Nota. Et ratio huius est, quia differentia est inter aues prædaces & domesticas, prædax licet dum viuit sit magnæ reputationis, tamen mortua super fimum proijcitur, domestica vero parum reputatur dum viuit, sed mortua offertur honorabiliter comedenda. Sic mali qui sunt potentes in hoc sæculo honorantur dum viuunt, sed mortui proiiciuntur in sterquilinium inferni; boni vero, qui sunt quasi ciues sanctorum & domestici Dei, hic parum raputantur, sed mortui offeruntur Deo in lætitia & exultatione. Sic igitur si velimus reformari & configurari corpori claritatis Christi, expectemus saluatorẽ tendendo ei manus eleemosynarias, vt reformemus membra sua, & ipse reformabit nostra. In secunda parte dicendum est de statu clericali & monachali sancti Martini. Tandem enim dimisso militiæ statu, ad beatum Hilarium cucurrit, ostẽdens quod ad bonos habere debes recursum in necessitatibus tuis, in scrupulis conscientiæ, & huiusmodi, & ab eo ordinatur acolytus. Sic de malitia seculari vbi contra hostes carnales bellabat, ad malitiam clericorum & religiosorum pertransijt, vbi contra spirituales inimicos debellaret, recogitans illud Apostoli, arma nostra non carnalia sed spiritualia sunt potentia Dei in destructionem, scilicet errorum & vitiorũ. Volebat autem Hilarius eum ordinare in sacerdotẽ, sed noluit Martinus, licet esset tãtæ bonitatis & sanctitatis vt posset. Voluit enim per gradus ascendere ad ea quæ sunt Ecclesiæ. Tandem tamen ad monachalem vitã se contulit. Ille non est audax miles, qui propter timorẽ sui equi, ne amitteret illum, timeret facere vnum pulchrũ ictũ de quo omnibus diebus vitæ suæ honoraretur. Ita non est bonus miles Christi nec audax, qui non audet facere pœnitentiam vel Deo seruire, ne amittat equum suum. Caro enim est equus viri iusti, calcaria quibus vrgetur sunt amor Christi & timor iudicij. Apud Mediolanum monachus sumpsit elleborum, forte discretione caruit, & hoc fuit veniale. Sed inter tantam charitatis flammam, pallea illa statim consummata est & consumpta. Oratione enim vim veneni compescuit. Nam orationi viri sancti nihil resistere potest. Secundum Philosophos cæli sunt infrangibiles, & tamen oratio viri iusti penetrat cælos. Ibi vixit durissime. Nec mirum quia aspera loca timent hostes, lupus canem habentem cingulum clauorum, & diabolus mirabiliter timet hospitari in malo hospitio. Sed ab Arrianis deiectus est. In hoc habetur documentum non cito credere doctrinis nouis & inconsuetis contra arrianos. Tales pellunt homines sanctos, ideo dicit Dominus: *Capite nobis vulpes* Cant 2.
*paruulas, quæ demolliuntur vineas*. Venenum enim facilius serpit ad cor quam cibus bonus, & vigilent prælati & maiores ad hoc, quia dum dormirẽt homines, superuenit inimicus homo & seminauit zizania, & ideo saluator monet, videre ne quis vos seducat. Reuelationem habuit vt visitaret parẽtes suos. Sed cũ monachus esset, quomodo potuit recedere

ad tam

ad tam longas partes? Nonne monachi exempti sunt ab honore parentum? Respondetur quod monachi non sunt absoluti ab honore parentum, verũ est quod non tenentur frequentare parentes quasi mortui. Debent enim succurrere parentibus in necessitate, de spirituali non est difficultas, & in temporali, si habeant administrationem, quia sic etiam omnibus subuenire debent & tenentur. Si autem non habeant, difficultas est, & ego credo quod religionem absoluit illos. Quicquid sit, B. Martinus hoc habuit ex reuelatione & dispẽsatione Dei, & vt succurreret spiritualiter parentibus. Nam parẽtes habuit infideles. Non tamen mirum esse debet, si de spina rosa exeat, & si inter spinas lilium crescat, & si de tortuosa vinea vinum optimum effluat. Matrem autem solam lucratus est. Inter alpes cecidit in latrones, quorum vnum ad fidem conuertit. Communiter sancti habuerũt maximas tentationes, & ratio est, quia inter eos & diabolum est implacabile bellum.

G Bellum implacabile inter sanctos & damnã.

Non enim est conuentio lucis ad tenebras, ideo non sunt sine magnis tentationibus, & hoc est optimum signum. Cum malis autem non habet guerram, quia tenet communiter eos ligatos sicut pecus suum. Inde est quod diabolus multotiens Martino apparebat, vt noceret, & sicut quadam vice ei apparuit in specie rustici tenens cornu bouis, & dicens, quod vbicunque graderetur, sibi aduersaretur. In quo notantur qui aduersantur eis qui bonum propositum habent, sicut Petrus qui impedire voluit Christũ euntem ad passionem. Sed scriptum erat de Martino, nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei. Alia vice apparuit in specie Imperatoris, dicens se esse Christum, sed depræhensus est, & fugatus. Sed semel indignatus dæmon in maiori monasterio pisa super gradus celle Martini sparsit. Vnde ad matutinas descendens, grauiter læsus est. Verũ ex hoc aucta est virtus patientię eius, & meruit inde sentire auxilium Dei, sicque dęmno semper à Martino superabatur, exemplo cuius asperitatem pœnitentiæ consequamur, & mortificemus corpus nostrum, vt postea viuificetur, quia: *Insipiens tu, quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur.* 1 Co. 15. In tertia parte dicendum est de statu eius Episcopali. Cum igitur Turonis viduata est pastore, petitur Martinus à populo propter sanctitatem eius. Tunc enim populus eligebat. Primo quidem spiritus sanctus in specie columbæ ostendebat dignũ episcopatu, sed postea decurtabantur alæ, aliquando populus eligebat, quandoque Imperator, nunc autem clerus tãtum. Sed inter electos aliqui sunt miseratione diuina Episcopi, sicut Martinus, pro quo dici potest illud Psal. *Domine præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis*, Psal. 20. alij autem sunt miseratione regia, & præueniunt Deum, sicut nunc fit communiter. Sanctitas aliquando considerabatur, modo beneficia, & bona, & ideo quilibet appetit habere beneficia, vt reputetur. Et mirabile est quomodo tam multi volunt ascendere in montem dignitatis, & non vexantur, & tamen nulli volunt descendere, cum tamen facilius sit descendere quam ascendere. Martinus autem inuitus electus est, sed propter sanctitatem eius, quæ in illo tanta erat, vt ipso semel recumbente cum Imperatore imperatrix voluerit ipsamet, & omnem cibum in propria parare, & ipsa sola seruire, reliquiasque cibi ac si essent res pretiosæ seruare, & de eis plurimos infirmos sanabat.

H Electi multo plures.

Sed Sacerdotes quidam resistebant. Communiter illi sunt sicut dicit Bernar. qui primi resistũt sanæ doctrinæ. Si quęras quare hoc est, quia non sunt bonæ vitæ. Scabiosus enim resistit pectini. Qui si scirent dignitatem suam, abhorrerent quicquam facere, quod esset in scandalũ proximi. Ipsorum autem dignitatem bene demonstrauit Martinus, cum præsente Imperatore postquam biberat, dedit poculum sacerdoti sibi vicino tanquam digniori. Modo indifferenter per quoscunque malos homines, & ignaros impediuntur

diuntur iusti & boni, ne promoueantur ad prælaturas, ad zelandum salutem populi, sicut Dauid fuit impeditus à cæcis 2. Re. 5. & claudis, ne caperet arcem Sion. Sequûtur enim nunc homines diuitias, vt eligant ditiorem & potentiorem, dicũtque Esai. 3. illud Esaiæ: *Vestimentum tibi est, esto princeps noster*. Electus Martinus in Episcopũ bonis operibus ac orationi vacabat, oculis ac manibus in cælum semper, vt prius intẽtus, ita quod propterea à Britio amẽs reputabatur. Vbi nota. Primo, quod alij respiciunt in cælum, alij ponunt musellũ in cælum. Respiciunt in cælum, qui vitam dirigunt instar cælestium virorum. Pictor vt pingat imaginem suam debito modo, ad multas picturas bene cõpositas respicit. Sed ponunt in cælum os suum, qui in sanctos viros latrant, eis detrahẽtes, & linguam ad terrena & caduca di- Psal. 72. uertunt, de quibus Psalm. *Posuerunt in cælum os suum, & lingua eorum transiuit in terra.* Melius esset eis cum Martino cælum respicere, quam in cælum os ponere. Secundo notandum, quod Martinus simul cum oculis manus leuauit. Leuant enim oculos alta contẽplantes, manus in actiua operantes. Sunt qui leuant manus ad ardua, sed oculos deprimunt, quia ad Deum non dirigunt. Vnde Petrus passus est, oculis erectis ad Dominum, & manibus extensis ad opus, & laborẽ patiebantur manus, & nihil oculi. In martyribus enim manus angebantur, oculi vero delectabantur in Domino. Et ideo Tren. 3. hortatur Propheta: *Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum*. Sed leuauit manus Moyses in cælum, & tenebræ operuerunt Ægyptios, quia dum boni manus leuant ad opera, mali exinde tenebris obuoluuntur inuidiæ. Sic non respiciebat Saul Dauid rectis oculis. Pro- 2. Cor 2. pterea dicebat Apostolus: *Alijs sumus odor mortis in mortem*. Ideo Dominus proijcit eos, sicut aquila, vt reprobos fœtus, qui non delectantur in lumine. Non itaque leuet oculos, qui prius manus non leuauit, de quo publicanus, conscientiam fecisse legitur, qui non audebat oculos leuare in cælum, eo quod non fecisset opera meritoria. Inde Psalmista primo dixit: *Leuaui manus meas ad manda-* Psal. 118 *ta tua*, deinde multum post dicit: *Leuaui* Psal. 120 *oculos meos in montes.*

1 De actiuu & contemplatiuu.

Innocentibus quibusdam damnatis ad mortem, accessit Martinus ad Imperatorem, sed non est ei aperta ianua. Forte ministri non dicebant sanctitatẽ Martini, quam si sciuisset Imperator, iussisset aperiri, forte etiam milites habebant confiscationem innocentium, ideo tacebãt veritatem, nec volebant Imperatorem doceri super innocentia condemnatorum. Aues enim prædaces non habent rostrũ rectum, sic nec homines prædatores habent os rectum ad dicendam veritatem. Damnati enim erant tales per falsam accusationem. Nam iustitia quandoque respicit personas præcipientes, & non aduertit ad ius, sicut hic respiciebatur ad præceptum principis. Sed apertum est ostium ministerio Angeli, & cum non assurgeret Imperator, ignis arsit in cathedra, & assurgere coẽgit. Hæc & plurima virtutum opera fecit B. Martinus, cuius exemplum nobis proponitur, vt illũ imitemur, & sic tandem fiat corpus nostrum totũ spirituale, quia animale prius deinde spirituale configuratum claritati corporis Christi. Verum iam beati Martini corpus reformatum est quodammodo. Primo per impossibilitatem, quia licet corpus sit incineratum, tamen victoriã mortis habuit, qui de principe mortis obtinuit victoriam. Sic & nos reformabimur, si de hoste maligno triumphauerimus. Saltem si cineres corporis Martini infirmitates sanabant, credẽdum est ex illis corpus sine passione & infirmitate fieri debere. Secundo per claritatem, quia post mortem corpus clarum apparuit. Tertio per agilitatem, saltem quæ alijs data est ad præsentiam eius, vt patuit in duobus coquinis, quorum vnus erat claudus, qui sanatus est in translatione corporis beati Martini. Similiter

si ita

si ita cito anima auolauit, vt eadem hora sciretur apud coloniam, non dabit ipsa corpori agilitatem? Quarto per subtilitatem, saltem reformabitur secundum eam in resurrectione.

## DE EODEM FESTO SERMO IIII. & in ordine. LXXXVIII. Per Thema.

Prou. 29 Pauper, & creditor obuiauerunt sibi. Quæritur, vtrum Martinus pauperi sibi obuianti debuerit constituere se creditorem dimidiando chlamidem. Et videtur quod non debuit scindere chlamidem suam, quia dicitur: *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Ioel 2. Sufficiebat ergo scindere cor, & non vestimentum. Præterea vestis Christi mansit incisa, quomodo ergo Martinus suam diuisit. Tertio non dicit Christus, qui habet vnã tunicam diuidat eam, sed qui habet duas tunicas det vnam non habenti. Sufficiebat ergo, quod daret si haberet duas. In hoc enim culpantur pauperes, qui propter indulgentias dant, quæ sunt eis necessaria. Dicitur Primo quod non habenti vnde det pauperi sufficit scindere cor, vt vnam partem habeat, qui miseretur, & aliam cui compatitur. Sed vbi est facultas, & necessitas apparet, non sufficit cor, nisi & manus operetur. Non enim sufficit ei qui videt alium ab hostibus impeti, vt ei compatiatur, nisi & manibus subueniat. Ita & pauperi à frigoribus afflicto. Dicitur Secundo, quod Martinus dimidiauit vestem, qui nondum erat actu signatus in ouibus Christi: eo quod nondum Baptizatus. Ouis enim duas tunicas habet, vnam scilicet, pellem suam, ex qua conficitur pergamenum, & illam non dat sed sibi reseruat: aliam habet ex lana, & illam tribuit, ideo Martinus semel videns ouem tonsam ait, hæc impleuit præceptum euangelicum. Quia igitur nondum erat ex ouibus Christi bene dimidiauit, sed quando fuit ouis Christi, dedit totam tunicam in die penthecostes. Dicitur Tertio, quod vestis Christi non fuit incisa, quia non sunt diuidendæ virtutes, sed magis vniendæ in anima, ideo Ecclesia scindi non debet. Dicitur Quarto, quod Martino in paupere petente eleemosynam obuiauerunt sibi misericordia, & veritas iustitiæ contendentes. Misericordia allegabat, quod pauperi subueniendum erat, inducens illud: Esai. *Cum videris nudum operi eum.* Esai 58. Iustitia autem se opponebat dicens hoc non exigere charitatem ordinatam, de de Cant. *Ordinauit in me charitatem.* Cant 2. Gladius autem inter eas se opposuit, & diuisit, & pacem fecit, vt posset dicere: mittam pacem per gladium, & sic misericordia, & veritas obuiauerunt sibi iustitia & pax osculatæ sunt. Sic contendere videbantur coram sanctissima trinitate misericordia & iustitia ante redemptionem generis humani. Misericordia enim allegabat, quod miserationes Dei super omnia opera eius, & quod misericordiæ eius non est numerus, quod ideo debebat misereri pauperis humani generis. Iustitia è contra allegabat grauitatem peccati Adæ, sed filius Dei se medium interposuit, & fecit pacem per gladium, imo ipse dicit. Math. *Non veni mittere pacem in terram, sed gladium,* Mat. 10. id est separationem à nimio amore carnali: ex illa tamen diuisione gladij sequitur pax, & hoc incepit Dominus quando se posuit in vtero virginis, cui dicemus Aue gratia plena, &c.

*A Eleemosyna à quibus, & quando danda est.*

Primo creditor Martinus, & pauper Christus obuiauerunt sibi. Secundo creditor Christus, & pauper Martinus. Tertio creditor diabolus, & pauper Martinus, & secundum hoc erunt tres partes.

*B Nota de eleemosyna Martini.*

Primum fuit quando vir plusquam euãgelicus tunicam pauperi partitus est, & Christum vestiuit in paupere. Christus enim datum pauperi sibi reputat factum. *Quod vni ex minimis meis fecistis: mihi fecistis.* Mat. 25. Credidit Martinus decurtasse clamidẽ, & adeo auxit, quod vnus angulus erat

erat in terra super humeros Martini, & alter in cælo super humeros Christi. Bernard. Puto, ô Martine, si sciuisses, quibus humeris imposuisti, non dimidiasses, sed integrã dedisses. Sed qui talis fuit in initio adhuc cathecuminus nõdum in Christo renatus, qualis, & quanti meriti fuisse in sua perfectione credendus est, cuius charitas primitiua aliorum charitatẽ adultam excessit. Non est mirum si iam tardante Archidiacono suam vestem integram pauperi tradidit, qui ante dimidiauit.

Quid faciemus nos qui tot duplicia vestimenta habemus, & nudis pauperibus de nostro superfluo non impendimus? Sunt enim reliquiæ vestimentorũ, quæ dimittuntur pauperum, sicut & reliquiæ ciborum & fragmentorum, quam ignominiosum sit eis ipsa non dare dicit
Iob 20. Iob: *Non remansit de cibo eius, propterea remanebit de bonis eius*, quia totum comedit, sicut ille diues Euangelicus, qui non de-
Iob 31. dit micas, quæ cadebant de mensa. *Si comedi buccellam meam solus, & nõ comedit pupillus ex ea*, & consequẽter subiungit de vestibus. *Si despexi prætereuntem, eo quod non haberet indumentum, & absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus est.* Coluber enim indumentum pellis suæ solet deponere, vt nouam pellem possit acquirere, qui etiam vult lectum intrare, nudum se ponit, aliter non posset bene quiescere. Sed qui vult requiem paradisi intrare, primo exuat se vestimentis temporalium bonorum, vt postea vestiatur
Iud. 10. spiritualibus. Vnde & Iudith depositis vestimentis viduitatis, induit se vestibus iucunditatis. Tunc apparuit quando placeret Domino pietas Martini. Sicut enim oleum alijs liquoribus supernatat, sic pietas alijs gratijs supereminet. Nihil est quod ita Deo amabilem faciat, vt pietas, & de nullo sic vincitur diabolus, vt de pietate, vt dicit Augustinus super illud
Psal. 143 Psal. *Misericordia mea & refugium meum.* Et
2. Cor. 9 ideo dicit Apostolus: *Qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Sicut enim ex pluribus seminibus, plures segetes oriuntur, sic ex pluribus eleemosynis maior retributio. Pauper ergo Christus, & Martinus creditor obuiauerunt sibi. Sed Martinus non solum fuit creditor, sed etiam fœnerator, quia Prou. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Prou 19. Solet debitor fœneratori reddere non solum supra sortem, sed interim antequam quod supra sortem est reddat, quibusdam munusculis & seruitijs honorare. Sic fecit Christus D Martino: quasi id quod erat supra sortem daturus, scilicet vitam æternam, aliquibus interim honorat eum ad consolationem, & maiorem spem de æternis cõcipiendam. Considerauit enim quod deformis, & truncatus habitu à circumstantibus irrideretur, propterea ad consolationem Dominũ iubetur agnoscere gloriantem, & dicentem. Martinus adhuc Cathecuminus hac me veste contexit. *Eleemosynarius fæneratur Domino.*
*Deridetur iusti simplicitas, lampas contempta apud cogitationes diuitum, sed parata ad tempus statutum*, scilicet iudicij extremi, quod tamen præuenit Dominus. Secundo vere fœneratur Domino Martinus, qui dedit dimidiam tunicam, & recepit integram: tunicæ temporalis dedit partem, & totaliter recipit spiritualem. Spiritualem quidem vestem nondum habebat, nisi dimidiam, quia nondum baptizatus erat. Et ideo bene competebat, vt dimidia tãtum veste Christum contegeret, qui quasi dimidiam tantum spiritualem habebat, dum pietatis habebat opera, cuius nondum nouerat sacramenta. Sed Dominus continuo in baptismate eum induit, quia tunc Christum induit quem vestierat in paupere, secundum illud Rom. *Induimini* Rom 13 *Dominum Iesum Christum*, & Gal. *Quotquot* Galat 3. *in Christo baptizati estis, Christum induistis* actiue vel passiue. Iob 12.

Tertio fœneratur Deo, quia Martinus hic dat corporalis tunicæ portionem, recepturus à Christo in futuro duplicem stolam quãtum ad corpus incorruptibilem,

lem, quantum ad animam immutabilem, de qua: *Circundabit te Deus diploide iustitiæ, & imponet mitram capiti tuo honoris æterni.* Secundo creditor Christus, & pauper Martinus obuiauerunt sibi. Meruerat enim Martinus per hoc, quod factus est creditor Domino, quod Dominus ei creditor fieret vice versa, & ab ipso diuersarum talenta reciperet gratiarum. Non enim est de his qui vnum acceperunt talentum, & absconderunt in terram. Sed multiplex accepit, & multiplicando thesaurizauit in cælo, sciens Dominũ præcepisse. *Thesaurizate vobis thesauros in cælo, vbi neque erugo, neque tinea demolitur.* Erat ergo de illis qui quinque talenta acceperunt. Primum est quod Dominus fecit eũ quasi parem Apostolis, dum cum ipsis idem spiritus sancti testimonium habuit, ita quod legitur globum igneum descendisse super caput eius. Inde canit Ecclesia. Martine par Apostolis. Globus autem ille igneus signum erat quod sacrificium Martini acceptabatur à Deo, sicut secundum Iosephum & alios doctores signum acceptationis sacrificij Abel fuit ignis missus de cælo, qui munera inflammauit. Hic sumi possunt tres doctrinæ. Prima est, quod non est iudicandum de homine, secundum exteriorem pulchritudinem aut cultum vestium, aut multitudinem diuitiarum. Sæpe enim in pauperibus & simplicibus, ac mundo abiectis hominibus, maiora videmus virtutum, & quãdoque miraculorum indicia, quam in illis, qui alios in specie, diuitijs, scientijs, & vestiũ ornatu præire videntur, hinc est quod comæ sponsi, nigræ esse describuntur, id est mundo despicabiles, vt dicit Gloss. & Cant. Dicit sponsa *nigra sum*, scilicet exterius, *sed formosa* interius, hoc patuit in Martino, qui licet exterius hyspidus esset & deformis, tamen interius adeo pulcher erat coram Deo, vt par cum Apostolis testimonium suæ bonitatis illi daret. Quo contra de Absalone legitur, quod à vestigio pedis vsque ad verticem nõ erat in Absalon aliqua macula, sed interius erat sceleribus plenus. Secunda doctrina est specialiter pro electoribus, quod in eligendo pastorem, non debent attendere ad diuitias, aut exteriorem apparentiam, sed ad vitæ bonitatem, & interiorẽ sanctimoniam, sicut voluit Dominus attendi in Martino. Inde dicitur: *Quærite bonum, & non malum*, ad similitudinem illorum, de quibus: *Elegerunt bonos in vasa sua.* Et Num. *Quem elegerit Dominus sanctus erit.* Sed vt dicit Iacobus de Vitriaco. Quidam in electionibus similes sunt illi fatuo, qui de nocte videns vermes, quorum posteriora lucent, & ligna putrida de nocte lucentia, ea prælegit Margaritis preciosis, & virtuosis, & gallo, qui in via sua inueniens vermem iuxta lapidem preciosum, prælegit vermem lapidi. Similiter videntes quidam clerici in nocte huius sæculi lucere peccatores cultu vestiũ, & gloria mundanæ vanitatis præeligunt eos sanctis & virtuosis hominibus. Vnde legitur in vita B. Martini, quod cum trãsiret per pratum quoddam, rustici quidã secantes fœnum illudebant irridentes eũ simpliciter ambulantem, & cum diceret eis verba salutifera, ipsi inferebant ei vituperia, & iniurias violentas. Tunc descendit torrens de montibus ad vltionem iniuriæ, qui cum occuparet pratum, aliqui cognoscentes culpam suam, confugerunt ad S. Martinum, & saluati sunt: alij accurrerunt ad salices, ascendentes super eas, credentes liberari, & rapti sunt cum torrente, & submersi. Inde vulgare prouerbium est, quod qui dimittit bonum, & eligit malum & infructuosum, similis est illis, qui dimisso S. Martino, salices amplexati sunt, & cum eis perierunt, & similis illis qui dimisso Iesu petierũt Barrabam. Tertia doctrina est, quod non est appetenda dignitas Episcopalis, quia licet iudicaretur, dum Episcopus esset Martinus, Apostolis compar, tamẽ dicebat sibi minorem inesse virtutem in Episcopatu, quam ante. Contra multos, qui dicunt, si essemus in talibus dignitatibus, faceremus talia, & talia bona, & tamen in minori

Marginalia (left column): Bar. 5. — Mat. 25. — Matt. 6 — D Martini talenta — Nota. Doctrinam. — Cant. 5. — Cant. 1. — 2 Re. 14
Marginalia (right column): E — Electores attendãt ad bonitatem eligendi. — Amos. 5. — Mat. 13. — Num. 16 — Nota.

nori statu nesciunt se regere. Propterea clare apparet, quod mentita est iniquitas sibi. Qui sic loquitur, similis est ei supra lignum positũ in basso propter imaginationẽ casus nescit ambulare, & tamẽ dicit se posse ambulare super lignũ, si in alto poneretur. Isidorus: Quanto quis in altiori positus est loco, tanto in maiori versatur periculo, & quanto splendidiori dignitate celsior, tanto, si delinquat, pœna eius est maior. Secundum talentũ Martini, quod fuit prophetis compar. Prophetauit enim quod Britius esset ei successurus in episcopatu, prænunciauit etiam diem sui obitus, quem cur ei reuelauerit Dominus, dictum est primo sermone. Vnde oculi in capite profundati clarissime, & à longe vident, sicut oculi aquilę parui sunt, & in capite fossati, ideo optime dispositi. Sic Martinus in capite Christo profundatus à longe vidit diem suæ mortis, & aliqua futura. Tertium talentum, quod habuit discretionem spirituum, quia in quacumque figura ei diabolus appareret, semper ipsum cognoscebat. Quanto enim visus purior est, tanto melior, & acutior ad videndum, & discernendum. Ideo quãto oculus rationis purior est, tanto dignior ad videndũ Deum & creaturas eius. Hinc dictum

Matt. 5. est: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Oculus autem Martini mundissimus erat, & ideo poterat discernere inter Deum & diabolũ, & inter operationem Dei & dæmonis, licet quandoque diabolus se transfiguraret in Angelum lucis, vt ipsum deciperet. Et propterea cõparabat dæmones mergis, quia sicut mergus piscibus, sic diabolus insidiatur incautis. Sic antequam aggrederetur Dominum, studuit per quadraginta dies, ex qua parte eum debilem videret, & videns eũ esurire, statim de gula tẽtauit. Tales sunt ministri prælatorum, qui

F Nota. sunt piscatores pecuniarum, non animarum, qui insidiantur quomodo ab incautis extorqueãt pecunias, sicut ille, de quo

Psal. 9. Ps. *Insidiatur, vt rapiat pauperem*. Hoc enim est studium illorum. Studium vero colũbarum, id est iustorum, est ad pullificandum & fouẽdum pullos, id est animas in Christo Iesu. Annunciãt enim inter gentes studia eius, id est saluatoris, maxime septem artium liberalium, id est septem virtutum, quæ liberant à septem vitijs mortalibus, vbi mali officiarij, quasi aucupes prælatorum intricant & inuoluũt homines, de quibus Hierem. *Inuenti sunt* Hier. 5.
*in medio populi quasi aucupes, ponentes pedicas & laqueos ad capiendos viros*. Et Osee: *Vobis* Osee 5.
*est iudicium, facti estis laqueus speculationi, & quasi rete expansum super montem Thabor*. Isti possunt dici fuscinula sacerdotũ, de qua: *Quicquid leuabat fuscinula, sacerdos tollebat sibi*. 1. Re 2.
Quartum talentum fuit in operatione miraculorum, quia factus est trium mortuorum suscitator magnificus, sicut & Dominus noster, licet nõ eodem modo, quia non propria virtute, quemadmodũ ipse Dominus, sed & multa alia miracula fecit. Quintum talentum fuit in vita singulari quam gessit, vt satis dictum est, similiter in doctrina mirabili, quam ostẽdit in morte. Ibi enim ostendit diuitias suas, quas quia in cælo repositas esse sciebat, ideo semper in cęlũ intẽdebat. Inde, sinite me, inquit, cælũ videre, vt spiritus dirigatur ad Dominũ, &c. In hoc est doctrina, vt nos similiter in cælũ respiciamus, eleuantes oculos cordis ad Deum, ad quod etiam sex sunt motiua. Primum est humani corporis figura. Dedit enim Deus homini figuram rectam. Vnde quidam: Cætera animalia natura deiecit ad pastum, hominẽ erexit ad sidera. Poëta:

G Oculi sunt in cælo frequenter leuandi.

*Pronaque cùm spectent animalia cætera terram,*
*Os homini sublime dedit, cælumque videre*
*Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.*

August. libr. de Doct. Christiana: Nõ discordet cor tuum à facie tua, non habeas faciem sursum, & cor deorsum. Indecens est cor beluinum inhabitare corpus humanum. Bern. Puto dicerent iumenta, si loqui fas esset: *Ecce Adã quasi vnus ex nobis factus est*. Ex quo enim miser fit homo, tẽdens ad lucra, rectitudinem perdit. Non enim Gen. 3.

enim poteſt ſeruari, cum declinat in terram. Pſal. *Miſer factus ſum & curuatus ſum nimis*. Et mirabile eſt quomodo homines mundani ſic quęrunt aggregare terrâ, & & tamen eis abominabiles fiunt, qui operãtur circa terram, & eos dedignantur & apud eos viles ſunt. Diligunt enim fructus terræ, & tamẽ eis vileſcũt qui faciũt fructificare terrã. Vnde ſicut cũ quis videt ſolem, terram non poteſt aſpicere, ſic quia Martinus ſolem Chriſtum reſpiciebat fide, terrã dedignabatur aſpicere, ideo apud mundũ delirus & amens reputabatur. Sic de ſanctis viris, qui ſemper ad cęleſtia aſpiciunt. Secũdum eſt natura animę. Sicut enim ignis naturaliter tẽdit ſurſum, ſic anima ad Deum naturaliter. Auguſtinus libro confeſ. Feciſti nos ad te & inquietum eſt cor noſtrũ, donec requieſcat in te. Oculus animæ ad Dei viſionem creatus eſt: *Hic autem non ſatiatur oculus viſu*. Sed in Dei viſione erit eius ſatietas. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Ignis ſulphureus cum impetu maximo & violentia tẽdit deorſum. Sic anima quę ſulphur auri & argenti incorporauit, ad mundana trahitur tanto impetu, vt nihil eam auertere poſsit, neque timor Dei, neque mundi erubeſcentia, neque doctrina, neque correctio, vt patet in illis qui beneficia plurima quærunt. Tertium eſt multitudo beneficiorum quæ à Deo accepimus, vt pote creationis, prouiſionis, redemptionis, gubernationis, defenſionis & conſeruationis in eſſe, vel in bene eſſe. Ne in nihilum redigamur, vel in peccatum ruamus: Quercus enim inclinat ſe ad terram vnde fructus ſuos accipit, quaſi aſpectum dirigat ad illam, ſus vero ad quercum non reſpicit. Ruſticus eſſet homo, qui videret regẽ ad ſe oculos dirigẽtem in bonũ, & nollet ad eum reſpicere. Oculos ad nos dirigit Deus cum nobis beneficia, donat. Quartum eſt multitudo malorum quæ ſuſtinemus vel pœnæ vel culpę: *Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniã ipſe euellet de laqueo pedes meos, qui ſunt in laqueis*, vel compedibus mundi vel diaboli.

Pſal. 40.
Eccl. 1.
Pſal. 16.
Pſal. 24.

Vnde dicebat Martinus cauſans exitum ſuũ, grauis quidem Domine eſt corporeę pugna militiæ, ac ſi parcis ætati bonum eſt mihi. Cum quis enim nos percutit, ad eum faciem conuertimus & oculos. Sic cum Deus nos percutit. Quintum eſt magnitudo mercedis quam ab eo ſperamus. Auguſtinus. Si labor te terret, merces inuitet. Semper habet catulus oculos ad cibum. Sextũ eſt multiplex vtilitas, quæ ex hoc ſequitur, quod oculos cordis ad Deũ habemus. Vna eſt, quod Deus oculos ſuos ad te habet ſi habeas tuos ad eum. Pſal. *Firmabo ſuper te oculos meos*. Gloſa. Nõ auferam oculos meos à te, quia ſemper tu leuas oculos tuos ad me. Secundo, quia ſic tentationes multæ vincuntur, quia: *Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum*. Gloſa. Facile euadit laqueos in terris, qui oculos habet in cœlis. *Abſcondita eſt in terra pedica eius*. Tertio quia ſecundum diuerſas de Deo meditationes oriuntur diuerſæ affectiones, in quibus multum proficit anima. Nam meditationes diuinæ potentiæ ſequitur affectio timoris, meditationes diuinæ ſapientiæ omnia aſpicientis ſequitur pudor peccati, meditationem miſericordiæ ſequitur ſpes veniæ, meditationẽ diuinæ bonitatis affectio amicitiæ, meditationem diuinæ ſuauitatis ſancta eſuries. Ideo Martini exemplo ſemper debemus habere oculos ad Dominum tempore aduerſitatis & proſperitatis, iuuentutis & ſenectutis. Secunda doctrina quam dedit Martinus in morte eſt quod non timenda mors iuſtis. Non enim timebat eam, ſed malebat mori quam viuere. Sed quomodo poterat velle mori cum hoc ſit naturæ contrarium, natura enim appetit in eſſe conſeruari, & triſtatur cum ad non eſſe peruenit.

Pſal. 31.
Prou. 1.
Iob 18.

Reſpondetur, quod triſtitia naturæ, qua quiſque naturaliter triſtatur de morte, deſiderium excludit perfectum cœleſtis patriæ. Cupimus corpore nõ expoliari ſed ſuper veſtiri, & quaſi omnes per triſtitiam illam quantum poſſumus à mor-

*H Mortis triſtitiã curat perfectus amor Dei.*
1. Cor. 5

à morte recedimus,& hoc facit amor sui. Sed quando superat amor Dei,tunc illam tristitiam mitigat,& appetere facit esse cum Christo, quod non potest esse sine transitu mortis. Licet enim corporales nolint mortem corporis, sed vitam eius, non multum curantes de vita animæ,tamen spirituales viri non multum curant de corporis, sed de animæ vita, quæ est Deus. Ideo tanquam vitæ suæ per mortem corporis appetunt coniungi Deo. Tertia doctrina, quod omnia siue mors, siue vita committenda sunt diuinæ dispositioni & voluntati. Et ideo licet Martinus libenter moreretur,dicebat tamen, Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua.

Nota. Sed quomodo verum est quod subiunxit, grauis quidem est corporeæ pugna militiæ, cum iam senex esset, in senibus autem iam pęne extincta est tentatio,carnis & debilitatus domesticus hostis. Respondetur. Primo quod licet iam debilitata esset in eo pugna corporis, non tamē in suo grege, pro quo die ac nocte pugnabat. Graue quidem erat Moysi iam senio confecto contra Amelech eleuatis ad Deum manibus pugnare. Et ideo mirabile est cum tantus vir,tam Deo carus hanc refugiebat pugnam: & nostri cum impetu & violentia rerum bellicarum ignari hanc suscipere conantur. Secūdo dicitur, quod licet tentatio lubricitatis sit temperata,non tamen accidiæ,quæ multum senibus accrescit propter corporis debilitatem,vt non possint vacare actiuæ super populum, sicut prius prędicando,docendo,visitando, sed nec contēplatiuæ orando & legendo. Diminutæ enim sunt corporis vires. Graue enim est sancto viro si non sicut assueuit, bonis operibus vacet. Ideo quamdiu iuuenes sumus,fortitudinem corporis Deo offeramus, secundum illud Ps. *Fortitudinem meam ad te custodiam.* Tunc enim ad solita orationis arma confugiebat Martinus in morte. Esse enim in oratione assiduum signum est facie euntis in Hierusalem, & instabilis, & vagæ mentis est, in ea nō posse diutius immorari. Quod in multis modo experimur, qui licet viuendo plurimum didicerint orare Deum, infirmi tamen corpore ita debilitantur spiritu,vt nec quidem deuotionem aliquam habeant ad Deum, imo aliqui suæ salutis raro memorantur. Et hoc facit vel mentis instabilitas, quæ ad alia negotia versatur facilius, quam negotietur erga Deum, aut propter dolorem qui parum occupat spiritus,aut propter animæ organum indispositum ad hanc animæ operationem. Sed tunc Martinus contra ista, artus febre fatiscentes spiritui,seruire cogebat. Dicitur tertio, quod grauis tunc est in sene pugna cum dæmone. Nam oportet contra eum pugnare manibus& oculis,bonis scilicet operibus & intentionibus, sicut Moyses senex manibus & oculis insursum erectis, pugnabat contra Amelech. Nec mirum si pugna hæc grauis est, cum sit assidua. Superamus autem, cum opera nostra ad Deum dirigimus, vincimur, cum ad terrena declinamus.

Tertio in morte creditor diabolus & pauper Martinus sibi obuiauerunt. Sed astitit diabolus sub falsa specie creditoris, cum nihil ei Martinus deberet, & nihil ab eo creditum accepisset. Propterea confidenter ait Martinus dæmoni. Quid hic astas cruenta bestia? Nihil in me funestū reperies. Securus erat quia nihil sentiebat. Sed quomodo arguit Paulus. *Nihil mihi conscius sum,sed non in hoc iustificatus sum.* 1. Cor. 4. Et iterum quomodo poterat dicere, cum Ioannes dicat: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Nota. 1. Ioā. 1. Dicitur primo quod secundum Gregorium, animæ cum sint in transitu aliquando ex speciali dispensatione Dei præuident futura, & coniunguntur cœlestibus substantijs ad communicandum cum eis in cognitione, quia iam appropinquant eis. Ideo multi appropinquātes, ad extremum indicant de futuris euentibus, sicut patet in 4. dialog. de illo, qui dixit omnes bapt'zar

ptizatos in festo paschali esse morituros. Et quia B. Martinus iam erat proximus, & iam coniungebatur eis, ideo secure ex visione & intelligentia poterat cognoscere statum suum. Secundo hoc habuit ex reuelatione, ideo subiungit, sinus Abrahæ me suscipiet. Videbat forte Angelorum multitudinem exultãtem de eius transitu, cognoscebat etiam se habere secum optimam societatem & optimum refugium, de quo Psalm. *Misericordia mea & refugium meum*. Propterea sic confidenter loquebatur. Secundo quæritur, quid faciebat bestia illa in obitu Martini, cũ tamen sciret se nihil habere in eum. Respõdetur primo, quod licet diabolus sciret se non posse superare Martinum, quem sic munitum videbat orationibus, cinere, cilicio, & sancta doctrina ac eruditione, meritorum prærogatiua, & tot millibus bonorum virorum, tamen volebat ei nocere, sicut muscæ solent facere dormiẽti, licet enim dormire volentem non interimant, infestant tamen, & ipsum tædio afficiunt. Sic & Martino parato obdormire in Domino. Secundo, diabolus respiciebat, si forte vermem videret in tunica Martini. Habitus virtutum Martini ornatissimus. In bonis habitibus vermes quãdoque nascuntur, sic in bonis virtutibus vermis inanis gloriæ oritur, & hoc sanctis viris maximum est periculũ. Sicut enim impij gloria stercus & vermis, sic miser ille spiritus pascitur vermibus & stercoribus hominum. Tertio, veniebat ad nocendum ouibus principaliter. Miluus enim non volat ad gallinas, quia non credit eis præualere, sed ad pullos, quos nouit indefensibiles, nec gallina timet miluum. Beati pulli, qui sunt sub bonis gallinis, & beati ab eis à tali miluo protecti. Hoc patuit Genes. 3. vbi diabolus inuasit mulierem, non virũ, & hoc est quod dicitur: *Iratus est draco in mulierem, quæ peperit masculum*, id est in animam fidelem viriliter operantem, & quia non potuit eã superare, *abijt facere prælium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata eius*, scilicet Dei, id est cũ minoribus de Ecclesia. Nihil enim magis poterat ei facere exosum, quam oues suas dispergere. *Diabolus descendit ad vos habens iram magnam*. Quomodo descendit ad nos, cuius habitatio infernus est? Respondet ibidẽ glo. Descẽdit de maioribus sanctis, in quibus nõ habet locũtẽtatio, ad minores. Inde dixerũt discipuli eius: Inuadẽt gregẽ tuũ lupi rapaces. Quarto forsitã detinebatur ab Angelis ad tormentũ suum. Qui enim per totam vitam eius inuiderat coronæ illius, tunc maxime torquebatur cũ victor euadebat. Et hoc videtur innuere Ps. cũ ait: *Dispersit dedit pauperibus*, scilicet chlamidem, tunicã, & aliã plurima, *iustitia eius manet in sæculum* consecutiuum *sæculi*, quia huius rei præmiũ manet in æternũ, cornu eius exaltabitur in gloria, id est fortitudo, quæ vicit, exaltabitur cũ gloria, non cũ vituperio, sicut de multis cõtingit, qui cũ vituperio suo exaltãtur in dignitatibus officijs, & diuitijs, peccator scilicet diabolus videbit, & irascetur. Lupus captus in pedica propter cibum, non tangit ipsum, sed maxime odit. Scit enim diabolus propter hoc se vltra torqueri, saltem pœna accidentali. Dicunt quidam doctores, quod ibi erat presens vt deduceret eũ in purgatorium, quia vix inuenitur, qui non tollat secum aliquid cremãdum. Sed hoc non videtur verũ, scilicet quod animæ sanctæ, quæ in amore Dei decesserũt, tradantur tortoribus ad puniendũ. Primo, cum habuerint finaliter de eis victoriam. Secundo, quia non vellet vmquam diabolus delere suã maculã & impressam peccati similitudinem, quod fit in purgatorio. Tertio, secundum Augu. si sciuisset dæmon Iob proficere sua vexatione, nũquam impetisset eum: cũ igitur sciat certis signis, quod animæ illæ suæ nõ sunt, & quod ex pœna meliorandæ sunt, videtur quod nõ amplius velit eas vexare. Itaq; liber euasit spiritus Martini, & euolauit sine purgatorio in cælũ, cui pæne tota vita sua fuerat purgatoriũ, & in carne præter carnẽ viuẽs, cœlestẽ ducebat vitã, extra taber-

Marginalia: Psal. 17. | K. Dæmon quid faciebat in morte Martini tam perfecti. | Gen 3. | Apoc 12 | Apoc 12 | Psal 111.

tabernaculum corporis quasi in ostio semper exire paratus, & ideo non est dubitandum, quin ei in exitu apparuerit Dominus, secũdũ quod in figura dicitur
Gen. 18. quod Dominus apparuit Abrahæ sedẽti in ostio tabernaculi. Sed miranda sunt in Martino principalius principium & finis, scilicet quod Christus apparuit cathecumino, & diabolus astitit morituro, initiatus Dominũ vidit, consummatus diabolũ. Si adhuc cathecuminum, & sub terrenis regibus militantẽ apparens diabolus terruisset, si denique exeuntem saluator consolaretur, inuitaret, & exciperet, minus miraremur.
L. Sed hoc cõtinet salutarẽ instructionẽ, quia in hoc debemus considerare Domini benignitatẽ, & improbitatẽ inimici. Primo benignitatẽ Domini, in hoc scilicet quod bona initia in nobis
Psal. 120. nõ despicit, iuxta illud: *Dominus protectio tua super manũ dexteram tuã*, quia vbi homo
Nota. applicat dexterã manũ ad bonũ, Dominus addiuuat, & protegit initia, & apparet etiã quo fauore nostrę cõuersionis initia amplexetur, qui se cathecumino dignatus est ostẽdere. Improbitatẽ præterea inimici, qui ausus est insidiari viro perfecto, & perscrutari vbi nihil poterat inuenire. Nemo igitur etsi imperfectus desperet, audiens Dominũ clementissimũ apparere Martino adhuc cathecumino, & nemo etiã præsumat, nemo quantũcunque perfectus torpeat, audiens diabolum instare Martino morituro. Ideo monet
Luc. 12. Dominus: *Si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret, vtique, & vos estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet*. Scrutemur igitur ne apud nos inueniatur aliquid de anathemate, & lapidemur à
Iosue 7. diabolo, sicut contigit Achan.

### DE S. MACLOVIO SIVE MAchuto ser. vnicus in ordine. LXXXIX. Per Thema.

Eccl. 50. A Prælatus Ecclesiæ debet esse rectus.

IN *vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroborauit templum.* Ad sustinendũ ædificium multum iuuat colũna fortis, maxime si sit recta. Nam incuruata ad vnam partẽ statim frangitur, recta autem magnum pondus sustinet. Sic in ædificio Ecclesiæ multum necessarius est prælatus constans, & firmus in pertinentibus ad Deũ, & fortis in redarguendo peccatores, & corrigẽdo defectus. Talis erat Maclouius dũ esset Episcopus, & ideo bene dicitur de eo, quod in vita sua suffulsit domũ, & corroborauit templum, scilicet Ecclesiæ. Sed ad istã fortitudinem maxime facit quod prælatus sit rectus, non incuruatus per peccatũ quo ad se, nec per affectionẽ partialem quo ad alios. Primo enim prælatus incuruatus per peccatum nihil valet ad aliorum correctionẽ. Tum quia peccat, si sit notorius. Tũ quia eius correctio vel monitio alios scandilizat. Grego. cuius vita despicitur, restat vt & eius prædicatio contẽnatur. Tales corrigũt subditos sicut mater cãcri filiũ suum paruulũ. Cum enim paruulus cãcer ante matrẽ retrocedendo iret, mater antiqua corripiebat eum, monẽs quod recte incederet. Quod cum ille tẽtans pluries nõ posset facere, dixit matri quod præcederet, & ipse sequeretur. Mater vero pręcedens cœpit ire nõ recte, sed retrocedẽdo. Tunc cãcri filius dixit matri. Nescio quare me arguis, ego vado sicut tu. Sic subditus videns prælatum suum peius agere quam se, dicit: facio sicut tu rector meus. Idcirco beatus Maclouius castagabat corpus suum, & in seruitutem redigebat, alijsque bonis operibus insistebat, ne alijs prædicans aut alios corrigens, ipse reprobus efficeretur, vel ei aliquid improperaretur. Secũdo non debet esse columna Ecclesiæ incuruata per partialem affectionem, alioquin non sustentat, sed dissipat ædificium ipsum, sicut frequẽter contingit in prælatis qui fouent, & exaltant dissolutos & insolentes, grauantes & deprimentes bonos. Cuius rei figura habetur De rege Saul, qui non rectis ocu- 1. Re. 18.
lis aspiciebat Dauid sanctum & bonum. Ratio est quia Saul sedebat super cathedram appodiatam ad parietem, ideo non poterat videre Dauid, sed conabatur oc-

ciderè ipsum. Sic ille est rex Saul qui cathedram suam oppodiat ad parietem propter partialitatem, nō propter merita, & ipse meliores inter subditos minus promouet, nec potest eos videre rectis oculis, quia nec rectos oculos habet. Non sic Maclouius, qui honorabat vnumquēque secūdum merita, & vt tolleret Episcopis futuris materiam luxuriādi, & male distribuendi temporalia, ex eisdem ordinauit sustentari plures canonicos, & similiter religiosos, vt dicetur. Inde non sine causa dictum est, quod suffulsit domum, & corroborauit templum Ecclesiæ scilicet & religionis, tanquam solida columna & recta. De cuius soliditate, & rectitudine, vt aliquid dignū loquamur, ad eam quæ singularissime fuit columna solida & immobilis per quodcūque peccatum, vt posset sustinere regem cælorū & Dominum, taliter quod prædixerat

Psal. 45. Psal. *Deus in medio eius non commonebitur*, ad eam inquam columnam cuius meritis & precibus tota sustentatur Ecclesia, recurremus dicentes. Aue gratia plena, &c.

Iuxta thema, & legendam Maclouij dicemus. Primo quomodo ipse Maclouius suffulsit domum, & corroborauit templum animæ suæ in iuuentute. Secūdo quomodo domū, & templū religionis. Tertio quomodo domū ac templum Ecclesiæ. Quo ad primū dicitur in legēda eius, quod ex parētibus generosis, & nobilibus ortus est. Sed quæritur vtrū nobilitas carnis prosit ad fulcimentū, & robur animæ, & vtrum propter eā laudādi sint sancti. Et videtur quod nō, quia aliàs Deus non elegisset Apostolos pauperes. Respondetur primo quod nobilitas carnis valet ad magnitudinem propter multas occasiones superbiēdi, & male agendi, quas habent nobiles, quæ si reprimātur, & in bonum conuertantantur, magis laudādus est homo propter maiorē difficultatē, licet quantum est de se nobilitas carnis sit quoddā initiū, & animositas ad bene agendū. Dicitur secundo quod licet Apostoli pro maiori parte nō fuerint nobiles, non sunt tamen minus laudabiles. Nam nō omnes proprietates vnius sancti cuilibet cōueniunt. Nō enim quilibet gēma habet proprietates omniū lapidū, nec de hoc laudatur. Et cōformiter ad hoc allegat Apostolus, quod alia est claritas solis, alia Lunę, alia stellarū. Itē de quolibet sancto canit Ecclesia, nō est inuētus similis illi, qui conseruaret legē excelsi. Solus Deus est omnia in omnibus. Habebāt autē Apostoli alias prærogatiuas maiores, quā sit nobilitas carnis. De ista quæstione vide amplius sermone primo Vincentij. Erat Maclouius parētibus prouectę ætatis, cōsanguineus S. Maglorij Abbatis, & B. Sāsoni Episcopi, & traditus est Brādano bonis moribus & literis imbuendus.

*B Nobilitas carnis valet ad magnitudinē meriti.*

Sed quæritur quare nō est traditus suis cōsanguineis, vt eū alerēt, & nutrirēt, & ei de beneficijs prouiderent, sed potius permissus est sustinere multos labores cū Brādano. Dicitur primo quod sancti non ita cito prouidebant de beneficijs sicut modo. Tūc enim accipiebantur homines prouectę ętatis, qui nō quærebāt sua, sed populū. Modo ponitur catus ad comedēdū caseum. Tu Episcope nescires soluere argumentum quod fiet tibi. Tu dedisti puero animas cui nō dedisses poma. Dicitur secundo quod non sunt danda pueris beneficia. Primo propter ociū in eis vitādum. Postquā enim eis prouisum est non currāt laborare nec proficere, & inde remanent omnino inutiles, nihil sciētes & generant scandalū in Ecclesia. Otiū enim est radix omniū malorū. Vnde sicut gladius semper remanēs in vagina & aratrū quod non exercetur labore, rubiginē cōtrahunt, sic ociosus omniū vitiorū rubinē contrahit. Secūdo, quia sæpe fiūt inobediētes parentibus, ex eo quod cognoscunt se posse viuere sine illis. Tertio quia fiunt dissipatores bonorū. Ignorāt enim qualiter acquirūtur bona cū difficultate, quia inueniūt (vt dicitur) panē suū totum decoctū. Ideo traditus est Brādano, cum quo lectioni, vigilijs, & orationibus intēdebat, sciēs quod tales, qui sic se affligunt assu-

*C Beneficia non sunt danda pueris.*

Psal. 16 assumuntur à Deo. *Quoniam pater meus*, scilicet mundus, *& mater mea*, scilicet caro, *dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me*. Et dum irent lusum fratres. Quæritur vtrum monachi debeant ire lusum.

D

Monachis licet quandoque exire ad recreationem.

Dicitur primo, quod monachi non debēt frequenter exire, sed debent contenti esse claustro quasi carcere, cōsiderantes, quod quandoque de ipso carcere claustri transibunt ad requiem paradisi, ita vt dicat monachus cum Psal. *Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi, admirabilis vsque ad domum Dei*. Dicitur secundo, quod nonnunquam possunt ad locum solitarium pergere, & ibidem iocose conuersari & recreari. Ad hoc est exemplum Cassiani de B. Ioanne Euangelista, qui ludebat cū aue, & cuidam arcitenenti eum spernenti, ostendit quod sicut arcus non potest esse semper extensus, ita nec corpus potest semper durare ad labores, sed oportet aliquando hominem recreari. Remāsit puer dormiens secus mare. Differenter iusti dormiunt secus mare & mali. Nā mali dormiunt interius, & vigilant exterius, dormiunt interius peccato, & vigilant exterius mundo. Mirabile est autem quod animæ eorum comeduntur à vermibus inferni, & roduntur conscientiæ, nec sinerent vnum vermem in tunica, & tamen patiuntur tales vermes. Videtur quod animæ eorum sint iam quasi cadauera putrida à vermibus corrosa. Et patet aliunde. Nam nec possunt euigilari, non ad crucē Christi, nec clauorum puncturā, nec lanceæ vulnus. Et ideo superuenit amaritudo maris æterni, & ibidem submerguntur, & perpetuis ignibus euigilantur. Nec est qui possit subuenire, sicut nec ei, qui est in medio maris tempestate agitati. *Apprehendet eum quasi aqua inopia, nocte opprimet eum tempestas*, Et iterum: *Morietur in tempestate anima eorum*. Iusti enim dormiunt corpore, sed incessanter vigilant ad prædam. *Vigilantes ad prædam præparant panem liberis, agrum non suum demetunt*. Sed Sancti dormiunt corpore, non vacantes mundo, sed contemplationi, & vigilant mente. *Ego dormio, & cor meum vigilat*, sicut faciebat Maclouius. Et ideo cū veniebat mare, id est tempestas sæculi nō absorbentur, sed portantur magis & eleuantur, sicut aqua diluuij eleuabat arcā, & sicut in medijs flammis tres viri benedicebant Dominum: ita vt habeant sub pedibus mare, id est aduersitates. Cor enim eorum, & anima ita leuis est ex conuersatione in cælestibus, quod quasi terram, & aquam deserit, aut super eas non ponderat. Quærit Psalterium, quod ei super vndas, super fascem alicæ missum est, & ad eum peruenit incorruptū. Sed quæritur quæ necessitas erat illud facere. Nōne hoc erat tentare Deum? nōne satis apparebat eius sanctitas in eo quod manserat inter medias aquas illæsus? Dicitur ad hoc, quod sancti habent sentimentū Spiritus sancti, quo sentiunt Spiritus sancti virtutē adesse, sed nos non possumus bene hoc exprimere, quia non experimur. Est enim inter eos Spiritus sanctus quasi magister eorū, docens quid agere debeāt. Et sicut aliquando discipulos docet magister aliquid facere, & illud faciūt ignorātes, quid per hoc velit magister, sic etiā Spiritus sanctus hos docet agere aliqua, quorum rationes ignorāt, & sic fecit Maclouio. Nam postquam eū sustentauit in aquis, volens ostendere sanctitatem eius, quia forte crederetur, quod illud fecisset Dominus ob sanctitatem Brandani, & nō Maclouij, sicut legimus de B. Benedicto, & Mauro, quādo B. Maurus ad præceptū S. Benedicti cucurrit super aquas ad retrahendum placidū, qui submergebatur vbi Gregorius miraculum attribuit magistro, principaliter. Ideo sequēti miraculo voluit ostendere quantum sibi placuit innocentia Maclouij, volens per illum quæri psalterium, & miraculose deportari. Et ea innocentia sufficienter declarata, seruatus est in alijs modus naturalis. Nam postquam psalterium venit ad se, voluit naturali modo reduci nauigio ad terras. Ex prædictis satis patet, quomodo beatus

Psal. 41. | Iob 27. | Iob 36. | Iob 24. | Cant. 5. | E Nota.

Maclouius suffulsit &corroborauit templum animæ suæ in iuuentute. Secundo igitur vidēdum dſt, quomodo corroborauit templum religionis. Vnde post prædictum miraculū non est elatus Maclouius, non quæsiuit bona temporalia propter miracula, sed ea reliquit, considerās in eis non esse nisi solicitudinē, dicens de temporalibus cum Ezechia: *Sicut pullus hyrundinis sic clamabo*, qui scilicet clamat, *fy, fy*: & ingressus est religionem, non propter victum, non propter vestitū, sed ad abstinentiā & humilitatem. Sed cum præ cæteris diligeretur Maclouius ab Abbate ob sui odedientiam & sanctimoniam, non defuit inuidia, sed extinxerunt quidam ignem, in quo debebat accendi lucerna à Maclouio. Coactus est igitur sanctus nocte ad præceptum eiusdem Abbatis ire ad coquinam, & cum non haberet quicquam paratum, in sinu prunas ardentes detulit sine læsione vestis. Mirabile est de inuidia. Vnus imprecās maledictionem hostibus suis, imprecabatur eos omnes inuidos esse. Augustinus libro de Doctrina Christiana: Inuidia necesse est vt torqueatur & subijciatur, qui non vult in rebus temporalibus vinci. Lucem enim bonorū operum videre non possunt inuidi, sicut nec noctua solis, sed excæcantur. Gregorius: Mens inuidi tam de alieno bono torquetur, quod de solis radio excæcatur. Bona enim sunt venena inuido, & faciunt eum crepare. Inde dicebat Apostolus: *Quibusdam sumus odor vitæ in vitam, quibusdam mortis in mortem*. Quia ergo excæcati erant religiosi illi ex accensione duorum luminarium Brandani, & Maclouij. Ideo dimiserunt eos tamquam incorrigibiles.

Esa. 38.

F *Inuidia quam mala sit.*

2. [illegible].10

Sed quæritur, vtrum Brandanus similiter & Maclouius bene fecerint, sic dimittendo religiosos suos. Et patet quod non, quia Abbas non debet dimittere religiosos improuisos. Item, inconstātia est, sic dimittere propter modicam inuidiā. Dicitur primo, quod in his, quæ sunt indifferentia ad bonum & malū, vbi non cedit in scandalum, nec in detrimentum honoris Dei vel salutis proximi, licite potest homo potius cedere inuido, quam dare occasionem vel inuidiæ, vel detractionis, vel vituperij operū Dei. Ait enim Apostolus: *Si esca scādalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum*. Et ideo quia esse in tali vel tali loco, vel cum talibus & talibus est de se indifferens, quia cum illis potest quis bene & male agere, ideo licite potest dimittere huiusmodi, nec debet argui de inconstantia mentis, sed argui debuit maxima eius discretio, sicut patuit in sancto Benedicto, qui etiā suos dimisit, cum eum tentassent veneno enecare, vt habetur Gregorij 2. dialogo. Dicitur secundo, quod vbi homo nō videt salutem suam manendo, nec exitum iudicat esse in animæ suæ periculum, debet exire. Quis enim non exiret de mari, existente tempestate, si posset? Ideo quādo in hoc homo nō videt pacem sibi esse in conscientia, debet recedere. Et inde, quia (vt dicit Magister in 4. senten.) in curijs regum vix fit pœnitentia, bonum est de eis exire. Sic qui sunt cum inuidis, vix possunt esse in pace, sed sunt quasi semper in lite, in murmure, in odio, in inferno, ideo, si posint, exeāt, vt quilibet eorum dicat cum Psal. *Eduxisti de inferno animam meam*. Nam sicut qui sunt in inferno, incessanter tristantur & affligūtur de bonis, sic isti, quod tamen est contra naturam, quia animal animali succurrit, nec inuidet, & vnum membrū alteri suffragatur. Sed isti sunt denaturati & apostatæ, non tenētes originem dilectionis. Dicitur tertio, quod vbi prelatus videt subditos incorrigibiles, debet fugere, ne cū illis simul absorbeatur. Figura est in Loth, cui præcepit Angelus fugere à Sodomis, dicēs: *Ne & tu pereas cum eis in scelere ciuitatis*. Et quia Brandanus vidit istos incorrigibiles, ideo recessit, & ne cū illis inuolueretur, quem diligebat, religiosus, auulsit eū ab illis. Sic videbis in religionibus, quia si sit vnus doctus, aut alijs melior,

G *Abbas quando potest suos religiosos relinquere.*

1 Cor. 8.

Psal. 29.

Gen. 19.

melior, aut qui velit obseruare regulam, inuidebunt ei, & vellent omnes esse æquales, nihil scientes sicut ipsi, similes cuidam regi, qui voluit facere quod essent omnes ęquales in diuitijs, sed obuiauit ei philosophus quidã. Dicitur quarto, quod vix homo erit bonus, aut aliquo munere dotatus, & carebit inuidia, nec oportet ipsum mutare locum propter hoc, quãuis sit sibi licitum, quia quocumque ibit, ibi habebit inuidiam. Vnde cõquerebatur quidã discipulus Socratis, quod omnes inuidebant ei, quærens quomodo esset sine inuidia aliorum, respõsum est: Sis Tersiti similis, qui scilicet erat miserrimus homo. Sola enim miseria caret inuidia, quia soli coquini nõ habent inuidos. Et ideo non quæras in hoc mundo esse sine inuidis, qui tibi insidientur, sicut nec ille, qui de suis inuidis dicebat: *In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.* Psal. 141 Si enim sis deuotus, habebis in deuotione inuidentes: si diues, in diuitijs habebis inuidentes, dicentes eas esse latrocinia: si sis in honoribus, inuidentes habebis, quærentes tibi obuiare, & sic de similibus. Sed quia isti sancti quanto magis ibant, tanto maiora pericula inueniebãt, ideo angelico monitu reuersi sunt ad fratres suos priores. Forte spes erat de correctione, vel hoc erat ad purgationem & meritum eorũ. Secundo, corroborauit Maclouius tẽplũ Ecclesiæ. Vnde defuncto Episcopo cuiusdam castri, cuius pater Comes erat, statim eligitur in Episcopũ. Sed cognoscẽs distractiones, quæ sunt in cura animarum, quia tũc oportet spiritũ circa multos diffundi, virtus autem vnita fortior est seipsa dispersa, ideo clã discessit. Sancti enim cupiunt requiẽ contẽplationis. Inde B. Martinus dicebat se sentire minorem virtutẽ in episcopatu quam ante. Mirabile erat. Talis non persequebatur beneficia, sed beneficia persequebantur eum. Sciebat enim quale onus esset habere tantam curam animarũ. Prope eum sunt honor & onus. Sed modo non curatur de onere, sed bene de honore. Nisi quod multi vidẽtur habere summã curam & solicitudinẽ, & portare totã Ecclesiam humeris suis, & nihil portãt, similes quibusdã imaginibus ecclesiarũ, quę vulgo dicũtur marmoseti, quæ videntur totã ferre fabricam ecclesiæ, & nihil portant.

H Beneficia persequũtur instã fugientem.

Naui se committens Maclouius ab Angelo monetur, vt versus partes Britanniæ Gallicanæ tendat ad insulam, in qua vir Angelicæ puritatis Aaron erat, ibi etiam prope conspiciebatur ciuitas opulentissima, sed infidelis. Quid est quod Angelus monet eum ire prope sanctum virũ Dei, & circa infideles, nisi quod nunquã erit aliquis homo tam sanctus, quin sit simul cum bonis & malis, & in medio bonorũ & malorum? Sed boni sicut dicitur: *Sunt sicut lucernæ lucentes in caliginoso loco in medio nationis prauæ atque peruersæ.* 2. Pet. 1. Christiani pauci ibidem existentes rogant, vt ad vrbem prædicaturus accedat. Nota. Sed respuit timens ne illud onus ipsius virtutem excederet. Ibi aduerte, quod sancti fuerunt semper in timore, & suspitione de suis operibus, ne forte nimis attentarent aut præsumerent. Sic & nos in operibus nostris semper timere debemus Deum, & facere de timore clauigerum. Ab Angelo suadetur, & venit, prędicat, & suscitat ibi mortuum. Ecce quomodo (sicut dicitur paulo post thema) curauit Maclouius gẽtem suam ab incommoditate corporali. Suscitatus sitit, & quærit potum. Sed cur hoc Dominus fecit? Ad ostendendũ quod Dei perfecta sunt opera, & quod non suscitatur nisi qui perfecte bibit, comedit, ambulat, loquitur, & exercet longe post opera vitæ. Aliter omnia aliã reputes somnium, & illusionem, & seductionem populi, sicut aliquãdo visum est nostris temporibus. In quo culpanda est negligentia prælatorum, qui talibus fictitijs miraculis & mendacijs non obuiant. Christus enim approbabat miracula sua per signa visibilia vera, & nõ fantastica, sicut in filio viduæ suscitato, qui postquam surrexit, cœpit loqui, & in Lazaro, de quo ait: *Soluite eum, & sinite abire.* Io. Et ita

de alijs. Similiter deberent examinari multa, quæ dicũtur esse miracula, & sũt potius signa fallacia, & forte conficta ad euacuandas bursas populi. Et tũc ad maiorem approbationem fidei sequutum est secundum miraculum, quia cum non haberet Maclouius vnde cito satisfaceret suscitato, conuertit lapidem in vas vitreum, & aquam in vinum. Sic peccator obstinatus cum suscitatur à morte peccati, conuertitur cor lapideum in vitrum, quod facile frangitur, & reuertitur ad pristinum vitiũ propter habitũ inclinantẽ, & aqua, id est tribulatio cordis cõuertitur in dulcedinem, quando conscientia pacificatur. Secundo, curauit gentem suã ab infirmitate spirituali, scilicet ab infidelitate, quia ad visionem miraculi baptizantur omnes, & constituitur Episcopus. Tempore illo Episcopi ædificabant domos Dei, animas, in quibus habitat Christus, & tunc pro beneficio illo Deus volebat eos esse Episcopos. Modo ædificant palatia alta, & de hominibus nihil. Dicitur enim modo, Talis est bonus prælatus, & bene cõpetit ei Episcopatus, quia bene manutenet domos, & redditus, & augmentat. Sed hoc non est nisi accessoriũ, & dimittitur principale, quia anima ædificanda dimittitur. Postmodũ Maclouius filiam dæmoniacam in illo territorio sanauit per aquam benedictã, & post porcũ suscitauit. Vbi nota, quod primo subuenit membris Ecclesię in filia dæmoniaca, & deinde bonis eorum in porco suscitato. Si vero porco subuenit, quanto magis homini subuenisset. Non sic qui canibus subueniunt, & pauperes derelinquunt, qui etiam patrimonium Ecclesiæ sudatum sanguine Christi, gulæ & luxuriæ exponunt. Secundo, libertatem Ecclesiæ tutatus est, & inde bene dicitur, quod suffulsit domum, & corroborauit, templum Ecclesiæ scilicet. Vnde Hailoth Dux Britanniæ inuidia motus, quod multa fierent donaria viro sancto, destruxit quoddam oratorium eius, sed propterea, cum non acquiesceret precibus sancti, cæcitate percussus est, sed tandem tamen pœnitentia ductus, pristinũ lumen recepit. Nullus enim persecutus est Ecclesiam, qui non male finierit, si nõ se correxerit, sicut fecit iste, sicut Guillermus Dux Aquitaniæ, qui mirabilem pœnitentiam fecit, ob persecutionẽ, quã Ecclesiæ intulerat. Sic & Paulus Apostolus. Tertio, auxit Ecclesiam in dotibus Ecclesiæ, & ideo bene dicitur de eo, quod præualuit amplificare ciuitatem, scilicet Ecclesiam. Nam cœpit ibi Episcopalis Ecclesiæ sedem amplificare, & ordinare septuaginta Canonicos. Sed dices: Quomodo ausus est dispartire bona Ecclesiæ tot hominibus, videtur quod fuerit vastator bonorũ Episcopatus. Dicitur primo, quod non dissipauit, sed dispersit. Melius erat quod septuaginta pauperes ex eis viuerent, quam quod Dominus Episcopus haberet ea in arca sua, & thesaurizaret, & nihil daret pauperibus, quia Ps. *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi.* Fimus enim dispersus super terram facit eam fructificare, vbi in vnum adunatus illam putrefacit. Dicitur secundo, quod in Ecclesia minus principale est, bona temporalia, sed principalius est, honorare Deum & bene viuere. Ideo exposuit accessorium, scilicet temporalia, ad hoc, vt in Ecclesia poneret viros, qui scirent laudare Deum. Et cum hoc possedit cœnobium Aaron, & ibi posuit totidem monachos. Sed quæritur: Quomodo hoc? Verum habebat Episcopatum in titulum, & Abbatiam in commendam? Quomodo? An commendæ tũc inceperunt, an sit licitum tenere in commendam? Dicitur ad hoc, quod cõmendę introductę fuerunt altera istarum causarum, vel ad fundandum religionem, vel ad contemplandum, sicut fecit B. Maclouius, vel ad regulandum vel reformandum, sicut fecit B. Hugo. Et hoc singulariter conueniebat Episcopis, quia Abbatiam quasi alteram beneficij sui curã suscipiebant. Abbates enim non erant tunc in dignitate, nec Abbatiæ tunc tãtum valebant

Marginalia: I *Episcopi præcipuũ officium est ædificare spiritualia ædificia* — K *Ecclesiæ persecutoribus sæpe male contingit.* — *Psal. 111* — L *Commendarum introductio.*

lebant sicut nunc. Et ita tota intẽtio sanctorum erat ad commendam animarum habendam, & eo quod essent suæ animę. Et inde est quod debent adhuc eas visitare, & respicere si bene obseruetur regula. Ipsi enim, relictis rebus sæculi, primi faciebant regulam. Sed modo non habetur commenda animarum, sed solum cõmendatur pecunia, & de moribus vltima fiet quæstio. Similes enim sunt commẽdatarij buboni, & noctuæ comedenti oleum in lãpade, & quæ extinguit lucernam. Sic isti præ auaritia extinguunt lucernam religionis, & veniunt ad capiendum fructus, & vt dicitur Gallice *la hauée*, & postea recedũt, & de animabus nihil. Nescio quomodo poterunt sustinere tales, cum graui querimonia animarum, argumenta quæ faciet Deus, quando nesciunt sustinere argumenta, quæ faceret pauper & modicus clericus. Sed tamẽ argumẽtum omne soluitur ab eis per modicam dispensationem. Secundo, quia de obseruantia regulæ nihil curatur, quia nihil obseruat commendatarius. Tertio, quia de religiosis nulla est cura, imo talis commendatarius potest dicere religiosis quod Christus suis discipulis: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*. Quarto, adeptus est Maclouius gloriam in conuersione & conseruatione gentis suæ, quam & ad fidem Christi conuerterat, & cõtinuis exhortationibus & exemplis ad pia opera prouocabat, more aquilæ prouocans verbis ad volandum pullos suos, & super eos volitans operibus bonis. Sed tandem propter nimias possessiones ab Imperatore datas Maclouium ciues persequuntur.

M *Ecclesiis non debet quis dare necessaria sibi.*

Sed quæritur an sit licitum Imperatorem omnia dare Ecclesijs. Dicit Egidius in quodlibeto, quod duplicia sunt bona. Quædam ex superfluo, & ista potest dare, sicut & alius. Alia sunt necessaria ad statum suum, ista non, quia aliter oporteret quod raperet super subditos suos; sicut nec pater potest fraudare filios suos & dare omnia alijs, sed tenetur eis prouidere, nisi propter eorum malitiam. Vnde recitat Augustinus de quodam, qui dedit omnia sua Ecclesię post mortem, circa senectutem natus est ei filius, & tunc Episcopus Carthaginensis reddidit ei chartham suam, quod laudat Augustinus. Itaque Maclouius propter ciuium suorum improbitatem Britanniam deferens, in Aquitaniæ plaga cum cœnobitis permãsit, vbi lupum coëgit portare onera asini, quem deuorauerat. Sic facerent lupi, id est raptores, si prælati essent tales, & libenter portarent onera legis, & conuerterentur in agnos, sed timeo ne sint lupi sicut & illi. Tandem Britanni absentem propter incommoda lugẽt. Dicit prouerbium: *Oignez vn vilain, il vous poindra: poignez vn vilain, il vous oindra*, hoc est, vngite rusticum, punget vos: pungite eũ, vos vnget. Sic cum dulcis erat eis Dominus propter Maclouium, & ipse dulciter illos tractaret, eiecerunt eum, sed cum castigati fuerunt, quæsierunt eũ. Vide quãtum periculum est prælatum esse absentem à populo. Exemplum est in Chrysostom. lib. decimo histo. Tripar. decimoquarto. Qui cum esset missus in exilium, ciuitatem Constantinopolim terremotus inuasit, adeo vt repeteretur ad subueniendum vrbi. Reuersus ergo Maclouius creditur Episcopatum dimisisse & redijsse ad cænobium, & ibidem mortuus est centum triginta trium annorum.

## DE S. CLEMENTE PAPA ET *Martyre, sermo vnicus, & in ordine XC. Per Thema.*

EXaltaui electum de plebe mea. Quæritur quomodo dicitur Dominus exaltasse B. Clementem, quem sic permisit in exilium mitti, quasi esset opprobrium hominum, & abiectio plebis, & tandem deprimi vsque in profundum maris. Respondetur. Primo apud mundanos, & mundana sapientes deprimitur non exaltatur, qui sic patitur vt beatus Clemẽs. Sed non est curandum de iudicio eorum, quia

*Psal. 88.* A *Nota.*

quia non recte vident nec iudicant. Sunt enim lusci, & hoc propter malos humores, cadentes super oculos, id est propter malos mores. Primo quia non est timor Dei ante oculos eorũ, hinc est quod multi iudices non recte iudicant, quia timent perdere officia, & incurrere indignationem principum, & non Dei. Secundo quia vt dicitur: *Declinauerunt oculos suos vt non viderent cælum*, sed terram & terrena amplecti munera, propter quæ non bene iudicant. Tertio quia non vident fidem suam, nec sanctorum, secundum imprecationem. *Obscurentur oculi eorum ne videãt.* Dicitur secundo quod iudicio sapientum & sanctorum, non est depressio nec confusio, sed exaltatio & gloria magna sic pati pro Christo. Et talium est amplectẽdum iudicium, quia recte & clare vident. Primo quia de iusto dicitur: *Non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet, sed iudicabit in iustitia, & arguet in æquitate.* Secundo quia dicit iustus: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper*, & ideo iudicant secundum Deum, qui est veritas. Tertio quia iustus videt finem bonorum & malorum. *Veruntamen oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum videbis.* Considerãt enim iusti, quomodo mali qui nihil hic patiuntur pro Deo, patiuntur perpetuo in inferno. Cõsiderant quomodo tyranni fabricant sanctis, torquendo eos, coronam, vt eam ferant tandem in palatio cæli, non autem in sterquilinio mundi. Considerant quod sic, pati erat vincendi genus optimum, quod hoc erat facere vnum pulchrũ saltum propter domicellas Paradisi, quarũ præcipua, vtpote Regina, est virgo Maria. Ad quam recurremus, dicentes Aue.

Dan. 13.

Psal. 68.

Esa. 11.

Psal. 15.

Psal. 90.

Tripliciter exaltatus est à Deo beatus Clemens. Primo ad dignitatem Ecclesiasticam. Secundo ad coronam promerendam. Tertio ad eam percipiendam.

B

Prælatus nõ debet esse tyrannus. Nota.

Pro primo quæritur, quare Dominus exaltauit B. Clementem in summum Episcopum, cum tamen status ille sit multum periculosus. Dicitur primo quod merito constituit Clementem Episcopũ. Primo quia talis erat, quales Dominus requirit esse Episcopos. Vult autem Dominus principes Ecclesiæ suæ esse veros principes non tyrannos. Vnde differẽtia est inter veros principes & tyrannos, quia tyranni legem habent rigoris, & omnia eorum mandata rigorosa sunt, de quorum quolibet Psal. *Sub lingua eius labor & dolor.* Labor pro ministris in exequendo, dolor pro pauperibus in grauamine sustinendo. Vel labor populi ad portanda onera, & dolor in videndo iniustitias, iuxta illud Psal. *Et labor in medio eius, & iniustitia.* Veri autem principes & pastores habent legem amoris, & sunt clementes, sicut de sapientia diuina dicitur: *Lex clementiæ in lingua eius.* Non enim rigore vult Dominus haberi populum suum, sed clementia. Ideo nil mirum si Clementem voluit esse summum Episcopum. Secundo vult Dominus habere corda suorum. Est autem animus hominis nobilis, & magis amore, & dulcedine, & clementia ducitur, quam rigore. Et si rigore ducatur, hoc est forsitan sicut vitulus qui resilit. Ducitur forte corpus exterius, sed cor non ducitur. Ideo quia voluit Dominus clementia habere corda seruorum suorũ, nil mirum si Clementẽ voluit esse summum Pontificem. Tertio quia Dominus sibi similes, & quibus tenetur, vult habere officiarios. Et qui emerunt officia. Et qui dederunt offerenda. Sed iste fuit similis Domino, quia pius & clemens, non solum nomine, sed etiam re, emens officium eleemosynis. Et dans offerenda Domino pro pauperibus membris eius sustentandis. Ita quod (vt dicitur in eius legenda) non permittebat aliquem christianum mendicare. Quarto, quia pater familias nunquam filiæ suę virũ impotentẽ sibi similẽ generare assumit. Esset enim confusibile, & derisibile videretur, spadonem ducere virginem. Christus autem habebat prouidere Ecclesiæ suæ. Ideo de homini non sterili, sed valde bene generante, tum vita, tum doctrina prouidit, scilicet

Psal. 10.

Psal. 54.

Prou. 31.

ſcilicet Clemente. Patet in multis Epiſtolis, vt in Epiſtola ad Iacobum, quem recitat Egeſippus in Epiſtola ad Corinthios, & in alijs duabus Epiſtolis quæ catholicæ nominantur. Secundo patet per experientiam. Nam multos genuit filios, qui etiam fuerunt fœcundi & non ſteriles, per quos plantauit totam Eccleſiam gallicanam, vt Donyſium & ſocios qui pęnè vbique prędicauerunt apud gallias. Dicitur ſecundo quod verum eſt quod ille ſtatus eſt periculoſus, ſed adiuuat Dominus pauperem de inopia, & poſuit ſicut lupos. Faciliter enim reguntur oues, non lupi. Inde multos, qui antea lupi erãt, crudeliter perſequentes chriſtianos, conuertit in agnos manſuetiſsimos, vt Siſinnium. Elegit autem eum beatus Petrus, vt poſt ſe exerceret ſummum pontificatum.

Sed ibi quęritur. Primo quare eum inter cæteros elegit Petrus. Reſpondetur quod ratio eſt, quia ille maxime debet eligi, qui non ſolum in æſtimatione ſua, ſed etiam aliorum & ſingulariter ad hoc ſe cognoſcentium, eſt vir ſanctus & vtilis Euangelio Chriſti. Sed talis erat Clemens, & hoc ſciebat beatus Petrus etiam ex determinatione Pauli, qui iam eũ canonizauerat, vt patet: *Adiuua eas quæ mecũ laborauerunt cum Clemente, & cæteris adiutoribus meis, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ*, Si ergo iudicat Paulus ipſum eſſe ſcriptum in libro prædeſtinationis diuinæ, ſequitur quod iam eum ſanctum iudicauit, & cum hoc teſtatus eſt quod eſſet vtilis Euangelio, igitur.

Nota. Phil. 4.

Secundo quæritur quomodo poteſt ſtare quod eum legerit & inſtituerit Petrus, cum in cathalogo ſanctorum pontificum, duo ſcilicet Linus & Cletus ſint ante Clementem. Reſpondetur quod beatus Clemens renunciauit Papatui, & fecit vt eligerentur Linus & Cletus, & hoc propter multa. Primo vt oſtenderet ſuo exemplo in futurum dignitates eſſe refugiendas. Nouerat enim paſtorem Eccleſiæ multa ſuſtinere debere ſicut, viderat Petrum paſſum fuiſſe, ſimiliter & Paulum, quod non poteſt fieri ſine adiutorio ſupernaturali, conſiderabat etiam ex humilitate ſe non eſſe dignum tanto officio, nec eſſe ſatis fortem ad ſuſtinendum onus populi. Ideo licet propter reuerentiam Petri in ſua præſentia non ſit auſus contradicere, tamen poſtea apud populum hoc egit, vt alij duo ordinarentur. Qui enim præſunt, multa habent pati, multa audire, ita vt vitam principum & prælatorum Chryſoſtomus præponat auſteritati monachorum. Monachi enim ſibi ſolis vacant, iſti infinitis negotijs & tempeſtatibus, & timoribus ſunt immixti. Monachus eſt in requie & otio, iſti autem ſemper ſunt in turbine & tempeſtate. Ideo dicebat Dauid. *Eripe me Domine à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate*, Puſillanimitate quidem, ne cor deficiat ad portandum, & tempeſtate maris cõtinua. Radix enim non eſt in periculo tempeſtatis ventorum, ſed bene rami ſurſum eleuari: *Deiecisti eos dum eleuarentur*. Ideo ne quæras alte volare. Simon magus in præſentia Clementis alte volauit. Et confractus expirauit. Secunda ratio, ne occaſionem mali poſteris daret. Hæc habetur in hiſtoria ſcholaſtica noua, libro ſecundo capitulo primo. Potuiſſent enim poſteri per amicitiam vel prece, vel pretio ſuos ſucceſſores ordinare, & tunc ceſsiſſet in malum exemplum. Potuiſſet enim ſimplex homo poni vel carnalis, qui omnes ſibi complices, vel conſanguineos ordinaſſet. Sed dices. Si Clemens renunciauit tanquam homo iuſtus, & ſanctus: ſequitur ergo, quod mali illud officium poterant accipere. Quia enim iuſti illud reſpuunt, oportet dicere, quod ſit malum, & quod mali poſsint accipere.

C Elegit Petrus Clementem in Papam, ſed renũciauit. Pſal. 54. Pſal. 72.

Dicitur, quod ſanctus Clemens non illud reſpuit, quia malum, ſed quia bonum arduum, quod cum difficultate & non ſine maximo Dei adiutorio conſeruatur. Et quia ſe forte indignum tanto adiutorio, & tanto regimine putabat. Pro ſecunda parte beatus Clemens promeruit

Nota.

meruit coronam regni. Primo, exercendo se in operibus virtutũ, & singulariter clementiæ, & pietatis, tam spiritualis, ministrando verbum vitæ, quam corporalis, subueniendo pauperibus. De corporali satis clarum est ex legenda, quia singularum regionum inopes nominatim habebat scriptos, & quos baptismatis sanctificatione illuminauerat, non sinebat publice mendicitati fieri subiectos, & alios potentes hortabatur, ne similiter paterentur Christianos à gentilibus pub lice mendicare. Sed ibi quæritur, vtrum tunc erat periculum Christianis, vel malum mendicare. Tot enim mendicauerunt tempore præterito. Dicitur, quod hoc faciebat propter duo. Primo, ne blasphemaretur nomen Dei inter gentes. Vidẽtes enim Christianos prædicare pietatem, & profiteri legem pietatis, & amoris, & protestari se sequi Christum pium & mansuetum, & non facientes pietatẽ, vel eam exercentes, statim Christum in seruis suis blasphemassent, dicentes, quod dicunt, & non faciunt, vel quod non esset lex vera, vel alia huiusmodi. Sicut multi Saraceni forte blasphemassent præterito tempore legem nostram, quando positis in necessitate non succurrebatur, vbi forsan aliquorum horrea plena erant frumento. Secundo, vt tolleretur occasio faciendi conscientiam. Gentes enim comedebant cõsecrata idolis. Ideo, ne forte scandalizarentur simplices Christiani in principio, volebat illud scandalum tolli. Et propterea, quã tum poterat, prouocabat Christianos diuites ad dandum pauperibus, ne mendicarent. Dicitur tamen secundo, quod nõ debet esse verecundum homini, qui propter infortunium vel ignis, vel latronũ, vel alterius modi perdidit bona sua, qui bene vixit, si postea ad mendicitatẽ deueniat. Sed debet illam portare patiẽter, exemplo beati Iob, qui mendicauit. Bene autem verecundũ potest esse prodigis & raptoribus, qui alios mendicare fecerũt, vel qui pauperibus pij non fuerunt.

D *Mẽdicare non sinebat Clemens Christianos, & quare.*

De spirituali vero pietatis opere in ministratione verbi vitæ dicitur in legẽda, quod tanta erat gratia diffusa in labijs suis, vt etiam complaceret Iudæis & gẽtilibus in prædicationibus suis & exhortatione ad fidem, ita quod Domicillam virginem neptem Domitiani principis, sponsam Aureliani conuertit, & Deo virginem consecrauit, similiter vxorem Sisinnij Theodoram nomine cõuertit. Sed ibi quæritur, quare non ita cito conuertebat magnos Imperatores, sicut mulieres eorũ, cum etiã mulieres cito subuertantur, singulariter ad sortilegia. Et inde sumitur prouerbiũ, vetula sortilega. Dicitur primo, quod mulieres citius errant & ducuntur in errorem quã viri. Rationem assignat Alexander de Halis 2. parte, quia doctrina Dei profluit à Deo in virum, quia in Christum, & à Christo iterum in virum, puta Apostolos, deinde in mulieres tãquam minus capaces. Diabolus vero è contrario seminauit doctrinã suam. Nã mulier primo doctrinã diaboli suscepit, quia minus discreta, deinde vir. Ideo diabolus adhuc hoc continuat, vt singulariter mulieres potius quã viros de incredulitate tẽtet. Dicitur secũdo, quod etiam Dominus in primitiua Ecclesia sępe à mulieribus incipiebat conuersionẽ virorum, vt hic paret. Et hoc quia Dominus fortis armatus in suis discipulis volebat auferre à diabolo vasa sua, quæ susceperant suam doctrinã, & ea facere vasa electionis, vt sexum iam confractum per eam consolidaret. Dicitur tertio, quod humiles respicit Deus, & superbos despicit, iuxta illud Psalmistæ: *Humilia respicit, & alta à longè cognoscit*. Et quia humiliatæ sunt mulieres, illi autem Imperatores in superbia manserunt, ideo respicit oculo pietatis mulieres, eas reducẽdo ad viam veritatis, & non Imperatores, nisi forte à longe per mulieres, vt hic. Secundo, promeruit B. Clemens coronã, multa sustinendo pro Christo. Primo in domo Sisinnij, saltem ibidem conatus est Sisinnius eum ligare, & trahere cum clericis suis,

E *Mulieres citius errant quã viri.*

*Psal 137*

suis, zelo vxoris suæ ductus, quam videbat esse clementem. Credens tamen eum ligare & trahere, ligabat & trahebat saxa & columnas.

F Aeris sua cæcitate percussi sunt aliqui in scripturis.

Sed quomodo hoc est credibile, quod credendo ligare Clementem ligabat columnas domus ipse & serui eius. Dicitur, quod hoc est possibile, & similia inueniuntur in scripturis facta à bonis Angelis, vt patet in Sodomis in domo Loth, vbi percusserunt Sodomitas cæcitate, ita vt fores domus Loth inuenire non possent. Et de latrunculis Syriæ habetur, quod precibus Helisæi sic percussi erant cæcitate, vt non intelligentes vbi essent, venirent cum eo vsque ad medium ciuitatis Samariæ. Simile etiam legitur de Christo, quod non videbant eum Iudæi exeuntem, cum tamen viderent cætera, & nihilominus videbant eum discipuli. Dicitur secundo, quod talis illusio potest contingere multipliciter. Vno modo, quando species obiecti visibilis transit per diuersa media, seu per aliquod medium indispositum, vt per vitrum rubeum, aut simile, quia tunc visus decipitur. Secundo, quando Angelus bonus vel malus speciem rei alterius defert, vt patuit in Simone Mago, quem credentes occidere lictores Neronis, occiderunt arietem, & in Faustiniano patre Clementis, cui Simon Magus videbatur impressisse suam effigiem, & in vitis patrum in muliere illa ducta ad Macharium, quæ videbatur esse vacca.

Gen. 19.

4. Re. 6.

Secundo, passus est Clemens exilium pro Christo. Nam conuerso Sisinnio, & multis alijs nobilibus, facta est seditio in populo propter Clementē. Et propterea iussit Traianus vt dijs sacrificaret, aut in Hellesponti insulam in exilium mitteretur. Sacrificare igitur renuens missus est in insulam Chrysone, multis de populo eum comitantibus.

G Episcopatum facile dimittit, qui cor addignitatē non habet.

Sed quæritur, vtrum lætanter ibat in exilium, videtur quod non, quia dimittebat ita bonum Episcopatū, scilicet Papatum. Nullus autem modo bono corde Papatū dimitteret. Dicitur primo, quod vbi cor hominis ponitur, difficile est ipsum ponere, cor autem Clementis non erat ad dignitatem, & hoc patuit, quia quantum potuit, refutarat Papatum, & duos sibi præposuit. Sed Dominus eleuauerat ipsum ad desiderium æternorum, ne cor putre fieret in bonis temporalibus. Nam quantuncunque homo habeat temporalia, non est periculum nisi apponatur cor, sicut non est periculum submersionis quandiu aqua non attingit ad caput. Psalm. *Diuitiæ si affluant nolite cor apponere.* Et si nihil obtineat aquę nisi caput, submergitur homo. Nam. *Qui volunt diuites fieri incidunt in laqueum, & in tentationem diaboli.* Sed in iustis sæpe subseruiunt bona temporalia, vt teneantur eorum sursum corda, quando vident difficultatem in acquirendo, solicitudinem in conseruando, & dolorem in amittendo. Vnde vitis ne putrefiat, leuatur in arbore vel pertica. Dicitur secundo, quod sicut dicit poeta. Omne solum forti patria est. In loco autem illo exilij reperit beatus Clemens multa millia Christianorum damnatorum ad metalla. Cumque didicisset aquam eis deesse, orauit, & sub pede agni apparentis fodiens, aquam eduxit, in modum fluminis erupentem. Vbi sumuntur duæ doctrinę. Prima est, quādiu Christus est agnus scilicet toto tempore quo sumus in hoc mundo, de sub pede eius, id est humanitate, quæ est bassior natura, emanat fons misericordiæ. Sed quando erit leo rugiens in die iudicij, tunc, vt scribit Daniel, *sub pede eius egredietur fluuius igneus.* Secunda doctrina est, quod nisi de sub pede agni manaret fons, id est fontalis bonitas, quæ deriuaretur ad nos, vix possemus bene agere. Nam Hieremias: *Non est hominis via eius, neque viri, vt dirigat gressus suos.*

Psal. 61.

1. tim. 6.

Dan. 7.

Hiere. 10.

Tertio, passus est Clemens mortē pro Christo, per submersionem in mari, ancora in collo eius missa. Vnde cum proijcere-

Psal. 68 jiceretur, poterat dicere: *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.* Aliqui enim transierunt per ignem in cælum, vt Laurentius. Alij per aerem, vt Petrus & Andreas suspensi, alij per terram, vt sepulti viui, & alij per aquam, vt Clemens, cui respondere poterat Dominus illud: *Seruus meus es tu, cum transieris per aquas multas, ego ero tecum.* Tertio exaltauit Dominus Clementem ad coronam percipiendam. Primo quo ad animam in cælo, quæ ineffabilis est. Secundo ad corpus in terris, præparans ei in mari habitaculum in modum templi marmorei. Ad quod vt accederent fideles, fecit tunc recedere mare per tria milliaria, & consequenter quolibet anno tépore passionis eiusdem Clementis per annos plusquam ducentos, vt dici posset Domino illud: *In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis*, quia mare faciebat peruium, *& vestigia tua non cognoscentur*, scilicet postquam mare redierat. Hoc autem fecit Dominus, vt homo non timeat propter Deum mori in aquis, & pro veritate, quia est in eis via ad paradisum, & gloria, etiam quantum ad homines, sicut patet hic in Clemente, & alijs multis. Vbi aduerte, quod si talem mansionem habuit cadauer exanime, qualem mansioné habuit anima in cælestibus. Si misericordia ædificat locum, & habet officium assignandi hospitia, sicut *fourrire* gallice, in cælestibus, qualem locum habuit anima Clementis. Si Angeli sic obsequuntur corpori, & mare cedit, quanto magis animæ ista obediunt ad gloriam.

(Margin: Psal. 43. — Psal. 76.)

*DE B. CATHARINA, SERMO vnicus, & in ordine XCI. Per Thema.*

Sap. 8. SApientia vincit malitiam, sed sapientiam non vincit malitia. Cum ita sit quod apud legisperitos, adolescentes, & singulariter sexus muliebris non recipiãtur communiter in testimonium, & maxime in causa sponsi sui, quare voluit Deus quod puellæ, quæ sunt sexus fragilis, reciperentur in testimonium fidei? Martyr enim idem est quod testis. Quid enim facerent puellæ virgines ad testandum contra vnum crudelem tyrannum, & de re mirabili, sicut est fides catholica? Pro hoc etiam Dominus Paulum elegit, vt portaret nomen suum coram regibus, qui fortis erat & doctus. Ad hãc quæstionem respondere possum, quod hoc fecit Dominus propter tres causas. Prima est ad ostendendum suam potentiam. Nam *Elegit Deus infirma mundi, vt fortia quæque confundat*, vt patet de Apostolis, qui piscatores erant, per quos sibi Dominus totũ subiugauit orbem. Et sicut dicit Origen. Vult Dominus de locustis vincere gygãtes, id est de non reputatis in mundo, & non habentibus stationé in mundo, vult potentes sæculi superare, ideo vt adhuc amplior ostenderetur eius potentia, in sexu fragili & muliebri, etiam in tenera ætate verbo, fide, & opera sanctarũ puellarum, voluit huius mundi principatus superare, scilicet per testimonium earum tam verbi quam operis, quia mors earum apertum est nostræ fidei testimonium. Secunda ratio tangitur: *Vt omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus in gloria est Dei Patris*, id est, vt omni lingua tam infantium, quam adolescentum, virorum, & senum glorificetur & magnificetur Deus. Apostoli enim confessi sunt eum in senectute, Laurentius, & multi alij in iuuentute. Ideo vt ab omni ætate testimonium acciperet: voluit in sexu fragili & tenera ætate glorificari, & confiteri. Ad ostendendũ etiam quod in omni ætate, & sexu confessio nominis Dei exigitur, sicut & Catherina confessa est in decimo octauo suę ætatis anno. Tertia ratio est vt confutaretur hostis antiqui malitia, in quo diuina ostenditur sapientia, quia conueniés erat & decens, vt sicut antiquus hostis mulierem, primam fefellit in primordio suæ creationis, sic etiam Dominus faceret, vt eiusdem hostis malitia superaretur per prudentiam & sapientiam mulierum adhuc in primordijs suę ætatis. Inter omnes autem,

(Margin: A Mulieres testificari fidem voluit Dominus propter multa. — 1. Cor. 1 — Phil. 2.)

autem, quæ Christo testimonium perhibuere in principio suæ ætatis. Prima fuit Maria, quæ pastoribus & regibus mysterij incarnationis prima testis fuit, imo testibus & notarijs Christi, scilicet Lucę & Mathæo omnia huiusce mysterij patefecit arcana, scilicet nec satis fuit Domino, vt per vnam mulierem adolescentulam, scilicet Mariam, in decimo quarto anno succũberet hostis nequitia, imo, vt dicit
Psal. 44. Psal. in spiritu prophetico: *Adducentur regi virgines post eã*, id est magnus virginum & puellarum chorus adducetur, quæ post Mariam testes erũt mysteriorũ Dei, ad confusionem hostis antiqui, & exaltationem & magnificationẽ nominis Dei. Vt ergo hic aliquid ad laudẽ nominis Christi & virginis Catherinæ possimus dicere, quod etiam nos ad deuotionẽ prouocet, ad thesaurariam gratiæ Mariam primam Christi testem recurramus, offerẽtes sibi illud angelicum, Aue, &c.

Ad vincendum omnem malitiã & nequitiam, considerando legendam beatissimæ virginis Catherinæ, quinque inuenio insultus, quos sibi fecerunt per suam malitiã caro, mundus, & diabolus, de quibus per suam prudentiam triumphauit. Et ob triumphum contra illos tres hostes, in huius rei signum in pictura suæ imaginis tria sibi attribuuntur. Primo, palma altissimæ staturæ, & sempiterni viroris, in quo significatur victoria super carnem, in qua viriditatem virginitatis perpetuo seruauit. Secundo, rota in alia manu, in quo de volubilitate mundi triũphasse dicitur, vt postea amplius patebit. Tertio vero sub pedibus eius sæpe pingitur rex, per quem intelligitur victoria de diabolo & ministris eius. Et sic per ea, quæ describuntur in imagine, concludere possumus, quod sapientia Catherinæ vicit malitiam. De istis autem quinque insultibus dicemus sermone pręsenti. Primum autem insultum facit caro spiritui nostro aduersa, & hoc dupliciter, primo incentiua luxuriæ, delectationes scilicet ciborum & potuum propinans, quæ sunt ligna, quibus inceditur luxuria, sed huic insultui per suam sapiẽtiam opposuit Catherina abstinentiam, ieiunia, vigilias, & carnis macerationes. Considerabat enim quod caro nostra est sicut malus seruus. Super mali enim serui guttur oportet dominum semper habere pedem. Ideo sicut sapiens carnem suam domuit, cum vtroque orbata parente ieiunijs vacabat & orationibus, imo consequenter carnem suam fame affligendam pro Christo exposuit, & ad verbera & mortem, etiam in adolescẽtia, & in virilitate. Sed nostro tempore respiciamus Christianos, ad exemplum B. Catherinæ vidimus pauperculas mulieres promptiores ad sustinendam quamcumque sibi iniunctam pœnitentiam, quam milites vel officiarios. Qui tamen milites sustinebunt arma & gelu, & forte tribus diebus non comedent panem. Hi sunt martyres diaboli, quia hoc non facerent pro Christo quod faciunt pro mũdo. Similiter ad quærendum officiũ, vel aliquam executionem faciendam spe lucri nocte dieque per pluuiam & æstum cum multis laboribus, dimissa vxore & liberis, non cessabunt discurrere, & tamẽ propter Deum, & sua peccata dimittẽda, non facerent modicam pœnitentiam iniunctam. Secundo, impugnat caro malas cogitationes suggerendo, aut etiam per vilissimos tactus & concubitus delectationi cedendo. Sed huic insultui opposuit Catherina mentis & corporis mũditiam, cum votum virginitatis emittens se sponsam Domino consecrauit. Vnde:
*In lectulo meo quæsiui per noctes quem diligit* Cant. 3.
*anima mea.* Id est, in lectulo carnis meę, in quo requiescit anima mea, in amore suo dormiens quæsiui, &c. Quando autem sponsa valde diligit sponsum suum, tunc de nullo alio cogitat. Sic nec Catherina, quæ spreta vita terrena solam æternam concupiuit, & spretis minis & terroribus tyranni, sibi copulari renuit in hunc mundum, dicens: O Maxenti crudelior omni tyranno, tu meæ carnis coniunctio-

B
Caro duplicem insultum facit spiritui nostro.

iunctionem quęris, sed alium habeo spōsum, cui me tota deuotione deuoui, qui quidem longe à te dissimilis est. Tu quidem crudelis, ille pius, & mansuetus, tu terrenus imperator terrena promittens, & transitoria, ille vero cœlestis imperator æterna suis promittens palatia. Tu infidelis in Domino tuo, ille vero fidelis omnium suorum remunerator. Tu in me si coniunctio sequeretur, quęreres fructū ventris, ille vero solum fructū mentis, tu oscula fœtida, & impudica, hic vero osculo oris sui mentem fæcundat non ventrem, & sic præter eum nullum alium diligo, & propter eum teipsum contemno. Sicque sapientiam carnis, & eius malitiā exuperat Catherinæ sapientia. Secundus insultus fuit à sapientia mundana, & diabolica contra Catherinæ fidem. Vnde sicut verum est quod dicitur Domino: *Domine oculi tui respiciunt fidem*, scilicet ad eā amplius augendam, sic verum est, quod diaboli oculi respiciunt fidem, vt extinguant eam, sicut patet de dæmone exufflante candelam S. Genouefæ, ita quod quanto magis exufflabat, tanto magis accendebatur, ita etiam vt alios suo lumine accenderet, qui ei approximabant, vt patet de doctoribus, & de regina, & de Porphirio, & socijs eius. Magnus etiam Dominus semper vult habere lumen in domo, vel mensa sua. Sic Dominus magnus rex, & laudabilis nimis, semper vult habere lumen fidei in corde in quo requiescit. Istum autem insultum secundum fecit per disputationes sapientium mundana sapientia. Nam eius audita sapientia misit Cæsar pro Oratoribus magistris in artibus, & legistis præditis mundana sapientia. Qui irati fuere cur venire iussisset tot sapientes ad pugnam, contra vnam mulierem, qua tamen accersita, tandem post multas disputationes victi sunt. Iudicabant enim sicut multi, de quibus Aristot. qui ad pauca respicientes, facile enūciant. Nam iudicabant, quæ de foris sunt, non quæ intus respicientes, similes simię, quæ cum sentit testam nucis amaram, statim proijcit. Sic isti cum viderent exterius, de interioribus non iudicabant. Erat enim Catherina sicut ouis inter lupos. Sciebat enim quod Dominus dixit: *Ecce ego mitto vos sicut oues inter lupos.* Circa tamen ista consurgunt aliquæ quæstiones. Prima quæstio est, quomodo Catherina ausa est aggredi istum tyrannum, & cum eo ita audacter loqui, cum secundum Ambros. trepidare virginum est, & ad omnes viri pauere affatus. Indecens est etiam mulierem esse effrontem. Secundo exponebat se periculo, & mortis, & negandi fidem, supposita sæuitia tyranni, & etiam periculo perdendi virginitatē suā. Qui autem amat periculum, peribit in illo. Dicitur primo, quod expedit puellam timere in omnibus colloquijs, nec facile loqui, aut aures præbere talibus, nisi sint in materia virtutis, & singulariter ne loquatur personis incognitis. Ratio est, quia puella gerit thesaurum prætiosum in vasis fictilibus, & liquorem pretiosum virginitatis, & ideo oportet obstruere omnes meatus & conductus, primo oris. Audi Psal. *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator aduersum me.* Sed quid dicemus de illa, quæ habet omnes meatus apertos, quæ habet linguam picæ, & secūdum vulgare, *le bet assiuie*, iam *glaesse*. Secundo opus obstruere aures ne audiātur verba turpia, oculos ne fiant turpissimi respectus, nec tactus, vt filia tua non sit contrectata à lenonibus. Sicut enim cattus sæpe contrectatus minus valet, & relinquit aliquid de pilis suis, sic & puella sæpe contrectata, vix retinet perfectam castitatem mentis & corporis. Dicitur secundo, quod vbi viget materia fidei, expedit vnicuique loqui vbi imminet periculum, & vbi accersitur. Patet hoc ex cōsuetudine Ecclesiæ. Nam cum legitur Euangelium, omnes surgunt tam viri quā mulieres, quasi habeant defendere Euangelium, & corpus exponere. Ideo vbi accersuntur, tenentur & vir, & mulier cōfiteri, & audacter loqui, quia dicit Dominus: *Qui me erubuerit coram hominibus, denegabo,*

Hier. 5. Nota. Mat. 10. Nota quæstionem. Psal. 38. Mat. 10.

*gabo, & ego eum coram patre meo qui in cælis est, & qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui est in cælis.* Dicitur tertio, quod vbi homo nō accersitur, vel mulier, & ad eos non pertinet de cura, nec est scandalum de fuga, debent tales fugere nec aggredi. Patet, quia multi tales aggressi sunt, qui fidem negauerunt. Exemplum est huius rei in histor. Ecclesiast. lib. 4. cap. 13. de quodam frige Chorintho nomine, qui dum quæreretur B. Policarpus ad mortem temere se ingerens, tandem resiliuit à confessione fidei. Similiter talibus Dominus dicit: *Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* (Mat. 10) Similiter tales nihil proficerent. Non enim sunt auctoritatis verba eorū. Dicitur quarto, quod vbi immineret periculum fidei pro ouibus, debent se pastores opponere tyrānis, & similiter doctores, & ostendere veritatem, & necessitates populi, vt in expectatione eorum glorificetur Deus, qui dicit huiusmodi Prælatis & doctoribus: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est.* (Matt. 5.) Et inde est quod antiquitus tot Pontifices fuerunt Martyres. Nec tales fugere debent hoc docente natura. Nam quando lupus venit, pastor se opponit, & gallina protegit pullos cōtra miluum. Videmus etiam, quod superueniēte guerra, vbi rustici fugiunt, nobiles morantur ad præsidia. Et quia Catherina erat mulier nobilis & famata per totam regionem, scientifica, & eloquens, & gratia Dei erat in illa, ideo accessit intrepida, *Mel* eloquentiæ, *& lac* doctrinæ, *sub lingua eius.* (Cant. 4.) Et iterum: *Aperuit os suum sapientiæ, & lex clementiæ sub lingua eius.* (Prou. 31.) Et in hoc repræhenduntur pastores & doctores famati, qui vident necessitates populi, & tamen timore perdendi bona temporalia, officia scilicet vel beneficia, non repræhendunt mala quæ fiunt, cum tamen mulier iuuenis id fecerit tyranno crudelissimo. O hæc mulier excelluit & præcessit omnes, & fuit *passeroute* gallice. Transijt quidem homines huius temporis, & facit eis magnum dedecus, & illā in die iudicij opponet Deus pastoribus, quibus videtur quod satis sit, quod gerāt mitram & baculum, & quod habeant ouium substantiam, & dicet: Hęc mulier se opposuit pro populo meo, & vos, qui estis viri, & præpositi populo meo, dereliquistis eum, & conformiter ad hoc exclamat: *O pastor & idolum derelinquens gregem. Gladius super brachium eius, & super oculum dextrum eius.* (Zach. 11) Secunda quæstio est, (D) cur Maxentius contra vnam puellam tam teneræ ætatis misit pro tot Oratoribus, cum ipse tyrannus esset, qui non verebatur Deum neque hominem, sicut dicit Eusebius in Ecclesiastica historia, quod dissecabat prægnantes in ciuitate Romana, vt per earum intestina sciret de euentibus bellorum, & rapiebat ciuium vxores, & facta voluntate sua viris earum remittebat, adeo vt à senatu iudicatus sit tyrannus publicus. Cum ergo esset tyrannus, mirum est, quod pro hac talem conuocationem fecerit. Dicunt enim tyranni. Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Ad hāc quæstionem dico, quod hoc potuit fieri triplici de causa. Prima est, quia sicut Iudith venienti ad Holofernem pro salute corporali, suorum tamen, Deus addidit pulchritudini & eloquentiæ suæ. Multo fortius credibile est, (Iud. 10.) quod Dominus addiderit pulchritudini, & eloquentiæ Catherinæ, dum veniebat ad tyrannum, non solum pro salute corporali, sed etiam pro spirituali, & pro militando Christo. Ex quo sequitur, quod si Holofernes in admirationem pulchritudinis, & eloquentiæ Iudith ductus sit, & oculis captus, ita vt etiam diceretur à suis subditis: *Non est mulier talis super terrā.* (Iud. 11.) Sic etiam credibile est, quod ille tyrannus visa eius pulchritudine, & audita eloquētia in admirationē ductus sit, & oculis captus. Ideo noluit eam exterminare, sed credidit maiorū sapientū verbis eam peruertere posse, & propterea tales aduocauit. Secunda ratio est, quia licet tyrānus esset: tamen tyranni timent quando vidēt

*D Tyranni velant tyrãnidẽ suã mantello iustitia.*

virum, vel mulierem magnæ auctoritatis. Hæc autem fuit magnæ auctoritatis. Primo quia filia regis: hoc est alicuius habentis sub Romano imperio magnam terrã regendam. Secundo, quia omnibus artibus tã humanis quam diuinis instructa. Tertio quia à populo, sicut mulier magnæ virtutis dilecta. Ideo voluit Maxentius tyrannus suam tyrannidẽ aliquo mãtello iustitię velare. Nullus enim quãtumcunque peruersus viuere potest sine aliqua portione iustitiæ. Ideo princeps latronũ quando diuidit spolia distribuit socijs suis proportionabiliter, secundum quod plus vel minus operati sunt, aut secundum conditiones personarum. Aliter sua societas durare non posset. Sic tyrannus habens sub se ministros: eos respicit, qui populum subijciunt seruituti, scientes inuenire exactiones, & eis distribuit honores & opes, non tamen semper vtitur sua tyrannide, sed aliquãdo obseruat colorem iustitiæ, alioquin non duraret sua tyrannis. Malum enim non potest per se subsistere, vt dicit Philosophus. Propterea Maxentius quandam iustitiæ formam voluit tenere, & non immediate voluit eam exterminare, vt etiam gratiã populi non perderet, & iura priorum videretur obseruare, quia secundum Aristot. 5. poli. cap. 3. tyranni, vt possint sibi subijcere longo tempore populum, videntur obseruare formam iustitiæ, licet non obseruent. Tertia causa est; quia isti principes, & tyranni curiosi sunt, & libentur volunt audire noua & curiosa, sicut patet de Herode ad Christum, etiam quo ad Ioannem, quia libenter audiebat eum Herodes, forte recipiens verba Ioannis tanquã noua, sed tamen in fine decollauit eum. Quia ergo Maxentius vidit hanc puellam eloquentem, quam etiam sciebat esse doctam, ideo quia Principes multas habent solicitudines, & singulariter tyranni multa habent audire & cogitare, potuit ista cogitare inter se. Transibimus aliquantum temporis audiendo istam puellam, mittãe ad Oratores, vt veniant ad disputandum cum ea, sicut sæpe dicunt homines auctoritatis, & consilij. Eamus ad prædicatorẽ, nos forte audiemus ibi aliqua noua, vel etiam iocosa, & sic transibimus aliquantu temporis. Tertia quæstio est, quomodo possibile est & credibile, quod tales puella vicerit tales magistros, & legistas, & tantam multitudinẽ, ita vt nescirent quid amplius dicere. Nos videmus in disputationibus nostris, quod nunquam aliquis quantumcũque bene arguatur, ponitur ad metam non loqui, nec duæ mulieres mutuo litigantes, vnquam veniunt ad huiusmodi metam. Quomodo ergo credibile est de tantis hominibus, quod nihil sciuerint ad vnam puellam tenerę ætatis respondere? Dico ad hoc primo quod illã facientibus quæstionem, esset alia facienda quæstio, scilicet quomodo Iudith sola principem militiæ, & per consequẽs totum exercitum potuit vincere, quę erat mulier inermis, cum etiam nihil differat apud Deum in paucis vel in multis saluare. Secundo dico, quod ipsa loquebatur tanquam organum Spiritus sancti. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquutur in vobis*, & Ps. ait: *Os meum aperui, & attraxi spiritum.* Ideo non est mirabile si ille, qui dat omnibus loqui, per eius organum omnes tacere, & obstupescere fecit. Vnde: *Non poterant resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur.* Et idem promisit Dominus: *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri.* Vnde, sicut dicit Psalmista, *lingua eius erat calamus scribæ velociter scribentis.* Quod patet, quia ante disputationẽ descendit Angelus confortare eam, qui reuelauit ei conuersionem & victoriã de eis, & martyrium eorum. Ex quo intelligitur, quod qui stant in tribulatione, non sunt sine Angelo consolatore, iuxta illud Psal. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Confessi sunt etiam oratores illi, quod non homo, sed Deus per mulierem loquebatur. Tertio dico, quod hoc totum fecit Dñs ad gloriam

*E Catherina tamquam organum Spiritus sancti posuit ad metam nõ loqui sapientes.*

*Mat. 10. Psa. 118. Act. 7. Luc. 21. Psal. 44. Psal. 33.*

Nota. riam sui. Primo vt ostendat veritatẽ semper superare, secundum illud: *Super omnia vincit veritas.* Forte vinum sapientię mũdanæ inebrians, sicut calix aureus babilonis omnem terram; fortiores sunt mulieres scientia humana, quæ etiam ostendunt illam sapientiam mundanam esse vanam; sed super omnia vincit veritas diuinarum scripturarum. Vnde Abimelech spiritus omnes fratres diuicit, & superauit, tandem veniens ad turrim fichẽ interfectus est à muliere. Secũdo vt ostẽdat veritatem doctrinæ humanæ consonare & ancillari doctrinæ diuinæ, & inde mundus decipiebatur, quia quo plus acuebatur scientijs humanis: tanto subseruiebat diuinæ. Et ita sæpe contingit, quod tyranni vnde credunt decipere, & superare, decipiuntur, & superantur. Ps. *Incidit in foueam quã fecit*, & rursus: *Laqueus quem abscondit apprehendat eum.* Sic fratres Ioseph vendendo eum decepti sunt, & inciderũt in id quod verebantur, scilicet in seruitutem ipsius Ioseph. Sic Achitofel per suum consilium parans interitum Dauid & viris eius interijt, & laqueo vitam finiuit. Et ideo nihil melius homine literato, dummodo non sit affectatus ad oppositum illius quod nouit rectum, quia delectatio furatur mentem spisse sapientis. Tertio hoc fecit, vt ostendat suæ potentiæ nihil posse cõtradicere. Vnde potest de paruo fonte facere fluuium ad submergendum currus Pharaonis, & equites eius, & de parua luce solem, contra cuius lumen lux lunæ mundanæ offuscatur, & lux stellarum humanę sapiẽtiæ non lucet: *Parua enim fons creuit in fluuium magnum*, ad submergendam, & superandam sapientiam mundanam in oratoribus. Dico quarto, quod etsi vix homines per alios ponuntur ad metam non loqui, tamen Deus absque dubio omnes ponit ad metam nõ loqui, scilicet in morte. *Si voluerit homo contendere cum Deo, non poterit respondere vnum pro mille.* In quo significatur, quod veniendo ante summũ iudicem ora silent, id est, verba, & loquũ-

[Margin: 3. Esd. 3. — Iud. 9 — Psal. 9. — Psal. 34. — Gen. 37. — 2. Re. 17 — Est. 13. — Iob 9.]

opera, iuxta illud Apoc. *Opera enim illorum sequuntur illos.* Si ergo omnes Dominus facit tacere in fine, cur non ad vocem vnius puellæ, quæ est eius organũ, poterit omnes facere silere? Exemplum se sophistico dialectico in concilio Niceno, qui disputando cum alijs clericis nũquam verbis comprehendi potuit, sed dum à quodam sene sancto, sed indocto post verba, & dogmata dictũ fuit ei. Christus natus est de virgine, passus, sepultus, &c. Credis hoc philosophe? nesciuit aliud quod respondere nisi credo, & statim subiunxit. Dum voluistis me sermonum acutie comprehendere non potuistis, sed in verbis huius senis sensi virtutem Dei, quæ me totaliter ad fidem conuertit.

[Margin: Apoc. 14]

Quarta quæstio, quomodo potuerunt tot & tanti homines ita subito conuerti, & ad tantam perfectionem deuenire, vt immediate parati essent respondere contra voluntatem tyranni & penitus abnegare facta eius, etiam vsque ad mortem crudelem ignis, pati etiam confusionem talẽ, vt ab vna puella victi essent & quomodo de tanto errore magistri doctrinæ Christi facti sunt. Respondetur primo hoc non esse mirum, quia: *Spiritus vbi vult inspirat.* Sicut enim in die Penthecostes dedit Apostolis spiritum sanctum, & statim parati fuerunt omnem pœnam subire; sic per os Catherinæ Deus in eis insufflauit spiritum sanctum & dulcedinem eius, ita vt immediate fuerint parati omne genus martyrij pati. Dulcedinem enim fructus Paradisi percipiebant. Vnde sub persecutione Diocletiani legitur de sancta Dorothea, quod ei ad martyrium pergenti obuiauit quidam scholasticus nomine Theophilus, qui ab ea irridens quæsiuit, quo vadis. Dicit illa vado ad visitandum sponsum meum. Cui ille, mitte (inquit) mihi de rosis & fructibus sponsi. At illa promisit. Stans ergo parata suscipere gladium oratione facta pro promissione implenda, vidit Angelum sibi astentem in specie iuuenis, qui attulit poma & rosas, cui dixit vt portaret eas Theophilo,

[Margin: P Nota.]

qui tunc cum quibusdam alijs ridebat de promissione Dorotheæ. Erat enim tunc initium februarij. At ille Theophilo attulit, dicens hoc esse promissum Dorotheæ. Qui mox respersus odore, ex tunc cucurrit ad martyriũ, & immediate post causa & eodem die passus. Vtinam adoraremus odorem illum de quo dicitur, in odorem vnguentorum tuorum currimus.

Sed bene dicit Aristot. quod homo est pessimi olfatus. Pessime enim odorat cælestia. Ideo sponsa dicebat in cãticis. Trahe me post te curremus in odorem. Secũdo dico, quod sicut dicit Greg. in hom. de penthecoste, nulla in dicẽdo mora est vbi Spiritus sanctus doctor est. Et ideo quia Spiritus sanctus per Catherinam loquebatur. Inde & dicitur: *Doctrix enim est disciplinæ Dei & electrix operum illius*, ideo licet sit inconsuetum, hoc tamen est credibile multum. Et si dicatur, quomodo ergo laudatur Catherina in hoc, quando nõ ipsa sed alius docuit? Dico qui in ambassiata missa à rege, ille præ cæteris laudatur & in magna habetur reuerẽtia qui fert verbũ regis, & qui cognoscit secretũ. Licet enim ore suo loquatur, non tamen verba propria vt communiter loquimur, sed verba regis loquitur. Sic verba spiritus Dei, non sua loquebatur. Ideo propter hoc in magna reuerentia debet haberi, quam Deus tantum voluit honorari, quia: *Hoc honore dignus est quem rex voluerit honorari*. Isti autem doctores & magistri ita passi sunt martyrium, quod nec ignis tetigit carnes, nec pillos, nec vestes. In quo volebat Dominus ostẽdere, quod viri sancti etsi à tribulatione aliquo modo tangantur, nullo tamen modo lædit eos. Si enim destruatur vestis tua, id est possessio qua vestiris tu & tui, patienter hoc feras. Maior enim tibi retribuetur possessio scilicet Paradisi. Si vero capilli qui in superiori parte situantur, per quos intelligitur honor, etiam honor tibi regius tribuetur: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum*. Tertio si percutiatur caro tua etiam tibi restituetur clarior & melior & gloriosis dotibus honoratior. Solum vinculũ animæ & corporis dissoluit ignis martyrij. Exemplum de tribus pueris in fornace Babilonis, quorum vincula ignis cõbussit, & nihil aliud.

Sap. 8. Hest. 6. Matt. 5.

Et si quæras, quomodo fuerunt isti saluati, cum baptizati non fuerint. Dicitur primo quod in adultis vbi homo non posset recuperare seu habere baptismum fluminis, sufficeret baptismus flaminis, cum proposito recipiendi, prima opportunitate data. Secundo dico quod sufficit baptismus sanguinis cum simili proposito, sicut dicebat Catherina illis doctoribus. Sanguis vobis baptismus fluminis & martyrium plenam faciunt largitionem, vnum in ingressu, aliud in egressu. Nota.

Primum ad magnificentiam ostendendam. Secundum ad præmiationem faciendam, quando præmiat Dominus suos milites. Tertius insultus fuit per propositionem diuitiarum. Videns enim Maxentius quod apud eam verbera paucum facerent, quod iam eloquentissimos viros superauerat, credidit, sicut multos secum palatium obtinebat in amicitia vi diuitiarum, quod etiam oblatione earum posset emolliri. Vnde quinto politicæ dicit Philosophus, quod tyranni per munera detinent in amore vel amicitia suos satellites. Auaritia enim maxime impugnat fidem, iuxta illud Apostoli, ad Colossen. *Auaritia est idolorum seruitus*, quia seruiunt suis pecunijs, & mercator pro lucranda parua pecunia non timet iurare & peierare Deum, quod est abnegare fidem suam. Sed hunc Catharina repulit insultum, considerans se suum sponsum habituram in cælo. Hoc etiam manifeste patet, quia tempore illo immediate quando capiebatur Christianus aliquis, omnia bona eius fisco regio, vel primo quærenti dabantur. Hæc autem videns regem ad sacrificia procedere, & conuocare

*G Fides multum impugnatur per munera.* Colos. 3.

tare populum sub pœna edicti terribilis, non timuit perdere possessiones plurimas quas habebat, sed sponte aggressa est tyrannum, secundum Apostolum: *Quæ retro sunt obliuiscens, & in anteriora se extendens.* Videbat enim populum à lege Domini propter crudelia edicta principis in periculo deuiationis. Et licet sciret ipsum crudelem, veruntamen pro populo accedebat ad colloquendum cum eo. Sic debent maiores pro subditis accedere ad principes, & ostendere mala quæ fiunt in populum & grauamina populi, aliter non insequuntur Catherinam. Sed quæritur an modo sic fiat. Quis est qui loquitur pro populo? Multi sunt familiares iudicibus & principibus, qui vident mala quæ fiunt, & tamen non loquuntur super his. Dicunt forte quod sunt satis Martyres, & quod nolunt esse Martyres, sed Confessores. Phil. 3.

Nota bene. Sed dico (sicut dicit Gregor.) quod isti habent istam mnam seu talentum familiaritatis á Deo, quã si abscondant in terra, hoc est tempore & loco Innocentem ab oppresione non liberent, vbi eum cognoscunt oppressum, dico quod semel requiretur quomodo multiplicauerint eã. B. Catherina non habebat familiaritatem aliquam, & tu habes, Imperator quem aggressa est crudelis, & tyrannus erat, tu vero solum ad mansuetum & pium habes accessum, tu times perdere bona tua, & officia, & illa non timuit perdere regnum. Tales certe à muliere superantur. Miramur quod tantos doctores superauit, & tamen non miramur quod tantos legistas & homines consilij superat in animo, fortitudine, & constantia. Hoc autem faciebat, quia cor eius nobile ad altam prædam ferebatur, non ad terrenum officium vel thesaurum, & non vt rapaces aues quæ se arrestant ad cadauera, sicut sunt multi qui de Deo non curant, sed qui siue per fas siue per nefas ad Ecclesiasticas dignitates vel officia euolent. Et cum sunt in officijs, credis quod sint ad subleuandum pauperem, sicut B. Catherina, quæ propter hoc aggressa est principem? non quidem, sed magis ad opprimendum. Nunc enim pedes habent non ligatos, sed expeditos ad deprimendum pauperem, & manus ad accipiendum munera dissolutas. Si enim quæratur de aliquo officio quantum valet, respondetur quod valet centum libras de vadijs assignatis, sed de residuo ad bene faciendum illud, valere respondebitur quod trecentas. Sed timeant isti sententiam Christi: *Ligatis pedibus*, quia dissolutis eis oppressistis pauperem, *& manibus*, quibus accepistis munera, *mittite eos in tenebras exteriores*, quia etiam alios incarcerauerunt iniuste, vel permiserunt incarcerari. Non sic Catherina quæ manibus iunctis & genibus flexis orabat pro populo, cuius etiam non solum os, manus, & pedes, sed totum corpus resudat oleum misericordiæ pauperibus eam requirentibus. Item non debet esse mirum si Catherina respuit diuitias ab alio oblatas, quæ iam proprias contempserat, distribuendo eas pauperibus. Et si quæras an liceret ei illas distribuere, & eleemosynas facere, cum esset orphana & adhuc sub tutela. Mat. 22.

Respondetur quod permittebatur, & altera illarum causarum, aut quia erat successura in hæreditatem, & quia officiarij & forte tutores timebant deponi, ad nutum eius de bonis disponebant. Ista enim est conditio officiariorum, qui expectant officia, vt faciant quodammodo ad nutum principum iuuenum, ex quo sequitur quod principes aliquando inducuntur ad dandum non solum sua, sed etiam aliena, & liberalitas iuuentutis conuertitur in prodigalitatem. Secunda causa potuit esse, quia illa videbatur iam senex in moribus, & Deo plena, & sui compos. Ideo, quia quodammodo tutores videbant gratiam Dei esse in illa, nolebant eam impedire. Nota.

Sic nec debes puerum tuum impedire à bono proposito suo, quamuis sit sub tutela tua. Si enim (vt dicitur) malitia sup-

plet ætatem, ita poteſt & ſapientia ſupplere. Quartus inſultus fuit per promiſſionem honorum etiam regiorum. Vnde honor debet proſequi fugiētem, ſed modo homines proſequuntur honorem. Hinc de Catone magno legitur, quod quanto plus fugiebat honores, tāto magis inſequebantur eum. Quando enim regina vxor Maxentij fuit occiſa, tunc ille eam ſibi cupiebat vxorem. O tentatio diabolica. Modo tot curſus & diſcurſus fiunt, tot ſunt equi fracti ad quærendum iſtos honores, & tamen nunc oblati à fæmina reſpuuntur. O viri mulieribus inferiores. Fæminæ oblatos honores reſpuunt, etiam vſque ad occiſionem, & viri eos corde & corpore proſequuntur vſque ad animæ & corporis periculum. O quam longe ſunt iſti à proſecutione vitæ Catherinæ. Antiquitus ſolebant milites & officiarij pro obſeruantia legis Dei & miniſtrorum Eccleſiæ, & libertate eius militare vſque ad dimiſſionem ſuorum officiorum, vt patet de Bentiuolo maiore domus, cui imperauit Iuſtina Imperatrix, vt traduceret beatum Ambroſiū in exilium, ſtatim ille negauit. Cui illa improperante bona & officia à ſe data, ſtatim ille proiecit balteum & omnia inſignia data. Quis nunc iſta faceret? Et ſimiliter de alio milite tempore Valentis. Nunc autem nec de fide, nec de Eccleſiæ libertate, nec de miniſtris eſt amplius cura, imo qui plus poteſt capere & rapere, ille melior reputatur. Sed quod deterius eſt, nec patres reputant filios eſſe alicuius valoris, niſi ſint eis ſimiles in moribus. Et ſi forte habeant filios, qui in iuuentute ſint Deo dati, vel non ſint velocis & malignantis animi, ſtatim dicunt: Iſte nihil valebit, non erit niſi vnus ſomniator, & comeſtor imaginum, ſed de alio, qui erit ſibi ſimilis, dicent: Iſte erit magnus, & bene ſciet ſuum mundum & ſuum eſſe inter gentes, & tales diliguntur à patribus. Cæteri vero, qui ſunt inclinati ad ſeruiendum Deo, nihil reputantur. Et ita eſt de omnibus peccatoribus, quia tantū reputant ſibi ſimiles, & ſimiliter de aduocatis, ſi habeant modo filium, qui velit ſacris incumbere, auertent eum, quia nō eſſet ſimilis eis. Exemplum de bufone, de quo fabuloſe dicitur, quod cū filius eius bufo præ deuotione eundi ad Capitulū generale animaliū dimiſiſſet calceos ſuos, pater rogauit vulpem tranſeuntē prope domum ſuam, vt portaret calceos filio ſuo. Cui vulpes: Et quis eſt filius tuus? Reſpondit pater: Eſt pulchrius animal, quod videbis in toto Capitulo. Et vulpes: Eſt ergo pauo? Non eſt, inquit pater, quia pauo vocem habet terribilem. Eſt ergo cygnus? ait vulpes. Non, dicit bufo, quia cygnus habet pedes deformes. Quis eſt igitur & qualis? inquit vulpes. Reſpōdit pater bufo: Ille eſt, quem tu videbis habere tale caput, talem muſellum, talem ventrē, ſicut tu me vides habere. Sic quidam nō reputant aliquos filios ſuos, quātumcūque ornati ſint bonis moribus & cōditionibus, niſi ſint eis ſimiles & ſequātur eos in ſuis prauis cōſuetudinibus. Nō ſic inſtruxerat rex Coſtus Catherinā, ſed melius, qui eam liberalibus & forte ſacris doctrinis à primordio tradidit imbuendam, ideo vide fructum, qui inde ſecutus eſt. Quintus inſultus fuit à miniſtro diaboli per minas, & terrores, & ſupplicia. Imperatores enim, vt Diocletianus & Maximianus, & ſic de alijs, vt dicit Chryſoſt. erant velut alæ diaboli, quæ portabant diabolū per totum mundum, imo quod nec diabolus poterat facere, nec eis præcipiebat, ſed tātūmodo quę ſuggerebat, faciebāt. Sic multi ſunt tales miniſtri principum. Vbi enim quandoque princeps præcipit aliquid paruuū fieri ſuper aliquos particulares defectus, miniſtri aliquando deſæuiunt, nulla iuſtitiæ forma obſeruata, facientes duplo peius, quā intēdebat princeps. Vnde vulgo de ſimilibus dicitur: Serui ſunt diaboli, ipſi plus faciunt quā eis pręcipiatur. Cū ergo Maxentius videret quod nec ſapiētia humana, nec diuitijs, nec honoribus conuinci poſſet, ad minas, terrores, & pœnas ſe cōuertit.

H
Honor proſequitur fugientem.

Nota

uertit. Hoc autem est dæmonium meridianum. Non est modo Abbas, quin propter hoc dimitteret Abbatiam suã, si sibi cõminaretur sub pœna mortis, vel si videret prępositum Marescalorũ pręsentẽ. Quatuor autẽ genera pœnarum sibi inflixit. Primum genus, quod verberibus & scorpionibus caro tenera puellę dilacerata est. Consideremus itaque puellã in hoc supplicio oculis mentis, per capillos suspensam de tã nobili genere, & in tã parua ætate nudam in frigore, tam atrociter in singulis membris scorpionibus dilaniari, ita vt sanguis in terram proflueret. Sed hic oportet considerare, quod Spiritus sanctus, qui per eam loquebatur, nec eam deseruit in tribulatione. Nam & si martyres exterius patiuntur grauissima tormenta, interius tamen confouentur suauissimis consolationibus, & quandoque etiam exterius. Ps. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animã meam*. Exemplũ huius habetur li. 10. Hist. Eccles. c. 36. & in Hist. Trip. li. 6. c. 31. de quodam Theodoro nomine, qui, persequente Iuliano Christianos apud Antiochiam, à prima luce vsque ad horam decimam tanta crudelitate, & tam mutatis carnificibus vexatus est iussu Salustij pręfecti ipsius Iuliani, vt nulla ætas similem factum meminerit. Cũ vero depositus esset de eculeo, & liber dimissus, interrogantibus si sensum doloris habuisset ex integro, dicebat dolores quidem se parũ sensisse, astitisse autem quendam iuuenem, qui sudanti sibi linteo cãdidissimo & sudores extergeret, & aquã frigidam frequenter infunderet, & ita se esse delectatũ, vt tunc mœstior factus sit, quãdo deponi de eculeo iussus est. Quęri tamen posset, quomodo Catherina ostendit carnem suam nudã, viso quod quotidie prædicatur, quod mulier non debet carnem suam nudam ostendere. Respondetur quod duplex est forũ, Dei & diaboli. In fallis Dei ostendit Catherina carnem suam, eã explicantibus carnificibus, non ipsa. Sed non volebat se vendere nisi Deo, qui scit bonum pretium date, non illis satellitibus. Nam Psal. ait: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius*. Sed mala mulier exponit carnẽ in fallis diaboli, ita quod in quadragesima & in aduentu comeduntur carnes, etiam in die Veneris sancta, & in die sancto Paschæ, & in festo, & in feria. Secũdum est, quod fame afficienda traditur horrẽdo carceri & ibi fuit per duodecim dies, pane cæli per Angelum in specie columbæ confortata. Vnde ibidem fecit Dominus quatuor mirabilia. Primum eam per Angelum suum cõfortauit. Secundo eã pane cœlesti duodecim diebus fouit. Nõ enim credendum, quod ille qui per quadraginta annos pauerat sibi populum rebellem, & incredulũ manna cœlesti, quin etiam suam pasceret fidelem extremam pro eo necessitatem patientem. Tertio sponsus suus saluator in propria venit ad eam visitandã. Sic enim ille fidelis sponsus facit omnibus qui pie seruiunt ei, & confidũt in eo. Quarto carcerem tenebrosum impleuit lumine, ita vt mirarẽtur custodes carceris, ad cuius lumẽ illuminati regina vxor Maxentij, & Porphirius cum ducẽtis millibus fidem susceperũt, & statim post per martyrij palmã ad Deũ euolauerunt. O paruã plantulam quam Christus in ortũ Ecclesiæ suę plãtauerat. Respicite quantum creuit in immensum, & qualem, & quantũ fructum in sua iuuentute portat. Fructus enim ille immediate, ita maturus fuit, quod statim paratus fuit offerri Domino per martyriũ. Aliæ plãtę non nisi semel ferunt fructum per annũ, hæc autẽ bis in modico tempore fructũ suauissimũ obtulit Domino, tam per doctorũ conuersionem, quam etiam reginæ, ducis & eius sociorũ. Circa istud vltimũ quæritur, cũ Dominus videat modo tot pauperes, & bonos homines, & qui bene seruierunt ei, qui moriuntur fame, quare non mittit eis Angelum vel consolatorem sicut Catherinæ. Dicitur, quod Dominus non facit miracula, nec mittit subsidium miraculorum, vbi potest humanum

Margin notes: I Martiribus non deerat consolatio, etiã exterius quandoque. — Psal. 93. — Psal. 115. — K Miracula non fiunt sine necessitate.

manum subuenire. Quia vero sunt nunc satis mercatores, agricolæ, & alij diuites, qui habent vnde pauperes nutrire, Deus non mittit, imo Deus facit diuitibus magnum bonū, mittendo eis pauperes ad ostium, quia mittit mercatores ad ostiū, sine hoc quod vadant ad nūdinas, scilicet pauperes, qui mercantur regnum cælorum. Et quia tunc Catherinæ deerat humanum auxilium, quia præceptum Imperatoris vrgebat, ideo affuit illi Dominus. Tertium genus tormenti fuit, rotarum machinas. Videns enim tyrannus, quod nec verberibus, nec fame potuit eam ab opinione diuellere, & videns se sperni, cogitabat qualiter atrocius eam punire posset. Tunc minister diaboli homo diabolicus dixit se facturum instrumentum rotarum, quod totaliter dilataret eam, & hoc vt regi complaceret & furori eius. Credo quod talis Imperator tali ministro debuisset fecisse, sicut fecit Phalaris tyrannus cuidam Siculo, qui bouem æneum fecerat in horrorem eorum, qui ei male volebant. De quo recitat Valerius, quod facto illo iustrumento primus punitus est in eo. Vtinam sic fieret de ministris, qui ad torquendum populum tot inuentiones sciunt, & per eas totum, quod est populi, extorquent. Sed hæc rota ad preces virginis ministerio Angelorum fracta, & eum, qui eam fabricauerat, & motores eius, & multitudinē populi interemit. Sic etiam qui istas inuentiones introducunt, sæpe cadunt in laqueum, quem cæteris parauerunt.

*Nota.*

L *Rota Catherinæ mundus signabatur.*

Vnde ista rota quatuor habuit conditiones. Primo, volubilis erat, & voluēdo frāgere membra Catherinæ debebat. Sic mundus, qui per rotā intelligitur, volubilis est, ideo dicitur rota fortunæ, ita vt numq am homo sit in eodē statu, etiā in paruo tempore. Nunc enim est gaudens, nunc tristis, nūc diues, nunc pauper, nūc in amore principis, nunc in odio, nunc in magna opinione omniū, modo è conuerso, modo sanus, modo æger, modo iuuenis, modo senex, modo fortis, modo debilis. Et hæc rota dum bene circuierit tota die, semper sero est vbi erat de mane, sicut patet in rota molendini. Sic mūdani quantūcumque circuierint mare & aridam, semper in fine se inueniunt vbi erāt in principio, scilicet in morte, sicut in natiuitate. Iob: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Iob 1. Quicquid enim faciat homo in hoc mūdo, nō facit nisi vnum circuitū rotæ. Mane infantiæ nihil habens erat in fundo rotæ, deinde ascendit dilatādo se, sed in fine cum peruenit ad infirmitatē, vxor ex vna parte rapit, ex alia filij, & ex alia iustitia, & ex alia creditores, & tandē ad hoc peruenit, quod venit in fundo rotæ, & ibi etiā prope rotam est fouea, vbi piscātur aduocati in aqua turbida. Item aqua venit lēte ad molendinum, sed cito recedit. Sic diuitiæ ad rotam fortunæ, sed cito recedunt per pueros mali regiminis. Secunda conditio huius rotæ fuit, quod erat plena rasorijs, vt dissecarent eam minutatim. Sic mūdus plenus est rasorijs, id est prædonibus, qui radunt barbam, & omne corpus populi pauperis ita terribiliter, quod simul etiā scindunt pellē, id est omnia tēporalia, nō solū superflua, sed etiam necessaria ad sustentationē & operimentum eorum. Sicut etiam isti aduocati, qui sunt rotæ horribiles, quæ rotāt pauperes & radūt propter duas conditiones. Primo, quia rotāt illos, eo quod habent aliqua bona, & ducunt eos ad miseriā, faciendo vēdere hæreditatē, & faciendo credere quod nō habent bonā causam. Exemplum est ad hoc de lupo, de quo fabulose dicitur, quod cū quadā die obuiasset oui, quæsiuit: Quod animal es tu? Respōdit: Bene vides quod ego sum ouis. Cui lupus: Quicquid dicas videtur mihi quod tu nō es ouis, sed salmo. Vis credere primo venienti? Cū ergo illac transisset vulpes, ipsi ambo fecerunt credere oui, quod esset salmo, & sic lupus comedit ouē loco salmonis. Sic tales volunt persuadere pauperibus, faciēdo eos perdere hæreditatē, quod non sunt digni appellari oues, vt comedant super terrā, sed

*Rotæ nomine malitiæ officiales intelliguntur.*

sed quod sunt digni mitti in aquam cum piscibus. Secundo, radunt barbas,& sine aqua misericordiæ & compassionis, ita quod totum destruunt. De malis tamen loquimur, quia stat inuenire aliquos bonos & timentes Deum. Tertia conditio rotæ erat,quod ab Angelo diuinitus fuit fracta. Sic in mundanis prædonibus, nisi per diuinam inspirationem à Deo immissam,vix aut numquam tales prædones à mundo & rapina reuocantur.

Hic quæritur, vtrum Angeli boni vel mali fregerint rotam,hoc est,vtrũ Angeli boni hic puniãt bonos vel malos,vel hoc faciant Angeli mali. Dicitur,quod Angelus bonus facit punitionẽ hic per modũ pugilis, & superbiam & eleuationẽ contra Deum reprimentis, sicut pugiles faciunt contra rebelles,eos exterminando, &sic Angelus Domini subuertit Sodomã & Gomorrham, quia Ezechiel: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & otium.* Similiter contra superbiam Dauid,quando numerauit populum, visus est Angelus Domini percutiens populum, & similiter contra blasphemiam Senacherib. Sed per modum tortoris & exequẽtis ad suas expensas, hoc facit Angelus malus. Exemplum in Angelo percutiente primogenita Ægypti. Et ita potest dici,quod fuit vterque, vnus per modum pugilis, alius per modum tortoris. Quarta conditio rotæ fuit, quod per huiusmodi rotam magna populi multitudo interimitur. Sic & de sequentibus honores mundanos pauci perueniunt ad viam salutis in comparatione ad perditos, & eos qui incedunt per viã perditionis. Et si dicatur: Si ergo per rotam mundus significetur,quomodo Catherina in manu rotam gerit, secundum typum Ecclesiæ? Ad hoc dicitur, quod quando rex super terrã hostilem victoriam habuit, dicitur quod rex capit illam terram, & tenet in manu sua. Sic Catherina quia triumphauit de mundo, ideo conuenienter eũ sub specie rotæ dicitur tenere. Quartum genus fuit exterminatio eius per decollationem. Videns enim quod nihil proficeret, iubet eam decollari. Quam sentẽtiam ac si sibi regnum dedisset, iucunde suscepit, quoniam iam inuitata erat ad nuptias sponsi sui. Huius autem actus tyrannus ille postmodum consequutus est diram pænam,quia postquam Maximianum Herculium Christianorum accerrimũ persecutorẽ sed patrem suũ, fugauit à Roma,& exercet eam, quã supra diximus tyrannidẽ, iudicatus tyrannus cum Const. magno circa pontẽ Molbium pugnauit. Sed Constantino reuelatũ est nocte præcedente,quod in signo crucis vinceret. In hoc (inquit Angelus) vinces ô Constantine. Viso igitur signo crucis territus Maxentinus cũ suo exercitu trãsire putans pontẽ,quem ad destructionẽ Cõstãtini fecerat, oblitus eorũ quæ fecerat, ascendit in pontẽ,& ibi cedẽtibus omnibus quę videbãtur firmare pontẽ,in profundũ fluuij armatus cecidit, vt qui persequutus erat crucẽ,etiam crucis victoriã super se perciperet. Ideo cõtra istos quinque insultus quinque insignia in morte, & post mortẽ obtinuit. Primo quia carnẽ contra insultus luxuriæ seruauit incorruptam, lac de eius corpore in signũ puritatis pro sanguine fluxit. Secundo quia sapientiã verbosam artistarũ & legistarũ deuicit,ideo in monte Sinai, in quo lex diuina data & Moyses legis doctor effectus est, sepulta est manibus Angelicis. Tertio quia diuitias spreuit, & eas pauperibus erogauerat, ideo corpus suũ etiã sepultũ,oleũ iugiter manat. Cõsiderate quantæ puritatis erat quãdo fuit viuens,&quando spiritus replebat vasculũ corporis,quãdo nũc exanime manat oleũ pietatis, quod multis egris sanitates confert. Ideo verissime est de prudẽtibus virginibus,quæ tantũ secũ de oleo sumpsit, vt nõ solum spiritus eius repletus fuerit, sed etiã corpus cõtinuo fluat. Quarto quia honores terrenos quasi nihilum spreuit ideo,honorifice deportatur in montẽ, & in sepulchro decẽtissimo angelorum ope sepelitur. Et ita sicut B. Paulus pro Christi nomine

M
Angelus bonus exercet quandoque punitiones in mũdo.
Ezec. 16
4. Re. 19
Exod 12
Nota

nomine truncatus caput lac pro sanguine fudit, sic & Catherina. Et sicut tūba sancti Nicolai oleū manat, sic & Catherinæ, sicut corpus B. Dionysij deportatur fere ad tria milliaria, sic istius corpus cū laudibus & hymnis portatur plus quam per viginti dietas ab Angelis. Et sicut corpus Moysi legislatoris traditur per Angelos sepulturæ, sed nescitur vbi sit, sic & Catherinæ corpus per Angelos traditur sepulturæ, sed tamen hominibus innotescit in perpetuam memoriam recolendū. Quinto quia nec pro Christo pœnarum genera, sed nec mortem timuit horrendam, ideo in morte meruit exaudiri, cum pro vniuerso populo orationem fecit, vt scilicet sui agentibus memoriam in suis necessitatibus subueniret Deus, & quæ propter Christum noluit audire tyrannum, meruit audiri à Christo. Legitur autem Angelos sibi quater apparuisse. Primo ante disputationem doctorū. Secundo in carcere. Tertio in rotarum fractione, saltem in effectu. Quarto in morte dum exaudita est. Eius exauditionem probant vox audita de cælo, oleum manans de sepulchro, & continua miracula quæ nunc fiunt ad sacrum eius tumulū.

N *Martyres an licite orabant sua merita prodesse alijs.* Circa hæc quæruntur duo. Primo quomodo B. Catherina orauit, vt quicunque memoriam suam faceret, exaudiretur à Deo, quia: Dixerunt prudentes virgines, *Ne forte non sufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis,* (*Mat. 25.*) ipsa autem est de prudentibus virginibus, ergo debuit sibi sufficere quærere pro se, & existimare suum meritum alijs non prodesse. Itē: *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus,* (*Luc 17.*) ergo quæcunque opera fecisset, debebat se indignam præmio æterno reputare, & non vltra pro alijs ex suo merito quærere. Ad huius quæstionis solutionem sit prima conclusio. Credibile est, & valde rationi consonum, quod B. Catherinæ, & sanctis Martyribus reuelatum est, quod eorum merita erant posteris profutura, aut per reuelationem Angeli, aut per diuinam inspirationem internam, iuxta illud Psalm. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus,* (*Psal. 84.*) ex quibus verbis Psal. Colligi potest, quod tripliciter locutus est in ea Dominus per inspirationem. Primo pacem populi, cum loquuta est Maxentio, vt dimitteret populum in pace seruire Deo suo, & non idolis, cum subditur in Ps. *Quoniam loquetur pacem in plebem suam.* Secundo super sanctos suos, quando loquutus est de conuersione illorum sanctorum doctorum, qui Martyrio coronati sunt. Tertio in eos, *qui conuertūtur ad cor,* quando pro pœnitentibus, qui redeunt, secundum exhortationem: *Redite præuaricatores ad cor,* (*Esai 46.*) interuenit in extremo vitæ suæ, vt scilicet merita eius valerent eis. Quod etiam probatur sic. Sic enim martyrium illorū sanctorum doctorum fuit eis pro baptismo, ita quod per ipsum mærebantur æternam gloriam, & pœnarum dimissionē æternarum, & temporalium, & peccatorum, nonne in Catherina quæ nulla habuit peccata, imo abstinentijs & arduitate vitæ, si quæ fuerant peccata, de omnibus illis secundum diuinam acceptationem, & voluntatem satisfecerat, nonne valebit martyrium ad gloriam, & vltra ad maiorem satisfactionem temporalē? Secunda conclusio. Conuenienter, & licite orauit Catherina, vt meritum suæ passionis nobis prodesset, imo & meritorie. Patet quia homo licet potest quærere, vt opera sua & merita alijs prosint. Hoc enim est opus maxime charitatiuū, quid est melius cū in plures diffunditur, & ita fit, quod vnus existens in charitate nonnunquam pro alio lucratur, alio forte dormiente in peccato, & hoc facimus cum oramus pro defunctis, sed Catherina tota ardebat charitate, ergo conueniēter orauit Deū, vt nobis sua merita prodesse possent. Secundo, quia (vt dicūt doctores) ad hoc quod transferatur merces, vel fructus operis alterius in alterum requiritur intentio transferentis. Hoc autē Christus voluit, cum dixit, hoc est corpus meū, quod pro vobis tradetur, & hic est sanguis,

ſanguis, qui pro vobis effundetur, ergo etiam fuit conueniens, quod pro nobis oraret Catherina, vt meritū ſuum in nos redundaret. Secunda quæſtio, quomodo quæſiuit pro omnibus facientibus de ea memoriam prodeſſe ſuum meritum. Iam enim ſupponebat, quod fieret ſolemnitas & gloria de ea in hoc mundo, quod eſt, vt videtur, quærere gloriam de ſuis operibus, & contra diuinum præceptum, nec ſic quærebat Dauid cum diceret, non nobis Domine non nobis.

*O Memoria duplex ſanctorum.* Circa hoc eſt ſciendum, quod facere memoriam de aliquo ſancto vel ſancta, non eſt ludere, vel nihil facere tota die, ſicut ſolitum eſt. Hoc enim non faciebat Catherina, quæ ſacris inſudabat literis, nec etiam eſt laute comedere, quia ſimiliter illa in abſtinentijs, Deo à pueritia ſeruiebat, nec eſt illo die bene veſtiri, ipſa enim ſic omnem gloriam & mundi ornatum contempſit, quod etiam velut malefactricem ſe duci pro Chriſto gaudebat ad eculeum. De memoria ſanctorum poſſumus loqui dupliciter. Quædam enim eſt ſolennis & publica quæ fit à tota Eccleſia, cantando eorum vitas, & eas proclamando populo, vt admoneantur ad deuotionem & ad exercitium bonorum operum, imitando geſta Sanctorum, ſicut fit cum recitantur victoriæ alicuius principis, quia tunc fiunt cantilenæ, quæ cantantur cum viella aut alio modo, & de celebrantibus habēt memoriam, dico quod B. Catherina potuit aliqualiter percipere ante mortem, quod Chriſtiani eam facerent. Tum ex reuelatione diuina, ſicut prædiximus. Tum etiam quia tempore illo Eccleſia corpora Martyrum in terra reuerebatur, adeo vt tyranni extraherent corpora Martyrum à terra, cum iam ſepulta eſſent, & in mare projicerent, ne Chriſtiani in honore & reuerentia ipſa haberent. Et quia hoc præuidebat, ideo petebat à Deo conditionaliter, quod ſi talia de ea facerent, quod non in vanum hoc faceret populus, ſed à Deo mereretur exaudiri in ſuis neceſſitatibus. Alia eſt memoria priuata, quæ non eſt aliud, niſi quemlibet Chriſtianū eius ſequi vitam pro modulo ſuo, & bene geſta ab ea, ſecundum quod exigit tempus. Et talibus petiuit B. Catherina virgo exauditionem orationum ſuarum, quādo pie, perſeueranter, & pro ſalute ſua petunt. Imitamur autē Catherinæ vitam, ſi eius opera conſequamur. Nam ſicut dicuntur aliqui fratres, quia ſibi inuicem ſimilantur, ſaltem per hoc cognoſcuntur in facie corporali, ſic dicuntur aliqui fratres Catherinæ, quia ſibi aſsimilantur in facie animæ ſpirituali. Dicunt enim Angeli, qui illam vident faciem. Iſti ſunt ſimiles Catherinæ, quia eius opera ſequuntur. Sicut enim fratres carnales dicuntur ſimiles carne, ſic fratres ſpirituales, qui ſunt ſimiles ſpiritu. Iſta tamen quæ orauit Catherina, non ſunt in conſequentiam trahenda, nec nobis proponenda tanquam imitanda, ſicut nec illa vox B. Martini ad dæmonem, nihil in me funeſte reperies. Tum primo, quia nunquam talia opera facimus ſicut opus Martyrij, quod eſt ſummum opus. Tum ſecundo, quia reuelationes tales non habemus noſtris exigentibus demeritis, ſicut & illi habebant. Ideo cum omni humilitate debemus dicere, cum omnia fecerimus, ſerui inutiles ſumus, & illud: *Omnes iuſtitiæ noſtræ quaſi pannus menſtruatæ.* *Eſai. 64.*

## IN DEDICATIONE ECCLEſiæ, *ſermo I. & in ordine XCII. factus in ſancta capella Pariſiis, Per Thema.*

*TEmplum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* *1. Cor. 3.* Quæritur de quo templo facimus feſtum. An de templo quod eſt ligna & lapides. Et videtur quod non, quia eſſet vna ſpecies idololatriæ adorare ligna, & lapides ſicut antiquitus. Non igitur illud templum, colitur. Quale igitur templum colitur? Reſpondet Apoſtolus. Tēplum Dei ſanctum eſt, &c. Et vt planiùs intelligamus, quod eſt illud templū quod colimus, dicimus coli triplex templum. *A Templū triplex colitur.*

plum. Primum est materiale, quod, secũdum Bernardum, sanctitatem habet. Primo, quia ibi sancti habitant, sancti viri & sanctæ animæ. Hinc ait idem Bernardus: Sanctæ sunt animæ propter inhabitãtem Spiritum Dei, sancta sunt corpora propter animas, sancta domus propter corpora sanctorum. Et quia in hac Ecclesia sunt viri sancti, & animæ sanctæ multæ, & reliquiæ sanctorum etiam requiescunt, nõ est mirum, si dicatur habere sanctitatem. Secundo, quia ibi habitant sancti Angeli, Esa 62. qui custodiunt ciuitatem, iuxta illud: *Super muros tuos Hierusalem constitui custodes*, non illa superna Hierusalem, quia de illa Psal 147 Psalm. *Qui posuit fines tuos pacem*. Si enim Exod 3. Moysi dictum est propter præsentiam vnius Angeli in rubo apparentis, vt discalcearet se, *quia terra, in qua stas, sancta est*, necessarium est dicere templum materiale esse sanctum, vbi habitat multitudo Angelorum Deo psallentium, iuxta illud Psal 67 Psalm. *Præuenerunt principes coniuncti psallentibus, in medio iuuencularum tympanistriarum*. 2. Mac 3 Tertio, quia Deus ibi habitat. Deus enim habitator est & visitator loci Gen. 28. illius. Si enim Iacob, propterea quia vidit Dominum in monte Moria, & Angelos ascendentes & descendentes per scalam, subiunxit: *Vere locus iste sanctus est, & ego nesciebam*, scilicet ante: quanto magis locus iste sanctus dici debet propter pręsentiam Dei in sacramento, & in effectibus, & miraculis, quæ quotidie operatur in resuscitatione peccatorũ. Quarto, sanctificatur ex frequentia sanctarum orationum, & suspirijs lachrymarũ, & quia ibi dimittuntur peccata, & multa alia Psal. 99. fiunt, ideo Psalm. *Domum tuã decet sanctitudo Domine*. Secũdum templum, & quod in hac festiuitate præcipue colitur, est nosipsi, si sumus iusti. Nam templum Dei sanctum est, quod estis vos, quia in iustis Ioan. 14. habitat Deus, secundum illud: *Ego & Pater ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Iam enim diximus, quod templum materiale non colitur nisi propter nos. Habemus enim corpora nostra, de quibus Apostolus: *Nescitis, quia corpora vestra templum sunt Spiritus sancti*. Ibidem. Vnde propter hæc alibi iubet: *Sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione & honore*. 1. Tes 4. Habemus enim animas, quæ sanctæ debent esse. Sed quomodo Psalmista ait: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum*. Psal 85. Qui tamen commiserat adulterium, dico quod iam surrexerat. Sancti enim in hoc mundo sæpe cadunt, sed, vt dicit Apostolus, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, propter hoc dicitur eis: *Timete Dominum omnes sancti eius*. Psal. 33. Vnde & in principio Missæ dicitur: Terribilis est locus iste, propter quod, vt sanctificemur, in porta Ecclesiæ ponitur baptisterium ad purgandum de originali, & aqua benedicta ad purgandum venialia. Supponit enim quod purgati simus à mortalibus, antequam in eadem coram Domino ingrediamur. Contra multos, qui sine honore intra Ecclesiam ingrediũtur, male vestiti spiritualiter, de quibus Sapiens: *Non iudicauerunt honorem animarum sanctarum*. Sap. 2. Si igitur de sanctis Petro & Paulo facimus festum solemne, quanto magis de hac solemnitate, quę est de nobisipsis, si simus sancti? & qui iã in baptismo fuimus consecrati Deo. Tertium templũ est Maria, de qua canit Ecclesia, Templum Domini, sacrarium Spiritus sancti. Non enim in ea solum habitauit Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, sed etiam in ea summus Pontifex vestiméta sua sumpsit velut in sacrario, ideo non solum templũ est, sed etiam sacrarium. Ad quod recurremus, &c.

Dauid cogitanti ædificare templũ Domino, eo quod habitaret in domo cedrina, & iam non erat locus Domino, occurrit Nathan laudans bonam voluntatem eius. Verumtamen dixit, cum non ædificaturum domum Domino, sed solum præparaturus erat necessaria, & Salomon erat ædificaturus domum. Si tam laudatur Dauid in scriptura propter cogitationem huiusmodi, quam laudandi sunt reges Francorum, qui postquam ædi-

ædificauerunt sibi domos & palatia, Domino Deo hanc pulcherrimam domum non solum præparauerunt, sed etiam ædificauerunt, & iocalibus munierunt.
B Sed Dauid præparauit necessaria, Salomon ædificauit, manus iunctæ consecrauerunt sacerdotis. Sic moraliter loquendo debemus præparare domũ Domino, qui præparauit animæ nostræ domum aptam sibi & ornatam, scilicet corpus nostrum, vt delectabiliter in ea habitaret, & domum excelsam & decoram, hunc sensibilem mundum propter corpus nostrum. Indignum enim videtur, si nobis præparauerit has domos, si non ei ædificemus similiter domum animæ nostræ. Sed Dauid præparat necessaria, qui est vir sanguinum, effundens sanguinem malum peccatorum, de quo Psalmista: *Libera me de sanguinibus*. Non enim habitat sanctus sanctorum, nisi in loco sancto. Ps. *Tu autem in sancto habitas laus Israel*. Sanctitas autem animæ est eius sanitas, non est autem sanitas, nisi illi mali sanguines extrahantur. Extractis illis malis sanguinibus, Salomon rex pacificus ædificat domum, quia pax conscientiæ construit domum. Psalm. *In pace factus est locus eius*. Post vnctio manuum consecrat, quia misericordia Dei nostri sacerdotis sanctificat eam. Beatificat, inquit Bernardus, sanctos superiores, sed sanctificat inferiores. Ideo debes dicere Domino quod Dauid, considerans qualiter tibi ædificauit domum. *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inueniam locum Domino*. Et si quæras, qualem locum, non quæras extra te. *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos*, &c.

*Domum animæ nostræ debemus Deo ædificare.*

*Psal. 50.*

*Psal. 21.*

*Psal. 75.*

*Psal. 131*

*1 Cor. 3*

Præcipitur in decretis, 10. quæst. 1. sanctorum, ne incastellentur Ecclesiæ. Sed
C non video quin necesse sit de templis nostris castra fieri, quoniam, vt inquit Apostolus, non est vobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus & potestates, & rectores tenebrarum harum. Ideo non est opus incastellatione materiali, de qua decretum, sed spirituali. Inimici enim nostri obsident castrum nostrum. Psalm. *Inimici mei animam meam circumdederunt*. Et propterea opus est ad custodiam huius castri quatuor rebus. Primo munitione. Secundo armis. Tertio alimentis. Quarto custodia vigili. Primo, opus est munitione, de qua Esaias: *Vrbs fortitudinis nostræ Sion, saluator ponetur in ea murus & antemurale*. Murus proprie est continentia corporis, qui vndique circumcingit animam, vt nec per oculorum fenestras, nec per cæteros sensus detur ingressus morti. In domo obsessa fatuum est aspicere per fenestras, sic fatua est anima, quę per fenestras sensuũ, tot inimicis obsidentibus, euagatur. Hic enim murus mirabiliter impugnatur. Primo à paillardis, qui oculis, verbis & odoribus immittunt sagittas amoris, vbi aliqui cedunt. Vermis enim mollis & delicatus in se perforat dura. Sic verba illa lubricorum perforant murum durum continentiæ, sed tamen boni muri & potentes non cedunt sagittis illis. Aliæ sunt macquerellæ, quæ ignem supponũt muro suis faculis igneis igne inferni, sed debẽt repelli. Alij sunt dæmones tentãtes & inflammãtes. Et certe difficile est resistere eorum igneis sagittis & bombardis, quin quassent murum, nisi Dominus adsit. Et propterea dicebat Sapiens: *Aliter non possem esse continens, nisi Deus det*. Hoc expertus est senex ille in vitis patrum, qui sagitta diaboli percussus, ad diuinum auxilium non se conuertit ex corde, sed cessit, & ibat ad fornicandum in sæculo. Quod permiserat Deus, quia non fuerat cõpassus cuidam fratri agitato tentationibus immundis luxurię, sed eum in desperationem induxerat. Quo contra miles quidam vexatus huiusmodi tentationibus, ad crucifixum venit, coram eo se prosternens, & liberatus est. Iste murus clarissimus est, & ex clarissimis lapidibus, quia res quanto purior, tanto clarior, & tales lapides muri ponentur in paradiso. Vnde non intrat radius solaris Dei in corde hominis, nisi prius

*Psal. 16.*

*Esa 26.*

*Murus castri animæ nostræ est continentia, & impugnatur multipliciter.*

*Sap. 8.*

prius corpore penetrato & muro illo clarissimo. Hinc quidam Anglorum pontifex continentiæ tantæ erat, quod semel, dum eleuaret manus in sacrificio, radij solares penetrauerunt manus eius, ac si vitreæ essent. Sed nunc verum est illud
Psal. 76. Psalm. *In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis*, &c. Solebat enim Deus ambulare per viam impollutam, secundum illud:
Psal. 17. *Deus meus, impolluta via eius*. Sed nunc ambulet, si velit, per pollutam, quia vix inueniet aliam. Vnde differentia huius temporis à tempore primitiuæ Ecclesiæ po-
Iosue 4. test designari per diuisionem Iordanis in duas partes, cuius aquæ superiores steterunt in loco vno in modum mōtis, aquæ vero inferiores descenderunt in mare mortuum. Nam superiores illi patres stabant immobiles in fide & obseruantia legis Christi, conseruantes dulcedinem gratiæ, quam acceperāt in baptismo, imo continue augmentantes, vt quasi montes supereminerent cæteris in perfectione. Sed nos, qui sumus aquæ inferiores, pro maiori parte defluimus per illicita desideria, & descendimus in mare mortuū, quod est lutosum, hoc est in lutum luxuriæ, relinquentes dulcedinem & claritatē nostrę originis & regenerationis spiritualis, ita quod si Deus vellet nūc ambulare per Ecclesiam, vix reperiret aliam viam, quam lutosam tali luto luxuriæ.

D *Antemurale castri animæ nostræ est patiētia.*

Antemurale autem necessarium ad munitionem nostri castri spiritualis est patientia, quod primos hostium sustinet impetus, vt inter plurima tentamenta & aduersitates stemus inconcussi. Quę duo vt pro munitione sumamus, dedit nobis Dominus exemplum, & factus est nobis murus continentiæ in sua conuersatione, sed antemurale patientiæ in passione, vt
Psal. 70. dicat Psal. *Deus meus patientia mea*. Et Apo-
1. Cor. 1 stolus de eodem ait: *Qui factus est nobis à Deo sapientia & iustitia, sanctificatio & redemptio*. Murale istud patientiæ in homine iusto fortissimum est & infrāgibile, quia quanto magis percutitur de bombardis & serpentinis aduersitatum, tanto fortius est & durius. Sicut enim vas terreum in aquis dissoluitur, & in igne solidatur, sic in aquis voluptatum dissoluuntur corda fortium, & in igne tribulationis solidantur. Aurū non sonat sub malleo, sed bene cuprum. Secundo, patiens obsidione expugnari non potest, quia cinctus est mari, & sic inundationes maris operirēt exercitum. Inde est illud verbum Helisæi ad puerum suum: *Dimitte illam, quia anima eius in amaritudine est*, quasi dicat: Nō præ- 4. Reg. 4
sumas obsidere castrū illud, quia in medio maris situm est.

E *Arma virtutū duplicia*

Secundo, ad defensionem huius castri requiruntur arma. Primo arma virtutū, de quibus Apostolus: *Induamur arma lucis*. Et de his vide diffuse Serm. 4. Domi- Rom 13
nicæ primæ Aduentus. Sunt autem duplicia arma virtutum, secundum Guilermum Parisiensem. Quædam protectionis, vt humilitas & patientia. Alia impugnationis, vt disciplina, doctrina, charitas, pietas, quæ eleemosynis, velut lapidibus, diabolum obruit. Sed multi sunt, qui bene habent arma ista in ore, sicut illi qui bene loquuntur de patientia, sed non alibi. Alij cito ea reijciunt, sicut illi qui bene pauca sustinent, sed statim deficiunt. Dices tamen: Arma ista patientiæ sunt nimis difficilia ad portandum, nos autem debiles. Pueri autem & debiles sub quacumque armatura deficerent, vt legitur de Dauid, qui non potuit incede- 1. Re 17
re cum armis Saul. Respondetur primo, Nota.
quod arma ista patientiæ sunt interius, nō exterius in cute, nihilque habent pōderis, nihil grauitatis, sed bene tentationes onerant & grauant animam, & bellatores, qui talibus armis onerati sunt, ideo volentes proijcere onera ista, simul proijciunt arma virtutum, & patientiæ scutum. Nec est mirum, si Dauid proiecit arma Saul. Primo, quia non habuerat vsum, postmodū enim bene cum armis incessit. Sic qui nihil consueuerunt pati, difficile seruant patientiam in aduersis. Secundo, quia nō erat satis perfectus ad portandum. Oportet autem magnos & perfe-

Iacob. 1. perfectos esse ad patientiam, quia *patientia opus perfectum habet*. Iudicatur enim aurum ad tactum, sic perfectio hominis cognoscitur per tactum tribulationis. Iudicatur autem aliter à Domino perfectus quis & magnus, & aliter à mundo. Mundus enim in suo iudicio se habet, sicut capra ioculatoris, quæ eligit melius vestitum exterius tamquã meliorem, de interiori nihil curans, Deus vero respicit nõ ad extra sed intra, scilicet ad ornatum animæ per virtutes homo iudicat quæ foris parent, Deus autem intuetur cor. Exemplum de malo diuite, & paupere, quorum vnus bene vestitus exterius, & magnus reputabatur à mundo, sed non à Deo, alter bene vestitus erat interius, quem licet mundus contemneret, tamen multum reputabat Dominus. Ideo dicitur de paruis hominibus corpore, quod sunt magni, quia magnæ virtutis. Deus non iudicat merces pro serpilena, sed propter ea quæ intus sunt recondita. Dicitur secundo, quod Deus posuit pedagium super passagiũ huius maris, antequam veniatur ad portum. Ideo oportet soluere. Istæ sunt tribulationes, & si non soluantur, non transibis. Et qui non vult attenuari hoc sacro tempore, fiet ei sicut illi, de quo Petrus Alphonsus, qui primo noluit soluere vnum denariũ pro vna macula, quæ apparebat in fronte (erat enim tale constitutum & decretum, quod quilibet maculosus transiens supra illum põtem solueret pro vnaquaque macula vnum denarium.) Et cũ contenderet, decidit pileus, & inuentus est scabiosus, & multæ aliæ maculæ inuentæ sunt in corpore eius, ita quod pro vno denario, quem renuerat soluere, multos soluit. Sic qui pauca recusant sufferre in hoc mundo, necesse est vt multa ferant in alio. Ideo amici Dei hic soluunt, alij vero non, ideo non transeunt pontẽ pœnitentiæ. Gaudent autẽ boni cum tribulantur, vt perueniant ad portũ, & quanto magis tribulantur, cum perueniunt, magis gaudent, & tãquam perfecti & magni intro-

Exemplum.

ducuntur in palatium cæleste. Secundo, sunt arma apta ad inuadendũ inimicum, sicut sunt lacrymæ, orationes, misericordia, &c. Inde dicebat Ambrosius, cũ impugnaretur à Iustina Imperatrice: Arma mea lacrymæ meæ sunt. Lacrymæ enim, quæ de feruenti corde scaturiunt, sunt sicut aqua calida, ad incalidandum mastinum diabolum, & effugandũ de coquina & castro cordis: charitas etiam est quasi iaculum ignitum, quo vehemẽter percutitur & inuritur, & ita de alijs. Vnde de prædictis armis virtutum sic dicit Bern. Grauis equidẽ nobis est inimici tentatio, sed lõge grauior est illi oratio nostra. Lædit nos iniquitas eius & versutia, sed multo amplius nostra eũ simplicitas & misericordia torquet, humilitatẽ nostram nõ sustinet, vritur charitate nostra, mãsuetudine & obedientia cruciatur. Tertio, sunt Nota. arma passionis Domini, quæ sunt vexilla militiæ Christianæ, quæ in hac Ecclesia requiescunt. Est enim ibi pro tuitione galea coronæ Christi contra regẽ superbiæ & coronã eius: est intus purpurea vestis, qua indutus est Christus, vestis scilicet rubea charitatis cõtra inuidiã, est vexillũ crucis contra crucem auaritiæ, est ferrum lanceæ ad aperiendũ cor tuum ad amorẽ cõtra iram & proximi vindictam, est etiã spongia Saluatoris ad mitigandũ gulam tuã, est escourgia ad castigandum carnem tuam, est etiam karbram, quo ductus est per vicos Hierusalẽ nudis & quassatis pedibus, ad excitandam pigritiam tuam.

Tertio, castrũ nostrum indiget alimẽtis. Alimenta autẽ animæ, sine quibus diutius viuere don potest, sunt verba Dei, quia *non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*. Inde comminatur Dominus per Prophetã: *Mittam in vos famem & sitim, non panis & aquæ, sed audiendi verbum Dei*. Secũdo, pascitur anima quandoque dulcedine cõsolationis spiritualis, quasi delitijs quibusdam paradisi, quæ cadunt sicut micæ de mensa dominorum illius loci. Tertio, est panis lacrymarum, qui licet minus suauis sit, opti-

O Alimẽta animæ quæ sint. Matt. 4. Amos 8.

me tamen cõfirmat cor hominis. Quarto, est panis obediētiæ, de quo Dominus ad
Ioan. 4. discipulos: *Meus cibus est vt faciam voluntatē patris.* Quinto, est panis de cælo viuus, qui est corpus Christi, in cuius fortitudine deijcitur omnis inimici fortitudo: sed multi sunt valde soliciti de sumendis corporeis alimentis, ita quod virtute alimentorum corpora eorum multum crescunt & in longitudine & in latitudine, sed dimittunt animam esurientem, &
Nota. ideo non crescunt spiritualiter. Ridiculum tamen esset videre animam paruam in corpere magno, hominem scilicet ætatis annorum triginta secundum corpus, & non habere nisi duos aut tres annos secundum animam, sicut ridiculum est videre hominem triginta annorum talis staturæ, sicut puerum triũ vel quatuor annorum. Si autem crescat anima supra corpus, ita vt excedat & regat corpus, vsque cælũ crescet in altum. Si autē è conuerso corpus supra animã crescat, eam trahet in carceres terræ, qui sunt infernus. Caueat igitur qui animã suam habet regere, ne eã male nutriat, & corpus nimis delicate. Quarto, indiget castrũ
H Custodia animæ duplex. animæ custodia vigili. Est autem duplex custodia animæ, scilicet extrinseca Prælatorum, & Angelorũ, de qua Esaias:
Esai. 62. *Super muros tuos Hierusalem constitui custodes, tota die & tota nocte in æternum non tacebunt.* Sed est alia custodia intrinseca, scilicet ratio, qua indiget, vt custodiat, videat, & vigilet circa pertinentia ad salutem, vt possit
Cant. 5. homo dicere: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Alioquin si ratio obdormiat per negligentiam, anima est in periculo. Ideo
Psal. 120 verum sit illud in anima de ratione: *Non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israel.* Sed tria cauēda sunt. Primo, ne proditores simus castri animæ. Maximum enim dedecus est militi proditorem esse. Isti sunt detractores, qui discordias seminãt & scandala, & sic proditorie eijciunt Dominum de castro cordis sui, cum in pace factus sit locus eius, & in discordia locus diaboli, & similiter qui vitia quælibet in animam introducere conantur, proditores sunt. Secundo, cauendum est, ne simus negligentes ad ipsum custodiendũ, quia non dormiunt qui impugnant nos. Et ideo hortatur Petrus: *Vigilate in orationibus, quia aduersarius vester diabolus tãquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* 1. Pet 5. Tertio, cauendum est à pusillanimitate & deiectione animi, ne fracti hostilibus impugnationibus, castrum ipsum dedamus hostibus nostris.

*DE EODEM, SERMO II. ET in ordine XCIII. Per Thema.*

*OMnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino.* Ephes. 2. Multa nos debent mouere ad venerationem sacrorum locorum. Primum est sanctæ Trinitatis præsentia. Psalm. *Deus in loco sancto suo.* Et Esaias: *Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel.* Secundum est reuerentia corporis Dominici, quod est medicina omnium. Sapiens: *Medicina omnium in festinatione nebulæ:* quia dixit Dominus vt habitaret in nebula. Magis enim insensibilis & irrationabilis esset, qui non reueretur, quam bos & asinus, qui leguntur ei reuerentiã exhibuisse, quia *cognouit bos possessorem suũ, & asinus præsepe domini sui,* &c. Tertio, propter reuerentiã patroni. Honorant enim homines loca sua, sic sancti sua templa. Exemplum est de templo sancti Martini. Nam cum fama esset, licet falsa, quod Clotharius pugnando contra Saxones peremptus esset, Astrapius Dux Chrannum timens, in Basilicam sancti Martini confugit, cui in tali tribulatione posito non defuit auxilium Dei. Nam cũ Chrãnus ita eum constringi iussisset, vt nullus ei alimenta præbere præsumeret, & ita arcte custodiretur, vt nec aquam quidem haurire liceret, quo facilius pulsus inedia ipse sponte sua de Basilica sancta periturus exiret, accedens quidam vasculum illi cum aqua sine vino detulit ad potandum. Quo accepto, iudex loci velociter

(Margin: A Templa sacra sunt veneranda mo tu de causis. Psal. 67. Esa. 1. Eccl. 43. 3. Reg. 8. Esa. 1.)

ter aduolauit, ereptumque de manu eius terræ diffudit. Quod velox Dei vltio & beati Martini virtus est subsecuta. Ea namque die iudex, qua ista gesserat, correptus à febre, nocte media expirauit, nec peruenit in crastinum. Post quod miraculum omnes ei opulentissime, quæ necessaria erant, ministrauerunt. Et quia hic locus est Christi specialiter & passionis eius, ideo multum reuereri debet. Dominus enim maiorem videtur ostẽdisse indignationem contra inhonorantes templum, quam crucifixores suos. Nõ enim viuens in corpore manualem violẽtiam intulit, nisi pro inhonoratione templi. De manuali autem eius castigatione, qua templum inhonorantes puniuntur, habetur Ioannis secundo, vbi dicitur, quod
Ioan. 2. inueniens in templo vendentes oues, & boues, & columbas, & nummularios sedentes, fecit quasi flagellum de funiculis, & omnes eiecit de templo, oues quoque & boues, & nummulariorum effudit æs, & mensas subuertit. Quarto, propter dona & beneficia quæ ibidem recipimus, & sacramenta. Hinc quia Symeon
Luce 2. & Anna erant in templo, meruerũt suscipere Dominum, secundum illud Psal.
Psal. 46. *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* Vnde, vt dicit Albertus de natura Planetarum, cęlestes influentię plus influunt in vno loco & tempore, quam in alio, secundum aspectus magis directos vel indirectos. Sic certa sunt loca Deo dicata & magis accepta, & ad impetrandam diuinæ gratiæ influentiam magis oportuna, sicut sunt Ecclesiæ & altaria. Et ideo hortatur Psalmista: *Adorate*
Psal. 95. *Dominum in atrio sancto eius.* Inde est quod Dominus aduenientibus festis diebus ascendebat in templum. Quinto, propter officia diuina, quibus assistunt Angeli.
Psal. 137 Psalmista: *In conspectu Angelorum psallam tibi.* Illi autem docuerunt beatum Ignatium de modo psallendi in Ecclesia Dei, vt habetur libr. decimo Historiæ Tripartitæ cap. 9. Fiunt etiam illic tamquam in schola moralium documentorum prędicationes, exhortationes, orationes, oblationes, & huiusmodi, de quibus Deus placatur. Propter quod Ezechiel: *Domus* Ezec. 10.
*Dei impleta est nube*, id est doctrina salutari & oratione spirituali, quibus arida corda irrigantur, & Deus mitigatur. Sed conquerendum est cum Propheta eodem:
*Conuersus vidi, & ecce viginti quinque viri* Ezec. 8.
*habebant dorsa contra altare templi, & facies eorum contra orientẽ.* Si propheta, aut Deus per prophetam conquestus est, quod antiquus populus non fuit attentus in domo Domini, vbi animalia irrationabilia offerebantur, quid modo de multis, qui ad Ecclesiam veniunt, vbi offertur Filius Dei, cum magna irreuerentia, superbia & dissolutione, detrahentes, nec verbũ Dei audientes, habentes dorsa ad altare, vt respiciant mulieres, & è conuerso mulieres viros, & cum veniunt sic, sub pelle ouina latet cor vulpinum, veniunt enim in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

Sexto sunt ibi reliquię sanctorum, quibus exhibere debemus honorem. Licet autem beata virgo nullas sui corporis reliquias dimiserit in terris, tamen non minor est habenda reuerentia ad eam in quibuscunque templis filio suo consecratis, quia ipsa dignior est & potentior ad iuuandum nos, quàm cæteri quilibet sancti, qui etiam reliquias dimiserunt. Igitur ad illam cum reuerentia accedamus, dicentes: Aue gratia plena.

Quadruplex est templum, in sensu historico, templum materiale, in sensu morali, templum animæ, in sensu anagogico, templum Ecclesię triumphantis, in sensu allegorico, templum Ecclesiæ militantis, quæ est omnium fidelium congregatio, de qua thema: omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum, &c.

Dicemus enim pro nunc tantũ de constructione & ædificio Ecclesiæ militãtis, & de vndecim ad hoc concurrentibus, ad instar ædificationis materialis templi. Primo igitur necesse est esse fundamentum.

dijs. Sed modo aliqui sunt in curijs ad sustinendam Ecclesiam quæ est in Pampilonia. Sunt alij qui cum sunt in Ecclesia sua, videntur aliquid sustinere, sed nihil sustinent, sed sunt sicut marmouseti qui solent poni in Ecclesiijs quasi curuari, ac si portarẽt totum pondus fabricæ superextructæ, & tamem parum faciunt. Non

Eccl.50. sic ille de quo Eccl. *In vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroborauit templum.* Secundo debent esse fortes ad resistendũ

Apoc.3 impellentibus. Vnde. *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei.* Et propterea prælati nostri male apponunt pueros ad portandum in humeris, quæ Angelici humeri portare formidarent.

Psal.79. Sed scriptum est, *polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam.* Tertio debent esse dedicatæ, In dedicatione autem Ecclesia vnguntur columnæ, quia in prælatis debẽt habitare clementia & vnctio Spiritus sancti, ponuntur cruces, quia interius debẽt cruciari pro peccatis suis & suorũ, & exterius pro nomine Iesu, & lumen apponitur, quia in eis debet esse lumen doctrinæ. Sed modo colũnę Ecclesiæ sunt parui prętij, debiles, & dedicatæ potius diabolo quam Deo. Nunc domus Ecclesiæ tota est antiqua & ruinosa. Domus multum ruinosa indiget à fundamentis reparatione. Sic domus Ecclesiæ, sed nunc non totaliter reparabitur, donec veniat Christus dicens, ecce noua facio omnia, & tunc exhibebit sibi sponsam non habentem maculam neque rugam.

D

*Parietes Ecclesiæ consiliũ & nobilitas, & quales esse debent*

Quinto sunt necessarij parietes. Duo autem parietes sunt consilium & nobilitas qui habent regere Ecclesiã vel membra eius, & sunt duæ partes principales Ecclesiæ. Et isti debent esse Primo recti & æquales per iustitiam, sed eis nunc potest dici il-

Psal. 57. lud Psal. *Iniustitias manus vestræ concinnant,* debent ad lineã omnia ordinare, sed nũc si interrogemus prophetam quid videat

Amos 7 in Ecclesia, dicet. *Trullam cæmentarij ego video.* Trulla enim cæmentarij si non inueniat resistentiam in muro complanat ipsum totum, non autem si reperiat in medio grossum lapidẽ, quia tũc oportet ipsam subsistere. Sic modo cõtra paruos & pauperes bene fit iustitia, & cogũtur tales se regulare ad liniam iustitiæ sed non contra magnos & diuites. Secundo paries sustinet pondus, & prohibet ne quis furtim ingrediatur Ecclesiam. Sed nunc nobiles nihil valent.

Si quæras quare. Responderi posset sicut respondisse legitur quidam Mimus regi Francorũ quærenti quare nõ essentia probi milites tunc, sicut tempore Caroli magni, vt Rolãdus & Oliuerius. Cui Mimus, da mihi talem regem qualis erat Carolus magnus, & ego dabo tibi tales milites quales nunc nominasti. Voluit enim innuere quod probitas & improbitas militum & totius exercitus, multum dependet à probitate vel improbitate regis vel ducis. Vnde Seneca libro secundo suæ musicæ. Nunquam exercitus fortiter stetit & pugnauit, vbi dux fugit. *Omne caput languidum,* Esai. 1. sequitur: *à planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas.* Tertio debẽt esse tapissati interius per ornatũ virtutũ & non exterius. Sed nunc è conuerso, & in tanta superfluitate, quod videbis in vna tunica plusquã viginti vlnas serici panni. Tunica monstruosa demonstrat monstruositatem cordis & corporis reipublicæ. Monstrum enim secundũ Aristotelem, sicut in nano videre est, ex eo causatur quod partes principaliores totã fere sibi materiam & nutrimentum attrahunt, alijs remanentibus quasi inanibus, ex quo procedit quod illæ sunt improportionabiliter maiores & grossiores quam esse deberent, & hæc vero nimis paruæ, & sic generatur monstrum. Ita est nunc in Ecclesia, vbi nobiles & homines iustitiæ omnia penè bona sibi vendicant, & inutiliter consumunt, alijs multis indigentibus. Quarto debent esse vniti ad inuicem, & hoc glutino charitatis. Dicitur enim quod cæmentum fit ex sanguine. Sic fusus est sanguis Christi, vt lapides isti inter se & cum alio pariete

iungerentur. Vnde bene figuratur Ecclesia per illam turrim, de qua legitur in historia Merlini, vbi dicitur, quod rex quidam, dum vexaretur ab hostibus, de cõsilio magorum ad defensionẽ sui & suorum ædificare cœpit turrim fortissimam. Sed quicquid fiebat vna die, sequenti absorbebatur à terra. Propter quod fuit ei consultum, quod quæreret iuuenem sine patre, cuius sanguine lapides & cæmenta ædificij linirentur, & sic ædificium stabile & firmum permaneret. Hæc parabola est præsentis temporis. Turris, cuius ędificium absorbebatur à terra, est Ecclesia militans, cuius lapides & columnæ, id est sancti Patres & Patriarchæ absorbebantur à terra, quia in morte omnes descendebant ad limbũ, & hoc durauit, vsquequo iuuenis sine matre in cælis, sine patre in terris lapides & cæmentũ Ecclesiæ
Psal. 67. liniuit suo sanguine pretioso. Psalm. *Qui habitare facit vnius moris in domo*. Et rur-
Psal. 54. sus: *In domo Dei ambulauimus cum consensu*. Debent enim isti duo parietes mutuo coniungi, & se iuuare, quia fortitudo sine iustitia est violentia, & iustitia sine fortitudine est bona voluntas sine executione operis. Secundo dici potest, quod isti duo muri sunt sacerdotes & doctores. Hi sustinent impetum hæreticorum, & gentilium, qui tamquam machinis suis prauitatibus percutiũt murum Ecclesiæ, & sagittas blasphemiæ venenosas immittunt, quas suscipiunt doctores Ecclesiæ, & virtute fidei confringunt. Hi erant in equis & dignitatibus antiquitus, modo non. Sed hoc erat, quando Ecclesia erat quasi castrorum acies ordinata, quod nobiles erant in equis, & ignobiles in terra. Nunc autem reuertitur Ecclesia ad tem-

E Parietes Ecclesiæ possunt dici sacerdotes & doctores.

3. Re. 14 pus Roboam filij Salomonis, de quo dicitur, quod loco scutorum aureorum, quæ fecerat Salomon in domo Domini in Hierusalẽ, quæ tulit Sesach rex Ægypti, fabricauit Roboam ærea scuta, & hoc propter peccata eorum & idololatriam. Et sic factum est, vt dicit Comestor, quod Hebræi dicunt, quod auis per quinquaginta annos super Hierusalem non volauit, ita quod fere populus Iuda desperabat. Sic videmus nunc in Ecclesia æs pro auro, bona terrena pro spiritualibus, diuitias pro virtutibus, pessimos pro iustis abundare. Vt secundum gloriam, quam prius habuit, nunc multiplicetur eius ignominia. Esaias: *Erit pro suaui odore fætor, & pro zona funiculus*. Sequitur: *Et mærebunt* Esai. 3.
*atque lugebunt portæ eius, & desolata in terra sedebit*. Et Ecclesiastes: *Vidi sub sole in loco* Eccl. 3.
*iudicij impietatem, & in loco iustitiæ iniquitatẽ*. Iam enim cessat auis, id est vir contemplatiuus & spiritualis super Hierusalem, id est super Ecclesiam volitare. Hierem.
*Omne volatile cæli iam recessit*. Vnde de An- Hier. 4.
tiocho dicitur, quod ipse accepit altare, 1. Mac. 1
vasa aurea, & ornatum aureum, & thesauros occultos de domo Domini, id est viros sanctos de Ecclesia iam sustulit, & pro eis ærea, id est malas personas insufficientes, litigiosas, & clamosas instituit, & ab officijs boni destituuntur, & mali in eis instituuntur. Et forte defectus prouenit ex parte ipsorum sacerdotum & doctorum, quia antiqui erant alti per contemplationem, isti sunt depressi per auaritiam, vt de ipsis dici possit, Oculos suos statuerunt declinare in terram, vbi priores erant picti & deaurati per charitatem, nunc merito diceretur, Quomodo obtenebratum est aurum, mutatus est color optimus.

F Pars anterior Ecclesiæ signare potest clerum propter multa.

Sexto, in ædificio Ecclesiæ est pars anterior iungens parietes, & per illam primo potest intelligi clerus, & hoc propter multa. Primo, quia clerus debet esse velut lapis angularis, vt coniungat ambos parietes, & faciat vtraque vnum. Sed modo dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum. Videbis modo non clerum in Ecclesia ad laudandum Deum, sed magis in curijs, & plebicitis, & taberna discurrere & fornicibus, monachos non in claustris, sed in palatio & plateis inhoneste sine habitu incedere. Secundo, in anteriori parte Ecclesiæ libenter ponuntur imagines sanctorum. Sic

Sic debet in eis esse vera sanctorum imitatio, vt per eorum vitam possint alij parietes iungi, & vnum fieri cum Christo. Ponuntur etiam vitreæ, per quas transit lumen. Sic in clero deberent esse viri sancti & illuminati à Deo, illuminâtes alios per bonam vitam & sanam doctrinam. Sed modo non transit sol iustitiæ per vitreas istas, & ideo irridetur doctrina eorum propter malam vitam ipsorum, ita quod nunc fere omnes proijciunt in vitreas istas lapides detractionis & murmurationis. Tertio, ibi est ostium, scilicet Christus, qui dicit: *Ego sum ostium*. Et qui nō intrat per ostium in ouile, ille fur est & latro. Propterea qui violant Ecclesiam, sicut Chore, Dathan, & Abiron, descendunt in infernum viuentes. Et inde habemus tantas tribulationes in mundo, quasi esset infernus. Quia etiam hæreditatem Dei rapiunt, & infestant principes, à Deo quoque infestantur, sicut Imprecabatur Psalmista, dicens: *Omnes principes, qui dixerunt, Hæreditate possideamus sanctuarium Dei, Deus meus pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti*. Tales enim volunt intrare Ecclesiam, sicut Christus infernum, portis æreis confractis, scilicet per violentiam, sed non sunt domini Ecclesię, sicut Christus inferni. Ideo nō possunt facere in Ecclesia aperturam regiam.

Ioan 10.
Num 16
Psal. 82.

Nota. Secundo, per anteriorem partem Ecclesiæ potest intelligi Ecclesia primitiua. Primo, quia illa erat facies Ecclesiæ decora, ornata Apostolis, Martyribus, & Confessoribus, qui erant quasi speculū, in quo quilibet videre posset conscientiam suam. Secundo, erat ostium Christus cum eis, & portę Apostoli, de quibus Psalmista: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob*. Quia per eas ingrediebantur populi, & introducebantur in domum Domini, & ipsi per ostiū Christum ingrediebantur in Ecclesiam. Tertio, pars interior Ecclesiæ est magis infestata ventis, sic illi magis infestabantur tentationibus & tribulationibus, sed propterea non mouebantur. Quarto, est larga. Sic illi ita liberales erant, quod omnia dabant Deo, & pauperibus erogabāt, vt patuit in Ioanne eleemosynario, & plurimis alijs. Quinto, est lata. Sic charitas eorum erat tanta, quod etiam se extēdebat ad inimicos, & inimici intrabant in Ecclesiam Dei. Sed pars Ecclesiæ posterior est Ecclesia moderna. Primo, quia non apparent ibi imagines sanctorū, ad imitandum, nec ostiū Christus, per quod intretur. Secundo, quia circularis & rotunda. Secūdum vero Aristotelem 2. Cæli, figura sphærica est maxime capax. Ita modo homines sunt satis capaces ad capiendum beneficia aut officia. Omnes enim student auaritiæ. Tertio quia stricta est non charitatiua. Nunc enim est senectus mundi, in qua omnia frigescunt: & completum est dictū Saluatoris: abundabit iniquitas: & refrigescet charitas multorum. Vnde differentia Ecclesiæ modernæ ad priorem sumi potest in statua Nabuchodonosor, cuius caput ex auro optimo, pectus & brachia de argēto, venter & fœmora ex ære, tibiæ autē ferreæ, sed pedum quędam pars erat ferrea, & quædā fictilis. Erant enim in primitiua Ecclesia viri aurei per charitatē in statu ecclesiastico, & postea venerūt nobiles in Ecclesiam Dei, quasi brachia eius, ad defendendam eam, qui erant ex argento, & postmodum successerunt doctores, qui fuerunt nobis quasi venter digerentes scripturas sacras, & quasi æs sonori in vita & prædicationibus. Sed nunc deuenimus vsque ad tibias vel vsque ad pedes: quia sunt homines ferrei & duri ad audiendū verba salutis, & multo magis ad ea complenda, vel saltē aliqui sunt huiusmodi & alij fictiles, quia statim ad paruum ictum tribulationis franguntur. Similiter declaratur satis status ille Christianitatis in quadam historia. Nam cuidam cogitanti & admiranti super illo statu apparuit de nocte imago quædam quasi cuiusdam pulcherrimæ dominæ. Ipso admirante quæ esset, vox ad eum facta legitur, quærēs cuius illam esse ima-

Psal. 86.

G
Ecclesiæ modernæ & primitiuæ differentia.

se imaginem existimaret. Cui ille: Marię, inquit. Quo dicto, imago versus eũ dorsum vertit, in quo erat tota putrida. Quid inquit tibi modo videtur? Nõ est, ait Maria, quia de ea scribitur, quod est tota pulchra. Ipsa igitur desiderante quæ esset, vox dixit, illã esse similitudinẽ Christianitatis, quæ in principio pulcherrima, & in posteriori parte turpissima erit. Septimo, est pauimentum Ecclesiæ, & illud est vulgus. Primo, quia calcatur ab omnibus humiliatum inter omnes. Secundo, quia ibi crux magna fit ab Episcopo. Sic magis inter cæteros populus ipse diligit Christi passionẽ. Tertio, quia ibi scribit. Sic in his verbum Dei magis scribitur. Quarto, quia magis prope fundamenta fidei, quia populus ipse magis fidelis. Ideo Psalm. *Adhæsit pauimento anima mea*, quia magis prope ostium Christum. Timeant principes & raptores, quia in fine sub pauimento erunt. Octauo, est chorus Ecclesiæ, qui signat congregationem eorum, qui habent iubilare Deo, & constituitur in cęlo ex duobus lateribus, sanctorum scilicet Angelorum & hominum, vbi Decanus vel Abbas est Christus. Hic autem ex duabus partibus, scilicet sæcularibus & religiosis, qui se conuenire debent ad seruiendũ Deo. Sed nunc ẽ conuerso dispartiuntur extra chorum & canonici & religiosi. Solebat esse laus eius in Ecclesia sanctorum, sed modo laus est extra Ecclesiam in pompis & equitatuturis, & vbi deberent laudare Deũ, modo vituperant per suam malam vitam. Solebant cantare canticum nouum, modo omnia sunt vetera, contra illud Hymni: Recedant vetera, noua sint omnia. Induebantur olim vestibus albis virtutum, nunc omnia pæne inquinata sunt eorum vestimenta per luxuriam. Crucifixus autem est super chorum, ad denotandum, quod qui intrat in chorum, non nisi per crucifixum & sub obedientia crucifixi, & ad laudandum eum, non qui per obsequia, non qui per pecuniam, non qui per iniustitiam, non qui per violentiam, aut

H Pauimẽtum Ecclesiæ est vulgus.

Psal. 118.

I Chorus Ecclesiæ religiosi & clerici sæculares

principum fauorem. Nono, sunt cãpanæ Ecclesiæ, & isti sunt doctores. Plectra istarum campanarum sunt eorum linguæ ex vtraque parte pulsantes, quia de nouo & veteri testamento. Lignum, cui affigitur campana, est crux Christi, vel crux pœnitentiæ. Debent autem plectra eorũ esse ferrea, & fortiter percutere. Prius debent frangi istæ campanę, id est mori pro Christo, & tuitione Ecclesiæ & doctrinę Christi, quã linguæ eorum cessent à verbo Dei. Antiquitus in synagoga loco cãpanarum erant argenteæ tubę ad conuocandum populum, modo sunt campanæ, quæ remotius audiuntur, quam vox synagogæ, quia vox veteris Testamenti tãtum insonuit Iudæis pro tempore, quia Psal. *Notus in Iudæa Deus*. Sed istarum cãpanarum vox & sonus in omnem terram exiuit, vt ait Rich. in 4. dist. 43. Et istæ cãpanæ habent se primo sonare, & hoc ad quatuor, scilicet ad conuocandum populum in vnum, vt habeant mutuam charitatem & dilectionem, cõtra fulgura iudiciorum Dei, vt illa euitent, vel contra fulgura persecutionum & tribulationũ, vt eas patienter ferant, ad commouendũ ad deuotionem, vt sic populus se præparet ad solemnitates æternas, & ad incitãdum contra hostes, mundum, carnem, & diabolum, vel contra ignem cupiditatis, qui nunc omnia fere vsque ad consumptionem deuorat. Secundo, debent esse sursum suspensæ. Deberent enim Doctores esse sursum & quasi in altiori loco Ecclesiæ. Ita fuerunt à principio Ecclesiæ, modo retinetur apparentia in figura, sed non in existentia. Nam non sunt sursum in Ecclesia, sed deorsum. Tertio, debent trahi, & hoc chorda contexta ex funiculo triplici, scilicet ex amore Dei, ex desiderio salutis suæ & populi, qui est in necessitate quærens panẽ. Vnde de Christo legitur, quod omnis populus manicabat ad eum. Sed modo ẽ cõuerso est alius triplex funiculus, scilicet propter quęstum, propter beneficia, & propter vanam gloriam. Quarto, debent vngi bona vita, vt melius

K Campanæ Ecclesiæ sunt Doctores

Psal. 75.

melius trahantur & citius à Deo. Vel dicitur, quod deberét vngi & attrahi beneficijs, vt melius pulsarent. Quia ergo nec vnguntur, nec trahuntur, ideo non est mirum si non pulsent. Hoc dicebat &
Eccl. 9 deflebat Salomon: *Verti me alio, vidique sub sole nec velocium esse cursum, nec fortium bellũ, nec sapientum panem, nec doctorum diuitias*. In Ecclesijs enim grossæ campanæ numquã aut raro sunt supra chorum, sed bene in fine Ecclesiæ. Sic qui bene sonant, numquã aut raro sunt in Ecclesijs Cathedralibus supra chorum, scilicet Episcopi vel Canonici, sed bene in fine in paruis curis.

L Campanilia Ecclesiæ sunt vniuersitates. Decimo, est cãpanile in Ecclesia. Campanilia sunt vniuersitates, in quibus itur de gradu in gradum, & cum maiori difficultate ad altiores gradus, & sæpe subsunt fulminibus, quia diabolus per malos homines sæpe fulgurat, & incẽdit huiusmodi litigijs.
Nota. Vel turres anteriores Ecclesiæ, quę sunt eleuatę magis, & fulguribus subiectæ, & per circuitum itur vsque ad summum. Istæ sunt duę potestates, ecclesiastica & sæcularis, in quibus debent esse campanæ bene & alte sonantes scientia & moribus. Sed nunc non suspenduntur in eis nisi campanulæ, &, vt vulgo dicitur, campanellæ vaccarum, id est homines parui valoris & paucæ doctrinę. Propterea turres possunt dici Prophetæ, vt
Psal 121 dicit Chrysost. de quibus Psal. *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis*. Sicut enim de turribus iacula contra hostes iactantur, sic de Prophetis contra hæreticos, gentiles, & Iudæos, & salutaria illic inueniuntur exempla.
M Custodes Ecclesiæ prælati. Vndecimo, sunt custodes in Ecclesia, & possunt dici ipsi Prælati, quibus incumbit custodia super gregem Ecclesiæ. Sed nunc verificatũ est
Psal. 89. illud Psal: *Posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam*, quia Ecclesiã custodiunt ad modum pomerij, in quo dum poma sunt, diligenter custoditur propter poma. Sic dũ guerræ sunt in agro, custodes in domibus multiplicantur Ecclesiæ, & pręcipiũ-
Mat. 27. tur custodiri, sicut præcepit Pilatus: *Ite, custodite sicut scitis*.

*IN EODEM FESTO DEDICATIONIS, sermo III. & in ordine XCIIII. Per Thema præcedens.*

NOtandum, quod ædificatio seu cõstructio domus Ecclesiæ triplex est, scilicet fundationis, erectionis, & cõsummationis. *A Ecclesiæ ædificatio triplex.* Prima ab Abel vsque ad Christum. Secunda à Christo vsque ad diem iudicij. Tertia erit post diem iudicij. In prima antiqui iusti quasi in fundamento positi latent, quia eorũ memoria non celebratur. Iob: *Quasi abortiuum nõ subsisterem, & qui concepti non viderunt lucẽ.* Iob. 3.
In secunda moderni patres quasi parietes sunt erecti, quia eorum memoria solẽniter celebratur. Ps. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij*. Psal. 44. Prouerb. *Memoria iusti cum laudibus*. Prou 10
In tertia quasi tectum apponetur Ecclesiæ, & tunc erit perfecta consummatio, de qua agitur in Psal. *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me*. Psal. 29. Prima præterijt, secũda permanet, tertia futura est. In prima sancti patres quasi rudes lapides ponuntur in fundamento, quia non penetrant abscondita scripturarum, propter quod Moyses posuit velamẽ super faciem suã. Exod 34
In secunda moderni sancti quasi lapides quadrati disponũtur in ædificio, propter doctrinam quatuor Euangeliorũ. Inde & templũ de quadris lapidibus dicitur ędificatum. In tertia apponuntur soli lapides politi. *Lapides pretiosi omnes muri tui*. Apoc 21
Prima fuit bona, secunda melior, tertia optima. In prima lapides grandes in fundamento positi immobiles perstiterunt Psal. *Fundamenta eius in montibus sanctis*. Psal 86.
In secunda flumina tentationum, & impetus infidelitatis insurgunt, dum hæretici, & falsi fratres impugnãt modernos sanctos, sed ipsi charitatis ardore succensi viriliter resistunt. *Aquæ multæ non potuerũt extinguere charitatem*. Cant. 8.
In tertia nulla erit turbatio: *Luctus, & dolor non erit vltra*. Apo. 21.
In prima desponsata est Ecclesia Abrahę, id est Deo patri per fidem futuræ incarnationis. Vnde in persona antiquorum pa-

trum dicitur, putas videbo, putas durabo, vtinam disrumperes cœlos, & descẽderes. In secunda Abrahã genuit Isaac, qui interpretatur risum, id est Christũ, quia risum, id est gaudium inopinatum contulit Ecclesiæ in eius natiuitate. Hinc Psal. Hortatur ad laudandum Deum dicens: *Cantate Domino canticum, quia mirabilia fecit*, In tertia erimus Israel, id est, vir videns Deum, quia videbimus eum sicuti est, & tunc cognoscam sicut & cognitus sum, vbi nunc solum cognoscimus ex parte, & imperfecte. Vt autem illuminetur intellectus noster ad sufficienter capiendũ, & explicandum mysteriũ domus Ecclesiæ, ad eam, quæ est porta lucis fulgida, recurremus dicentes: Aue gratia.

Psal. 97.

Primo videndum est de figura templi Ecclesiæ. Secundo quod concurrat ad ædificationem eius. Tertio quomodo illud templũ sanctum est siue sanctificatũ per opera mirabilia in eo facta. Quarto quomodo quilibet debent ipsum sanctificare particulariter, quod fit maxime, cũ templum animæ suæ sanctificat, & in eo diem festum agit Domino. Quantum ad primum dicitur, quod in ædificatione tẽpli. Salomon tenet typum Christi, & templum figuram Ecclesiæ. Inde prosa. rex Salomõ fecit templum, cuius instar, & exemplum Christus, & Ecclesia. Primo Salomon ædificauit tẽplum, & Christus Ecclesiam. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã*, & præsertim stabiliuit Ecclesiam gentilium, & conseruauit tanquã hæreditatẽ sibi multum charã, secundũ quod dicit in Psal. *Hæreditas mea præclara est mihi*, Hæc est terra in quã corruit Iob tõso capite, quia Christus præcisus capillis iudæorum transiuit ad gentes. Hæc est etiã terra quæ sanguinem Abel innocentis suscepit de manu fratris sui occidentis, & repellentis. Aperto enim ore, & magno desiderio suscepit sanguinẽ Christi credendo, & confitendo. Hinc dicitur ei Iob: *Terra ne operias sanguinẽ meũ*, id est crede, & confitere passionem meã. Secũdo in ędificatione templi fuerũt artifices,

Mat. 16. B Templũ Salomonis figurat Ecclesiam, & Salomõ Christum Psal. 15 Iob 16.

& lathomi, & lignorum cæsores. Sic in ædificatione Ecclesiæ prædicatores, & doctores. *Ego plantaui, Apollo rigauit. Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos*, & *Vade quoniam vas electionis est mihi iste*, scilicet Paulus, Et: *Quid enim est Apollo, quid vero Paulus? Ministri eius cui credidistis*. Tertio triplicem materiam posuit in constructione templi, lapides, ligna, aurum. Lapides significãt fidei firmitatẽ. *Fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata. Fundata erat supra firmam petram*. Ligna spei sublimitatem, quæ debet esse in fidelibus, qui sunt *expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei*, sciẽtes quod: *Lignum si præcisum fuerit rursum virescit*. Aurum charitatis fulgorem, qua iubentur lucere fideles: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona*. Super hanc triplicem materiam principaliter consurgit ædificium Ecclesiæ. Nam sine fide, & spe impossibile est Deo placere, & fides sine operibus charitatis mortua est. Quarto, anno quarto Salomonis cœpit templum ędificari, quia post prædicationem quatuor euangeliorum per quatuor partes mundi cæpit Ecclesia ex Iudæis & gentibus adunari, quia de gentibus dicebat Dominus: *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere*, quod vt fieret, iussit postea Apostolis, vt vbique prædicarent fidem suam: *Euntes docete omnes gentes*, & Marc. *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium*. Quinto misit Hyram rex Tyri Salomoni ligna cedrina de libano præcisa, & abietina, quæ in domo Domini ponerentur. Tyrius tunc erat gentilium, libanus candidatio prosperitatis mundanæ, quia conuersa gentilitas misit ad Dominum viros in sæculo claros & candidos, sed securi increpationis de monte superbiæ deiectos & humiliatos, qui ad normam euangelicæ veritatis instituti in ædificio Ecclesiæ quisque pro suo merito, vel tempore collocarentur. Quam deiectionem humiliationis se cognouisse testatur Psal. dicens:

1. Cor. 3. Act. 13. Act. 9. 1. Cor. 3 Apo. 21. Matt. 7. Tit. 2. Iob 14. Matt. 5. Ioan. 10 Mat. vl. Mar. 16. 3. Reg. 5.

Vidi

Psal. 36. *Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Lybani, & transiui, & ecce non erat*, scilicet amplius impius & eleuatus, & dici-
Esai. 49. tur: *Erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices*
Esai. 40. *tuæ*. Et iterum: *Mammilla regum lactaberis*.
Psal. 71. & Psal. *Reges Tharsis & insulæ munera offerent*. Misit etiam artifices, id est Philosophos ad veram sapientiam conuersos, qui populis regendis gratia eruditionis præ-
Iud. 14. ponerentur, ita quod verificatum est: *De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo*. De faucibus namque leonis, id est diaboli, qui tanquam leo circuit quærens quem deuoret, educti Philosophi, cibus fuerunt, & refectio fidelium in Ecclesia. Et hæc sunt vasa, quæ filij Israel mutuo acceperunt ab Ægyptiis. Tales fuerunt temporibus Apostolorum Dionysius Ariopagita, Cyprianus egregius Doctor & Martyr. Misit etiam aurum, viros sapientia & ingenio claros, ita vt compleretur
Abd. 1. illud: *Perdam sapientiam sapientum*, iuxta
1. Cor. 3. consilium Apostoli: *Si quis vult inter vos sapiens esse, stultus fiat, vt sit sapiens*. Talis fuit Basilius doctor magnus, & alii multi. Pro his autem expectat hyram, id est Ecclesia, dona gratiæ cœlestis, scilicet triticum verbi Dei, oleum charitatis, & vnctionis, & illuminationis Spiritus sancti. Sexto erant tria tabulata, id est tres ordines in Ecclesia, scilicet coniugatorum, cōtinentium, & virginum, secundam quod
Mat. 13. dicitur: *Dabunt fructum, aliud centesimū, aliud sexagesimum, aliud tricesimum*. Septimo in templo nihil erat quod non tegeretur auro, quia nihil est in Ecclesia, quod charitate non decoretur. Quicquid enim charitate non tangitur, extra ipsam, & non
1. Cor. 13. in ipsa esse iudicatur, quia: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habuero, nihil sum*. Vel aurum, quo templum tegebatur, & refulgebat, est ipse
Cant. 5. Christus, de quo: *Caput eius aurum optimū*. Christus enim est caput Ecclesiæ, quod dicitur aurum optimum, id est obrizum, quia sicut auro illo omnia metalla deaurata auri fulgorem induunt, sic omnes veri Christiani Christum induentes, ab ipso velut aurum refulgent. Ipse enim est decor animarum sanctarum, & templi sui ornamentum. Octauo ibi erat mare æneum, quod significat baptismum, qui primo proponitur intrantibus in Ecclesiam, quia hoc est primum, & fundamentum omnium sacrorum.

Quantum ad secundum, pauca hic dicentur, quia iam multa dicta sunt priori sermone. Dicitur ergo, quod Ecclesia cōstituitur ex viuis lapidibus. Et primo est lapis positus in fundamento Ecclesiæ, qui est Christus, secundum illud: *Superædificati super fundamentum Apostolorum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu*. Hic est lapis quem Iacob supposuit capiti suo, vt obdormiret, quia non potest à strepitu mūdi fidelis in cōtemplatione quiescere, nisi menti suæ fidem Christi substernat. Super hunc etiam euigilans oleum fudit, quia misericordiæ opera in Christi pauperes supererogandа sunt. Hæc est petra acutissima, quam tulit Sephora ad circūcidendum carnem præputij filij sui, quia nisi per petram Christum ab electis in octaua ætate non circuncidetur omnis corruptio. Hæc est petra, quæ percussa dedit aquas in abundantia. Ad hunc lapidem allidendi sunt paruuli nostri, id est primi motus, antequam ad consensum perueniant. Hic est lapis adiutorij, iuxta quem castrametati sunt filij Israel ad pugnam contra Philistijm, quoniam secundum Ps. *Nisi quia Dominus erat in nobis, cum exurgerent homines in nos, forte viuos deglutissent nos*. Hic est lapis offensionis, *& petra scandali*, quia secundum, quod dixit Symeon: *Hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorū*, eo quod *aliis fuit odor mortis in mortem, aliis vero odor vitæ in vitā*. Hic est lapis *præcisus de monte sine manibus*, qui statuā percussit in pedibus, & confregit, quia Christus de superba gente Iudæorū absque viri officio natus, destruxit omnia regimina mūdi, vt quæreretur regnū cælorū. Hæc est petra: *Super lapidē vnū septem oculi sunt, & ecce ego cælabo sculpturam eius*, quia in eo sunt septē dona Spiritus sancti sculpta,

C
Lapis fundamenti Ecclesiæ Christus
Ephes. 2.
1 Reg. 4
Psal. 123.
Esai. 28.
Luc. 2.
2. Cor. 2.
Dan. 2.

sculpta & impressa. Hic est enim vir, quẽ septem mulieres appræhenderunt. Hic
Zach 4 est lapis de quo Zachar. *Et educet lapidem primarium*, quia ipse est primus, & præcipuus lapis in fundamento Ecclesiæ, super quem cæteri coëdificantur in habita-
Mat. 16 culum Dei, de quo Mat. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam*, scilicet domum Ecclesiæ super Christum fundatam, quia fundata est supra firmam petram. Hic est
Zach. 4. lapis de quo Zach. *Et videbunt lapidẽ stanneum in manu Zorobabel.* Sicut enim seipsum stannum adurit, vt alia metalla conseruet & consolidet, ita Christus igne passionis vri voluit, vt alios ab æterno incẽdio conseruaret. Hæc est petra refugium erinacijs, id est simplicibus, iuxta illud Ps.
Psal. 30. *Quoniam fortitudo mea & refugium meum es*
Prou. 30 *tu*, quod etiam tangitur, cum dicitur: *Lepusculus plebs inualida, quæ collocat in petra cubile suum.* Infirmi enim in Ecclesia quietẽ suam stabiliunt in Christo. Fuerunt etiã alij lapides, ex quibus ædificaretur domus Ecclesiæ, scilicet Prophetæ, & Apostoli, & alij Sancti. Ex his maxime ædificatur altare, quia in eos non est iniectum ferrum criminum, vel hæresis. Ex talibus enim præceptum est altare ædificari. Isti
Iob 14. sunt fatigati & quassati tentationibus *Lapides excauant aquæ*, id est sanctos debilitãt aquæ tẽtationum. His lapidatur, qui iurgatur in castris, quia sancti increpãt murmurantes in castris Domini. Secundo sunt duo parietes Ecclesiæ, quorum vnus
D Paries vnus Ecclesiæ Iudæi, alter gentilis.
Iosue 4. est ex Iudæis, de quibus: *Alios quoque duodecim lapides posuit Iosue in medio Iordanis alueo, & sunt ibi vsque in præsentem diem.* Sunt enim in medio alueo scripturæ inter duo testamenta, nolentes intrare nouum. Sũt etiam lapis caliginis. Hunc parietem eri-
Mat 15. gebat Christus, cum dicebat: *Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.*
Ioan 10 Alter paries est ex gentibus, de quo: *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili*, & Luc.
Luc. 3. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios*
Iob 28. *Abrahæ*, & Iob: *Lapis calore solutus*, id est, feruore charitatis prædicantium Aposto-

lorum, *in æs vertitur*, id est in stabilitatem virtutum. Hunc enim parietem erexerũt Apostoli, cum dixerũt: *Quia repulistis verbum Dei, ecce conuertimur ad gentes.* Inde ve- Act. 13.
rificatum est: *In lapide luteo lapidabitur piger*, Eccl. 22.
id est per gentilem Iudæus confunditur, secundum quod improperauerat Dominus Iudæis, & prædixerat: *Publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei. Nam* Mat 21
*viri Niniuitæ condemnabunt generationem istã eo, quod iustificata est Sodoma ex ipsa*, dum publicanus descẽdit iustificatus à Pharisęo, & fiunt nouissimi primi, & e contra. Ex his lapidibus per angulum Christum cõiunctio fuit in vna fide. *Duosque in se con-* Ephes. 2.
*iungens parietes.* Capitalis murus à patre posteriori fuerunt Patriarchæ & Prophetæ, qui dum lucem illam veram, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, aspicere non poterant, quasi ad Occidẽtalem plagam positi erãt, & de his Dominus: *Multi reges & prophetæ* Luc. 10.
*voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt.* A parte anteriori fuerunt Apostoli, qui dum radios veræ lucis susceperũt, quasi in Orientali parte steterunt. De quorum illuminatione dicitur: *Aperuit il-* Luc. 24.
*lis sensum, vt intelligerent scripturas*, quorum tempore dictum est: *Visitauit nos oriens ex* Luc 1.
*alto*, & qui fuerunt duodecim horæ diei, horum exemplis & doctrinis conuertũtur muri collaterales, quia de vnoquoque aliorum conuerso, seu conuertendo ad fidem dictum est: *Date illi calceamenta in* Luc. 15.
*pedibus*, id est exempla patrum in affectibus. Ex istis autem quatuor muris, quasi Nota.
quatuor lateribus quadrata consurgit Ecclesia Dei. Nam: *Ciuitas in quadro posita est.* Apo. 21.
In primo latere Prophetæ & Apostoli. In secundo Martyres. In tertio Confessores. In quarto virgines, & quodlibet istorum laterum quadratũ est, id est quatuor virtutibus stabilitum. Prudentia secundum illud: *Estote prudentes sicut serpentes.* Qua ta- Mat. 10
men specialiter virgines muniuntur, quia de virginibus legitur, quod quinque ex Mat 25
eis erant fatuæ, & quinque prudentes. Temperantia in coërcendis illecebris, iuxta

Rom. 13 xta quod dictum est: *Curam carnis ne feceris in desiderijs.* Hac tamen specialiter muniuntur Confessores, quibus dicitur: *Sint* Luc. 12. *lumbi vestri præcincti* fortitudine in perferendis molestijs & aduersis, iuxta quod dicitur eis: Estote fortes in bello. Hac specialiter Martyres muniuntur, quibus dicitur: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, a-* Mat. 10. *nimam autem non possunt occidere.* Iustitia in proferendis iustitijs, vt reddatur cuique quod suum est, prout dicitur eis: *Diligite* Sap. 1. *iustitiam, qui iudicatis terram.* Hac specialiter muniti fuerunt & muniendi sunt Apostoli, qui erunt iudices mundi, secundum quod de eis legitur, Vos sæcli iusti iudices. Sed habet diabolus parietes suos, ex quibus fit ciuitas Babylonis, & synagoga sathanæ, de qua: *Babylon ciuitas magna, ma-* Apo. 18. *ter fornicationum terræ*, pro ea conqueritur Dominus: *Ego Dominus, & ciuitatem non ingredior.* Osee 11. Ista autem ciuitas vel domus non potest subsistere, quia fundatur super arenam. Impij enim sunt tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ. Sed tectum Ecclesię quotidie impletur in numero fidelium. Vnde dictum est sanctis, qui sunt in cælo: *Expectate adhuc tempus mo-* Apoc. 6. *dicum, donec impleatur numerus fratrum vestrorum.* Nonne quotidie impletur tectũ, dũ dicitur: Compelle intrare, vt impleatur domus mea. Et tandem plene implebitur, quando si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ saluæ fient. Cõsistit autẽ hæc domus in quatuor angulis, id est in quatuor generibus hominũ, scilicet incipiẽtibus, proficiẽtibus, & perfectis, beatis, vel in quatuor Euangelistis, in quibus vidit Zacharias hãc domum consistere, quando ad eam fulciendam quatuor quadrigæ exibant de medio duorum montium, ad quarum egressum anima sponsæ turbata est propter quadrigas Aminadab. Columnæ sustentantes hanc domum sunt prædicatores, de quibus: *Crura illius columnæ marmoreæ.* Cant. 5. Ostiũ est Christus, quod agnouit Petrus in hac domo, quando licet diuersi diuersa ponerent ostia, ait: Tu es Christus filius Dei viui. Fenestræ sunt doctrinæ fideliũ, per quas illuminatur domus, quas fecit Salomon in templo obliquas, & intrinsecus maiorem splendorem ministrãtes. Vnde fenestra contemplationis in Arca Noe, hoc est in Ecclesia, iussa est aperiri. Cortinę, quibus ornatur hęc domus, sunt virtutes, quibus Sancti ornãtur interius, quia præcipuus ornatus hominis est interior. *Omnis gloria filiæ regis ab intus,* & sunt Psal. 44. virtutes illæ quasi connexæ ad inuicem, secundum quod videtur præcipi: *Cortina* Exo. 26. *cortinam trahat.* His cortinis suadebat ornari hanc domum: *Adorna thalamum tuum* Amos 4. *Sion*. Mẽsa in hac domo est sacra scriptura: In templo Domini erat mensa propositionis. Leu. 24. Sic in Ecclesia est scriptura sacra, in qua est propositio panum, id est refectio animarum, quatuor pedes, quatuor intellectus, scilicet quatuor sensus. In hac mẽsa tot sunt fercula, quot sententiæ quę animas reficiunt, quæ principaliter attẽduntur in præceptis, prohibitionibus, consilijs, & comminationibus, & promissis. In hac mensa reficimur, dum in scripturis delectamur. Hanc mensam dicit in domo Dei paratam Dauid, cum ait: *Pa-* Psal. 22. *rasti in conspectu meo mensam.* Cibus in hac mensa sunt difficilia loca scripturæ, quæ exponendo quasi infringuntur, & potus, facilia, quæ quasi potus sorbentur. Et in hac domo, secundum Apostolum, *sunt* 2 Tim. 2 *vasa quædam in honorem, quædam vero in contumeliam.* Vnde & in disco Petro demisso, erant animalia munda & immunda, & Act. 10 intra rete Petri tracti fuerunt ad littus pisces boni & mali. Ecclesia enim continet bonos & malos, & mali sæpe dominantur, & præferuntur bonis. Quod figuratum est in Esau & Iacob, qui sæpe tenent in pace, quousque veniat tempus partus, & exitus ad prælationem, vel curam, sicut canis & cattus simul iacent in cineribus, quousque iaciatur os inter eos, sed tunc cum proiicitur, plebicitant, appellant, & se persequuntur, & præ dolore vociferatur Ecclesia, sed finaliter peior dominatur, scilicet Esau qui pilosus. Inueniuntur

*E Scriptura sacra est mẽsa Ecclesiæ.*

ueniuntur enim pili id est superflua, & habet vnde soluatur vacans. Et Deus scit, quomodo tales plumant Ecclesiam, & mordent more pediculorum, qui ex carne procreantur, & tamen carnē mordēt, & comedunt. In quo se ostendunt freneticos, quia manus non eruunt oculos, nisi in freneticis. Sic isti quasi frenetici oculos matris suæ Ecclesiæ, scilicet bonos prælatos conantur eruere, & deijcere à suis sedibus, & dignitatibus. Pro tertio dicitur quod Dominus mirabiliter sanctificauit domum Ecclesiæ suæ purgādo eam à sordibus, & contagionibus peccatorum, ita vt verū sit illud Ps. *Deus in domibus eius*, hoc est Ecclesiæ: *cognoscetur* scilicet in suis mirabilibus curationibus, *cum suscipiet eam*. scilicet naturam humanā curandam, sicut medicus. Septem enim fecit Dominus in septem domibus, quas intrauit, quę designant curationē septem peccatorū mortalium, quā facit Dominus quotidie in domo Ecclesiæ militantis, & licet sit vna Ecclesia generalis, tamē quia multæ sunt speciales, ideo dicūtur septē domus. Vnde non in vna Ecclesia omnia fiunt miracula, sic nec in eadē domo particulari. Si in diuersis locis Dominus vnā pestem sanauit, in alijs aliàm, in vno loco vno laboratur morbo, in alijs alio. Prima domus fuit cuiusdam principis Pharisæorum, vbi quendam hydropicum sanauit. Hydropisis autem peccatū gulæ significat, quia hydropisis est morbus aquosus, & sitim generans. Sic gula replet gulosum aquosis humoribus concupiscentiarum, vt non solum corpus laboret propter malos humores corporales, sed multo magis spiritus vexetur propter stimulos carnis ad illicitum trahentes, & generat sitim æternam, vt patuit in illo guloso diuite, qui adhuc sitit in inferno. Secūda domus Petri, vbi socrū Petri sanauit à febre. Quæ designat æstum luxuriæ glo. super Lucam. in. 4. c. febres sunt fornicatio, concupiscētia, immūditia. Tertia domus fuit Zachei vbi auaritiam curauit, vt patet ex verbo dicentis: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus*. Dimidiū vt ostendatur lagitas, bonorū, vt ostendatur quod de melioribus, meorum, quod de proprijs, do, vt ostendatur quod nō vendit pro laude humana, pauperibus & nō diuitibus, & non vni solum pauperi, sed pluribus, secundū illud Ps. *Dispersit dedit pauperibus*. Quarta domus pharisæi vbi Maria lachrymis pedes Domini lauit. Vbi tria improperat Symoni, quod aquā nō dedit pedibus, nec oleo caput vnxit, nec osculū ori obtulit, & hæc refertur ad curationē accidiæ. Pedes autē lauare, est lachrymas pro peccatis fundere, caput inūgere, est deuotionē habere, osculū dare, est perfecte diligere. Quinta domus Iairi vbi filiā eius suscitauit. Filia est anima, quę si nō habet vitā quæ est charitas, moritur per odium: Sed hāc curat admittēdo Petrū, Iacobū & Ioannē, hoc est fidē spē & charitatē. Sexta domus Marthę. Vbi Martha pie inuidebat Mariæ ad pedes Domini sedēti. Sed hanc inuidiā Dominus pie repulit, cū officiū Marthę non reprobando quodāmodo laudauit, & officium Mariæ prætulit. Septima domus Mathęi, vbi indignati sunt pharisęi, dicētes, *Quare cū publicanis, & peccatoribus mādu-cat magister vester?* glo. In hoc manifestatur humilitas Domini qui ad peccatores venit & cū eis comedit, exēplo suę humilitatis superbiā de cordibus pharisęorum excludere debuit. Quantū ad quartum, quilibet sanctificando templū animæ suę sanctificat quantū in se est Ecclesiam Dei cuius est membrum. Vnde antequā domus animę sit templū sanctū in Domino, Primo oportet quod sit integra quia non intrabit Dominus domū ruinosam scissuris plenā. Hæc scissura est, quando quis dissidet à se ipso. Nec mirū, quia ipsa sui corporis domū vult habere integram, & exire eā necesse habet, si fuerint membra inter se dispersa. Eodem modo desiderat Christus habitare per fidē in corde. Ideo solicite caueat ne mēbra sua, ratio & volūtas inter se dissideant. Præterea, nec in tali domo potest habitare Christus, quia in falsā

Marginalia (left column): F Domum Ecclesiæ sanctificat Dominus, curando à septem mortalibus. — Psal. 45. — Matt. 9. — Luc. 4 — Luc. 19.

Marginalia (right column): Psal. 111 — Luc. 7. — Matt. 9. — Luc. 10. — Matt. 9. — G Domus animæ ad hoc quod sit templū Domini, quid requiritur.

in falsi domo pluuia vndique distillat, id est concupiscétiæ fluctus vbique per animam defluit. Bonus auté pater familias, qui videt scissuram talem in domo, vel aliquid huiusmodi, statim reparari facit, stultus dimittit, & semper crescit, & sic domus destruitur, & ruit. Ideo dicitur: Eccl. 7. *Qui timet Deum nihil negligit*. Qui aut negligit domum suam, ex aliqua parte corruptam, vt ex parte visus, vel auditus, vel alicuius mali operis reparare per confessionem, statim obruitur. Greg. peccatum quod per pœnitentiam non deletur, mox suo pondere in aliud trahit. Secundo debet esse munda, quia: Sap. 1. *In animam maliuolam non introibit sapiétia*. Tertio debet esse serena. In fumosa enim non potest habitare. Est enim fumus vnum de tribus, quę expellunt à domo. Hic fumus est de camino luxuriæ vel cupiditatis præcedentes cogitationes ratione excęcantes, de qua Esa. Esai. 14. *Ab Aquilone fumus veniet, & non est, qui effugiat ignem eius.*

## SER. IV. DE EODEM FESTO *& in ordine* XCV. *Per Thema.*

Psal. 126. NIsi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eã. Deus quasi rex magnus plurimas sibi à principio ædificauit mansiones. Primo ędificauit palatium magnum vniuersum mundum, vt in eo ostenderet gloriã suã & magnificentiam, qui ait: Hier. 23. *Ego cælũ & terram impleo*. Sed nec suffecit sibi, imo sicut bonus ædificator ædificauit minoré mũdum, scilicet Philosophos, scilicet hominem, in quo habitaret: Ioan. 1. *Verbum caro factum est*, per vnionem, *& habitauit in nobis*, per gratiam: Apo. 21. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus*, & hic est thalamus secretus. Tertio ædificauit sibi non tantum thalamũ, sed secretiorem locum quasi cubile suũ, virginis vterum, ita vt vulgo dici posit vestiarium (gallice *la garderobe*) in qua filius Dei vestem humanitatis induit. Primum dedicauit circueundo, sicut faciunt Episcopi. Eccl. 24. *Girum cæli circuiui sola*, quia sola diuina sapientia potuit ad plenum, & ordinare, & considerare illud opus. Sicut enim apud Geometras circulus girans aliũ cõtinet ipsum, sic diuina sola sapientia girans vniuersa mundum pugillo cõtinet.

A Domos plurimas ædificauit sibi Dominus.

Secundum similiter sicut dicitur Sap. 6. *Dignos seipsa circuit, & in viis suis ostendit se hilariter, & in omni prudentia occurrit illis*, non autem occurrit quis nisi illi qui mouetur. Illi ergo qui Deum quęrit, & facit quod in se est, & quod suũ est, occurrere dicitur, de quo occursu Ps. Psal. 84. *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi*, veritas ex parte confitentis, misericordia ex parte Dei iustificantis. Tertium dedicauit excellentissime sanctificans. Psal. 45. *Sanctificauit tabernaculum suum altissimus*. Sicut enim fit circuitus in dedicatione, sic Spiritus sanctus in ea girauit quasi torno celeri & ineffabili, nihil ibi relinquens insanctificatum, sed omnimode ab æterno vas prouisum fuit, vas insigne, vas capacissimũ ad diuinitatem suscipiendam, & ad gratiarum plenitudinẽ recipiendam, de qua Cant. Cant. 7. *Vmbilicus tuus sicut crater tornatilis abundans poculis*. Ille vmbilicus vbi in ventre eius pependit corpus Domini, vt dicunt Philosophi fieri in fætu matris, tornatilis per girationem Spiritus sancti, qui fecit vas tale, de quo dicitur: Eccl. 43. *Vas admirabile opus excelsi*. Et quia abundat poculis gratiæ, vt de plenitudine eius accipiamus, ad eam recurremus dicentes: Aue gratia, &c.

B Domus Dei ædificatur in homine, sed non sine opera Dei & cooperatione hominis.

Bene dixit Aristoteles 2. Elenchorum, facilius est destruere quam construere. Quilibet enim potest in se destruere domum Dei, sed non construere. Hoc enim non est hominis, sed Dei. Ps. Psal. 118. *Spiritus vadens per se in peccatum, & non rediens*, scilicet ex sua virtute. Iob 12. *Si destruxerit, nemo est, qui ædificet*. Hinc Apost. 1. Cor. 3. *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis*. Nemo igitur neque per se neque per alium potest ædificare seipsum domum Dei. Et iterum: Ibidem. *Quid ergo Apollo, quid vero Paulus? Ministri sunt eius cui credidistis. Neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Tamẽ sine nobis nõ fit istud ædificiũ. Ibidem. *Dei adiutores sumus*. Sed in hoc deficiunt multi

quærentes

quærentes à Deo, vt sint domus Dei, & Deus ædificet in eis domũ suã, & tamen nolunt Deo cooperari. Communiter dicitur, Adiuua te, & Deus te adiuuabit. Volunt enim quod Dominus sit fac totũ. Confidunt etiam alij de opera aliorum, facientes dicere missas & orationes ab alijs, dicentes alijs, Orate pro nobis, & pro seipsis nolunt digitum mouere, & sic impediunt ne fructificent orationes aliorũ. Talis erat ille facinorosus, de quo in vitis patrum, contra quem trahebat pellẽ bonus Eremita, cuius orationibus se commendauerat, qui & præualuit Eremitæ. Per quod innuebatur sibi, quod bonus ille pater trahebat eum suis orationibus ad Deũ quantum poterat, sed ipse ẽ conuerso trahebat fortius in oppositum, & præualebat. Sapiens: *Qui colligit domum alienis stipẽdijs, quasi qui colligit lapides in hyeme*, quasi dicat: Istud beneficium non bene stat, sicut nec ædificiũ, quod fit in hyeme. Vnde debemus esse soliciti de ædificando sibi domum, sic ille, qui dicebat: *Si dedero somnum oculis meis*, &c. *donec inueniam locum Domino*, & hoc matris naturalis est. Dicitur enim, Hoc facias alijs, quod tibi vis fieri. Ipse enim prior dilexit te, prior nõ dedignatus est tibi seruire, & domũ ædificare interiori homini, scilicet animæ corpus, & exteriori, scilicet corpori mundum. In cuius ædificatione quam fuerit studiosa Dei sapientia, per admirabilẽ & artificiosam corporis ædificationem euidenter apparet, maxime cum de tam vili materia, sicut de limo terræ formatũ fecit opus tam insigne. Iob: *Memento quod sicut lutum feceris me.* Nemo quantumcumque studiosus potest capere qualiter hæc domus à summo artifice fuerit fabrefacta. Propter hoc erubescere debet homo, si non ædificauerit Domino domum. Sed non est in ædificando nisi adiutor. Deus autem principalis est artifex, ideo orandus est, vt ædificet, quia nisi Dominus ædificauerit domum, &c.

*Eccl. 21.* *Psal 131* *Iob 10.*

Diximus duobus immediate præcedẽtibus sermonibus de ædificio domus militantis Ecclesiæ, nunc dicendum est de ædificio domus animæ, ad quod similiter multa concurrere debent. Primum est fundamentum, quod est fides. Ipsa enim est fundamentum totius ædificij spiritualis. Apostolus: *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo.* Et hoc propter multa. Primo, quia sicut fundamentum non videtur, sed est occultum in terra, sic fides est de occultis, & de his quæ nõ videntur, sed sunt occultata in terra viuentium, vbi cum videbuntur, euacuabitur quod ex parte est. Fides enim quasi de guerra capit intellectum. Apostolus: *In captiuitatem redigentes omnem intellectum, in obsequium fidei.* Captiuat enim intellectum, vt sibi consentiat, & tantæ efficaciæ est, quod omnes rebelles Deo ad eum conuertit & subijcit. Ioannes: *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Sed multi volunt scire de occultis, quæ ad se non pertinent, & tamen nihil sciũt de fide sua. Videbis aliquos qui sciunt bene quod sunt octodecim puncta in taxillo, & nesciunt quod sunt duodecim articuli fidei. Secundo, quia super fundamentum fabrica consurgit. Sic super fidem ædificium virtutum. Christus enim dicitur Ecclesiæ fundamentum, sed per fidem quia: *per fidem habitat in cordibus nostris.* Hæc est firma petra de qua Mat. *Venerunt flumina, flauerunt venti, & non est mota domus. Fundata enim erat supra firmam petram.* Quanto autem profundius est fundamentum, tanto altius potest consurgere ædificium virtutum. Sed si fundamẽtum sit instabile: totum est periculosum in ædificio. Vnde multi propter dubium in fide perierũt. Quia ergo fides est fundamentum, ideo magis nititur diabolus fidem euertere, vt ipsa subuersa totum ruat. Tertio, quia sicut multi lapides in fundamento supponuntur, & tamen sunt vnum fundamentum, sic multi articuli vna fides. Esaias: *Fundabo te in saphyris.* Saphyrus aërei vel cælestis coloris est, articulus de cælestibus. Quarto, quia sicut in mate-

*C* *Fides est fundamentum totius ædificij spiritualis.* *Ephes 2.* *2. Co. 10* *1 Ioã 5.* *Ephes 3.* *Matt. 7.* *Esai. 54.*

materiali domo maiores lapides ponuntur in fundamento, sic in spirituali. Nam Christus lapis primarius & angularis, & alij sancti præcesserunt, quorum fide & exemplo fundamur. Inde canit Ecclesia: Angulare fundamentum, lapis Christus missus est. Zacharias: *Educet lapidem primarium, & exequabit gratiam gratiæ.* Esaias: *Ecce ego mittam in fundamentũ Sion lapidem angularem.* Quis dubitaret de fide, postquã tot & tanti martyres pro ea vsque ad mortem certauerunt, & adhuc miraculis & vita clamant eam. Vnde in Euangelio comparat Dominus fidem grano sinapis, quia granum hoc quãto plus conteritur & flagellatur in mortariolo, tanto magis virtus eius crescit & percipitur. Ita & fides per multiplicem concussioné fit virtuosior. Qua virtute fulciti martyres passi sunt. Sicut enim in homine laborante extremus calor omnium membrorũ recurrit ad cor, vt ad castrũ naturæ, vt ibi se saluet, sic quodãmodo homine multipliciter tribulationibus & passionibus concusso vigor cæterarum virtutum currit ad fidem, & defendit. Quinto, sicut ad ponẽdum fundamentum oportet profunde fodere terram, sic ad istud fundamentum ponendum oportuit fodere terram corporis Saluatoris nostri in quinque locis, & terram sacræ scripturæ, vbi inuenta sunt mineralia auri & argẽti, eloquentiæ & sapientiæ. Secundo, super fundamẽtum istud parietes quatuor construendi sunt, quatuor cardinales virtutes, quæ nullæ sunt sine fide. Apost. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Prudẽtia paries est anterior, & ab oriente, quia lumen recipit & rationis, & fidei. In quocumque enim regimine semper necessario requiritur prudentia, tamquam auriga, quia si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. Et quia lumen non solum lucet, sed etiã calefacit. cognitio prudentiæ calefacit affectum. Hinc de Ioanne dicitur: *Ille erat lucerna ardẽs & lucens.* Differentia est inter radium solarem in eundo, & flumen frigidum, quia radius solaris calefacit, non autem flumen frigidum. Hæc differentia cõprobata est in Dauid & Salomone, quia cognitio, quæ erat in Dauid, quãto plus augebatur, ad modum radij solaris eum calefaciebat in amore Dei, sed ẽ conuerso in Salomone scientia sua instar fluuij frigidi eum amplius frigefaciebat in Dei dilectione. Sũt enim multi sicut quidã musici, qui sciũt artem, sed nesciunt cantare, sciũt moralẽ philosophiam, sed nesciunt bene agere, sicut qui habet panem in arca, sed de eo non comedit, sicut medicus, qui scit speculatiuam, sed practicam nescit. Secũdo, dicitur prudentia pars anterior, eo quod illa pars rotundior, & sic capacior, & etiã pretiosior. Sic nihil capacius quam prudentia, quæ omnia agẽda discutit. Discutit enim ea quæ concernunt se, suos, & alienos. De se, vt respiciat finẽ. Hoc genus prudentiæ docebat quidam, qui in nũdinis quibusdã in sua officina habebat solũ breuia, in quibus erat scriptum, Respice finem. Mirante quodã magno viro quid illic faceret, cum non haberet mercãtias, respondit mercator, nullum esse in totis nundinis, qui tam pretiosas merces venderet. Acceptaque pecunia, dedit illi nobili breuia, præcipiens vt in multis locis domus suæ ea collocaret. Sicque factum est, vt inde à morte liberaretur, quam sibi inferre volebat tonsor eius, inductus ad hoc pretio ab inimicis nobilis accepto. Videns enim tonsor ille scriptum esse in multis locis, Respice finem, cogitauit, quis esset finis suus, si occideret hominẽ, considerauit quod suspenderetur, & propterea abstinuit. Secundo, facit prudentia quod homo sit sollicitus de suis, non sicut struthio, qui dimittit oua sua in terra arenosa, non curans si conculcentur vel non. Et in signum huius, ne homo sic faciat, ponũtur oua struthionis prudẽter in Ecclesijs, vel domibus. Tertio, quod prudẽter se habeat contra alios, & maxime in verbis, non loquendo adulatorie, exẽplo Zorobabel, qui prudens & sapiẽs reputatus est & laudatus, quia corã rege veri-

Marginalia: Zach 4. — Esai. 28. — Mat 13. — D Prudẽtia est paries anterior domus animæ — Heb 12. — Ioan 5. — 3. Esd. 4.

veritatem protulit,nõ adulatorie loquẽs, sicut duo primi socij, quorum alter personam regis, alter voluptates eius laudauit. Sed iste ostẽdit manifeste veritatem, dicens regi quomodo mulieres erant eo fortiores, exemplificans de Apeme filia Bezacis,quæ sedebat ad dexteram regis, & auferebat diadema de capite regis, & imponebat suo capiti, & palmis cædebat regem tamquam sibi seruum, & cum arridebat,ridebat rex; cum indignata erat, blandiebatur ei. Propter quod cõsequenter laudauit veritatem tamquam victricem,ideo à populo,& magistratibus laudatus est,& remuneratus. Talis erat bonus rex,qui sic adulatores deijciebat, & veraces coronabat. Inde & Zorobabel cognatus regis appellatus est. Sicut autẽ tripliciter dicitur homo prudens in mũdo, scilicet quando scit bene sua custodire,scit bene acquirere,& scit bene distribuere,sic & nos debemus esse prudentes secundum triplicia bona quæ à Deo habemus,scilicet bona naturę,gratię,&fortunæ. Bona naturæ custodiendo, bona gratiæ acquirẽdo, bona fortunæ fideliter dispensando. Prudentia in bonis animæ custodiendis consistit in hoc, vt anima melius custodiatur, & omnia propter eius sanitatem exponantur. Cum enim quis habet sua custodire,quod carius est, melius custodit:exemplo serpentis,cuius prudentiam iubemur imitari. *Estote prudentes sicut serpentes.* Serpens enim caudam perditioni exponit, vt caput, in quo est vita, seruet illæsum. Sic temporalia eleemosynis, & corpus pœnitentiæ propter salutẽ animæ exponenda sunt. Et hoc docemur à natura,quia si videmus saxũ veniens ad caput, opponimus brachium, quia caput sine brachio bene viuit, brachiũ autẽ sine capite non viuit. Sic & anima sine tẽporalibus & corpore viuit vita gratiæ & naturæ, corpus autẽ & temporalia animæ mortuæ non proficiũt. *Quid prodest homini si mundum vniuersum lucretur: animæ vero suæ detrimentũ patiatur?* Itẽ positus in periculo maris sua proijcit in mare, vt saluetur ipse,nõ econuerso. Tẽpestas oritur,cum quis tẽtatur. Se proijcit in mare,vt sua saluentur,cum peccato consentit,vt corpus delectetur. Sed aliter faciendum est. *Orta tempestate tulerunt nautæ vasa, & miserunt in mare.* Sic & corpus, & alia bona,vt saluetur anima. Syri omnia reliquerunt,saluare tãtummodo animas cupiẽtes. Secũda prudentia consistit in bonorũ gratiæ acquisitione. Prudẽtia enim est,in augusto domũ suã & cellaria replere, vt in futuro habeatur abundãtia necessariorũ. *Prudentes virgines sumpserunt oleũ secũ*,id est,bona gratiæ,& virtutes. Sicut enim oleũ superat omnes liquores,sic virtutes,& bona gratiæ tẽporalia: *Omnis autẽ ponderatio nõ est digna cõtinentis animæ*,& sumũtur continẽtia cõmuniter pro continentia ab omni peccato secundũ quãlibet virtutẽ. Sunt autem aggregãda bona spiritualia propter eorũ durationẽ, quia quilibet libẽtius cõparat merces, quas ad hospitiũ suum secũ scit secure delaturũ, quã quas in exitu nundinarum scit sibi à latronibus auferendas. Sic & tẽporalia in exitu mundi: *Nihil attulimus in hũc mũdum, haud dubium, quia nec aliquid auferre poterimus.* Ieiuniũ autem & eleemosynæ auferri non possunt, sed sequuntur possessorẽ. *Opera illorũ sequuntur illos.* Secũdo propter eorum pretiositatem. Iturus enim ad nundinas, se mercibus onerat,& colligit quas scit magis valituras. Sic iturus ad nundinas alterius sæculi, id est ad iudicium,quia ad huiusmodi nundinas trousselli conscientiarum aperientur. Ibi enim plus valebit ieiuniũ & eleemosyna vna, quam omne aurum mundi. *Argentum eorum foris proijcietur, & aurum in sterquilinium erit.* Tertio,propter vtilitatem eorũ. Portanti enim xeniũ cito aperitur,& vacuus exterius relinquitur. Dicitur enim, Ad vacuã manum vacua oratio. Inde in Lege præcipitur: *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Tertio, prudentia consistit in bonorum fortunæ dispensatione. Balliui principum ad voluntatem dominorum suorum bona sibi commissa dispẽsare debent.

[Margin notes: E — Prudẽtes esse debemus,secundum triplicia bona quæ à Deo habemus. — Mat. 10 — Luc. 9. — Ionæ 1. — 4 Re. 7. — Mat. 25 — Eccl. 26 — F — Bona spiritualia sunt aggregãda propter multa. — 1 Ti. 6. — Apo. 14 — Ezech. 7. — Deut. 8.]

Mat 24 bent: *Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam,* &c. Sic diuites huius mundi non sunt tẽporalium domini, sed dispensatores, ideo ad voluntatem Dei dispensare debent. Hoc probat concordia & vnitas mẽbrorum hominis cum corpore. Venter enim cibum recipit, & ad omnia membra trãsmittit, tibi solum necessaria retinens. Vẽter sunt diuites, qui inter cætera membra immundior est. Sic diuites, qui ventres sunt ad suscipiendũ. Secundo, pars posterior est iustitia. Primo, quia sicut pars anterior primo recipit lumẽ, & mittit ad posteriorem, sic prudentia lumen doctrinæ & sapientiæ mittit ad faciẽdum iustitiam. Sine enim illa iustitia fieri non potest. Iustitiæ enim opera habent dirigi per lumen prudentiæ. Et ideo Sapiens: *Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.* Vnde quidam summus Pontifex scripsit cuidã regi Francorum, quod rex sine literis est asinus in sede coronatus. Oportet enim quod qui vult dirigere alios, recte incedat, & videat. Inde in Grammatica rectus regit obliquos, non obliqui rectum. Sed nunc est obliquorum regimen, si scire laboras. Secundo, quia in illa parte occidẽtali est porta, per quam intratur. Ps. *Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.* Intratur enim per eam ad regimen reipublicæ, & ad regimen Ecclesiæ. Sed nunc cæci & claudi intrant in iustitiam & in Ecclesiam Dei, vbi cęcus natus stabat ad portam. Ita vt modo verum sit illud: *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius, quia vidit gentes ingressas sanctuarium suũ, de quibus præceperas ne intrarent in Ecclesiam tuam.* Hoc est eunuchos, qui ex defectu prudentiæ & iustitiæ nõ possunt generare filios spirituales. Manseres, id est ex scorto natos, hoc est ex diabolo, mediante symonia quasi vxore genitos, & ab eo introductos. Amonites & Moabitas, qui noluerãt occurrere filijs Israel cum pane & aqua, id est homines crudeles & immisericordes. Isti nunc passim intrant in Ecclesiam Dei, & credunt etiam quod sint templa

(Margin: C. Iustitia est paries posterior templi animæ. — Prou. 4. — Psal. 48. — Thrẽ 10 — Nota.)

Domini, sed falluntur, quia Deus nõ inuenit portam iustitiæ, per quam intret in eos. Similiter iustitia debet esse porta, per quam intrent simplices ad possidendum quod suum est, sed nunc fit porta ad spoliandum eos, & ad capiendum munera. Non enim (vt dicit Anselmus) est multa differentia inter pendere & prendere, sed nunc citius prẽdunt iudices, scilicet munera, quam faciant pendere reos. Policraticus allegat Platonem dicentem, quod simplices sunt pupilli. Bene ostẽditur eis nunc, quia multi persequuntur eos sicut pupillos. *Dum superbit impius, incenditur pauper.* Sed fiet eis sicut alijs faciunt, quia dictum est: *Iuxta adinuentiones tuas reddet tibi, quia spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes qui derelicti fuerint in populis.* Tertio, in porta illa occidentalis partis ponuntur communiter imagines Christi, & notabilium virorum, qui, licet ibi multi flent venti, non tamen inde mouentur, sed semper stant recti, licet aliquando comedatur eorum nasus vel vultus. Sic in iustitiæ porta vel statu debent poni grauissimæ personæ, & sanctæ & bonæ vitæ, quæ semper stent rectæ, nec à rectitudine dimoueantur propter quemcũque ventum veniẽtem à principibus, licet multi tales ventĩ sæpissime perflent, & licet quãdoque patiantur in bonis suis, substantia, & fama, sed debent semper militare per arma iustitiæ à dextris & à sinistris, per infamiã & bonã famã, sed nunc in ea se nidificant Martinetæ quidam, qui suis stercoribus omnia vastãt, vt procuratores, aduocati, qui ad suam practicã ampliandã consulũt indifferenter omnem causam postulatione dignam. Vtinã Martini essent, tales scilicet qualis B. Martinus erat. Tertio, paries dexter est tẽperantia, quæ debet moderari in prosperis, ne scilicet nimiũ immoderate quis subditos grauet, sicut nũc videmus, vt quasi regnũ sit colericæ cõplexionis. Ab antiquo regnum videbatur sanguineę cõplexionis, cũ nobiles & principes subditos suos diligebant, & eis imperabant quasi liberis, & è conuerso subditi

(Margin: Psal. 9. — Abac. 2. — H Temperantia paries dexter templi animæ.)

diti diligebant suos subditos, & alter alteri subueniebat sine difficultate. Tunc pingue erat corpus reipublicæ. Est enim sanguinea complexio pinguis. Tunc etiã fundabantur Ecclesiæ, Monasteria dotabantur, vnusquisque ambulabat in iustitia & æquitate & fidelitate. Postea pinguedo illa degenerauit in flegmaticam complexionem. Repleti enim flegmate temporaliũ frigefacti sunt in amore Dei. Propterea misit eis Dominus principes loco medicorũ, qui darent eis potionem amarã exactionũ, per quas potiones euacuata sunt omnia. Tales autẽ, qui nesciũt vti prosperitate sua, ostendunt se stultos.

Prou. 1 *Prosperitas stultorum perdet eos*. Et nihil est periculosius. Tempore enim, quo piscis natat in superiori parte aquæ & ludit, venit mergulus, & rapit illum. Sic cũ homo extollitur in sua prosperitate, facile capitur à dæmone. Exemplum de rege Amaris, cui omnia prospere succedebãt. Quarto, est paries sinister, qui est fortitudo, ne deficiat homo in aduersis, vt sic bene se habeat tam in aduersis quam in

Phil. 4. prosperis, secundum illud: *Scio abundare, scio & penuriam pati: in omnibus bene institutus sum, omnia possum in eo qui me confortat*. Isti duo parietes sunt columna ignis per noctem tribulationis, & columna nubis per diem prosperitatis, quæ refrigerat & moderat. Est fortitudo corporis, quæ cõsistit etiam in diuitijs, amicis, parentibus, & huiusmodi. Sed ista facit multos ruere. Sed de fortitudine animi loquor, ad vigilandum & se custodiendum. Quãto maius frigus viget, tanto magis videtur stellatum cælum. Sic quanto maior aduersitas, tanto debent vniri viri sancti ad resistendum & sustinendum patienter.

3 Spes superponitur parietibus virtutum cardinaliũ. Tertio, super hos quatuor parietes spes, quæ non est nisi ex meritis bonorũ operum, ponit tigna, id est affectiones diuersarum cogitationum, quæ firmant & consolidant domũ mentis, vt spe assistente dici possit illud Cant.

Cant. 1. *Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia cupressina*. Floridum lectum dicit, post cuius florem expectatur fructus, de quo Psalm. *Caro mea refloruit*. Psal. 27. Caro, quæ iacet in cinere pœnitentiæ, reflorebit per spem, quia *lignum, si præcisum fuerit, habet spem, rursum virescit*. Iob. 14. Tigna cedrina sunt imputribilia, & hæc sunt consolationes de æternis, quæ sunt incorruptibilia. Laquearia sunt in lascimari, quibus adornatur domus, quæ non sunt aliud, nisi cogitationes de diuersitate meritorũ Martyrum & Confessorum, quorũ merita & exempla cogitata domum mentis Nota. distinguunt & ornant. Apost. *Stella differt à stella in claritate*. 1. Cor. 15 Potest tamen dici quod spes est murus à dextris, timor à sinistris, qui fidei fundamento innituntur. Non enim spectat præmia, nec timet supplicia nisi qui credit ea. Hæc sunt, quæ debent superædificari fidei, & ideo Apost. *Vnusquisque videat, quæ & quomodo superædificet*. 1. Cor. 3. Et quia spes innititur fidei, & ideo ponitur in descriptione fidei, cum dicitur: *Fides est substantia sperandarum rerum*. Heb. 11. Murus à sinistris est timor. Sapiens: *Nisi in timore Domini instanter te tenueris, citò subuertetur domus tua*. Eccl. 27. Isti muri stant contra machinas tentationum. Ideo dicitur: *Fili, accedens ad seruitutem Dei sta in iustitia & timore, & præpara animam tuã ad tentationem*. Eccl. 2. Spes terrenorum bonorũ damna non reputat, nec supplicia, quia trãsitoria sunt. *Rapinam bonorũ vestrorũ cũ gaudio suscepistis*, Heb. 10. imo magis fortificatur spes, & erigitur, quanto maior est tribulatio. Et inde Ps. ait. *Moab olla spes mea*, Psal. 59. id est peccator, qui me premit, & purgat, est olla in qua cõficitur spes de æternis. Nam tribulatio operatur patientiam, patiẽtia probationẽ, probatio vero spẽ. Tertio dici potest quod spes est ostiũ in latere orientis, quia innititur fidei illius, de quo: *Ecce vir oriens nomen illi*, Zach. 6. per quod intrat Christus in animã, quia nullus sperauit in Domino, & confusus est, sic quod nõ haberet Domini pręsentiã, & auxiliũ. Huius autẽ duę ianuę sunt, abstinentia, quę debent claudi, ne Nabunardã princeps coquorum intret, qui destruxit 4. Reg. ult. Hierusalẽ, & continentia, quę claudenda est, ne

K Charitas tectum templi animæ. est, ne subintrēt mulieres alienigenę, quæ mentem Salomonis auerterunt. Quarto est tectum, quod est charitas, quæ operit multitudinem peccatorum. *Vniuersa deli-* Pro. 10. *cta operit charitas*. Hæc sustinet pluuias irruentes, & grandines comprimentes, nec Cant 8. tamen cedit: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*, & cooperit etiam omnia bona, ne vento vanæ gloriæ, & pluuijs voluptatis exponantur. Tectum est 1. Co. 13 superius, sic charitas, de qua; *Maior autem* 1. Co 12. *horum est charitas*. Et iterum: *Adhuc excellentiorem vobis viam demõstro*. Et quia domus est bellicosa, eo quod militia sit vita hominis super terram, ipsa charitas circunquaque statuit propugnacula, quæ sunt Nota. 1 Co. 13 sexdecim, de quibus: *Charitas patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur*, &c. Tectum tamē istud quandoque succenditur, quando videlicet amor temporalium destruit amorem æternorum, & hoc triplici igne. Primus Iob 22. est luxuriæ, de quo: *Ignis est vsque ad consumptionem deuorans, & omnia eradicans genimina*, & Prouer. *Nunquid potest homo ignem* Prou 6. *abscondere in sinu suo*. Et Eccles. *Colloquium* Eccl 9. *eius quasi ignis exardescit*. Secundus est ignis 4. Re. vl gulæ, de quo: *Venit Nabuzardam princeps exercitus seruus regis Babylonis in Hierusalem, & succendit domum Domini, & domum regis, & domos Hierusalem, omnemque domum combussit igni*. Tertius est ignis auaritiæ, de Iob 15. quo: *Ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt*. Iste ignis sæpe cōburit domos prelatorum. In cuius signū: Mat. 24. *Ignis erat in atrio principis sacerdotum*. Ad quē extinguendum voluit Dominus suffodi latus suum, & pedes, & manus, & inde de latere eius exiuit sanguis & aqua. Quinto sunt septem columnę, de quibus: Prou 9. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem*, id est septem dona Spiritus sancti, vel septem petitiones orationis dominicæ, quarum tres pertinent ad vitam præsentem, tres ad futuram, media ad vtrumque. Sexto interius pauimentum humilitatis, super quod orabat publicanus, quando non audebat oculos ad cælum leuare, super quod sedebat rex Niniuæ, quando surrexit de solio, & indutus est sacco aspersus cinere. Septimo sunt quinque fenestræ vitreæ, visus intelligentiæ spiritualis, auditus obedientiæ, odoratus discretionis, gustus delectationis, tactus boni operis, per quas fenestras subintrat vita spiritualis, sicut è contra per carnales sensus ingreditur mors: *Intrauit mors per fenestras nostras*. Hier. 9.

## SERMO V. DE EODEM FESTO, & in ordine XCVI. Per Thema.

DOmum tuam decet sanctitudo Domine. Psal. 92. Non memini me legisse aliquem principem se hospitatum fuisse in domo Dei nisi vnum, hoc forte est, quia panni immundi sunt, & domus non est bene mundata. Sed rex cælorum veniens in hunc mūdum primo dignatus est hospitari in domo Dei. Erat enim sicut decebat sancta & munda, hæc fuit Maria mirabilia domus, & miræ continentiæ, quia quem cæli capere nō poterant, clausit: *Domus hæc quam ædificare cupis, magna est*, 2. Par. 2 Vnde de ea canit Ecclesia. Domus pudici pectoris templum repente fit Dei. In domo autem Dei solum suscipiuntur pauperes & infirmi. Ideo quia Christus pauper erat, & nudus, & infirmus, debilitatem carnis accipiens, intrauit in domum Dei. Nos igitur infirmi infirmitate peccati, debemus ire ad eam ad sanitatem gratiæ recuperandam, & pauperes quoad habere, quia nihil habemus, & gratiam quam dedit nobis Dominus, amisimus, & pauperes sensu, quia pauca cognoscimus, dicente Paulo: *Ex parte cognoscimus*, 1. Co. 13 ideo de rebus, de quibus sumus loquuturi cognitionem, ab ea requiramus dicentes: Aue gratia, &c.

A Maria fuit domus Dei

Duo dicentur. Primo quomodo anima nostra dicitur templum Dei. Secundo quomodo dedicatur Deo. Pro prima parte dico, quod anima nostra dicitur tēplum Dei propter multa. Primo propter officium, quia in templo laudatur & glorificatur

B Anima nostra quare dicitur templū Dei.

Psal. 28. rificatur Deus. *In templo eius omnes dicent* Ioan. 4. *gloriam*. Sic est de anima. Ioan. *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu, & veritate*. Si ergo de his, quæ mundi sunt, cogitas, quia pedes animæ sunt eius cogitationes, iam pedes nõ habes in templo, sed in foro, taberna, vel prostibulo, & sic iam nõ adoras in templo. Similiter si turba mundanarum cogitationum perstrepat in corde tuo, iam de tẽplo tuo fecisti forũ. Sed sicut quãdo Episcopus visitat Ecclesias suas, & inuenit quod male fit seruitiũ, tunc facit soluere emendam. Sic Dominus facit, cum mittit infirmitates, quia videt, quod non facis seruitium eius. Si enim morbũ miserit, hoc est quia non confitebaris, si filiũ abstulerit, hoc est quia in eo abutebaris, & pro eo mala fecisses, si bona abstulit: hoc est vt cor tuũ ab eis auertat, & immobilia transferat. Ideo Psal. *Laudate* Psal. 116 *Dominũ omnes gentes*, dicentes illud: *Omnia* Dan. 4. *quæ fecisti nobis Dñe, in vero iudicio fecisti, quia peccauimus tibi, & mandatis tuis nõ obediuimus.* Nota. Et sic de omnibus malis, quæ nobis mittit, debemus facere commodum nostrũ. Sed multi Deo in prosperitate seruiunt, sed cum venit aduersitas, tunc blasphemant, & dimittunt ei seruire. Contra eos tamen vulgo dicitur, quod qui seruit, & non perficit, seruitium suum perdit. Secundo, quia soli Deo dedicatur, id est appropriatur, vt nihil aliud in eo fiat nisi ad laudẽ Dei. Ideo cõsultissime facit, qui mane omnia opera sua Deo commẽdat, & protestatur se velle facere in laudẽ Dei. Cæteræ domus ad alios vsus possunt trahi, sed non sic anima. *Nescitis quoniam mẽ-* 1. Cor. 6 *bra vestra templum sunt spiritus sancti, qui in vobis est, & non estis vestri. Empti enim estis* Ibidem. *pretio magno.* Vnde prius dixerat: *Tollens ergo membrum Christi faciam membrum meretricis* Absit. Sed multi modo faciũt plus quam membra meretricis, quia de templo Spiritus sancti templũ diaboli. Luxuriosus fanũ Veneris, ebriosus Bacchi, iracũdus Martis, prudentes mundi Apollinis vel Palladis, & quibusdã non sufficit omnium dæmonũ templum faciunt Pantheon. Et isti sunt similes dæmoniaco, in quo erat legio dæmonum. Alij dedicant templa sua idolis, sed *quis consensus Dei* 2. Cor. 6 *cum idolis? Vos enim estis*, id est, esse debetis, *templum Dei viui*. Tertio, propter reuerẽ- C tiam, quæ sibi debetur. Nobile enim dicitur templum animæ ex quatuor causis. *Animæ templum nobile ex quatuor.* Primo ex parte causæ efficientis, quia à solo Deo. Licet enim cessauerit ab omni opere quod patrarat. Tamen non cessauit creare animas, ideo Dominus singulariter custodiam eius suscepit. Et propterea dixit ad sathã: *Ecce in manu tua est.* Iob 2. *Veruntamen animam illius serua*. Paterfamilias clauem gerit pretiosorum, & non vilium, sed alijs committit. Inde Ps. *Custodit Dominus animas sanctorum suorum*. Et: Sap. 3. *Iustorum animæ in manu Dei sunt*. In mari enim merces proijciuntur, vt homines saluentur, sic Dominus exponit temporalia, & corpus, & animas seruat. Secundo ex parte causæ materialis, quia ex nihilo, quia nihil inueniebatur ita nobile, ex quo fieri posset. Tertio ex parte causæ formalis, quia ad imaginem & formam Dei facta. Si quis imaginem crucifixi deturparet, vel etiam templum materiale, reputaretur hæreticus. Sed aliqui violat imaginem Dei, & templum spirituale, ideo deteriores. *Polluerunt templum sanctũ* Psal. 78. *tuum. Pessima & grauis erat vniuersis malorũ* 2. Ma. 6. *incursio. Nam templum luxurijs, & comessationibus erat plenum*. Et hoc fit cum oculus se ingerit turpibus affectibus, auris detractionibus, & huiusmodi. Si enim verbum detractionis audisti de proximo tuo, & non repulisti, canem latrantem in domo Domini nefarius admisisti: sed si silentium ei imposuisti, canem expulisti. *Ventus aquilo dissipat pluuias, & facies tristis* Pro. 25. *linguas detrahentes*. Tertio propter causam finalem, quia creata est anima propter beatitudinem æternam consequendam. Ideo anima si cognosceret suam nobilitatem, non se ita vilificaret. Sed multi Nota. non attendunt, de quibus: *Nõ iudicauerunt* Sap. 2. *honorem animarum sanctarum*, sicut cupidi,

qui

qui ita vilem faciunt animam suam, quod eã vendunt pro nihilo, & hoc quia excæcãtur per auaritiã. *Repleti sunt, qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum*, id est repleti sunt terrenæ cupiditatis in domibus iniquitatum, id est in cordibus suis, qui iam excæcati sunt auaritia, vel obscurati puluere auaritiæ, sic quod nihil eã appretiãtur, sed pro nihilo eã vendunt diabolo, ideo diabolus eam repetit: *Stulte hac nocte animam tuã repetent à te*, scilicet dæmones. Alij gratis eam dant, vt luxuriosi, & ideo hortatur Sapiens: *Ne des fornicariis animam tuam*. Alij obligant, vt beneficiati: *Custodi virũ istũ, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius*. Sed alijs diabolus eã furatur, vt pigris. Quarto dicitur anima templum Dei propter immunitatem. Inde dicitur: *Si quis violauerit templum Dei, disperdet illum Deus*. Sed hoc nõ obstante cupidi frangũt immunitatẽ, & faciunt animæ violentiã, quia cum ipsa sit naturæ spiritualis, & tẽdat ad superna propter quod homo habet faciem sursum eleuatam, nihilominus eam violenter retrahunt ad ista inferiora. Blasphemi eam destruunt, & demembrant habitatorem eius Christum, peiores multis prædonibus, qui parcunt Ecclesijs, & his, quæ sunt in illis, & stultiores dæmonibus, qui bene animam recolligunt, cætera spernentes, quorum figuram regebat, qui dixit: *Da mihi animas, cætera tolle tibi*: Et Psal. ait: *Dum conuenirent simul aduersum me, accipere animam meam consiliati sunt*. Quinto, quia in templo ad eius sanctificationẽ sunt cruces intus, & extra, & imago crucifixi. Cruces signant exteriorẽ conuersationem, interiorem sanctitatem & disciplinam. *Pone me sicut signaculum super cor tuum*, ecce interiorem crucẽ, *super brachium dextrum*, ecce exteriorem. *Sanguine agni iubentur postes intingi*. Nefandus putaretur qui deleret cruces exteriores in templo, & multo nefandior, qui interiores. Delent, & radunt quantum in se est cruces exteriores, qui exteriori bonæ conuersationi detrahunt, reputantes papelardos, qui in conuersatione bonos se

Psal. 72.
Luc. 12.
Eccl. 9.
2. Re. 20.
1. Cor. 3.
Gen. 14.
Psal. 30.
D
Crux duplex, exterior & interior.
Cant. 8.
Exod. 12.

ostendunt, cum tamen dicat Apostolus: *Stigmata Domini mei in corpore meo porto*. Sed nefandiores sunt, qui interiores delent, quod nemo potest facere in nobis, nisi nos ipsi. Quasi enim interiorem hominẽ nostrum à cruce deponimus, dum nos ad voluptates laxamus, quando nec habet dolorem de amissis & omissis bonis, nec pudorem de commissis malis, nec timorem de pœnis. Nec est credendum diabolo dicenti: Si filius Dei es, descende de cruce. Quando cruces sunt exterius, & non interius, non est templum, vt in falsis religiosis & hypocritis portantibus in habitu crucem: sed non intus. Hæc autem crux exterius sæpe fit, ne illic mingatur, sed honor ei exhibeatur. Sic multi crucẽ illam portant, vt eis exhibeatur honor, habentes velamen malitiæ libertatẽ. Ponuntur etiam in templis imagines sanctorum, quæ debent esse sculptæ in cordibus nostris ad imitandum eos. Et ideo dicebatur Prophetæ Ezechieli: *Fili hominis ostende filiis Israel templum, & confundantur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam, & erubescant ex omnibus quæ fecerunt*. Sed iam non ponuntur illic imagines sanctorum, sed dæmonum, & monstra vitiorum. Et ideo idem Propheta, cap. 8. ait: *Et ingressus tem vidi, & ecce omnis similitudo reptilium & animalium abominatio, & vniuersa idola domus Israel depicta erant in pariete*. Sexto, quia in templo fieri solet aqua benedicta, quæ est gratia lachrymarũ, cuius aspersione hostes spirituales effugantur. Vnde diabolus est quasi auis quæ vocatur psitacus, quæ non sustinet aquas, nec diabolus talem aquam: *Iunge currum tuum, & descende, ne te occupet pluuia*. Sic enim suadet diabolus. Non potest autem esse templum Dei, nisi fiat quandoque aspersio huius aquæ benedictæ. Sed aqua benedicta fit cum sale, & lachrymarũ effusio habenda est cũ discretione, in signum cuius *Helisæus misit sal in aquã*. Septimo in tẽplo est thuribulũ cum thure. Thuribulũ ex parte superiori apertum est, ex inferiori clausum. Sic cor nostrum ad æterna aperiatur. Psal. *Aperi os tuum*,

Ezech. 43.
cap. 8.
3. Re. 18.
4. Reg. 4.
Psal.

*os tuum, & implebo illud*, ſcilicet deſiderium tuum. Zachar. *Aperi Libane os tuum*. Libanus dicitur templum, quod erat ex lignis Libani. Templum illud eſt anima, cui dicitur, aperi portas tuas, id eſt ſenſus interiores ad ſuperna, & ad inferiora claudantur. Thus ardens in thuribulo, ferues in corde dilectio & deuotio. Octauo, in templo lampades dependent, & ardent cærei. Lampas fragilis eſt, & de vitro, propriæ ſcilicet fragilitatis & infirmitatis recordatio, quæ plena eſt oleo propter alterius miſeriæ & infirmitatis compaſsionem. Hæc oleo ignis charitatis nutritur. Et ideo *qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſsitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* Lucet lãpas, quando affectio interior apparet in exemplo boni operis, ſicut docet nos Saluator facere, dicens: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt*. Lampas ſuſpenditur, quando deſiderium ad æterna rapitur, & furſum fertur in modum ignis. Et ideo de iuſto dici poteſt: *Lampades eius vt lampades ignis atque flammarum*. Cuiuſmodi autẽ eſt templum, vbi nec thus redolet, nec lampas lucet? Nono, in templo fiunt ad ornatum cortinæ, de quibus: *Facies decem cortinas*, quæ ſunt obſeruatio decem mandatorum Dei. Sunt etiam vitreæ, id eſt, virtutes, quibus proximi illuminantur. Similiter ſunt ibi clerici, cantatores, & pſalmiſtæ, id eſt cogitationes & affectiones, quæ quaſi chorum faciunt in anima, & laudes Deo cantare non ceſſant. Alij vt maiores decantant, Alleluia, alij, Benedicamus Domino, vt minores. Decimo, à templo canes & porci eijciuntur. Canes, cogitationes detractoriæ: porci, immunditiæ. *Nolite ſanctum dare canibus, & margaritas ſpargere ante porcos*. Sanctum canibus, & margaritæ porcis dantur, quando huiuſmodi cogitationibus anima inquinatur. Et ita quanta veneratione dignum ſit hoc templum, apparet: & qui non veneratur, negat animam ſuam eſſe templũ

Zach. 11 · 1. Ioan. 3 · Matt 5. · Cant. 8 · Exo. 26 · Matt 7.

Dei. Quales ſunt, qui inducunt canes detractionum in templum, porcos immũdarum cogitationum, ſtercora & fimum temporalium, & de ipſo faciunt lupanar, vel haram porcorum, vel ſtabulũ equorum, ſicut Pompeius fecit de tẽplo Domini. Pſal. *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum*. Si ab aliquo quæreretur, an aliquod templum ſubuerterit vel ſuccenderit, reſpõderet quod non. Sed quot animas corrũpit peccato, tot templa deijcit, & quot igne cupiditatis, vel inuidiæ, vel luxuriæ inflammat, tot templa incendit, ſicut illi, de quibus Pſal. *Incenderunt igni ſanctuarium tuum in terra*. Pro ſecunda parte, ſi velimus templum animæ noſtræ dedicari Deo, oportet ea facere, quæ Epiſcopus facit in conſecratione templi materialis, quæ ſunt nouem, & continentur in his verſibus: Circuit, & pulſat, intrat, rigat, & cruce ſignat. Scribit, & inungit, illuminat, & veniam dat. Primo igitur Epiſcopus facit tres circuitus. Sic & nos ad dedicationem & conſecrationem animarum noſtrarum. Primus circuitus eſt circa corpus, conſiderando locum vnde venit per natiuitatem. Locus eſt valde ſtrictus, quando homo eſt curuus in vtero matris, ſed Dominus dilatat in ventre ſecundæ matris, ſcilicet terræ. Miſeri tamẽ homines ſe dilatant in hoc mũdo. Quod terra ſit mater noſtra, patet per illud: *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc*. Et ſic patet nobilitas. Nam putredo & vermis ſunt pater, & terra vel limus mater. Deinde conſideret homo locũ in quo eſt, quia in terra quadrupedum & ſerpentum, ne inclinetur ſicut & illa: & in quo periculo eſt, quia vndique circũdatus ab inimicis. Tertio, conſideret finem, ſcilicet locum, in quo reponetur, quia in terra, vbi erit cibus vermium. Secundus circuitus eſt circa animam, conſiderando nobilitatem eius ex parte principij, quia à Deo ſolo proceſsit ad imaginẽ & ſimilitudinẽ eius facta. Secundo, eius progreſſum per hunc

Pſal. 78. · Ibidem. · E Templo animæ dedicatur Deo. · Iob 1.

car-

carcerem tenebrosum & periculosum. Tertio, finem horrendum, ne sit deterior alijs animalibus, perpetuo igne cremãda. Et ideo ad huiusmodi consideratione͂ nos hortatur sponsus: *Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum egredere, & abi post vestigia gregum.* Tertio, oportet circuire conscientiã. Primo in mente, si sint malæ cogitationes & affectiones, deinde in ore locutiones: tertio in opere actiones, secũdum quod docet se fecisse Ps. dice͂s: *Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hostiã vociferationis.* Et spõsa ait: *Surgam, & circuibo ciuitate͂,* scilicet cõscientiæ meæ. Secundo, Episcopus pulsat ad ostiũ Ecclesiæ, sic Christus ad ostium cõscientiæ pulsat & clamat, vt sibi aperiatur & inhabitet. Ps. *Tabernaculum suũ, vbi habitauit in hominibus.* Et hoc primo, inspirando bonã voluntatem, quam debemus seruare, iuxta præceptũ Apost. *Spiritũ nolite extinguere.* Hoc aute͂ facit quadrupliciter. Primo tãquam hospes nocte quęrens domiciliũ, dicens: *Aperi mihi soror mea sponsa, quia caput meum plenum est rore, & cicinni mei guttis noctiũ.* Quia enim Ecclesia lame͂tatur peccatore͂, secũdum illud: *Diuisiones aquarum deduxit oculus meus in contritione filiæ populi mei.* Et pluuia lachrymarum cadit super Christũ, ideo quærit hospitiũ propter illas guttas, quæ super eũ cadunt. Et ideo de nocte venit in hũc mundũ, vt de die nobis aperiret. Secundo, sicut pauper ad ostium pro pane, scilicet obedientiæ, quia ipse dicebat: *Meus cibus est, vt faciam voluntate͂ patris mei.* Tertio, sicut dominus ad regnũ, vnde dicimus ei: Adueniat regnum tuũ. Quarto, sicut amicus ad prandiũ, apportans vtraque manu bona. *Lõgitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ & gloria.* Et: *Ego sto ad ostiũ, & pulso, si quis aperuerit mihi, cœnabo cum illo.* Secundo, quãdo homo non audit leuiter percutie͂te͂, tũc clamat fortiter, & hoc fit per prędicatione͂, quãdo allicitur promissis, & terretur pœnis & fulguribus inferni, & tũc aliquãdo aperit, & impletur illud: *Fulgura in pluuiã fecit.* Et illud: *Percussit petrã, & fluxerunt aquæ.* Tertio, quando nõ vult audire, & de surdo facit. Non est autem peior surdus quã qui nõ vult audire, tũc baculo percutit, quasi diceret sicut vulgo, vero bene faciã vos aperire, & hoc quãdo mittit infirmitate͂. Noli igitur pulsantem repellere, vt possis dicere illud: *Ostium meũ viatori patuit, & foris non mansit peregrinus.* Tertio intrat Episcopus Ecclesiam & ibi inuenit diaconũ, qui legit Euangelium. Sic Christus animã quæ legis euangelicæ verba custodit, & ea gerit in pectore suo, sicut legitur de beata Cæcilia, quæ nõ solum corporaliter, sed & mente euãgeliũ gerebat. Et quia Dominus ibi inuenit habitatore͂ hominem, ideo secũ habitat. Sed nõ sic ante, quando homo nec poterat secũ intrare nec habitare. Non intrare, quia circundederat animã suã spinis pecatorũ, quæ incessanter animã pungunt, vt dicat Ps. *Conuersus sum in erumna mea dũ configitur spina.* Si quis haberet spinã in pede, statim eam deponeret, quãto magis cũ quis peccatũ habet in anima, & quęreret medicũ, & emplastrũ quod fieret ex gratia Dei, & vnguēto quod dicitur *entras*, qui est timor Domini, qui tractiuã vim habet, & extrahit omnia mala, & omnia male possessa. Secũdo nõ potest ibi habitare, quia nihil inuenit frigidius, quam ibi similis ioculatori, cui nunquã est peius, quã cum est in domo sua. Vnde Bern. ad fratres de mõte Dei. Malus homo nunquã tute secũ habitat, quia cum malo homine habitat, & nemo molestior est sibi, quã ipsi. Lis aute͂ ista cõscientiæ est periculosa, quia si esset exterior, esset qui sedaret eã vel se interficeret. Nunc aute͂ interior est, & clausis ostijs, ideo non est, qui sedare posit. Sed multi percutiũt pectus suũ dicẽdo mea culpa ore, sed nõ mente. Tales percutiũt conscientiã suã, & vxore͂ suã ostio clauso. Tertia ratio quare nõ potest homo intrare nec habitare in cõscientia est, quia hospitium est ita arctum, quod diabolus totũ occupat cũ suis satellitibus vitijs, & similiter Deus, qui requirit tabernaculum latum, non potest ibi requiescere. Decet enim quod latum sit templũ tanti prin-

[Margin notes: Cant 1. — Cant. 3. — F Christus pulsat ad ostiũ conscientiæ — Psal. 77. — Cant. 5. — Tren. 3. — Ioan 4. — Prou 3. — Apoc 3. — Iob 31. — Nota. — Psal 31.]

cipis, Latitudo autem est charitas, per quam debet esse latum animæ tabernaculum, quæ quidem est mandatum Euágelicum, & solum illud, & tunc complectur illud: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus*. Cum enim tabernaculum dilatatur, ipsum inhabitat princeps, cum vero plicatur, túc portatur à miseris garsionibus, & in loco vili ponitur. Quarto rigat Episcopus Ecclesiam. Legitur in veteri testamento, quod summus Pontifex semel in sanguine introibat in sancta, sed in aqua aspersa per cineres multotiens. Sic Dominus non intrat nisi semel per lauatorium baptismi, in quo loti sumus in sanguine eius, & aspergit animam sanguine suo, sed multotiés intrat in aqua benedicta lachrymarum, imo per singulas noctes faciebat Dauid istud asperges. Ibi enim tunc est reconciliatio post pollutionem templi. Si enim poneretur in cœmeterio, vel ecclesia materiali hæreticus, excommunicatus, vel idololatra, oporteret ipsum cito reconciliari per Episcopum, vel sacerdotem per aquam benedictam colatam per cineres, quanto magis hoc templum per Episcopum animarú Christum in aqua sacramentorum colata per cineres corporis sui. Et causatur hæc pluuia quandoque ex vento Spiritus sancti vel prædicationis: *Mittet verbum suum, & liquefaciet ea, flabit spiritus eius, & fluent aquæ*. Vnde in tabernaculo erant sancta, & deinde sancta sanctorum, sic in ecclesia nauis, & chorus. Similiter in templo nostro corpus est nauis, gerens rem pretiosam, scilicet animam emptam sanguine Christi & sancta sanctorum, vbi sunt tabulæ legis, id est cognitio in intellectu, manna, hoc est dulcedo in affectu, & virga, id est terror in memoria. Quinto Episcopus facit longam crucem de cinere. Sic in anima nostra imprimit Dominus memoriam passionis suæ, ita quod hoc sit signum gentis suæ, sicut rex habet signa sua in bello, puta crux alba est pœnitétia in mente pura & munda, sicut Alemanni cum hospitantur, ponunt arma sua in ostio. Sexto, scribit duo alphabeta. Primo ad sensum allegoricú, quia titulus Christi fuit scriptus hebraice, græce, & latine, sed titulus hebraice scriptus, essalsatus est, quando Hebræi repulerunt ipsum dicentes: *Viam scientiarum tuarú nolumus*, ideo remansit Ecclesia in Græcis & Latinis. Secúdo mystice, quia in anima nostra scribit legem suam: *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam*. Vnde in tabulis lapideis olim scripta est lex, sed cito fracta, sed nunc in corde, vt non cito frangatur. Hinc Ezech. *Auferam à vobis cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum*. Et quia in lege sunt obscuritates, & etiam res manifestæ, ideo quia latinum manifestum est, per ipsum tanguntur res manifestæ, & quia grçcum nobis occultú est, per illud signantur res occultæ. Tertio in literis alphabeti continentur virtualiter omnes termini, & voces cuiuscunque linguæ, & scientiæ omnes vocaliter dicibiles, aut scripto exprimibiles. Ideo vt ostendat se omnium illorum datorem, secundum illud: *Deus scientiarum Dominus est*, ideo vult ista scribi in interiori templi sui. Sed nota quod Moyses tabulas digito Dei scriptas cito fregit, sed tabulas digito hominis scriptas reseruauit. Nam lex Dei cito frangitur, sed traditiones, iura, & decreta hominum multum obseruátur, de quo notabat Dominus Phariseos. *Reliquistis mandatum Dei propter traditiones vestras*. Et si dicas, cum lex Dei sit nunc scripta in cordibus hominú, videtur quod non debet cito frangi. Sed qualitercúque sit scripta lex Dei & lex iustitiæ, tamé núc est totaliter confracta: & pro nunc quod lex iustitiæ sit fracta, patet, quia modo denegatur introitus iustitiæ. Si diabolus quæreret audiri in iustitia hominú, audiretur & secundum formam. An oporteat cósiliari si audiatur homo, 1. Metaphys. in foribus quis delinquet, hoc enim est principium iustitiæ. Et certe maximú signum damnationis est non facere iustitiá. Primo hoc patet, quia ille qui operatur iustitiam,

Apo. 21

Psal. 147.

Iob 21.

Hier. 31.

Ezec. 11.

1 Reg. 2.

Mat 15.

G Iustitiá non facere, est maximú signum damnationis.

stitiam, saluabitur, secundum illud Psal. Psal. 15. *Domine quis habitabit*, &c. & respondet, *qui operatur iustitiam*, igitur per oppositum, qui non fecerit iustitiam, damnabitur. Secundo hoc est opus damnatorum non facere iustitiam, vel facere contra iustitiam. Sap. 2. Dicunt enim: *Opprimamus virum iustum iniuste, & non parcamus viduae & veterano. Sit autem fortitudo nostra lex iniustitiae.* Quod enim infirmum est, inutile inuenitur. Tertio est signum paupertatis futurae, quia iustitia est causa omnium bonorum, Psal. 111. iuxta Psal. *Gloria & diuitiae in domo eius*, & ratio est, quia *iustitia eius manet in saeculum saeculi*, & per consequens defectus Sap. 2. iustitiae est causa omnium malorũ. *Excaecauit eos malitia eorum, nescierunt sacramenta Dei, nec sperauerunt mercedẽ iustitiae, quia non fecerunt iustitiam.* Est etiam causa abominationis regni, occasione cuius dicebat Dan. 9. Dan. *In templo erit abominatio desolationis.* Septimo inungit parietes cruce signatos. Parietes animae, qui debent ad inuicẽ cohaerere, secundum Bernardum, sunt memoria, ratio, & voluntas animae, ita quod si dissideant, in illa lite Dominus nõ perPsal. 75. maneret, quia: *In pace factus est locus eius.* Vnde cruces exteriores sunt afflictiones corporis, cruces interiores sunt cõpassiones ad Deũ & proximũ. Vngit ergo Dominus parietes istos, sed quo oleo? an oleo Psa. 140. adulationis? non, quia Psal. *Oleũ autẽ peccatoru non impinguet caput meũ*, an oleo deceptoriç simulationis, per quod meretrices capiunt homines suos, secundũ illud: Prou. 5. *Fauus distillãs labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius?* non, sed oleo gratiae. Primo ad leniendum dolores, vt homo leuius portet onera Domini. Ideo Esa. Esa. 10. *Computrescet iugum à facie olei*, id est oppressio doloris à facie vnctionis. Medici enim partem dolentem inungunt. Sic Maria pedes Domini itineribus attritos, & Samaritanus vulnera sauciati. Secũdo, vt tribulationes Psal. 22. sustineat *Aduersus eos qui tribulant me impinguasti in oleo caput meum.* Tertio vt iustitiã Psal 44. diligat & exerceat. *Dilexisti iustitiã & odisti iniquitatẽ, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae.* Istę autẽ cruces clauduntur circulo, hoc est perseuerãtia, quę est à principio vsque ad finẽ. Oportet enim hominem perseuerare in poenitentia, ne sibi dicatur: *Hic homo coepit aedificare, & non potuit consummare.* Luc. 15. Ei enim, qui bonum incepit & non perficit, potest dici quod cauda ista non est de isto vitulo. Dominus autẽ Leuitis praecepit de animalibus offerri caudã, id est perseuerantiã. Leuit. 3. Octauo accendit luminaria, scilicet intellectum & rationem luminaria animae, & hoc per fidem, quae est lumen maximum, quãdo se reddit intellectus captiuatum in obsequium fidei. *Ante grandinem praeibit coruscatio*, Eccl. 32. id est ante iudicij & inferni tempestatem lumen fidei & cognitionis. Vnde quando facimus aliquã solemnitatem seu officium solemne, accenduntur luminaria. Sic in feruore fidei cum volumus Deo seruire. Item oportet intellectum illuminari fide, sicut affectus vngitur gratia. Non enim intellectus sufficit capere etiã illuminatus fide, sine affectu. Ista enim duo, affectus & intellectus Deũ comprehendunt, & Deus solum humilem illuminat. Ps. *Declaratio sermonum tuorum illuminat*, &c. Psal. 118 Et Iob: *Cum te consumptũ putaueris, orieris vt Lucifer.* Iob 11. Nono dat indulgentias. Sic Dominus in dispẽsatione animę, quã sibi matrimonio spirituali copulat tanquã sponsus largus, non solũ indulget, sed multa facit donaria. Assuerus pro conuinctione & nuptijs Hester dedit Hester 2. requiẽ vniuersis prouincijs ac dona largitus est iuxta magnificentiã principalẽ.

## IN EODEM FESTO, SERMO VI. & in ordine XCVII. Per Thema.

VIdi ciuitatem sanctam Hierusalem nouã, descendentem de caelo à Deo, paratam sicut quã sponsam. Apo. 21. Cõmuniter conformãt se Ecclesiae inferiores cathedrali siue matri Ecclesiae in seruitio, cantu & alijs, vt minores maiori, licet sit aliqua distinctio. Et quia Hierusalẽ, quae sursum est mater nostra, sancta est & dedicata soli Deo & militiae eius, ideo similiter ad exemplar illius

A Ec. esia militant in quibus conuenit cũ triumphante, & in quibus differt.

illius dedicamus illam, & quia continue laudat Deum, ideo Hierusalem inferior conformat se illi vt dicat, benedicā Dominum in omni tēpore, & sicut illa ędificatur vt ciuitas, sic & ista, quia in vnitate consistit ædificium ciuitatis. Sed differūt, quia mater Ecclesia libera est nihil alicui debens neque visitationem, neque sinodum nec quicquam aliud. Sic & Hierusalem quæ sursum est mater nostra libera est, sed Hierusalē inferior multis est subiecta tributis, id est, tribulationibus & angustijs, ita quod tribulationes & angustiæ eam faciunt ascendere. Exemplū de arca Noæ, quæ multiplicatis aquis diluuij eleuata est in sublimæ. Sic enim per Gen. 7. aquas tribulationum eleuatur sursum ad Deum Ecclesia. Huius figura fuit in Hierusalem materiali, cuius portio superior & dignior erat templum à Deo priuilegiatum & liberum, quod confugientes ad ipsum, eius libertate & immunitate gaudebant. Sic portio superior Ecclesia triūphans quieta est, & in loco ab hostibus inaccessibili, sed inferior indiget custodia propter sui debilitatem & circundationem hostium, ideo non oportet dormire omnes, sed speculatores, id est prælatos vigilare, imo quilibet circa se & pertinentia ad salutem suam debet vigilare, vt dicat, vidi ciuitatem sanctam Hierusalem, &c. Secundo differunt, quia in in illa superna fit semper seruitium de communi, & nunquam de propria, quia Psa. 121. *eius participatio in idipsum*, scilicet Deū, hic autem fit de proprio & de cōmuni, quia secundum prosam, confusa sunt hic omnia. Tertio quia in illa ciuitate omne aurum nouū est, noua vita & noua conuersatio, omnia noua, hic vero profert homo de thesauro suo noua & vetera & plus vetera quam noua scilicet peccata quam 1. Cor 5. gratias, ideo hortabatur Apostolus, *expurgate vetus fermentum*. Quarto quia illa ciuitas plena est fluminibus gratiarum & Psal. 26 gloriæ. Psal. *Fluminis impetus lætificat ciuitatē Dei*, ista modicas habet aquas, & aquę vt plurimum versæ sunt in sanguinem.

Non est enim modo misericordia nec veritas in terra, sed homicidium, adulteriū, & furtum inundauerunt. Quinto quia illa ciuitas ædificatur domibus perpetuis, ista vero declinantibus ad ruinam & continue cadentibus. Sexto quia de superna ciuitate & eius libertate dicta sunt infinita bona, quia non est ibi nisi bonum, in inferno ciuitate babilonis non nisi malum, in hac media & bonum & malum. Ideo vt sciamus eligere bonum & reprobare malum ad Mariam quæ est doctrix disciplinæ Dei recurramus dicentes Aue, &c.

Primo videndum est quomodo Ecclesia est ciuitias. Secundo de visione eius. Tertio de vnione sancta. Quarto de nouitate. Pro primo dicitur quod Ecclesia B militans se habet vt ciuitas quantum ad Ecclesia ciuitas refugij statum pœnitentium fugitiuorū in claustrum. Vnde. Erant tres ciuitates refugij Ios. 20. circa Iordanem, propter tria beneficia baptismi contra originale, confessionis contra actuale, conuersionis contra malum pœnæ. Subeuntibus enim disciplinā claustralem, pro illa purgatorij pæna cōmutatur vel diminuitur Ipsi sunt qui dicunt cum Augustino, Domine hic vre, hic seca, vt in æternum parcas. Ipsi etiam dicunt cum Psal. *Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.* Psal. 43. Vnde cum Laban tonderet oues, id Gen. 31. est mundus homines simplices & Innocentes. Iacob fugit ab eo, & sic claustrum est ciuitas refugij, ad quam consulitur fugere: *Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* Mat. 10 Hostes autem qui nos persequuntur in ciuitate mundi, sunt tentationes & sæcularium negotiorum occupationes, ideo religiosi fugiunt ciuitatem mundi & intrant ciuitatem refugij. Sed C se habet Ecclesia vt turris quantum ad Ecclesia turris. statum pugnantium propter tria. Primo quia munita. Primo situ, quia in monte excelso, & flumine cincta, super omnes montes collocata, mōtes eius sancti secundum illud Ps. *Fundamenta eius in montibus sanctis*, Psal. 86. mōs Christus super excellens,

Esa. 2 lens, de quo Esa. *Erit in nouissimis diebus præparatus mõs domus Domini*, mõs coagulatus in passione, mons pinguis donorum affluentia, in quo præcipue fundatur hæc
1. Cor 3. ciuitas, quia: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id*, &c. Sed flumine cingitur, id est, abundantia donorum spiritualium,
Psal 64 de quo Psal. *Flumen Dei repletum est aquis*,
Psal. 45. & alibi, *fluminis impetus lætificat*, &c. Sicut autem flumina mundanarum delectationum fluũt in mare, id est, amaritudinem mortis æternæ, sic hoc flumen in flumen dulcedinis pacis æternę, quia gratia tran-
Esa. 66. sibit in gloriam. *Ecce ego declino in eos vt flumen pacis, & sicut torrentem inundantẽ gloriam gentium sugetis*. Secũdo armis est munita, quia martyrum, confessorum, &
Cant. 4. virginum exemplis instructa. *Collum tuum sicut turris Dauid, ædificata cum propugnaculis. Mille clipei pendent ex ea*, clipeus Stephani, clipeus Laurentij, clipeus Dionysij & aliorum fortiũ. Quis posset esse sufficiens ad tales tantosque clipeos des-
1. Mac. 6. cribendos? de quibus: *Refulsit sol in clipeos aureos, & resplenderunt modo æs ab eis*. Clipei aurei martyres primi, in quos sol primo refulsit, quia eos primo exẽplo suæ passionis ad patiendum animauit & armauit & illuminauit. Inde & ex reuerberatione lucis eius passi sunt. Tertio muris circundati. Murus est continentia carnis, antemurale continentia mẽtis, quorum quia Christus deditur exemplum
Esa. 26. dicitur: *Vrbs fortitudinis nostræ Syon, saluator ponetur in ea murus & antemurale*, & dicitur:
Cant 4. *Ortus conclusus es soror mea sponsa*. Secundo hæc turris sublimis est per humilitatem, quæ maxime in Ecclesiæ dignitate attẽ-
Eccl. 32. denda est. *Rectorem te posuerunt noli extolli, sed esto in illis quasi vnus ex illis*. Et quia hu-
Luc. 14. militas vera est sublimitas, dicitur: *Qui se humiliat exaltabitur*. Sed plures sunt qui ambiunt dignitatem, pauci qui in dignitate humilitatem. Tertio fortis est per patientiam, quæ est murorum hardamẽtum, à quo ictus petrarum resiliunt, &
Prou. 16 præualet fortitudini corporali. *Melior est vir patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore vrbium*. Pro secundo notandum, quod Ecclesia est in aspectu totius populi, quia altior dignitate & eminentia. Vnde oculi in capite velari non possunt quin videantur, sic Ecclesia quin videatur, & quia alta, ideo multis ventis & turbinibus & machinis subiecta. Sed vulgo dicitur: qui viuit videt, ideo mortui non vidẽt. Mortui enim peccato non vident Ecclesiæ statum nec dignitatẽ qua abutuntur, sed soli viuentes Deo. Ideo à prophetis qui appellabantur videntes. Visus est totus Ecclesiæ status, qui etiam 1 Reg. 9.
fuerunt custodes & speculatores huius ciuitatis.

Et primo si quæratur à Salomone rege & propheta. Respondebit illud Cant. *Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum?* Cant. 7.
Hic videbat statum Ecclesiæ primitiuæ pro principio, in quo velut in castris fortiores in prima acie ponebantur, doctiores & sapientiores, & debiliores per ipsos sustentabantur. Tũc Apostoli & sancti martyres præcedebant gregem in deuotione, in affectione, & opere, & tunc animabãt debiliores inferiores. Ideo tũc Ecclesia multiplicabatur in filijs & crescebat in nationibus, eo quod fortes erant & robusti qui gignebãt. Nunc vero ẽ cõtrario in muliercula inuenitur maior deuotio quam in prælatis & sacerdotibus, & propterea Ecclesia modo diminuitur in filijs & nationes Ecclesiã suppeditant. Quia etiam in principio Ecclesiæ erat prælatorum in cœlis conuersatio, ideo calescebant à feruore, nunc autẽ in terris habitatio, ideo refrigescit charitas & abundat iniquitas. Secundo quæsitum est à Hieremia, *Quid tu vides Hieremia?* Respondit. *Virgam vigilantẽ ego video*. Hier. 1.
Sic virga pastoralis sanctorum doctorum & prẽlatorum postea vigilauit super populum ipsum docendo & falsas doctrinas corrigendo & dirigendo. Et ideo periculum est in manu fatui ponere illam virgam, sicut modo fit. Modo enim citius poneretur malus quam bonus. Fit enim Iudic. 9.
modo sicut olim ligna fecerunt, quæ sibi con-

constituerunt regem Rhannum, & ideo spinæ & dumi debebant esse officiarij eius, saltem clientes. Tertio iterum quęsitum est à Hieremia: *Ollam (inquit) succensam ego video*. Sic moderna est Ecclesia, quæ est olla succensa igne cupiditatis & auaritiæ. Hieremias: *A maximo vsque ad minimum omnes auaritiæ student*. Numquam venator fuit ita succensus post bestiam ad currendum, sicut nunc ad auaritiam. Etenim nunc silua in palatio, & ibi curritur ad bestias rubeas, & ibi capiuntur, imo domesticæ sunt, quia manu capiuntur. Modo satis est multiplicare temporalia, & de cælestibus nihil. Quarto, quęsitum est ab Amos: *Quid tu vides Amos? Trullam cæmentarij ego video*, ait ille. Trulla cæmentarij ædificat, & ædificando cō planat. Sic in fine Ecclesiæ ædificabūtur ciuitates desertæ religionis & Ecclesiæ bona doctrina & sanctimonia vitæ, & ad rectitudinem perducentur, quando vigebit Ecclesię vltima persecutio. Nihilominus in omnibus istis semper remanet Ecclesia sancta & immaculata. Ideo si quæratur à Ioanne: Quid vidisti in Ecclesia? *Vidi*, inquit, *sanctam ciuitatem Hierusalem*. Tertio, videndum est de vnitate sancta. Secundum Aristotelem ciuitas dicitur propter ciuium vnitatem, quādo vnitas est ciuium cum suo capite. Sic Ecclesia dicitur ciuitas propter vnitatem membrorum cum capite suo Christo. Et hæc est vnitas sancta. Ideo Hierusalē non dicta est ciuitas, sed castellum, quia se separauerunt à capite suo. Ideo male faciūt vnionem qui blasphemant Deum, qui Ecclesiam persequūtur moribus & operibus. Sed est alia vnitas mala, qua mali vniuntur ad male agendum, & ista est tā multiplex, vt nunc maior sit exercitus diaboli quam Dei. Secundo, dicitur ciuitas propter vnitatem fidei & doctrinæ. Vna enim est fides, quæ est per vniuersam Ecclesiam. Apost. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*. Et adhuc sicut ab initio, quando *multitudinis credentium erat cor vnum*, ita & nunc ambulamus in domo

Hier 9. | Hier. 6. | Amos 7 | Apoc. vlt. | D Ecclesia quare dicitur ciuitas | Ephes. 4 | Act. 4

Domini cum consensu. Legitur in Chronicis Odonis Viennensis Archiepiscopi, quod Leo Imperator contra errorē Calcedonensis Concilij scripsit omnibus fere Episcopis totius orbis singulares literas, mandans eis, vt sibi quisque singulares literas scriberet de natura Christi & fidei, & articulis incarnationis, qui singuli de his scripserunt literas singulares, ac si vno & eodē tempore, & vno dictāte fuissent omnia dictata, & de his omnibus de quibus singuli singulariter fuerāt requisiti. E contra hæreses diuisæ à Deo & ab Ecclesia, & ipsi hæretici diuisi sunt ab ira vultus Dei, & dissecti & dilacerati, & tamquam canes se dentibus dissipāt, dilacerant & mordent, inuident & dānant se mutuo. In quo patet, iuxta sententiā Domini, quod non congregant cum eo. *Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit*. Sunt enim similes vulpibus Sansonis, de quibus Iudicū 15. quæ habebant caudas colligatas, & facies diuisas, quia intentiones habent coniunctas ad impugnādam fidem Ecclesiæ, sed facies sententiarum & sectarum diuisas, cum inter se dissident, sed aculeis caudarum contra nos conueniunt ad nocendū. Sunt etiam sicut fumus obscurans aerē, & occupans in altum, & subito cadens, quia cito transeunt & cadunt, postquam obscurare nisi sunt veritatem fidei. Psal. *Inimici Domini mox vt honorificati fuerint & exaltati, deficient, quēadmodum fumus deficient*. Sunt etiam similes locustis, quæ ascenderunt de fumo putei, Apocal. 10. Quia de abysso diabolicæ suasionis fumus erroris exit, de quo procedentes hæretici contra Deum & Ecclesiam subito & cito erigūtur, & terras catholicorum occupant per violentiam & fraudem. Sed ad modum exercitus locustarum statim cadunt, licet aliquatenus saltent. Secundum quod dicit Dominus: *Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur*. Sic Actuum 5. probat Gamaliel de Apostolis per exēplum Theudæ & suorum, & Iudæ Galilæi & suorū, qui cito, quia ex Deo non erat eorum colli-

Nota | Luc 11. | Iud. 15. | Psal. 36 | Apo 10 | Luc 11 | Act. 5.

colligatio, dissipati sunt, & in nihilum redacti. Sic de Apostolis, si à Deo nō fuissent. *Si autem* (inquit) *ex Deo sunt, non poteritis dissoluere eos*. Vnde diuisi sunt semper, qui sunt contra Ecclesiam, scismatici & hæretici. Nec mirum, quia ædificant turrim Babel, in qua cōfundit Deus linguas eorū. Inde orat Psalmista, vel prædixit: *Præcipita Domine, & diuide linguas eorum*, &c. Vnde multæ puellæ quæsitæ sunt regi Assuero ex omnibus prouincijs, sed sola Hester præ omnibus placuit, & in consortium eius & in reginam assumpta est. Illę enim puellę quæsitę, sunt diuersæ Christianitatis sectæ, quæ omnes regi Christo aliqualiter famulantur, & omnes fidem eius saltem pro parte recipiunt, & sic omnes ad ipsius cubiculum quodāmodo admitti videntur, omnesque sub suis custodibus, id est sub suis prælatis & pastoribus constituuntur, & qualibet earumdem regi Christo placere, & regnum paradisi in futuro obtinere sperātes, se alijs præferre noscuntur. Sed non sic erit, quia vnica puella, scilicet Ecclesia Catholica & Romana ab illo est electa, & ista sola alijs prælata, & tamquam vnica sponsa sibi per veram & rectam fidem matrimonialiter est copulata. Omnes enim aliæ concubinæ possunt dici, ista autem vnica sola coniunx meruit nuncupari. Vnde in Canticis in persona Dei dicitur: *Vna est columba mea, perfecta mea, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, vir eius & laudauit eam*. Tertio, propter vnitatem amoris. Amor enim conglutinat membra ad inuicē, ita quod se inuicem nutriunt, se inuicem amant, se inuicem sustinent, & sic fortificantur. Inde quidam rex Tartarorum moriēs duodecim filios suos ad mutuum amorē pro stabilitate regni conseruanda hoc induxit exemplo. Iussit enim afferri duodecim sagittas, iuniori præcipiens, vt vnam earum confringeret, quod facile fecit, & secundam similiter. Postea iussit vt ponerentur simul omnes, & cuilibet eorum sigillatim offerri, vt illas simul frangeret: quod cum nullus facere potuisset, ait: Exemplum sumite in his sagittis, quia si fueritis inuicem concordes & vniti per amorem, nemo nocere vobis poterit: si autem discordaueritis, minima vos confringet potentia.

Gen. 11 | Psal. 54 | Hest. 2 | Cant 6 | Prou vlt.

Quarto dicendum est de nouitate Ecclesiæ. Ad hoc enim Dei filius apparuit, vt eam nouam faceret, & reprobatis cærimonialibus Sacramentis innouaret & hominibus. Est igitur noua. Primo, quia dedit noua corda. *Dabo vobis cor nouum*. Tunc enim quærebant temporalia, nunc cælestia: tunc cor inclinabatur ad capiendum terram, nunc ad capiendum ex magnanimitate cælum: tunc modicæ capacitatis, nunc maximæ, ita vt cælū capiant, vt Aristo. scripsit ad Alexandrū. Secundo nouas linguas: *Linguis loquentur nouis*, vt lege noua prædicarēt. Linguæ veteris legis erant murmurantes, nunc laudantes Deum. Sed nunc in laudibus Dei inuenio latrones piscium. Qui enim pisces furari volunt, & quod non percipiatur eorum furtum, non furantur capita vel caudas, quia sic facile perciperetur, sed medium piscium, & sic omnia coniungūt adinuicem, vt videantur pisces integri. Sic isti bene pronunciant capita, & fines versuum, sed totum medium furantur seu omittunt. Tertio noua præcepta: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem*. Et Apostolus: *Expurgate vetus fermentum*. Nouis enim mandatis superuenientibus vetera nulla sunt. Quarto nouam doctrinam, Marci. 1. Quænam doctrina hæc noua? Iudęi acceperunt de ea vnum casum noualitatis contra eum. Vnde & Annas interrogauit eum de discipulis & de doctrina eius. Sed ipsi credentes obuiare Spiritui sancto, & fonti, ne flueret, existimantes eam doctrinam extinguere, & lucrari causam, aperuerunt fontes abyssi magnę, & foramina fecerūt fodientes in terram promissionis, & inde exiuit abunde doctrina illa.

E Ecclesia nunc est noua. | Eze 11. | Mar. 16 | Ioan. 13 | 1. Cor. 5. | Mar. 1. | Ioan. 18

Quinto, nouam escam & potum, scilicet corpus & sanguinem, sicut dicitur: *Hic*

Matt. 26 *Hic calix noui testamenti.* Sexto nouam cantilenam: *Immisit in os meum canticum nouum, carmen Deo nostro,* non illas cantilenas pessimas & trufatorias, quę cantantur à musicis. Ideo Psal. *Cantate Domino canticum nouum, laus eius in Ecclesia Sanctorum.* Septimo nouum balneum, scilicet lauacrum regenerationis & renouationis. Balneũ diluuij mirabile fuit, sed nondum peccatum exterminauit, balneũ Ægyptiorũ terribile fuit, sed nõdũ omnes Ægyptios extinxit. Sed hoc balneũ omne malũ suffocat. Illa personas exterminabant, hoc vitia, illa animas inficiebant, istud viuificat. Octauo nouum nomen: *Vocabitur tibi nomẽ nouum quod os Domini nominauit.* Inde dicũtur Christiani à Christo. Quinto dicendum est de descensu à Deo. Quærela enim fuerat diu si non hæreditaret cælum vel terram. Et visum est quod detineretur à diabolo in terra per Pharaonem in figura, qui detinebat populum Domini in seruitute, ne deueniret in terram promissionis. Et allegabatur illud Ps. *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominũ.* Et hæc dubitatio erat, quia homo partim terrenus, partim cælestis, ideo dubium erat quo vergeret. Secundo quia nullus potest ibi ascendere, nec hæreditarie possidere, nisi de tribu, & iuste, quia illuc ascenderunt tribus, tribus Domini. Nunc ergo oportet videre vtrum sit de tribu Domini. Respondet Ioannes, quod sic, & ideo debet possidere cælum. Ait enim sic: *Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem descendentem de cælo à Deo.* Si Hierusalem Ecclesia militans descendit à Deo, consequenter homo qui est filius Ecclesiæ descendit à Deo, & ita est de tribu Domini. Item quod sit filius Dei, testis est Ioannes in principio sui Euangelij: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Modo vt Paulus ait: *Si filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Nec obstat, quod sit partim terreus, quia hoc est secundum partem minus principalem, cum secundum principaliorem sit cœlestis, & de tribu & genere Dei.

(Margin: Psal. 39. · Psal. 149 · Esai. 62. · Psal. 113 · Apoc. 21. · Ioan. 1. · Rom. 8.)

F Quantum ad sextum, quia tangitur in themate de nuptijs Ecclesiæ cum Christo, ideo pro nunc dicemus de festo & solennitate, quam debemus facere pro talibus nuptijs, in quibus sponsa Ecclesia dedicatur & consecratur soli Christo sponso. Vnde sicut in Ecclesia materiali in die festo solet fieri maior pulsatio campanarum. Maior frequẽtatio vel collectio populorum, maior eleuatio cantuum, maior ornatus cortinarum, & maior accensio luminariũ, sic spiritualiter facere debemus, vt placeamus sponso & sponsæ. Primo est campana sonans exterius & interius, exterius sonat, vt ad Ecclesiam veniatur, & est prædicator. In cuius figura summus sacerdos ingrediens tabernaculum, habebat in fine vestimenti mala granata cum tintinnabulis, vt audiretur sonus eius quando ingrederetur in conspectu Domini. Sed interius sonãs est cogitatio interior de beneficijs Dei & flagellis, quam inspirat Dominus. Et ideo: *Loquimini ad cor lætitiæ.* Sed de multis conquæritur sapientia, dicens: *Vocaui, & renuistis.* Campana sonãs exterius, fuit Ioannes Baptista, de quo: *Vox clamantis in deserto, parate viam Domino, & pœnitentiam agite,* &c. Campana sonans interius significat Ioannem secundum, scilicet gratiã Dei, quæ prædicto modo vocat, quæ est vox clamantis in deserto, id est solitudine animæ contemplatiuæ, secundum quod dicit Dominus per Prophetam: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Secundo maior frequentatio & collectio populorum. Sunt enim in homine carnali animæ cogitationes dispersæ: *Dispersus est populus ad colligendam paleas in Aegypto,* sed in spirituali colliguntur in vnum, quia dies festus agitur in tali anima. Psal. *Reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.* Ideo quia spirituales sunt, de cognatione Iesu dicitur in figura: *Ibant parentes eius per omnes annos in Hierusalem, in solenni die paschæ, sed consummatis diebus cum redirent, remansit puer in Hierusalem, & non cognouerunt parentes eius.* In quo notatur quod si ple-

(Margin: Solennitas quæ fieri debet spiritualiter, pro connubio Ecclesiæ & Christi. · Exo. 28. · Esa. 40. · Prou. 1. · Matt. 3. · Osee 2. · Exod. 5. · Psal. 75. · Luc. 2.)

rumque propter nimias curas actiuæ redeant cogitationes, propter prouidentiã corporis, quasi ad ciuitatem suam, propter hoc non recedit Iesus à Ierusalem, id est ab anima, licet hoc ignorent eius parentes, quia scriptum est: *Si abierit, non intelligam: & si venerit ad me, nõ videbo eum.* De hac collectione dicitur: *Canite tuba in Sion, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, cõgregate paruulos & sugentes vbera.* Si quæras, Quare? Ad lætificandum sponsum Christum & eius sponsam Ecclesiam, vt sic *egrediatur sponsus de cubili, & sponsa de thalamo suo.* Tertio, debet esse maior eleuatio cantuũ, qui sunt spirituales gemitus & suspiria pro peccatis, & desideria pro æternis. Primũ est quasi vox turturis, de qua: *Vox turturis audita est in terra nostra.* Secundum est vox alaudæ, quæ proprie non cantat nisi volando, & non sedẽs super glebam, & hoc est desiderium pro æternis. Quarto, est maior accensio luminarium, vt fides ardeat per charitatem, quia fides sine amore & sine operibus est quasi cæreus extinctus, quia *fides sine operibus mortua est.* Ideo Sapiens: *Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabit corda vestra.* Luceât igitur tunc scientia, consiliũ, & cæteræ virtutes, vnũquodque contra tenebras sibi contrarias. *Implebit splendoribus animã tuam.* Quinto, est maior ornatus cortinarũ propter virtutum æqualitatem. *Latera ciuitatis æqualia.* Iunctæ erant, quia qui habet vnam, habet quodammodo omnes. Hos dies festos mundus, caro, & diabolus, qui sunt vna cognatio, cessare volunt. Dolent de pulsatione campanarũ, siue exteriori, siue interiori. Holofernes præcepit incidi aqueductum, aquæductũ scilicet prædicationis & gratiæ. Secundo, dissipat congregationes populorum, procurãdo fieri aliud festum, vt ad aliud conueniãt, sicut ad nundinas, & tabernas, & ad ioculatoria quàm ad prædicationem, & sic à spirituali festo retrahuntur. Figura diaboli est in Hieroboam, de quo dicitur: *Dixit Hieroboam in corde suo: Reuertetur regnũ ad domum Dauid, si ascenderit populus iste, vt faciat sacrificia in Hierusalem, & excogitato consilio fecit duos vitulos aureos, & dixit: Nolite vltra ascendere in Hierusalem, ecce dij vestri, qui eduxerunt vos de terra Aegypti. Et constituit diem solemnem in mense octauo, ad similitudinem solemnitatis, quæ celebrabatur in Iuda.* Sic diabolus procurat fieri festa carnalia, quibus à spiritualibus homines retrahũtur. Sed dicunt spirituales: *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam.* Et Sapiens: *Risum reputaui errorem.* Dolet etiã de eleuatione vocum, id est de altitudine desideriorum. Inde prouocat vt cessetur, & locus interdicatur. Cessatur autem in Ecclesia ex multis causis. Primo, quando ingerit se excommunicatus. Fuit autem diabolus excommunicatus, quia anathema mara natha, id est maiori excommunicatione, quando separatus est à Deo. Dum ergo intrat in animã, tũc silet laus Dei. Secundo, interdicitur Ecclesia propter peccatum principis, donec emẽdauerit, & nõ pro peccato alicuius de vulgo. Princeps est ratio, peccat, quando cõsentit mortali peccato, & tunc quasi interdictum est templum animæ, donec emendauerit & satisfecerit, quia non est speciosa laus in ore peccatoris. Si quis de vulgo peccat, non silet Ecclesia. Quasi de vulgo committit peccatum, quando veniale incurrit, propter quod anima non silet, nec sancta desideria suspenduntur. Procurat etiam extingui luminaria cogitationum spiritualium, & cortinas virtutum. *Antiochus*, id est diabolus, *intrauit in sanctificationem in superbia magna, & tulit candelabrum luminis, & ornamenta alia, & velum templi.*

Iob 9. Iohel 2. Cant. 3 Cant. 2 Iac. 2. Eccl. 2. Esa. 58. Apo 21 Iud. 7. 3. Re. 12 Ioan. 7. Eccl. 2. Nota. 1. Ma. 1

## IN EODEM FESTO, SERMO VII. & in ordine XCVIII. Per Thema.

*Filius regis gubernabat palatium, & indicabat populum terræ.* Istud palatium est Ecclesia Dei, cui præsidet filius regis Dominus Iesus, & in ea iudicia sua exercet. Quod autem ipsa sit palatium vel

4. Re. 15 Ecclesia est palatium Dei.

vel domus regis, patet à signo, quia propter hoc crucis triumphale signum erigitur & pingitur in Ecclesijs, ad ostendendum quod per virtutem crucis & crucifixi locus ille Christi dominio subiugatur. Et inde mirabatur vnus ex septem dormientibus, qui putabat se solum vna nocte dormijsse cum fratribus, vbi tamen circa ducentos annos dormierant, quod post excitationem suam videret signum crucis positum super ianuas & muros vrbis Ephesinæ, cum, vt sibi videbatur, pridie illius diei colerentur idola illic sub Decio Imperatore. Secundo, hoc idem patet in hoc, quod ibi ponuntur in dedicatione duodecim candelæ, vt sic detur intelligi, quod per duodecim Apostolos tamquam per duodecim capitaneos sibi Dominus subiugauerat vniuersum, iuxta illud Psal. *Cōstitues eos principes super omnem terram, memores erunt nominis tui Domine.* Non enim obliuiscebantur nominis Domini, sed semper clamabāt, Viuat rex paradisi in mentibus hominum, & ita fieri procurabant. In cuius signum, cum villa lucratur, statim ponitur vexillum regis supra, sic crux supra Ecclesiam. Et quia sumus filij regis æterni, ideo quotidie accedimus ad palatium Ecclesiæ, ad salutandum Dominū in aula sua regia, secundum exhortationem Psal. *Adorate Dominum in aula sancta eius.* Primū tamen palatium, quod habuit Christus veniens in hunc mundum, fuit Maria, in quo mirabilia exercuit iudicia cōtra dæmonē, & mira opera misericordiæ pro nobis. Cuius misericordiæ nūc vt participes simus, ad illud palatiū confugiamus.

Psal. 44.

Psal. 95.

B Ecclesia habet suas cameras instar palatij.

Ecclesia non sine causa dicta est palatium, quia in ea reperiuntur cameræ, & officia fieri consueta in palatijs. Primo enim est camera parlamenti magna, in qua fiunt plebicita de causis. Sic in hac domo plebicitatur causa inter peccatorē & Deum: & Deus est contentus perdere causam suam, propter vnam lachrymā. Solebat dici in regno, quod nullus erat, qui tot causas perderet sicut rex. Sic nullus est, qui causas perdat ita sicut Deus. Vult enim iustitia Dei exterminare peccatorem, sed allegant primo lachrymæ misericordiam, & tunc iustitia commutatur in misericordiā. Exemplū in Achab, qui propter suas lachrymas consequutus est misericordiam: exemplum etiam in Magdalena. Sed non solum lachrymæ allegant, sed allegant secundo insignia nostrę redemptionis, quę continentur hic, quæ multum allegant pro peccatore, ita quod canit Ecclesia: O crux aue spes vnica. Tertio allegat sanguis Christi, ac martyrum, & sanctorum, iuxta illud Apostoli: Sanguinem Christi melius clamantem quā Abel. Quarto, merita tua allegabunt, ita quod iudicabitur illud: *Date ei de fructu manuum suarum*, ita quod dabitur audientia meritorijs vel demeritorijs operibus tuis in portis corporis, in portis cæli & inferni, & si inueniaris male habens, nunc, secundum illud Ps. *cognoscetur Dominus iudicia faciens*. Sed mulieres sæpe plebicitant in Ecclesia plebicita diaboli. Solebat dici vulgo, quod in furno & molendino sciebantur noua. Sed hoc modo fit in Ecclesia. Et Deus scit qualia verba dicuntur, oporteret multa talia ad faciendum vnum cadum aquæ benedictæ. Diabolus loco & tempore sciet ostendere totum plebicitum & processum, quia grapharius est, & præsentabit diuino iudicio. Has confabulationes reprehendit Ambrosius, dicens libro de Virginitate: Frequens sermo est in Ecclesia, cum talia ranarum murmura religiosæ plebis auribus instreperent, præcepisse Dei sacerdotem Martinum, vt cōticerent, ac reuerentiam sanctæ orationi deferrent, & tunc subito circumfusos strepitus inuenisse. Silent igitur paludes & non silebunt homines. Et August. In oratorio nemo aliquid agat, nisi id ad quod factum est & vnde nomen assumpsit. Secundo in Ecclesia pronunciantur arresta Dei, quia prædicator pronunciat, & prælatus, qui est præsidens in Ecclesia.

3 Re. 21

Heb. 12.

Prou. 31

Psal. 9.

C Notatur loquacitas in Ecclesia.

sia. Sic fecit Dominus in hoc die, quando pronunciauit sententiam saluationis credentium in se, cũ dixit: Hodie salus huic domui facta est, ex quo dabatur intelligi sententia damnationis eorũ, qui non credebant. Sed nunc in Ecclesia pauci pronunciant arresta Dei. Primo, quia nimis approximant ad lupum, nimis inhiantes prædæ bonorum & beneficiorum, ideo non possunt clamare: *Omnes canes muti, non valentes latrare*. Expectant enim vnum os in ore, vt taceant. Antiquitus solebat dicere bonus prælatus: *Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ*, sed modo non clamant præ proximitate luporum, qui volunt similiter comedere terram cum eis. Secundo, quia Ecclesia vetula est, & ipsi vetuli habentes dentes fractos, ideo non clamant. Sed quomodo fracti sunt, dicat Hieremias: *Confregit ad numerum*, scilicet auri & argenti, *dentes meos*. Tertio, quia reputant illud officium iam vile, cum tamen in palatio nullum sit nobilius, quod per se exercuit rex regum, & Dauid per se exercuisse se dicebat, inquiens: *In labijs meis pronunciaui omnia iudicia oris tui*. Tales similes sunt sutori regis, qui habet nomẽ illud, & nihil vmquam fuit pro eo. Mirum est, quomodo reputant nobilius officium tota die per palatia discurrere. Secunda camera, est camera magni consilij Angeli. Residet enim ibi in medio, sicut consilians nobis, & reconsilians, & ibi venit ad reconciliandum peccatores. Cõmuniter dicitur, Vbi est rex, ibi est consilium eius, & hoc quando rex portat consilium suum secum. Iste autẽ rex portat secum consilium suum. Esaias: *Quis adiuuit spiritum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* ideo vbi est, ibi est magnum consilium eius. Ibi debemus orare, vt sancti intercedant & loquantur pro nobis, qui habent accessum ad regem. Similiter ibi habes consiliarios regios sacerdotes, à quibus habes quærere consilium, secundum illud quod præcipitur: *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris, venies ad sacerdotes Leuitici generis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco quem elegerit Dominus.* Sed modo sunt multi consiliarij in medio huius palatij, qui nihil sciunt de legibus diuinis, ideo secundum illas vix scirent iudicare. Vbi tamen ridiculum esset videre vnum consiliarium in curia parlamenti, nihil scientem de legibus Iustiniani. Ad illud magnum consilium Dei omnes euocabimur, quia Psal. *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo*, vbi sedet terribilis in consilijs super filios hominũ Deus. Tunc custodi ne perdas vnam petiam de processu tuo, quæ nõ sit in sacco, quia tunc perderes processum. Caue scilicet nescienter dimittas aliquod peccatũ non confessum, vel per tui negligentiam oblitum ad ponendũ in registro vel sacco tuæ memoriæ. Tertia camera, est camera Cancellariæ, in qua sunt magistri requestarum. Ibi enim multa quærimus. Sed aliquando literæ cancellantur, aliquando cito exaudiuntur, aliquando remittuntur, & postea exaudiuntur. Primo enim ibi quærimus literã gratiæ & misericordiæ. Miseri homicidæ, qui interfecimus filiam regis, & destruximus imaginem eius. Et ista datur nobis. Ps. *Suscepimus Deus misericordiam tuam*, &c. Magna Dei misericordia habere domum in hac valle lachrymarum & miseriæ, vbi quæratur misericordia. Nec est ita magnus casus, si quæramus ante suspendium, quin habeatur. Aliquãdo vero releuamentum quærimus, dicentes illud Ps. *Vendidisti populum tuũ sine pretio*. Sequitur: *Exurge, quare obdormis Domine, exurge Domine, adiuua nos*. Et iterum: *Tu autem Domine, miserere mei, & resuscita me*. Et Esaias: *Domine Deus noster possederunt nos domini absque te, tantum in te recordemur nominis tui*, id est, da nobis releuamentum, vt amplius non seruiamus nisi tibi. Aliquando quærimus exorbitantia contra salutem nostram, & in iniuriã proximi nostri, sicut quãdo optamus quod Deus mala morte puniat proximũ, vel nimis auide de bonis huius mũdi quęrimus, & hoc nõ cõceditur. Domus

Margin notes: Nota. — Esai 56. — Psal 68. — Thren. 3 — Ps 118. — Esai. 9. — Deut. 17 — Psal. 74. — Nota. — Psal 46. — Psal 43. — Psal 40. — Esa 26.

autem hæc Dei est domus salutis, in qua petenda sunt pertinentia ad salutem. Magna Dei liberalitas, qui ordinauit domum, in qua petamus ab eo necessaria, cum auari è conuerso faciant. Quarta camera est camera computorum, in qua redduntur computa totius vitæ nostræ. Esa. 38 Esaias: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Item omnia tributa, & vota soluuntur. Psal. 65 Psal. *Introibo in domum tuã in holocaustis, reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Aliquando bene redduntur computa, sed reliqua remanet, & tunc pendet saccus ad clauum, & quando aduertit hoc rex, tunc facit soluere in purgatorio. Mat. 5. *Amen dico tibi, non exibis inde, donec reddas nouissimum quadrantem.* Auditores computorũ sunt sacerdotes, & domini computorum sunt Episcopi, qui remittunt, & claudunt magnas difficultates in casibus reseruatis, ita quod difficultates coram eis perueniũt. Quinta est camera thesauri, in qua sunt thesaurarii, qui recipiunt omnes thesauros, & census regis. Vnde terra regni Dei data est nobis ad laborandum, id est regendũ, ita quod quatuor partes habemus, & quinta regi debetur. Dicebãt enim Ægyptij Ioseph: Gen. 47 *Da nobis semina, ne per defectum cultorum terra redigatur in solitudinem.* Et ait: *Accipite semina, & seminate agros, vt fruges habere possitis, quintam partẽ regi dabitis, quatuor partes remitto vobis in sementem.* Quatuor partes sunt. Primo pax & trãquillitas animi. Secundo euasio periculi. Tertio gaudium de bono opere. Quarto meritum. Quinto gloria, quæ soli Deo debetur. Psal. 28 Ps. *In templo eius omnes dicent gloriam,* quasi loco census gloriam ei reddentes. Item in fine inducitur corpus in Ecclesia quasi thesaurus animæ, vt seruetur in die iudicij. Sexta est camera generalium, vbi omnia imposita fiunt, & nunciantur populo. Primo festa celebranda, quę sunt imposita populo ad subleuandum gẽtes guerrarum. Sancti enim pugnãt pro nobis. 2. Mach. 15. 2. Machab. 15. mittebãtur Hieremias & Onias in adiutorium Iudæis ad pugnam. Quando etiam vltimo Godefridus acquisiuit terram sanctam, videbantur sancti visibiliter pugnare contra Saracenos pro Christianis. Nihil autẽ possumus eis dare de vadio, nisi honorem. Sicut & antiquitus, vt dicit Arist. 5. Ethic. quod reges debebant defensionem populo, & solo honore erant contenti. Ita domini nostri contenti sunt illo honore & illa impositione. Sed aliquando fit nimia impositio festorum. Sunt enim imposita in Ecclesia, quibus grauatur populus, festa scilicet nimis multiplicata, & imponuntur super omnem mercantiam, quia de omnibus mercantijs cessatur in festis. Secundo ibi denunciantur tallię, puta quadragesima, ieiunia quatuor temporũ, & ordinantur institutiones & decreta. Sed nunc impletur illud: *Alligant onera grauia & importabilia, digito autem suo nolunt ea mouere.* Mat. 23 Modo, vt vulgo dicitur, est vna bastiera, id est, est nauis onerata cõstitutionibus. Septima est camera monetarũ, in qua generalis monetarum bene iudicat de moneta si sit bona, vel mala, & ideo caueant hypocritæ, qui ficte accedunt ad Deum. Cognoscuntur enim *à la touche*, id est ad tactum. Persona enim aurea charitate propter persecutionem nõ odit persequentẽ, nec mutat pondus amoris, imo diligit, è contra est de hypocrita. Mala autẽ moneta scindetur gladio oris Dei in duas partes, scilicet corpus, & animã per sententiam dãnationis, & bulliet in caldaria inferni, quando dicit Dominus: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari,* &c. Mat. 22 Octaua est camera requestarum, vbi audiuntur priuilegiati, & cito, & summarie expediuntur. Nos Christiani omnes sumus à Deo priuilegiati, quia omnes eramus filij iræ, sed ex eius priuilegio facti sumus filij eius, & hæredes: & hoc priuilegium dedit absque hoc quod requireretur, quando venit in mundum in iucundo aduentu. Non sic infideles, qui ex natura sua & conditione sunt filij iræ. Et ideo cum occurrit nobis tentatio diabolica, & diabolus nos persequens ad malum, expedit

C Ecclesia domus est refugij in omni tentatione

pedit recurrere ad hanc domum. Exemplum de illo, qui graui tentatione luxurię vexatus, cũ vix abstinere posset, prostrauit se corã Domino, dicens: Domine dedisti mihi terram corporis regendam, iam nõ possum eam amplius regere, ideo reddo illam vobis, & tunc affuit tentato auxilium diuinum. Vnde dicebat Loth

Gen. 19 Angelos *Est ciuitas parua hic, ad quam possum confugere, nonne saluabor in ea?* Ideo domus illa refugium est nostrum. Domus enim debet sequi conditionẽ domini domus, & quia domus est refugium & protectio

Psal 17 peccatorum (iuxta illud Psal. *Dominus firmamentum meum, & refugium meum)* ideo domus hæc locus est refugij in omni tentatione, ad hoc quod homo liberetur cito ab aduersario. Item, sua quinque vulnera sunt quinque loca refugij. Vnde pullus, nisi sit sub alis, statim à miluo rapitur: & animalia, quæ non fuerunt in

Exod 9 arca, perierunt: & animalia, quæ fuerunt in domo, à grandine non perierunt. Sic qui sunt in domo Ecclesiæ, non pereunt, alijs, qui sunt extra, pereuntibus. Nec auditur processus nisi eorum, qui sunt in illa domo Ecclesiæ, & hoc fit in confessione. Respice ergo Christiane, si bene confitearis, & si bene iudicet præsidés, quia est appellatio ad magnam curiam regis, si sit error. Nona est camera criminalis dæmonibus, & malis homini-

Gen. 28 bus, vt posit dici: *Terribilis est locus iste*. Inde ibi ponitur virga crucis, qua percussus est Sathan, & ideo multum eã timet:

Esa. 30 *Pauebit Assur virga percussus*. Dicitur Ec-

Cant. 6 clesia *terribilis vt castrorum acies ordinata*, ita quod principes Ecclesiæ contra dæmones terribiliter insistant, expellendo à regno Ecclesiæ. Vnde bonus princeps debet prædam & spolia contemnere, & seipsum morti exponere, cum sui exercitus videt damnum & confusionem, sed malus princeps & cupidus, postposito bono exercitus, currit ad prędã & spolia, vt sic ditetur. Sic boni prælati se & sua exponunt pro salute gregis sui, mali vero non quærunt nisi lanam ouium. Sed pauci sunt nunc boni, qui pręsint, & ideo modo Ecclesia est exercitus male ordinatus. Nam in exercitu debent esse nobiles in equis, ignobiles pedites, id est, nobiles moribus & vita in dignitatibus, & ignobiles, id est, peccatores in statu humili & reputatione parua, sed potest conqueri modo Sapiens, dicens: *Vidi seruos in equis,* Eccl. 10 *& principes ambulantes super terram sicut seruos.* Dicitur autem Ecclesia terribilis dæmonibus, eos fugando per exorcismos, & relegando siue exulando. Item malis hominibus, excommunicando, & eijciendo de Ecclesia, secundum illud: *Foris canes, &* Apo. 22 *venefici*. Inde sunt ostiarij in Ecclesia ad eos fugandos. Mittuntur etiam tonitrua, & fulgura Ecclesiæ contra peccatores, quãdo dantur in manu bourelli diaboli, sicut fecit Paulus de adultero. Et ponun- 1. Cor. 5 tur quandoque in consurgeria, ita quod separantur ab aula & conuiuio regis, & non iuuantur de thesauris cõmunicatis, sed tantum de eleemosynis priuatis. Vltimo, est aula regia, in qua fit conuiuium maximũ omnibus de Ecclesia: tabula ponitur rotũda omnibus volẽtibus venire, &, sicut legitur de Assuero, *nullus cogeba-* Hest. 1 *tur venire ad conuiuiũ, neque bibere, sed vnusquisque quantum volebat bibere, bibebat*. Vnde in isto conuiuio primo lauantur manus, & aliquando totum corpus per baptismum & pœnitentiam, deinde sedent amici regis, qui sunt de liureta eius, qui sunt signati in frontibus ad heurtandum contra dæmones: *qui habent signum Thau,* Ezec. 9. vt confirmati, & tales sunt de militibus regis: deinde oportet per ordinem sedere ad mensam, sicut presbyteratus, & matrimonij, deinde comedere pinguia, & bibere mulsum. Et post hæc quid superest, nisi exeundo mensam lauare manus, id est omnia opera, quæ sunt sicut pannus menstruatæ, & hoc extrema vnctione, & intrare supernam Hierusalem, de qua Psalm. *Induxit eum in montem sanctificationis suæ*. Inde dicitur de Ecclesia: *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit* Prou 9. *in ea columnas septem*, id est septem Sacra-

menta Ecclesiæ, quibus fulcitur Ecclesia & sustentatur, ne ruat in peccatum.

### DE EODEM FESTO, SERMO VIII. & in ordine XCIX. Per Thema.

Psal. 64. R*Eplebimur in bonis domus tuæ, sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.* Primum templum, quod inhabitauit Dominus Iesus, cum venit in mundum, fuit vterus virginalis, sicut ipsa dixit. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Istud autem templum à nobis venerãdum est propter tria in themate tacta. Primo, quia est omniũ bonorum contẽtiuum. In curijs quando est pingue beneficium, plebicitatur pro habendo illud, de macro beneficio non tantum curatur. Istud autem est templum & beneficium pinguissimum, quod dignatus est primo acceptare rex gloriæ, & in quo primo noster pontifex Iesus induit vestimenta sua pontificalia. Ad istud templum habemus omnes in ratione collationis, quia illam nobis Deus donauit in matrem, ideo ad petenda omnia bona huius beneficij debemus accelerare. Licet enim illud primo acceptauerit noster summus põtifex, resignauit tamen in die passionis, cũ volebat habere maius beneficium, scilicet gloriæ. Secundo, quia est sanctum & soli Domino dedicatum. Primo, quia in honore solius filij dedicatum. Non enim secundum carnem fuerunt alia sanctuaria in isto templo, sed solum ipse qui est sanctus sanctorum, nec etiã ibidem fuit eius imago depicta, sicut in alijs templis, sed secundum veritatem Filius Dei in hoc templo habitauit. Tertio, est mirabile in æquitate, quia omnibus Spiritus sancti donis, & innocentia, & omnibus virtutibus adornatum, iuxta illud de templo Salomonis: *Nihil erat in templo, quod non tegeretur auro,* scilicet charitatis. Ad illã igitur, quæ est omnium bonorum contentiua, aperiemus animam, ad habendũ partem bonorum, ad sanctissimã inter omnes, vt gratiam consequamur admirabilem in virtutibus & iustitia, vt sicut ad lineam rectam rectificemur, & iustificemur, & vt hoc dignetur, dicemus ei, Aue.

(Margin: A Maria templũ, id est vterus, multis de causis venerari debet. Eccl. 24. — 3. Reg. 6.)

A templo prædicto tria alia templa inuenimus. Primũ materiale, quod est Ecclesia. Secundum spirituale, quod est hominis anima. Tertium æternum, quod est paradisi gloria. Et omnibus istis templis conueniunt tres prædictæ conditiones tactæ in præassumpto themate. Primo, templum materiale est bonorum cælestium contentiuum, quia factum est hoc templum primo, vt Deus ibi inhabitet, qui est omne bonum nostrum, & maxime postquam Ecclesia dedicata est, Dominus illic specialius inhabitat, dicens: *Erit nomen meum ibi in sempiternum, & oculi mei, & cor meum cunctis diebus.* Ps. *Dominus in templo sancto suo.* In cuius figura cũ fugeret Iacob à facie fratris sui Esau, & veniret ad locũ montis Moreę, qui nũc mons Siõ dictus est, vidit ibi scalam, & Angelos ascendentes & descendẽtes, & Dominum innixum scalæ, & statim subiunxit: *Vere Dominus est in loco isto,* &c. & postea ibi ędificatum est templum Hierusalem. *Facient mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum.* Secundo, vt ibi petamus quæ habemus petere, & ideo Ecclesia dicitur domus orationis, dicente Domino: *Domus mea domus orationis vocabitur.*

(Margin: Nota. — 3. Reg. 9. — Psal. 10. — Gen. 28. — Exo. 25. — Esa. 56. & Luc. 19.)

Sed ibi quæritur, quare Dominus vocat potius templum seu domum suam domum orationis quàm prædicationis, disputationis, aut lectionis, cum sæpius legatur prædicasse in tẽplo. *Quotidie apud vos eram docens in templo:* & disputasse, cum esset duodecim annorum, & aliàs, cum etiã legerit in synagoga apud Nazareth. Respondetur primo, quod domus Ecclesiæ vocetur domus orationis, multa attestantur. Primo enim hoc prædicant imagines sanctorum in Ecclesia vbique vel sculptæ vel pictæ, qui sursum leuauerunt cor ad Dominum, & ibi positæ sunt nobis in signum, non vt eis contradicamus, sed vt cum eis similiter faciamus. Similiter ibi est crux & crucifixus in altũ,

(Margin: Mat. 26. — Luc. 4. — 1 Domus Ecclesiæ cur vocetur domus orationis.)

Vt ibi cor erigamus. Sed tamen inter omnia ista cum clament ad nos, Sursum cor ad Dominū, nequaquā audimus, similes simulachris, quæ aures habent, & non audiunt. Ibi est etiam corpus Dominicū in persona, petēs nos audire. & nec volumus ei appropinquare. Secūdo, hæc prædicant loca, in quibus frequentant, sæculares, in quibus exercentur, quorū quędam plena sunt spectaculis, vanitatibus, insanijs falsis, quæ omne cor auertunt à Domino. Habēt & fora negotiosa, plena periurijs, fraudibus, murmuribus, clamoribus, & dissolutionibus. Habent & curias patrocinantium, intra quales sunt lites, iurgia, magniloquæ linguæ, acutæ, instructæ, vt faciant quod Ps. ait: *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua.* Psal. 118 Habent & curias principum, & prælatorum plenas superbia, vanitatibus, inuidijs; contentionibus, in quibus non est locus orationis. Istæ sunt domus mūdi, nō Dei. Domus enim Dei domus est orationis. Sed de domo orationis facimus domū gastrimargiæ, quia corpore ibidē existente, cor est in patinis, vt Terentius ait. Facimus etiam domum orationis, & speluncam latronum, garriendo, distribuendo beneficia symoniace, & mercando ex eis. Dicitur secundo, quod sanctius est regulariter orare in Ecclesijs & locis Deo dicatis, & fructuosius, & Deo placētius, quā in alijs locis. Primo ex loci maiestate, ex qua firmatur maior incitatio deuotionis. Tum secundo, quia blasphemia vel vitium, quod fit in loco sacro, est deterius eo quod fit extra locum sacrū. Igitur ex opposito sanctior est oratio in loco sacro, & operatio virtuosior quam in alijs locis. Ideo inter cæteros deteriores sunt homines ecclesiastici quam laici, quia in loco sacro inueniūt omnia remedia ad salutem, & illa conuertunt in fastidium, contemptum, & venenū, dū nihil habent deuotionis, quærētes quæ sua sunt, non quę Christi Iesu, sicut tempore quo Christus accessit, nulli sacerdotibus & ministris templi deteriores, qui Dominum vitæ ad mortē pepulerunt. Sāctius singulariter vbi requiescit corpus Christi. Ibi enim debet esse paratus orator vbi paratus est auditor, & qui supplicationē exaudire potest, sicut dicebat anima sancta: *Sub vmbra illius, quem desiderauerā, sedi,* Cant. 2 scilicet sub tabernaculo, in quo requiescit, *& fructus eius dulcis gutturi meo.* Nō est tamen inconueniens in tempore tribulationis commodiorem esse orationem in thalamo clauso quā alibi: ideo dixi, regulariter. Vnde Saluator ait: *Intra in cubiculū tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum.* Matt. 6 In tribulatione enim solent fieri aliquando prosternationes, & aliæ corporis gesticulationes, quæ non est commodū in publico fieri. Propter quod Heli scandalizatus in oratione Annę matris Samuelis, eā temulētā iudicauit. 1. Re. 1 Dicitur tertio, quod Ecclesia ordinata est principaliter ad laudandum Deum, ad eleuandum mentem suam in Deum, & ad petendū à Deo quę nobis necessaria sunt. Et quia hæc immediatius, directius, & commodius fiūt per orationē, ideo magis dicitur domus orationis quā prædicationis, disputationis, vel lectionis. Secundo, illud templū sanctum est & sanctificatum. Primo, quia ibi habitat sanctus sanctorum. Psal. *Tu autem in sancto habitas laus Israel.* Psal. 21 Secūdo, quia ibi sanctificantur peccatores. Magna consolatio peccatori, quod habeat locum sanctificationis. Psalm. *Induxit eum in montem sanctificationis suæ.* Psal. 77 Et ideo, si placeat Deo societas nostra (iuxta illud: *Delitiæ meæ esse cum filijs hominum*) Prou. 8 multum deberet nobis placere eius societas, nec deberemus esse ita cito tædio affecti de illius societate. Item magna ostenditur benignitas Dei ad peccatorem. Cum enim peccatores ad eum accedere nō possent in hac mortali vita, saltem ad domum cælestem, voluit habere domum communem cum eis in terra, & hanc domum voluit honorare, & prædicare in ea, & ostendere suam diuinitatem.

C *Ecclesia dedicatur propter quatuor.*

Tertio, illud templum est mirabile in æquitate. Propter quatuor enim dedicatur

tur templum. Primo, vt omnis maledictio & immunditia expellatur. A principio enim maledicta est terra, & per peccatum immunda facta, ideo sanctificatur & benedicitur ab Episcopo, vt mũda fiat. Non enim decet Dominum, & tantum Dominum habitare nisi in domo bene mundata. Domini enim in istis ciuitatibus volunt habere sua maneria specialia munda & gratiosa, ideo quia Filius Dei dominatur in toto mundo, voluit habere domum specialem mundam. Inde est, quod quando dedicatur Ecclesia, aspergitur aqua benedicta interius & exterius. Secundo, hæc dedicatio fit, vt Domino principaliter tribuatur, & ad cultũ eius deputetur. Ideo imago crucifixi in medio Ecclesiæ collocatur, quasi diceretur, Domus est ipsius crucifixi, & nõ alterius. Non enim ponuntur aliæ imagines nisi ad rememorationem, & ad excitandum deuotionem, quia sunt quasi libri laicorum. Vnde dedicatio est signum quoddã speciale domus Dei. Sicut enim circulus est signum tabernę, sic dedicatio est signum tabernæ Dei, vbi Deus ministrat sacramenta. Domus etiam non consecrata est sicut puella viro alicui destinata, non tamen dotata, nec alicui matrimoniali commertio vnione carnis vnita, sed in consecratione dotatur, & transit in propriam Iesu Christi sponsam. Tertio, vt purgetur à dæmonibus. Exẽplum est ad hoc Gregorij in Dialogo dicẽtis, quod cum quædam Ecclesia Arrianorum fidelibus reddita cõsecraretur, & reliquiæ sancti Sebastiani & sanctæ Agathæ illic delatæ fuissent, populus ibidem congregatus porcum ibi subito inter suos pedes huc illucque discurrere sensit, qui fores Ecclesiæ repetens, à nullo potuit videri, omnesque in admirationem commouit. Quod ideo Dominus ostendit, vt cunctis patefaceret, quod de loco eodem immundus habitator exiret. Et non solũ vt purgetur à dæmonibus, sed etiam ab immunditijs omnibus. Quarto, ne à ministris diaboli violetur. Alioquin *si quis* 1.Cor.3 *templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Punit enim sæpe Dominus violatores templorũ. Hoc patuit in Heliodoro, qui cum vellet spoliare templum Hierusalẽ, à quibusdam iuuenibus diuinitus missis fere vsque ad mortem flagellatus est. Itẽ de Nicanore, qui turpiter occisus est, eo quod iurasset se violaturum templũ Domini, & Libero patri dicaturum. Simile legitur lib. 6. Hist. Trip. cap. 31. de Iuliano præfecto Iuliani Apostatæ, qui cõtra sanctum altare minxit, & propterea tali infirmitate percussus est, vt fimum nõ per meatus digestibiles emitteret, sed per os scelestum blasphemijs plenum. Et ibidẽ similiter dicitur de Fælice præposito regalium thesaurorum, qui videns vasa Ecclesiæ, deridebat dicens: Ecce in quibus vasis filio Mariæ ministratur, qui in vltionem sui delicti tota die & nocte sanguine fuso interijt. Nec mirum, si Deus punit violatores templorum, cũ sint loca suæ habitationis, & cum illic honoretur, secundum illud Psalm. *A templo, quod est in Hierusalem, tibi offerent reges munera.* Quis enim rex ęquanimiter ferret domum suã inuadi & spoliari? Nihilominus tamen quidam imitantur naturam vrsi. Vrsus enim examẽ apum, non obstantibus apũ punctionibus, laniat & quassat, vt mella earum deuoret & rodat. Sic hodie multi tyranni student domum Ecclesiæ inuadere, vt possint melle suarum diuitiarũ famem suæ auaritiæ satiare, non obstantibus punctionibus conscientiæ remordentis, & propter tales famelicos videmus templum Ecclesiæ fere destructum. Inde dicitur: *Portæ fluuiorum apertæ sunt, & templum ad solum dirutum est.* Fluuij sunt homines violenti, figurati in Antiocho, de quo dicitur, quod cum audisset in ciuitate Elimaide esse templum locuples, quærebat capere ciuitatem, sed occurrẽtes de ciuitate ad prælium, fugere eum compulerunt, quia multi tyranni sic decerperent templum, nisi occurrerent illi de tẽplo. De istis vrsis dicitur, quod dorsa habebant contra templum, & adorabant

[Right margin notes: 2 Ma. 3. / 2 Mac. 15. / Psal. 67 / Nau. 2 / 1. Ma. 6 / Ezech. 8]

bant ad ortum solis. Contra enim templum Ecclesiæ dorsa verterunt, & ad ortum solis, id est splendorem mundanæ gloriæ, conuerterunt se.

D Templũ animæ ad tria est ita parandum. Secundum templum est anima nostra. In isto templo de se non crescunt multa bona, sed debemus ipsum præparare ad tria. Primo ad hoc, quod bonis cælestibus repleatur, scilicet Deo, cum quo omne bonum, ita quod sibi soli sit dedicatũ & consecratũ, sicut faciebat, qui dicebat: *Domine dilexi decorem domus tuæ*, id est, me facere tibi domum decorã, vt renouetur sicut aquilæ iuuentus mea, & deponens veterem hominem cum actibus suis, induam nouum, qui secũdum Deum creatus est, & eijciens lapides de plateis parẽ viam Domini, & rectas faciam semitas Dei nostri. Et sic adornet thalamum suũ Sion, vt suscipiat regem Christum. Cõtra eos qui corda sua dedicant idolis vitiorũ, vt ad illam dedicationẽ conueniant multi dęmones. Quod fit, cum immũdus spiritus, postquam exierit ab homine, assumit septem spiritus nequiores se, & iterũ rediens habitat cum illis. Cuius figura habetur Danielis 3. vbi dicitur, quod Nabuchodonosor misit ad satrapas, & magistratus, & omnes principes regnorum, vt conuenirent ad dedicationem statuę, quã erexerat, quia dæmõ, cum aliquẽ induxit ad peccatum, erexit quodammodo statuam, & idolum fecit de imagine Dei, & tunc incitat alios dæmones ad congratulandum sibi. Ps. *Qui tribulant me, exultabũt, si motus fuero.* Sed quomodo scietur, an tẽplum animæ sit soli Deo dicatũ? Dicitur quod potest sciri hoc modo, quia quãdo domus vel hospitale dedicatur Deo, solet crux poni superius, vel imago Dei & sanctorum depingitur in porta vel in principali altari. E contra, quando ædificatur taberna, ponitur circulus, & describũtur ribaldi pugnantes & ludentes. Sic cum templum animæ ędificatur & dedicatur Deo, apparet exterius crux pœnitentiæ, depingitur imago Christi & sanctorum in matura & sancta conuersatione. Sed quando persona exterius in verbo & gestu non prætendit nisi leuitatem & dissolutionem, non est signum quod in corde eius sit Dominus, sed taberna diaboli. Secundo requiritur, quod sit sanctũ & mundum, & ab omni fœditate culpæ purgatum. Sicut enim turtur loca munda diligit, immunda odit & fugit: apes etiã flores bonos & mundos sectantur, in immundis non sistunt neque morantur: sic Deus, qui & turture, & ape mundior est & vtilior. Et ideo Apostolus hortatur: *Abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Et: *Qui furabatur, jam non furetur.* Et: *Laua à malitia cor tuum Hierusalẽ, vt salua fias.* Hoc autem fit per contritionem & confessionem. Nonne sordes illas à domo sua abijciebat, qui dicebat: *Lauabo per singulas noctes lectum meũ*, &c. Sed multi amplius inquinant, & maxime fornicarij: & ideo præcepit Apostolus: *Fugite fornicationem.* Et rationem subdit dicens: *Nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti?* Iudicaretur homo sacrilegus, si violaret templum hoc materiale, & tamen templum hoc non est nisi figura illius, & ordinatũ ad ipsum, iuxta illud: *Verum non propter locũ gentẽ, sed propter gentem locũ elegit Deus.* Vnde templũ Dei violãt, qui de eo faciunt coquinam lecatorum, vt gulosi: lupanar meretricum, vt luxuriosi: stabulum porcorum, vt accidiosi: speluncam latronum, vt cupidi: campũ belli, vt iracundi: carcerẽ damnatorũ, vt inuidi: turrim Babel, vt superbi. Tertio requiritur, quod sit diuersis virtutibus ornatũ. Tabernacula enim, in quibus reponitur corpus Christi, nobiliter solent esse parata & cælata, ad notandum, quod si tabernaculũ spirituale esse volumus, necesse est vt nos picturam & cælaturam virtutum & honestatis habeamus. Et inde Iudas, & cæteri Iudæi post templi purificationem, & dedicationẽ eius, ornauerunt faciem tẽpli coronis aureis, vbi prius fuerat desolatum. Sic & nos gemmis virtutũ. Ita enim nobile erit & mirabile, si sic ornetur. Vnde & Exodi 25. ad ornatũ templi quidam

Marginalia: Dan. 3. — Psal. 12 — Nota. — Rom. 13 — Ephes. 4 — Hier. 4 — Psal. 6. — 1. Cor. 6 — 2 Ma. 5 — 1 Ma. 4 — Exo. 25

quidam obtulerunt aurum, alij argẽtum, alij purpuram, alij byssum, quia ad ornãdum templum mentis nostræ, & tegendum turpitudinem eius, bona opera per hæc intellecta à varijs secundum conditionis statum vario modo oblata sunt necessaria. Sed nunc verum est quod scribit Abacuh: *Pro iniquitate vidi*, scilicet aliquos, *tentoria Aethiopiæ*, id est hospitia dæmonum. Tertium templum paradisi gloria, & istud primo est omnium bonorũ contentiuum, quia Deus ibi specialissime habitat & habetur. Cuius possessionis spe ductus dicebat Dauid: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi*, &c. Et sequitur: *Hierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio*, &c. quasi in ipso Deo sufficientia habeat, nec participatione aliqua indigeat. Si tãtum est gaudium in spe, quanto magis in re? Vnde possunt beati dicere: *Dedit nobis Deus terram, in qua nullius boni est penuria.* Psal. *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus*, nesciuit dicere quid, propter bonorum affluentiam quæ illic est. Secundo, illud templum est sanctum. *Vidi Hierusalem ciuitatẽ sanctam*, nec in eo habitant nisi homines sancti. Tertio, est mirabile in æquitate, quia non intratur illud per iniustitias, & ibi distribuitur prout meruit secundum æquitatem. De huius autem templi cælestis excellentia plura dicentur sermonibus sequentibus.

Abac. 1 — Psal. 121 — Iud. 18 — Psal. 67. — Apo. 21

## IN EODEM FESTO DEDICATIONIS, *sermo IX. & in ordine C. Per Thema.*

*Psal. 121* — *A Nota quæstionem cũ solutione*

LÆtatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Cũ ita sit, quod in domo Domini maior pars sint coquini, ita quod alius habet caput amputatum, alius est pauper mendicus, alius habet corpus assatum. Nec ibi inuenies istos grossos abbates, nec istos episcopos, quorũ episcopatus valent decem vel duodecim millia. Sed è cõuerso in inferno sunt homines notabiles. Ibi inuenies reges & principes, episcopos, abbates, & summos pontifices, præsidentes, aduocatos & grossos mercatores. Cur ergo lætabimur ex sola relatione de eundo in domum illam Domini, in qua sunt tot coquini, vbi tamen dicitur de inferno: *Dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absque vllo termino, & descendent fortes eius & populus eius, & sublimes gloriosique ad eum.* Ita quod dicebat Psal. *Mei autem penè moti sunt pedes*, id est, quasi ego declinaui ad eundum ad illam viam, & non ad domum Domini.

Esai. 5 — Psal. 72

Sed ad quæstionem respondet Psalm. per aliquas propositiones. Prima est, quia *Hierusalem ædificatur vt ciuitas*. In ciuitate autem multi sunt & varij modi hominum, alij mercatores, alij agricolæ, alij præsides, alij principes. Sic in paradiso, & sunt episcopi & cuiuslibet generis & ordinis populi. Introibunt tamen ibi soli humiles; & quia soli pauperes spiritu sunt humiles, ideo ibi paucos inuenies de istis grossis abbatibus & episcopis, qui non se humiliauerunt sub potenti manu Dei.

Psal. 121

Secunda propositio Psalm. *Cuius participatio eius in idipsum*, id est, nõ oportet dicere quod in paradiso omnes sint pauperes, imo omnes erunt diuites participatione vnius scilicet Dei. Quid est, inquit Grego. quod non habeant, qui habentem omnia habent. Vnusquisque enim beatus eum totum habebit & totum possidebit. Inde: *In paucis vexati, in multis bene disponentur.* Tertia propositio. *Illuc ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini.* Male dicunt qui dicunt ibi solum ascendere rusticos, sed solum ibi nobiles ascendent, qui erunt de tribu Christi. Dicit enim Dominus: *Quicumque fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ille meus frater, & soror, & mater est*, & sic omnes erunt de sanguine regio. Et quia multi nobiles degenerant vita, ideo tales habebunt testimonium Israel, id est, ab omnibus, quod sunt boni, aliter non intrabunt portam cæli. Et quia otiosi sunt libenter

Ibidem — Sap. 3 — Psal. 121 — Mat. 12

benter principes, vel ludunt ad decios, vel deprædantur populum, ideo isti sunt ad confitendum & laudandum nomen Domini. Et illa quæ meliorem vocem habebit, illa erit altior, sicut beata virgo, quę inter omnes altius & dulcius melodizat. Inde optat vocem eius sponsus, dicens: *Sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis.* Sonet ergo vox sua in auribus Christi, impetrando peccatoribus gratiā, pro qua dicatur ei, Aue gratia, &c. Cant. 2.

B Domus multiplices.

Quatuor sunt domus. Prima est domus animæ nostræ, scilicet caro, in qua habitat anima. Iob: *Qui habitant domos luteas, consumentur velut à tinea*, id est à vermibus. In hanc sępe eundum est, sed cum solicitudine, non cum lætitia, vt custodiatur thesaurus in ea repositus, scilicet anima. Qui enim thesaurum magnum haberet in domo fragili à latronibus fortissimis impugnata, non sine timore eam custodiret. Apost. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus*, impugnatum scilicet à dęmone. Ideo continue vigilandum est, ne diabolus illum occupet. Sapiens: *Si in timore Domini non te tenueris instanter, cito subuertetur domus tua.* Si enim custodes castri inpugnati somno & comestionibus vacauerint, cito ab hostibus capientur. Sic ratio & voluntas, si extra timorem Domini fuerint. *Filijs & filiabus Iob vescentibus & bibentibus, concussit diabolus quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos, & mortui sunt.* Item oportet vt fenestræ claudantur, sic sensus contra hostes. In figura cuius dixit Helisæus: *Claudite domum, & non sinite ingredi illum*, scilicet qui volebat eum occidere. Secunda est domus diaboli, scilicet infernus. Iob: *Si sustinuero, infernus domus mea est*, si sustinuero scilicet malam causam, si patienter mala quæ vidi, portaui non corrigendo, sed sustinendo malos, &c. Iob 4. 2. Cor. 4 Eccl. 7. Iob 1. 4. Reg. 6 Iob 17.

In hanc debemus ire consideratione. Psal. *Descendant in infernum viuentes*, considerando scilicet quam male illic existētes hospitantur, quā male cibantur, quomodo pro mollibus lectis tineam, pro vanis cooperimentis vermes habent, secundum illud: *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Secundo, quam male reficientur, quia non comedent, sed continuo comedentur ab igne. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima, deuorabitque terram cum germine suo.* Tertio, quod non honorifice, sed quā vilissime tractabuntur & recipientur, quia nulli propter potentiam, sapiētiam, vel nobilitatem in aliquo deferetur, quin à Deo & Sanctis suis irrideatur, & in loco nouissimo collocati & tracti omnes reprobi contemptui habebuntur, quia de diuite Psal. *Cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.* Sapiens: *Illos autem Dominus deridebit, & erunt post hæc accidentes sine honore, & in contumeliam inter mortuos in perpetuum.* Quarto, quando quis est in malo hospitio hospitatus, quādoque potest exire vel aliud quærere remedium, sed sic ibi non erit. Ex quo enim quis erit ibi hospitatus, nūquam poterit exire, quia *congregabuntur congregatione vnius fasciis in lacum, & claudentur in carcere.* Stultus esset qui non pateretur omnia genera pœnarum antequā se permitteret in domum illam introduci. Et propterea Iob petit: *Dimitte me Domine, vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam ad terram tenebrosam.* Tertia est domus hominis interioris, scilicet conscientia, quā sæpe debet homo introire ad purgandum eam, sicut domus, in quam debent venire principes, purgatur. Inde dixit Dominus Zachæo: *Descende festinans, quia in domo tua oportet me manere.* Prouer. *Delitiæ meæ esse cum filijs hominum.* Propterea hortatur Sapiens: *Præcurre prior in domum tuam.* Fornicaria enim mittit caute lecatorem ante aduentum domini sui, quando scit quod debet venire. Ideo præoccupemus faciem eius in confessione. Item ad ornandum & parandum eam, quia domum tuam decet sanctitudo Domine, sicut ille faciebat, qui dicebat, Domine dilexi decorem domus tuæ, &c. Quarta, est domus patriæ cælestis, Psal. 54. Esai 14. Deut. 32. Psal. 48. Sap. 4. Esa. 24. Nota bene. Iob 10. Luc. 19. Prou. 8. Eccl. 32.

cæleſtis, & iſta domus eſt Domini cæleſtis habitatio, vbi eſt præda noſtra Ieſus Chriſtus. Nobilis canis quantumcumque ludat & applaudat, ſi ſentiat prædam ſuã, omnia dimittit, vt ſequatur eam cum lætitia, licet etiam cum labore. Sic nobilis
Phil. 3. animus, ſicut Paulus, qui dicebat: *Sequar, ſi quo modo apprehendam*. Dulcedo enim eſt quam quærimus, quam ſperamus, ideo Pſalmiſta audiens ſibi promiſſam illam,
Psa 121 ait: *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi*, &c.
C Hic dicetur de differentia domus cæleſtis ab alijs, ſcilicet domus Eccleſiæ materialis, & myſticæ ſeu militantis. Prima differentia eſt in ſeruitio & ſeruitoribus eccleſię, & hoc multipliciter. Primo, quia in hoc mundo non eſt continua ſolemnitas, ſed ſunt feriæ multæ, & ſæpe ibi fit de tempore. Sapiens: *Vidi cuncta quæ fiunt ſub ſole, & ecce vniuerſa vanitas & afflictio ſpiritus*. Sed in paradiſo eſt perpetua ſolẽnitas, non ibitur ad ſcholas, quia Hierem.
Hier. 31 *Omnes ſcient me à maximo vſque ad minimũ*. Inde dicitur in proſa; Quam felix illa ci-
Psal 83 uitas, in qua iugis ſolemnitas. Et Pſ. *Beati qui habitant in domo tua Domine*. Secundo, quia in hac Eccleſia inferiori non ſemper reſidet Epiſcopus, ſed in illa ſuperna ſem-
Hebr 9 per eſt præſens ille, de quo: *Chriſtus aſsiſtẽs Pontifex futurorum bonorum*; qui dat præbendas cæleſtes. In illa enim eſt ſolium & ſedes Epiſcopalis Ieſu Chriſti, quam
Esai 6. viderat Eſaias: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum*, ideo eſt matrix Eccleſia. Tertio, quia in Eccleſia nullum
Eccl. 4 eſt beneficium ſine cura. *In hoc*, ſcilicet mundo, *vanitas & cura ſuperflua eſt*, ſed in illa omne beneficium eſt ſine cura & ſine onere, iuxta illud, O quam iucũda curia, quæ curæ prorſus neſcia. Quarto, quia beneficia hic cum magnis difficultatibus habentur, & multum conſtãt, ſed de be-
Esa 55 neficijs ſupernis dicitur: *Venite, emite abſque argento & abſque vlla commutatione vinum & lac*, quia ſufficit bona voluntas.
Nota. Sed dices mihi: Cur nos non ſemper cãtamus de gaudeamus, conformando nos matrici Eccleſiæ noſtræ. Reſpondetur. Primo, quod conformamus nos in quibus poſſumus, ſed non ſolum oportet facere feſta Eccleſiæ matricis, ſed etiam feſtum Eccleſiæ propriæ. Triplices enim ſunt ſancti. Quidam ſunt in cælo, & de iſtis cantamus Gaudeamus, & ſolemnizamus conformando nos eiſdem. Alij ſunt in hoc mundo viuentes, quibus dicitur: *Timete Dominũ omnes ſancti eius*, & pro iſtis Psal. 33
facimus de tempore cum triſtitia. Qui enim habent timere, debent ſemper ſoliciti eſſe, & pro iſtis propriæ ſunt feriæ laboris, ne ſint ſimiles illis, de quibus Iob: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt*. Iob 21.
Alij ſunt, quorum reliquiæ ſunt in Eccleſia præſenti, vt defuncti, & pro iſtis canimus, Requiem. Illi enim nõ ſunt in Eccleſia illa ſuperna collocati, ideo ipſa nihil de eis facit. Dicitur ſecundo, quod in fine ſemper nos conformamus matrici Eccleſiæ, quia ſicut illi ciues ſuperni ſemper benedicunt Domino, ſic & nos in fine ſeruitij noſtri, & in fine vitæ benedicemus Domino, quia tunc puri & innocentes erimus, nec alij quam puri & mundi admittentur ſuperius. Secunda differentia eſt in forma ædificandi, quia in ædificatione Eccleſiarum ponuntur groſsiores lapides in fundo & inferiori, ſed in Eccleſia triumphante eſt oppoſitũ, quia ſecundum Pſalm. *Fundamenta eius in montibus ſanctis*. Psal 86
Sed modo Eccleſiã militantem volunt Prælati aſsimilare illi ſupernæ, ſed non ſicut decet, ponendo ſcilicet groſsiores & magis ignorãtes, & nullius fere intellectus, niſi forte ad venandum, ſuperius in dignitatibus, & viros ſanctos ac literatos inferius, quaſi ſub pedibus hominum, ſicut prædixit illis Dominus dicens: *In mundo preſſuram habebitis*. Ioan. 16
Secundo, quia mirabiliter ruit ædificium cæleſtis Hieruſalẽ in angelis malis, quod non eſt defectu artificis, neque ex vetuſtate operis, neque ex violentia impellẽtis, quæ faciunt domum ruere, ſed ſola peruerſitate volũtatis. Inde clamant boni Angeli: *Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur*, &c. licet videa- Psal. 50
tur

tur domus hæc materialis aliter destrui. Tertio, quia mirabilius reparata est. Non enim ædificantur hic Ecclesiæ sine strepitu & sonitu malleationis, molestiæ vel tribulationis, sed superna ædificatur sine strepitu cuiuscumque molestiæ. In cuius figuram dicitur 3. Regum 6. quod domus Dei cum ædificaretur, malleus & securis & omne ferramentum nō sunt audita in ea. Nam iusti inter choros Angelorum cum pace inseruntur, vnusquisque in loco suo sibi tam congruo, ac si fuisset creatus in illo. Verum est tamen, quod prius in præsenti lapidicina quadrantur virtutibus, & malleantur tribulationibus, sicut in monte Libani lapides quadrabantur, & in Hierusalem portabātur, & sine strepitu in templo inserebantur. Nam illic *dispersiones Israelis congregabit Dominus*, sicut quærebat Psal. dicens: *Salua nos Deus noster & congrega nos de nationibus, vt confiteamur nomini tuo*, cōgregat illos, scilicet qui prius fuerunt hic dispersi per tribulationes. Tertia differentia est in materia ædificij. Primo, quia ex lapidibus vilibus construitur domus ista, vt apparet ad sensū. Sed de superna canitur Ecclesia, Plateæ & muri eius ex auro purissimo, quia charitatis auro replebuntur. Domus enim regis non de vili materia ædificari solet, sed de pretiosa & sumptuosa. Sic non de peccatoribus cōstruitur, sed iustis & sanctis, & de lapidibus dolatis & politis per tribulationē ædificata est. Et ideo superbi, qui se non permittunt dolari & corrigi, non in eo ponentur ædificio. Psal. *Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiā.* Secundo, quia non fit ex materia grossa & compacta, sed ex materia clarissima, ita quod vbique in lumine tuo videbimus lumen. Ps. *Deus in domibus eius cognoscetur*. Nunc enim propter nostri grossitiē non cognoscimus Deum, nisi obscure in suis effectibus, sed tunc clarissime & in seipso. Et ideo debemus niti & laborare, vt simus in illo ædificio, sicut studentes laborant & quærunt vt sint in loco secreto vbi sit lux. Tertio, ostium valde paruum est, vbi tamen in Ecclesijs solent esse magnæ portæ. Ille scilicet qui dicit: *Ego sum ostium*. Et ostendit se esse paruum. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*. Et ideo *contendite intrare per angustam portam*: quia *nisi quis se humiliauerit sicut paruulus iste, non intrabit in regnum cælorum*. Inde in figura, cum dixisset Esaias: *Vidi Dominum sedētem*, &c. subdidit, *& ea quæ sub ipso erant, replebant templum*, id est, qui humiliātur sub potenti manu Dei. Superbia enim fecit corruere muros illius patriæ, ideo oditur, ita quod dicit Dominus: Non veniat mihi pes superbiæ. Quarta differentia est in capacitate, quia homines in istis Ecclesijs sæpe sunt in pressura, sed de superna: *O quàm magna est domus Domini, & ingens gloria possessionis eius*.

Marginalia (left column): 3. Reg. 6 — Ps. 146. — Ps. 105. — Ps. 100. — Psal. 47. (right column): Ioan. 10 — Mat. 11 — Mat. 7. — Mat. 18 — Esai. 6. — Bar. 3.

Quinta differentia est, quia in hac Ecclesia sunt continuo lites, scandala, & diuisiones, & plebiscitationes, secundum illud, Vix hora vel dimidia fit in cælo silētium, id est in Ecclesia militante, vel anima iusti. Ratio litis est, quia non potest vnusquisque, quod alius habet, possidere, sed ibi est participatio communis in eodem bono, imo de bono vnius omnes alij gaudent, & maxime lætantur. Psalm. *Exultabunt omnia ligna syluarum à facie Domini*, & desiderabunt semper plures esse secum, quia nullius boni sine socio iucūda est possessio. Ibi ergo erit abundantia pacis. Psal. *Qui posuit fines tuos pacem*. Et alibi: *Qui habitare facit vnanimes in domo*. Nec ibi est plebiscitum, sed vnusquisque ordinatur secundum sua merita. Prosa: Illic patres dispositi pro dignitate meriti, & sunt sufficientes mansiones. *In domo patris mei mansiones multæ sunt*. In mundo autem est aliter, quia non seruatur ordo, ideo illi, qui non tenēt ordinem, ibunt illuc, *vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*. Bene fiunt hic ordines, sed non inuenitur ordo secundum merita. Nec mirum, quia ventus eleuat plumas, & paleas, & pulueres, non aurum neque argentum. Sic inutiles ventus adulationis & potestatis eleuat, non aurum charitatis, aut argentum

Marginalia: D — Ecclesia præsens est in cōtinuis litibus, nec seruatur in ea ordo. — Psal. 95. — Ps. 147. — Psal. 67 — Ioan. 14 — Iob 10.

tum doctrinæ. Superius autem non flat ventus, nisi forte sanctus. Ille enim est mons Olympus, de quo scribit Aristoteles, quod inuenti sunt characteres scripti in pulueribus durasse longo tempore in cacumine eiusdem montis, eo quod ibi non flaret ventus propter altitudinẽ loci. Sed tamen seruitio diuino & nominatione beneficia supernæ patriæ obtinebunt, qui per bonam famam & bonum nomen suum proximum ædificant, sicut
Luc 10. illi quibus dicebat Saluator: *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælis.* Sed de alijs
Psal 15. dicitur: *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Sexta differentia est, quia Ecclesia præsens recipit aliquos qui nihil habent, & qui nihil apportant ad oblationem, bonos & malos simul. Sed aliter de superna, quia nullus in eam intrat, nisi afferat & apportet aliquid bonũ, quia
Deut 16 præcipitur: *Non apparebis in conspectu meo*
Mat. 25 *vacuus.* Et, vt dicit Saluator, *omni habenti dabitur, ab eo autem qui non habet,* etiã quod videtur habere, *auferetur ab eo,* scilicet libertas bene agendi. Septima differentia est in fine, quia etsi ista bona inferiora sint desiderata, non tamen ita, quin semper desiderentur meliora, & quin semper quæratur commutatio & ascensus, in quo assimilantur homines capris, quæ etiam ascendunt supra domos, vt ibi pascantur. Sed ad supernam habitationem omnes tendunt, nec cum eam habuerint, aliam quærunt, vnusquisque de ea con-
Psal. 26 tentatur. Hæc est de qua Psal. *Vnam petij à Domino, hanc requiram.* Vnde quatuor sunt quæ quæruntur à mundanis, sed non satiant. Primo, bene esse, & immortalitas. Vnde Bragmani quæsierũt ab Alexãdro immortalitatem, sed nullus potest hic in bene esse perpetuari, nec immortalitatẽ consequi. Ibi autem erit bene esse perpetuum. Psalm. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabũt te.* Prosa: Nec languor hic, nec senium. Secũdo, hic quæritur honor, nec satiatur quis in honore quærendo. Non enim est dominus in parlamento, qui non vellet esse

F Mundani quatuor præcipue quærũt, quæ tamen non satiant. Psal. 83.

præsidens, nec canonicus qui non vellet esse episcopus, nec monachus qui non vellet esse abbas. Sed illic habent honorem qualem volunt, quia sunt præsidentes. Psalm. *Quia illic sederunt sedes in iudicio.* Ps 121.
Sunt & reges. *Fecisti nos Deo nostro regnum* Apoc 5.
*& sacerdotes, & regnabimus super terrã.* Tertio, quæruntur diuitiæ, sed hic non satiãt, imo crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Sed illic est summa rerũ opulentia, & satiantur beati in participatione summi boni. Psalm. *Satiabor, cum* Psal 16.
*apparuerit gloria tua.* Quarto, quæruntur delectationes in saturitate ciborũ, & potus, & huiusmodi, sed hic non satiatur oculus visu, nec auris auditu impletur. Sic & superius erit summa & delectabilissima satietas. Psal. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.* Et alibi: *Delectationes in dextera tua vsque in finẽ.* In temporalibus enim sunt delectationes, sed non vsque in finem, quia mutantur in mœrorem, sed in istis vsque in æternum. Et ideo Psalmista petebat: *Portio mea Domine sit in terra viuẽtium.* Nec mirum si quæratur, quia tanta est illic dulcedo, vt Paulus ex modico gustu, quia viderat in raptu, sic inebriaretur, vt non tantum capitium, sed etiam caput, vt iterum biberet, impignorauerit. Sicut enim gustato modico optimi vini in scypho clamatoris, curritur ad tabernam, & sicut habito odore apothecæ, in qua sunt multa odorifera, homo quodãmodo inebriatur, sic & Paulus currebat, & inebriabatur. Octaua differentia est, quia hic non habemus ciuitatem permanentem, nec bonum permanens, vt docet experientia, mansio autẽ cælestis est bonum permanens, stabile, & hæreditariũ.
Ps. *Iusti autem hæreditabunt terram, & inhabitabunt in sæculum sæculi super eam.* Et hoc patet primo, quia bonũ hęreditarium secure possidetur, omnia alia bona sunt semper in timore perditionis. Imo de hominibus in terra morientium est sicut de falconibus. Dicit Albertus lib. 6. quod in eadem regione pater secum filiũ habitare non permittit, postquam perfectus est.

Psal 35. Psal 15. Psal. 141 Psal 36.

F Bona mundi non sunt bona hæreditaria.

est. Inde est quod pater filium expellit. Sic nũc pater filium, frater fratrẽ expellere nititur de hæreditate & loco suo. Ratio est arctitudo loci. Constat enim, quod omne locatum appetit sibi locum sufficiẽtem, & propter hoc si vnus locus duobus corporibus non sufficiat, vnum natum est aliud expellere. Homo autem quamuis sit paruus secundũ corpus, propter quod terra morientiũ posset sibi sufficere quoad corpus, tamen secundum animam est valde magnus, vtpote imago Dei, & ideo non est contẽtus nisi loco maximo. Seneca epistol. 14. ad Lucillum: Magna & generosa res humanus animus. Nullos sibi poni nisi cõmunes cum Deo terminos patitur, humilem nõ accipit patriam. Hæc ille. Tota autem terra morientium locus paruus est, cum nõ sit nisi punctus respectu cæli. Ideo quamuis homo occuparet dominiũ totius terræ, adhuc anima non satis haberet loci. Ambros. lib. de Patriarchis: Nihil enim satis est diuitũ cupiditati. Quanto ditior quis fuerit, tanto auidior est ad possidendum. Vnde Greg. 2. Dialo. Animæ videnti Deũ angusta est omnis creatura. Præterea illa non dicitur possessio hæreditaria hominis, quã tenet ad firmum & certum tempus, nec curat eam colere sicut propriũ feudum. Sic illud, quod habet in mundo isto, non est suum nisi ad tẽpus, quia non sunt hominis bona, quæ secum ferre nõ
Luc 12. potest, vt patet de illo Diuite Euãgelico,
Nu. 32. qui hic fecit granaria, & de duabus tribubus cũ dimidia, quæ acceperũt partẽ extra terram promissionis. Sed quod est in
Esa. 61. paradiso, est ad perpetuum feudũ. *In terra sua duplicia possidebunt, lætitia sempiterna erit eis*, & tamen multi malunt illa colere quã ista. Lux enim stellæ permanet, lux candelæ statim deficit, quia illa lux fundatur in materia corporali, illa in cęlesti. Prima à vento mũdano seu tribulationis aut mortis faciliter extinguitur, alia nũ-
Cant. 8. quã. *Aquæ multæ nõ potuerunt extinguere charitatem*. In aere existente sursum non sufflat ventus, nec cadit pluuia. Vnde Plinius de Olympo monte dicit, quod literæ ibidem scriptę in pulueribus numquã delentur, quia mons ille tam eleuatus est quod nec ibi ventus, nec pluuia pertingunt, è contra est in terra deorsum. Sic in his qui eleuati sunt ad Deum, nihil eos tangit ventus sæculi, & totum manet immobile. In terra vero omnia mobilia sũt. Inde boni, qui in hoc mundo sunt, assimilantur puppi, in qua periclitatus est Paulus, cuius prora, id est prima pars & principalis, scilicet anima, fixa erat in Deo, puppis tamen, id est pars posterior, scilicet corpus, dissoluebatur à vi maris, id est tentationis & tribulationis. Vix enim homo potest suũ corpus disponere, sicut frequẽter ordinat. Sed in vita futura, quando homo erit extra fluxũ mundi corde & corpore Deo perfecte adhærẽs, tunc totus homo stabilitus erit, & tũc implebitur promissio facta Dauid: *Stabiliam thronũ eius vsque in sempiternum*. Præterea, 2. Re. 2.
sicut terra in se stabilissima est, ita quod, cunctis alijs rebus in motu existentibus, ipsa sola est immobilis, & ad terrã omnia grauia naturaliter descendunt, & ibi, & nũquã alibi, quiescũt: sic gloria Dei sine quacumque mutatione stabilis est, & illo solo statu excepto, omnis alius status mutabilis est: *Terra autẽ in æternũ stat*, & omnia Eccl. 1.
mortalium grauia corda debent ad illam naturaliter tẽdere, cum illic solũ, & nũquã alibi, possint requiẽ inuenire perfectã, imitantes Dauid dicentẽ: *Portio mea in* Ps. 141.
*terra viuentium*. Nautæ, dum sunt in mari, semper sunt in periculo & in motu, ideo valde desiderãt esse in terra firma & portu, ideo nõ cessant cõtinue currere, quousque ad terrã & portum, quem appetunt, potuerint applicare. Propterea & nos in hoc fluxu maris mundi numquam desistamus ab operibus bonis, quousque portum paradisi attingamus, iuxta documentum Senecæ: In freto viximus, moriamur in portu. Quod est contra multos similes piratis, qui numquam vellent terram attingere, sed semper in mari esse & viuere, vt possint transeuntes depræ-

deprædari & occidere. Sic raptores & peccatores ad portum paradisi non curãt attingere, sed tantummodo viuere in fluctibus vitæ præsentis, vt alijs noceãt. Nos autem non sic, sed sicut veri nautæ inter pericula maris dirigunt nauem aspectu poli & stellæ fixę immobilis, sic per aspectum ad paradisum vitam nostram regamus, omnia propter Christum faciendo. Sed licet stella dirigens nautam in mari sit vere in cælo, tamen eius similitudo relucet in mari. Sed prudens nauta non dirigit nauem per similitudinem, quæ in mari apparet: sed per stellam, quæ in cælo lucet, quia similitudo in mari apparés mobilis est secundum ventum flantem in mari, stella vero fixa est & immobilis. Sic verus paradisus in cælo est, in terra vero imago eius. Sicut enim paradisus est locus delitiarum, sic delectabilia huius mundi sunt imago delectabilium paradisi. Sic in mundo sunt qui vitã suam dirigunt ad paradisum terrestrem, non cælestem, quorum tota intentio est vacare delitijs & affluere diuitijs. Isti regunt se secundum paradisum terrestrem, qui est mobilis & amissibilis: sed timeant ne eis
Gen 13. cõtingat sicut Loth, de quo dicitur, quod vidit regionem, quæ irrigabatur sicut paradisus, ideo elegit eam, & cito post fuit ibi captus. Sic multi dum eligunt paradisum terrestrem, cito ibi capiuntur. Sancti vero se regunt secundum cælesté, in quo
Apoc. 2 sunt diuitiæ immortales. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Vnde castra in montibus sunt securiora, ideo homines tempore belli solent ad
1. Ma. 2 montes confugere. In cuius figura dicitur de Mathathia, quod ipsi & filij eius fugerunt ad montes. Ad montem enim Libani, qui paradisum denotat, propter odorem aromaticum herbarum & arborum nullum animal venenosum potest attingere, secundum Hieron. Præterea quando de fonte scaturiente in monte solum guttæ perstillant in terra, homo sitiens bibendo in valle non satiatur, imo plus sitit, donec veniat ad fontem. Sic in mundo sunt guttæ diuinæ bonitatis, fons est in cælo, ideo non satiatur cor, donec veniat ad fontem. Ps. *Apud te est fons vitæ.* Psal. 35

Nona differentia est, quia in cælesti Hierusalem erit aliud idioma quam hic. Erit enim locutio gloriæ à locutione vitę pręsentis dissimilis. Propterea dicit Apostolus: *Linguæ cessabunt.* Quia nec ibi erit 1. Co 13 varietas idiomatum, nec multiplicitas docentium, nec modus iste formãdi verba. Erit tamen ibi locutio singularis, modo quo Deus scit, vel etiã formabunt voces modo quo Deus nouit, de qua: *Laudationem Domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomini sancto eius in sæculum & in sæculum sæculi*, id est, in futurum sæculum sequens ad præsens, & etiam Ps. 144. resuscitatis corporibus ore laudabunt. Vnde de superna Hierusalem dicitur: *Per* Thob. 13 *omnes vicos eius cantabitur, Alleluia.* Sicut enim ebrius mutat mentem & linguam, sic ibi ea quæ mentis sunt mutabuntur, quia fides & spes euacuabuntur. *Non* 1. Cor. 13. *erunt in memoria priora, & non ascendent super cor, sed gaudium & exultatio vsque in sempiternum.* Similiter ipsa lingua mutabitur. Esa. 91. Psal. *Non loquetur os meum opera hominum.* Psal. 16. Sicut enim ebrius non potest quæ sentit exprimere, sic nec hic exprimere quæ sentiet affectus. Nec enim oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quæ præparauit Deus diligentibus se. Vnde & sæpe auditæ sunt harmoniæ vocales angelicæ in sublime. Dicitur tamen à quibusdã, quod illa locutio corporalis, quæ erit suauissima, ad vnũ idioma reducetur, quod fuit primum in mũdo, & hoc idioma Iudæi dicũt fuisse Hebraicum, quamuis certitudinaliter sciri non possit. Tunc enim Dominus loquetur ore ad os. Quando enim amicus loquitur amico per nuncios aut literas, nũquam est tanta delectatio, sicut quando ore ad os. Modo loquitur Dominus amicus noster quasi per nuncios, scilicet per inspirationes vel dulcia desideria, vel per literas, id est, sacras scripturas. Sed tunc loquetur ad cor verba, quando anima rapie-

rapietur in amorem & delectationem
amici ex eius præsentia. Hinc poterit di-
Rut. 12. cere anima sancta: *Inueni gratiam corã oculis*
G *tuis Domine. Numquid consolatus es me, & lo-*
Amor est maxima portio patriæ cælestis. *cutus es ad cor ancillæ tuæ?* Decima differẽtia
est ex parte ciuium vtriusque ciuitatis.
Nã inter ciues supernæ patriæ erit sum-
mus amor. Esaias: *Viuit Dominus, cuius ignis*
Esai 31. *est in Sion, & caminus in Hierusalem.* Paruus
autem est amor inter eos qui sunt in hoc
mundo in respectu amoris illius patriæ
cælestis. Tunc enim ipse amor erit ma-
xima glorię portio, quia omnis virtus in
patria præmium est, & omnis ramus &
pars charitatis habebit sibi congruens
gaudium. Cuius mensuram si imagina-
tus fueris, inuenies illam maiorem om-
nibus amoribus mundanis, si omnes cõ-
flarẽtur in vnum, ita vt beatus per amo-
rem totus rapietur in Deũ. Si enim tur-
pis amor eousque rapit & occupat turpẽ
amatorem, vt omnes cogitationes, affe-
ctiones, & operationes quasi necessario
extendat in rem sic amatam, qui vtique
amor quantumcumque magnus sit, non
est nisi parua stilla ad amorem patriæ,
quanto fortius fornax illa charitatis in
Deum rapiet amatores suos totaliter, a-
deo vt non nisi propter ipsum cogitare
vel loqui, vel aliud quicquam agere per-
Cant. 8. mittat? *Fortis est vt mors dilectio*, quia sicut
mors homini nihil sui relinquit, imo to-
tum rapit & absorbet, totum aufert mor-
tuum & sibi & alijs, & totum illum sibi
vendicat, sic amor tam vehemens erit,
quod in amatum ex toto rapietur amãs.
Si enim voluptas carnis (vt iam dictũ est)
ita transfert animam humanam, vt illa
hora vltra sponsum vel sponsam carna-
lem nihil cogitare liceat, quanto fortius
illa voluptas spiritualis ex amplexibus
sponsi cælestis procedens, & beatissima
illa copula ita occupatam & absorptam
Psa. 140 tenebit animam? Psalm. *Absorpti sunt iun-*
*cti petræ iudices eorum.* Præterea si ignicu-
lus & permodica scintilla sanctę dilectio-
nis fastidire hic facit animam humanam
corpus suum, & tanto oneri haberi, vt
carcerem mortis illud reputet sibi, iuxta
illud Apostoli: *Cupio dissolui, & esse cum* Phil. 1.
*Christo.* Et alibi: *Infælix ego homo, quis me li-* Rom. 8.
*berabit de corpore mortis huius?* quid faciet
fornax charitatis in patria? Tunc enim
non desiderabit sarcinam corporis hu-
ius, sed ipsum amabit, vbi non erit ei tũc
sarcinæ, sed glorię: vbi non sibi molestias
ingeret, sed promptissime obediet. Hic
enim nõ sentitur charitatis magnitudo,
in patria vero tota sua virtute ardebit,
& flamma ipsius erit æqualis igni ipsius.
Et quis erit dignus stare in ardoribus il-
lis sempiternis? Psalm. *Ignis à facie eius ar-* Psal. 17.
*descit.* Amor enim ille à diuinæ faciei vi-
sione procedit. In quo considerat Psal-
mista hanc visionem ex ligno nouiter
præciso, quod adhuc multum habet de
humore, quod positum in ignem primo
fumat, deinde extracto humore in flam-
mam consurgit. Sic peccator primo à ra-
dice sua præscinditur, de qua radice A-
postolus: *Radix omnium malorum cupiditas*, 1. Ti. 6.
à qua præscinditur quasi recenter, quan-
do primo incipit se à malo auertere, &
tunc est lignum adhuc humidum intrin-
secus, quia, sicut dicit Iob, *inutilis homo bi-* Iob 15.
*bet quasi aquam iniquitatem.* Applicatur au-
tem igni, quando diuinus furor & ira cõ-
cutit mentem. Psalm. *Exardescit sicut ignis* Psal 88.
*ira tua.* Ideo primo ascendit fumus, id est
lachrymosa contritio, deinde flammescit
igne charitas, accendit ardor proximos,
& tandem in carbones totaliter penetra-
tos incenditur. Inde subiungitur: *& car-* Ibidem.
*bones succensi sunt ab eo.*

Vnde & quatuor affectionibus nunc afficitur anima iusti. Primo, quãdo præteritorum malorum recogitans cogitat vbi fuit. Secundo, cum mala præsentis vitæ considerans attendit vbi nunc est. Tertio, cum vindictam Dei timens cogitat vbi erit. Quarto, cum bona supernæ patriæ considerans, lugens conspicit vbi non est. Nunc enim exul à patria sua distantiam cogitat ab illa superni amoris fornace, quæ vocatur regnum dilectionis, quia solis diligentibus datur, & quia

bit in æternum. Hic illum panem suscipimus in sacraměto sub velamine, ita quod nec eius efficaciam percipimus, sed in patria, vnde percipientes eius suauitatem

Luc 14. gustabimus abundanter. Et ideo *beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Vnde prosa: Nec languor hic, nec senium. Erit enim ibi perfecta sanitas corporis & animę. Dicit autem Philosophus lib. de Animalibus, quod in piscibus non inuenitur infirmitas pestilentialis, sicut in alijs animalibus terrestribus. Quod Albertus dicit esse verum de piscibus morantibus in aquis fluentibus, secus de his qui morantur in aquis paludosis & lacualibus. Sic in hoc mundo aquæ voluptatum carnalium & cupiditatum sunt omnes paludosæ, quia nascuntur in lacu miseriæ, & luto fæcis, in quibus aquis sunt pisces.

Abac. 1. *Facies homines sicut pisces*, & tales incurrunt ægritudines & pestilentias, id est morbos corporis & animæ. Ratio est, quia

Iob 15. *inutilis homo quasi aquam bibit iniquitatem.* In qua est venenum. Sed in patria sunt aquæ fluentes, Filius à Patre, qui dicit: *Ego*

Eccl. 24. *quasi fluuius Dorix, sicut aquæductus exiuit de paradiso.* Ibi est Spiritus sanctus conti-

Ioan. 7 nue fluens à Patre & Filio, de quo: *Qui in me credit, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Et subdit Euangelista: *Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Ab istis etiam semper fluit iste flu-

Psal 35. uius, de quo Psalm. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Nec possunt aquæ istæ steriles esse sine piscibus, imo sunt plenæ magnis piscibus, & bonis, qui sunt electi Dei: his fluminibus totaliter immersi, nec prædictas ægritudines incurrunt. Præterea in monte aer purior est quam in valle, propter vaporum grossorum admixtionem, & propter obumbrationem radiorum solarium, propter quod etiam in montibus habitatio est melior. Vnde Auicenna in primo Canone dicit, quod in loco alto habitantes sunt sani & fortes, & viuunt diu. In locis vero profundis in vaporalitate multa erunt, & eorum aera sunt mala. Sic qui habitant in hac valle miseriæ, sunt in magna vaporositate. Nam caro nostra continue exhalat vapores putridos, ad modum cadaueris putridi, scilicet praua desideria, & etiam mundus ipse vapores prauos & inordinatos, ideo quotidie ægrotat, & modicū durat, iuxta illud: *Quæ est vita vestra? Vapor est ad* Iacobi 4
*modicum parēs.* Habemus etiam hic aerem prauum, quia plenum immundis spiritibus, qui nos inficere non cessant. Sed in monte sancto Dei, id est in Ecclesia triumphante habitantes sunt sani quo ad corpus, fortes quo ad animam, & viuunt in æternum. *Non nocebūt, & non occident in* Esai 11.
*vniuerso monte sancto meo.* Et alibi: *Ne stes* Gen. 19.
*in omni circa regione, sed in monte saluum te fac.* In hoc autem mundo non est sanitas sine infirmitate. Sapiens: *Ante languorem* Eccl. 18.
*para medicinam.* Hic non est lætitia sine tristitia, dulcedo sine amaritudine, iucunditas sine afflictione, quies sine perturbatione. Sapiens: *Qui addit scientiam,* Eccl. 1.
*addit & dolorem.* Sed in paradiso ex gustu ligni vitæ, id est Christi, omnes viuunt sine morte. *Nomina autem eorum viuent in* Eccl. 44.
*seculum seculi.* Hæc autem vita in illius comparatione potius est mors dicenda, quam vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis, quid aliud est quàm quædam prolixitas mortis?

Secundo, amabilis est habitatio cælestis, propter habitatorū honestatem. Licet enim bona sit terra aliqua, tamen propter malitiam habitatorum euitatur. In hac autem cælesti mansione nullus immundus aut inhonestus inhabitabit. Sapiens: *Radicaui in populo honorificato, & in* Eccl 24.
*partes Dei mei hæreditas illius*, quasi diceret sapiētia diuina: Cum populo honorabili in hæreditate Domini habitabo. Psalm. *Qui ingreditur sine macula* peccati origina- Psal 14.
lis, mortalis, & venialis ecclesiam triumphantem. Ratio huius est multiplex. C
Primo, loci illius sanctitas. Isidorus 15. *Domum cælestem nullus ingreditur cum macula pe.*
Etymol. capit. 5. Apud veteres templa fontes habebant, quibus ante ingressum diluebantur. Inde & templa huiusmodi delubra à diluendo vocabantur. Sic antequam

*militum eius*. Deinde ad gloriam suam ostendendam fecit innumerabilem hominum multitudinem, & refecit. Psal. *Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum*: & iure redemptionis acquisitos fecit participes regni sui. Multitudo autem non qualiumcumque personarum, vtpote ribaldorum, & impiorum, & ignobilium, & bestialium nobilitatem regni efficit, sed laudabilium personarum, & excellentium vita & moribus. Omnes autem in regno cælorum reges sunt Dei manibus coronati. Iob: *Reges in solio collocat in perpetuum*. Sapiens: *Iusti in perpetuum viuent*, &c. ideo accipiet regnum decoris, & diadema speciei. Nec est mirandum, etiã si omnes sint reges, quia, secũdum Amb. seruire Deo regnare est, & qui ei in hoc mundo seruiunt ei, iam regnare incipiũt. In signum cuius electi delectantur esse in congregationibus sanctorum virorum Dei. Dicit Albertus 4. de Animal. quod apes, quę morantur in examine, diligunt dulce & odoriferũ, & præcipue in floribus, nec sedent in locis fœtidis aut mali saporis. E contrario apes, quę non morãtur in examine, non diligunt nisi fœtida, insidẽtes humiditati stercorũ, nec habẽt regẽ, aut custodiũt alicuius ciuilitatis cõgregationem, propter quod à quibusdam vocatur porca apum. Sic electi quasi apes in examine in concilio iustorum & congregatione commorantur, & libenter ibi habitant. Sunt enim in Ecclesia non tantum numero, sed & merito. Isti sunt quorum delectatio est in re dulci & odorifera, quia in flore illo, qui dicit: *Ego flos campi*: reprobi è contra fœditati stercorum, id est temporalium, insident, maiores alijs apibus, quia incrassati, impinguati, dilatati, nullam etiam ciuilitatem custodiunt, quia nulli regi vel legi subesse volunt.

Psal. 11. · Iob 36 · Sap. 5. · Cant. 2.

Tertio, amatur aliqua habitatio propter vinorum & ciborum pretiositatem. In beata hæreditate erunt tam pretiosi cibi, & tam inenarrabiles delectationes, quæ non corrumpentur longo vsu, aut vilescent, quæ omnia in hæreditate terrena non inueniuntur, & hoc est quod dicitur: *Hæreditas mea super mel & fauum*. Et statim sequitur: *Qui edunt me, adhuc esuriẽt*. Vnde ibi ponet in thesauris abyssos, quia cõsolationes, quas Dominus in thesauris quasi in occulto habet, tunc plene effundet. Quæ ideo abyssi dicuntur, quia exhauriri non poterũt. Ibi enim est abyssus bonitatis, abyssus sciẽtiæ, abyssus gaudij & lætitiæ, &c. & tũc ibi abyssus abyssum inuocabit, quia abyssus dilectionis abyssum cognitionis, & è conuerso, quia quanto plus amabit, tanto plus cognoscet, & è conuerso. Tanta est enim eius dulcedo, vt si quis gustaret vnam guttam dulcedinis paradisi, non plus posset abstrahi quàm vrsus de melle. Sed non sic de his qui numquam gustauerunt. Propterea multi magis mouentur sensibilibus huius mundi, quia ea gustant, quàm cælestibus, quæ non gustant. Si quæreretur ab aliquo de vino, de quo numquam gustauit, an sit bonum. Responderet, Numquam gustaui. Sic de his qui nihil gustant de cælestibus. Qui vero gustant, sunt sicut auis nobilis. Qui videns prædam, non stat in pace, sed se agitat, & conatur rumpere laqueos pedum suorũ, vt volet ad prædam, quando videt eam. Sic cor nobile numquã est in pace in hoc mundo, cum cognoscit quantum bonum est præda ista, sed semper conatur rumpere laqueos retinentes ipsum in hoc mundo, ne volet ad eam. Paulus, qui eam viderat in transitu, tantum desiderabat ad eam volare, quod cupiebat mori. Vnde quidam in deuotione Christum senserat cum tanta delectatione, vt plus optaret iterum esse in eodem statu per spatium vnius horæ, quam esse Papa incolumis per quadraginta annos. Sed hoc facit auceps, ne auis volet ad prædã, quod operit oculos eius corio, & sic se tenet in pace super manum siue perticam. Sic in mundo isto multi non curant volare ad Deum, quia dæmon operuit oculos eorum pellibus, quia cor eorum

Eccl. 24. · D · Nota

non potest auelli à malo amore carnali, curiositate vestiũ, cupiditate diuitiarũ, & sic opertũ est corio praui amoris. Istæ sunt pelles, quibus induti fuerunt primi parẽtes in sua eiectione de paradiso. Sed aliter nunc illo vino gloriæ inebriantur sancti, aliter tunc: quia nunc bibunt, nec inebriantur, quia cum temperantia bibũt, de qua Ambrosianus Hymnus: Læti bibamus sobriam ebrietatem spiritus. Hæc enim ebrietas est, qua inebriatur ecclesia præsens ex multiplici fonte gratiæ Spiritus sancti, & est quædam hilaritas mentis temperata, qua inebriatus est Ioseph cum fratribus suis, qua & Noe nudatus est. Sed sic tunc inebriabũtur, quod non recordabuntur priorum malorum, vt patiantur. Bernardus: Cũ introductus fuerit fidelis seruus & prudens in gaudium Domini sui, tunc quasi ebrius omnium malorum suorum oblitus totus in Deum feretur. Hic enim sancti tantummodo inebriantur per vnam guttulã degustatam, quæ quantumcumque modica facit omnem carnalem affectionem desipere, secundum illud Gregorij, gustato spiritu desipit omnis caro. Augustinus: Gustaui ad horã, & exarsit spiritus meus in pacem eius, id est, quę est fructus eius. Idem Augustinus: Quis mihi det, vt venias in cor meũ, & inebries illud, & obliuiscar malorum meorum, & vnum solum bonum amplexer te. Istud vinum purgatiuum est omnis miseriæ, & ita sapidum, quod postquam Paulus semel in raptu gustauit, non tantum capitium, sed & caput impignorauit. Esaias propheta inuitat ad illud emendum, dicens: *Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac*, quia sufficit bona voluntas ei qui plus non potest. Vinum, id est gaudium de deitate, & lac, id est gaudium de humanitate. *Vinum quoque, vt magnificentia regia dignum erat, abundans præcipuum habebatur*. Vnde illud vinum non vilescit. Aliquando enim nobilia & pretiosa per assuefactionem vilescunt. Quod enim visu pulchrum est, nimis visitatum minus delectat. Mustum diu potatum non sapit, nec flos ad nares sentitur, si diutius teneatur, vilescit cantus quẽ sæpe cantamus, mel vomitum prouocat si sæpe glutiatur. Non sic vinum gloriæ, quod qui bibunt adhuc esurient. In hac mensa fit sicut in mensa summi regis. Primo ponuntur vilia cibaria. Secundo pretiosa. Tertio delicatiora. Sic in mensa nostri regis. Primo ponuntur pro primo ferculo temporalia, pro secũdo spiritualia, pro tertio æterna, in quibus se dabit panem vitæ, & vinum lætitiæ. Caueat igitur rusticus grossis repleri cibis, ne æternis careat.

Gen. 3. — Esa. 55. — Hest. 1.

Quarto, amabilis est aliqua hæreditas propter possessionis perpetuitatem. Plus enim amatur quod amitti non potest, quam quod de facili potest alienari. In beata vita nullus poterit aliquid perpetrare, quo priuetur hæreditate illa. Psal. *Hereditas eorum in æternum*. Alibi: *In æternũ exultabunt*. Et bene in æternum, quia gaudium eorum habet radicem incorruptibilem, scilicet Deum. Fulgentius: Ibi est æterna inhabitatio sicut ęterna laudatio. Ibi qui habitant, semper Deum laudant, quia Deo, & in Deo semper exultant: sicut est laudantibus suauis habitationis æternitas, sic habitantium manet æterna laudandi suauitas. Hæc Fulgentius. Non sic gaudium mundanorum, cuius radix & fundamentum instabile est, scilicet mundus. *Transit enim mundus & concupiscẽtia eius*. Vnde differentia est inter aquam fontis scaturientis, & torrẽtis, quia aqua fontis est indeficiens & perpetua, torrentis vero temporalis & transitoria, quandoque parua, quandoque nulla, maxime æstiuo tempore. Hæreditas paradisi est aqua viui fontis. Psal. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum*: nec vnquam deficit. Bona mundi sunt sicut aqua torrẽtis, secundũ illud: *De torrente in via bibet*. Torrens inundans semina, & flores, & arbores euellit, & secum rapit. Secundo, terrã excauat & corrodit, ita quod arbores siccas eradicat vel incuruat, ita vt vix videas

Psal. 36. — Psal. 5. — Ioan. 2. — E — *Bona paradisi comparãtur aquæ fontis, bona mundi aquæ torrentis.* — Psal 41. — Psa. 109.

deas super torrentem arborem rectam, quin sit ad torrẽtem inclinata. Sic superfluitas vel abundantia temporalium semina bonorum operũ & flores virtutum euellit, & secũ trahit, & quandoque personam magnã eradicat per culpã, aut incuruat per cupiditatẽ & affectionem inordinatam. Amos 5 *Iustitia dunum quasi torrens fortis*. Et ita bona temporalia sunt transitoria sicut torrens, & solũ abundant in hyeme sæculi huius, sed veniẽte futura ęstate vel siccitate, quãdo ignis vastabit omnia, non inuenietur vna gutta, vt expertus est diues Epulo, & adhuc periculosior est torrens, quanto impetuosius fluit. Sic cũ bona tẽporalia in abundantia & cito alicui cõfigerunt. Bona vero paradisi stabilia sunt sicut aqua fontis. Eccl. 31. *Stabilia sunt bona ipsius in Domino*. Ibi enim tam corpus quã anima stabilita sunt in Domino tamquã in firma radice. 2. Reg. 7 *Domus serui tui erit stabilita coram Domino*. Psal. 24. Ps. *Anima eius in bonis demorabitur*. In bonis alterius vitæ est demoratio, in bonis huius vitæ nulla est mora. Et tamen illic erit vnũ admirabile, quod ibi omnia erunt noua, & tamen hæc nouitas stabit cum ęternitate. Semper enim renouabitur virtus beatorum, gaudium, Apo 21 pax, charitas, & sic de alijs. *Et dixit qui sedebat in throno, Ecce noua facio omnia*. Iob: Iob 29. *Gloria mea semper innouabitur*. Ideo semper placens beatus, semper delectans nouiter, numquam vertetur in fastidium.

Sed contra hoc dici posset: Cum dicat Psal 29. Psalmista: *Delectationes in dextera tua vsque in finem*. Nota. Si vsque ad finem, quomodo vsque in sempiternum? Responsio, secundum Richardum. Sinistra Dei bona sunt temporalia, dextera bona æterna. In temporalibus bonis delectationes quidem sunt, sed vsque in finem nõ sunt, quia in hac vita semper gaudiũ sequitur dolor, & omnis delectatio amaro fine terminatur. In dextera autem Dei delectationes vsque in finẽ sunt, quia in vita æterna nec gaudia in mœrorem, nec delectationes in dolorem mutari possunt. Vel aliter dici posset, quod sinistra secundum philosophos apta est oneribus, sed non operibus, dextera vero non oneribus, sed operibus apta est, ita vt per sinistram gerantur onera, per dexteram perficiantur opera. Sic delectationes sæculi cum oneribus suis transeunt, sed sine operibus, id est operum fructibus. Esaias: *Somniat esuriens, & comedit: cum autem expergefacta fuerit anima eius, vacua erit*. Esa. 29 Sed delectationes gloriæ Dei plenæ sunt fructibus bonorum operum, & sine curis, oneribus, & solicitudinibus. *Date illi de fructu manuum suarum*. Se- Pro. ult. cundo, delectationes sæculi obliquant hominem à fine suo, quia via in finem est via mandatorum Dei, iuxta illud Psalmistæ: *Viam mandatorum cucurri*. De- Ps. 118. lectationes autem sęculi auertunt à mandatis Dei, sed delectationes Dei ducunt in eum qui dicit, Ego sum alpha & omega, principium & finis.

Tertio, delectationes sæculi ducunt in finem, qui est mors, delectationes Dei in finem, qui est vita. Sapiens: *Quid habet* Eccl. 6. *amplius sapiens à stulto, nisi vt pergat illuc vbi est vita?* Anselmus in prosolo. capitulo vigesimo quarto: Si singula bona delectabilia sunt, cogita intente quam delicatum sit illud bonum, quod continet omnium bonorum iucunditatem, non qualem in rebus creatis sumus experti, sed tanto differentem, quanto differt creator à creatura. Si enim bona est vita creata, quam bona est vita creatrix. Si iucunda est salus facta, quàm iucunda est salus, quæ facit omnium salutem? Si amabilis est sapientia in cognitione rerum conditarum, quam amabilis est illa, quæ omnia condidit ex nihilo? Denique, si multæ & magnæ delectationes sunt in rebus delectabilibus, qualis & quanta delectatio erit in eo, qui facit omnia illa delectabilia? Hæc Anselmus.

Quarto, delectationes sæculi non replent vsque in finem capacitatis humanæ, sed sunt mixtæ doloribus & ærumnis multis. Istę autẽ replent vsque in finẽ capacitatis humanæ, vt amplius capere

erit, vt singuli sanctorum omnes habeant virtutes, & sit Christus totus in cunctis. Hæc ille. Secundo, bona illius patriæ replent effectu. Quantúcumque enim modicum quis habeat de illis, sufficiet, ita vt
Psal. 64. plus nolet habere. Psalm. *Replebimur in bonis domus tuæ*. In bonis autem mundi semper deficiunt possidentes, semper secum aliquid afferunt indigentiæ, quia si fuerit multum vinum, deficiunt dolia; si bladū, grangia. *Qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum*. Ioan. 4.

K. Animalia tendunt ad perfectionem vitæ habendam & conseruandam, sed differenter.

Vnde omne animal tendit ad perfectionem vitæ habendam & conseruandam, sed differenter, quia quædam sunt animalia, quorum cōuersatio est in aqua, vt pisces, quæ in aqua inueniunt cibum & quicquid eis necessarium est, & talia non indigent respiratione, nec aeris attractione, quia non sentiunt vmquam interius inordinatum calorem, ideo, secundum Aristotelem, pisces communiter non respirant. Alia sunt animalia, quorum conuersatio est in terra, vt bos, equus, homo, & ista conseruant vitam aspirando & respirando, quia talia animalia interius sentiunt magnum calorem, ideo indigent expulsione aeris, vt sint spiritus tempe-
Psal. 35. rati. Psalm. *Apud te*, scilicet in paradiso, *est*
Phil. 3. *fons vitæ*, vbi beati dicunt: *Nostra conuersatio in cælis est*. Istæ sunt aquæ, quæ super cælos sunt, quæ cōtinuo benedicunt Domino, & in quibus natant sancti. Continue enim conuersantur in cælo, vbi est fons vitæ. Ideo ad hoc, quod conseruentur in vita cælesti, sufficit quod maneant ibi, nec indigent cibo, potu, vel spiritus respiratione, quia non grauantur aliquo inordinato calore, quæ sancti Spiritus fō-
Apoc. 7. te potātur. *Non esurient neque sitient amplius, & non cadet super illos sol, neque vllus æstus, quoniam agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum*. Nos quamdiu sumus in hoc mundo, sumus animalia terrestria, ideo continue
Apoc. 16 sentimus inordinatum calorē. *Aestuauerunt homines æstu magno*. Ratio, quia cęteris paribus viator magis æstuat ascendendo quàm descendendo, vel viam planā eundo. Ideo in via corporali nemo eligit ascendere, sed descendere, vel planum tenere, supposito quod æquè faciliter ad terminum attingere possit. In via spirituali homo magis eligit ascendere ad montem honoris, quàm descendere per viā humilitatis. Ratio est, quia in montibus cōmuniter plus est de vento, æstuans autem desiderat ventum. Ideo licet homo plus æstuet ascendendo quàm descēdendo, vel planum eundo, tamen propter ventum, quem expectat in mōte, libentius ascendit quàm descendat: *Effraim pascit ventum*. Tertio, non fastidiunt vsu. Osee 12.
*Esurientes impleuit bonis*, & quanto plus habentur, tanto magis sine anxietate appetuntur. *Qui edunt me, adhuc esurient*. De mū- Luc. 1.
Eccl. 24. danis vero dicitur, Tædiosum est semper de vno pane comedere. Non enim est hic cibus ita delicatus, quin frequenti vsu generet fastidium. Vnde manna in se habens omnem saporis suauitatem, longo vsu filijs Israel fastidium generauit. Non autem fastidit esse cum hominibus valoris. *Hierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas*, id Psal. 121
est de lapidibus politis, & ornatis, id est de hominibus à vitio mundatis, & virtutibus politis. Inhonestum est etiam garsionem sedere ad mensam, ibi autem nō sedebit nisi probatus. *Vos estis, qui permansistis mecum*, &c. ecce probationem, *propterea* Luc 22.
*dispono vobis regnum*, ecce qui sedebunt. Et mirabile est quomodo homo non disponit ire in domum istam, vbi ista bona non fastidiunt, nec ibi aliquid sui mittit; & in hoc mundo, vbi fastidiūt, omne tempus ad illa habenda perdit, cum tamen in domo, quā quis ad modicum cōduxit, non facit in ea reparationes, nec multum exponit; pro domo vero, in qua perpetuo vult locari, omnia exponit. Quarto, hæc bona securant habitu, quia habentes illa bona non timebunt latrones, vel raptores, vel rei habitæ corruptionem. *Reuertetur Iacob, & quiescet, & cunctis affluet bonis, non est quod formidet*. Sed Hier. 30
bona mundi timorem incutiunt possidētibus, quia si quis pecuniam habet, la-

trones timet: si vinum, corruptionem, vel effusionem: si pannos, tineam. *Thesaurizate vobis thesauros in cælo, vbi nec ærugo nec tinea demolitur,* &c. Et ideo inter gaudium temporale, & æternum hæc est differentia, quia temporale totaliter perficitur in hoc mundo, dulcedo sperantium in Deo, licet hic inchoetur, in futuro tamen perficietur. Vnde in libro de vita Philosophorum, Chilo vnus de septem sapientibus interrogatus, in quo differunt doctus & indoctus, respōdit: Bona spe, quod verum est. Nam doctus sperat in futurum perfici sua fælicitate & dulcedine, indoctus vero tantum sperat in præsenti. Sapiens: *Vana spes, & mendacium insensato viro.* Secundo, quia dulcedo præsentis vitæ breuis & instabilis, alia vero longa & secura.

Mat 6.

L Gaudij temporalis, & æterni differentia.

Eccl. 34.

Quærit enim Philosophus libro de Problem. quare quædam cito transeunt, quorumdam vero diuturnior est virtus. Respondet, quod ea quæ sunt longioris vitæ, sunt tardius nata perfici, quæ autem breuioris, citius perficiuntur. Sic dulcedo huius mundi cito perficitur, & cito terminatur. *Ante messem totus effloruit, & immatura perfectio germinauit.* Opposito modo de dulcedine Dei quæ tarde perficitur. *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim. Sequor autem si quo modo comprehendam,* &c. ideo diu durat. *Iustorum semita, quasi lux splendens crescit vsque in perfectum diem.* Vnde hæc ciuitas paradisi bene describitur per ciuitatem Lachis, in qua erat populus habitans absque vllo timore securus & quietus, nullo penitus ei resistente, magnarum opum, & procul à Sidone, atque à cunctis hostibus separatus. Ciuitatem dico in terra opulenta & vbere, & in regione latissima, in qua nullius rei est penuria eorum, quæ gignuntur in terra. Bernardus: Ciuitas cælestis mansio secura, patria continens totum quod delectat, populus sine murmure, incolæ quieti, homines nullam penuriam habentes. O quam gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Vnde in hac vita aliquando lætari possumus, sed impleri non possumus, quia & si quædam sunt, quæ lætificant, multo plura sunt quæ contristant. Sed in gloria nihil est quod contristet, ideo ibi adimplentur lætitia. Psal. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Sexto, dicitur aliqua hæreditas amabilis propter pacificam possessionem. In illa hæreditate non erit qui pugnet, qui querimoniam moueat, qui inquietet. Sapiens: *In omnibus requiem quæsiui, & non inueni,* quia nihil in terra sine inquietudine possidetur. Pulices & pediculi corpus impugnant, mures caseos inuadunt, latrones diuitijs insidiantur. Beata vero patria ab his omnibus immunis est, ideo subditur, *& in hæreditate Domini morabor,* vt in quieta & pacifica habitatione. Nobilis enim & potens non permittit suos guerris & exactionibus, & huiusmodi molestari. Psal. *Mansueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.*

Esa 18.

Phil 3.

Prou 4.

Iud. 18.

Psal 15.

Eccl. 24.

Ibidem.

Psal. 36.

Post labores & æstus solet homo ad cubile suum recurrere, & ibidem ascendere, quiescere, & dormire. Sic sancti post labores diurnos ad vesperam mortis ad istud cubile ascendunt, & delectabiliter quiescunt. Psal. *Lætabuntur in cubilibus suis.* In mundo vero non est tale cubile, quia non est ibi quies: *Erit cubile draconum, & pascua struthionum.* Quando miles in tyrocinio verberatur & inuaditur, & viriliter pugnat, dum domum redit, balneatur, commendatur, & leniter tractatur. Pugil enim non recipit præmium in campo, sed post. Sic modo tempus est sustinendi labores. Sed quando redibit homo in domum æternitatis suæ, tunc requiescet à laboribus suis. *Cum recesserit, gloriabitur.* Et Sapiens: *In tentatione inuentus est fidelis, ideo dedit illi gloriam in vita sua.* Quamdiu enim sumus in hac vita, subiacemus pugnę, & cessante pugna cessabit mundus. Dicunt Philosophi, quod si ad horam cessaret motus cordis in homine, statim moreretur, & quod cessante motu cæli cessabit generatio & corruptio,

Ps 149.

Esa. 34.

Prou 20

Eccl. 44.

Psal. 36. ptio, & per consequens mundus. *Delectabuntur in multitudine pacis*. Pax enim multiplex promittitur in futuro, scilicet hominis cum seipso, cum proximo, cū Deo. Pax hic cum seipso in præsenti haberi nō potest, quia caro cōcupiscit aduersus spiritū, & è contra. Sed tamē hæc speranda est in futuro, quando hostium sublata formidine omnia erunt tranquilla. Psal.

*Pax multiplex promittitur in futuro.*

Psal. 4. *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Augustinus libro 19. de Ciuitate Dei, cap. 27. Quamdiu vitijs imperatur, plena pax non est, quia illa, quæ resistunt, periculoso debellantur prælio: & illa, quæ victa sunt, nondum securo triumphantur otio. Quod si dicas: Vellem ergo ego æquari Petro in gloria. Responsio. In corpore humano pes nollet habere officiū manus vel oculi, nec de loco suo ad locum alterius ferri. Quare multo magis in illa beata ciuitate locum, quem quisque pro meritis adeptus fuerit, pro meliori statu, vel loco nollet mutare, imo tanta ibi erit concordia, vt quod vnus nō habet in seipso, habeat in alio. Secunda etiam in futuro speranda est. Dicit Augu. 19. de Ciuitate Dei, cap. 13. Pax cælestis ciuitatis est ordinatissima, & concordissima societas fruendi Deo, & inuicem in Deo. Hæc autem satietas fruitionis erit causa illius pacis. Dicit enim Philosophus 8. de Animalibus, quod animalia pugnāt inter se propter cibi parcitatem. Et ideo in regionibus, vbi habent cibum in abundantia, non pugnant adinuicem. Cui con-

Esa. 65. cordat illud Esaiæ: *Lupus & agnus simul pascentur*. Sic in præsenti est cibi parcitas, quia nihil inuenit hic homo quod satiet appetitū, sed quilibet alteri aufert quod posset eius satietatem iuuare. Et ideo nō est hic aliqua pacis securitas, & præcipue inter eos qui in præsenti quærunt habe-

Esa. 48. re vnde satientur. *Non est pax impijs, dicit Dominus*. Sed in futuro, quando fruentur pane viuo omne delectamentum in se habente, & omnem saporis suauitatem, & quisque eo ad satietatem fruetur, pax erit firma, & tunc exaudietur illud Psal.

*Fiat pax in virtute tua*, &c. Tertia vero pax in futuro speranda est firma & stabilis. Ps. 121.

*Pax multa diligentibus legem tuam*. Hæc est Psa. 118.

pax, *quæ exuperat omnem sensum*, quia sicut Phil. 4. lux solaris luminositate sua superat omnem sensum, ita quod nullus visus totam luminositatem solis capere sufficit, imo modico eius radiolo impletur, sic nullus sensus capere sufficit immensitatem suauitatis illius pacis Dei. Vnde propter pacificam possessionem soli māsueti hæreditabunt terram, quia pacifici sunt. Est enim differentia inter nemora clausa, & exposita, quia in nemoribus clausis non permittuntur habitare animalia ferocia prædantia, vt leo, lupus, & vulpes, & si ibi inueniantur, expelluntur & fugantur, ne deuorent animalia mansueta & vtilia. In eo autem seruantur ipsa mansueta & vtilia, & si inde fugerint, reportantur seu reducuntur. In nemore autem aperto, patente, & exposito habitant animalia crudelia prædantia. *Frater fui draconum, & socius struthionum*. Et ratio est, quia licet in nemo- Iob 30. re exposito omne animal sit in periculo, in maiori tamen periculo est animal simpliciter innocens, quàm crudele & vorax, sicut ouis, quàm lupus. Animalia prædantia non deuorant se inuicem, nec se mutuo persequuntur. Inde lupus non habet timere nisi canem. Sed omnis innocens patitur persecutionem à lupo, leone, & vrso, ita quod si euadat lupum, inuenit leonem, & si leonem, inuenit vrsum, ita quod pro vna persecutione quam habet lupus, tres vel quatuor habet ouis vel agnus. Sic est in mundo. Omnes homines sunt in periculo, sed simplices & innocentes sunt in maiori. Leopardus enim plus delectatur in sanguine agni, quàm lupi. Paradisus autem est nemus clausum, à quo animalia rapacia & ferocia repelluntur, & mansueta conseruantur. Septimo amatur hæreditas aliqua propter sui indiuisionem, Primogenitus enim plus diligit

terram,

terram, quæ non minuitur propter plurimorum fratrum portionem. Beata vita non minuitur propter habitātium multitudinem, ſed potius augetur. Pſ. *Hæreditas mea præclara eſt mihi.* Claritas enim lucis vel candelæ non minuitur vni propter quod alium illuminat. Natura enim oculorum eſt, quod ſi ſint ſpecula terſa, polita, & ſine macula, & ſine impedimēto inter ſe oppoſita, vel ex oppoſito contra ſe inuicē poſita, quicquid viſibilium apparet in vno & altero. Sic quicquid ſciet aut cognoſcet vnus beatorum, reſultabit in gaudium alterius, & de quo gaudebit vnus, & alter. Hinc & Adæ dictum eſt: *De omni ligno paradiſi comede.* Vnde Anſelmus lib. de Similitudinibus: Tātæ concordiæ erunt omnes iuſti, quantæ in præſenti ſunt oculi noſtri. Sicut enim oculus vnus verti non poteſt, quod non vertatur alius, ſed in eamdem partē ſemper voluuntur, ſic ſocietas illa iuſtorum nil poterit velle diuerſum, ſed eamdem ſemper voluntatem habebit. Corpus enim vnum habebimus, eccleſia vna erimus, ſponſa Chriſti erimus quicumque ibi erimus. Ipſa Dei voluntas non erit à tua diuerſa, ſed ſicut tu quod ille, ita & ille volet in cunctis quod tu. Hæc omnia & hoc ordine habentur 1. Petri. 1. vbi dicitur: *Benedictus Deus, qui renouauit nos in hæreditatem incorruptibilem, incontaminatam, & immarceſcibilē, conſeruatam in cælis.* Incorruptibilem, quia facit habitatores incorruptibiles; incontaminatam, quia nullus ibi contaminatus intrabit: immarceſcibilem, quia longo vſu nō vileſcet, nec faſtidium generabit: conſeruatam, quia non poterit amitti in cælis, vbi abundantia omnium bonorum eſt. Si enim locum vilem, id eſt terrā Deus delectabilibus impleuit, non eſt dubitandum quin cælos omnibus pretioſis repleuerit. *Aperiet tibi Deus theſaurum,* ſcilicet optimum cælum. Item in cælis, vbi aliqua impugnatio eſſe non poteſt, in cælis, qui lumen ſuum cōmunicant, ita quod alterius portio non ideo minuitur, quod ab alijs percipiatur. *Ego feci quod in cælis oriretur lumen indeficiens.* Læto animo igitur corruptibilia huius mundi ob Chriſtum ſpernat, quiſquis ipſa incorruptibili hæreditate perpetuo frui deſiderat, ad quod hortatur nos Saluator, dicens: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollit crucem ſuam, & ſequatur me,* ille enim ſemetipſum abnegat, qui huius mundi delitias voluptateſque ſpernit, quas adeo humanus deſiderat appetitus. Quoniam autem qui nō ſunt veſtiti veſte nuptiali, eijciuntur è nuptijs in tenebras exteriores, vt habetur Matthæi 22. neceſſe eſt vt quicūque ad hanc incontaminatam hæreditatem peruenire geſtit, ab omnibus huius mundi illecebris, non corpus tantummodo, verum etiam & cor mundum cuſtodiat. Vnde: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt,* conſeruatur vero hæc hæreditas immarceſcibilis in cælis illis omnibus, qui per varias huius orbis tribulationes, omnia patienter pro Chriſto ſufferendo, ſanctiſque eius veſtigijs inhærendo, lætātes (iuxta propoſitum thema) in domū Domini, in patriam ſcilicet cæleſtē, tendunt.

Pſal. 15. Gen. 2. 1. Pet. 1. Deut. 28 Eccl. 24. Mat. 12 Mat. 22. Matt 5.

## IN EODEM FESTO DEDIcationis, *ſermo XI. & in ordine CII. & ſpecialiter in dedicatione Eccleſiæ ſancti Dionyſij in Francia.*

*Manus Zorobabel fundauerunt domum iſtam.* Iſta manus, quæ fundauit domum iſtā, fuit illa manus, quæ antiquitus quærebatur à ſanctis viris, vt mitteretur in hunc mundum ad faciendū redemptionē humani generis, ſicut quærebat Pſalmiſta, dicens: *Emitte manum tuā de alto, & eripe me.* Iſta manus recepta eſt in tabernaculum virginis, de qua Pſalm. *Homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſsimus.* Illa eſt manus, quæ penetrauit virginis vterum, de qua: *Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, & ad tactum eius intumuit venter meus.* Illa eſt manus, quæ abſtulit lepram generis humani, & ſanguine ſuo mundauit. Illa eſt manus, quæ pauperes

Zach 4. Manus quandoque deſignat Chriſtū. Pſal 143 Pſal 86. Cant 5.

pauperes peccatores soluit & absoluit. Illa est manus, quæ dedicauit hoc templum, sed & primum templum, scilicet
Psal. 46 Mariæ, de quo Psalm. *Sanctificauit tabernaculum suum altissimus*. Ad illam recurramus, &c.

Primo dicemus, quomodo manus Zorobabel, id est, Christi fundauerunt domum istam. Secundo, quomodo Christus dedicauit eam. Tertio, de effectibus dedicationis eius.

Quantum ad primum, sciendum est primo, quod per Zorobabel bene intelligitur Christus. Zorobabel enim interpretatur natus in Babylone. Sic Christus natus in mundo pleno confusione vitiorum, & maxime idololatriæ, quæ vigebant tempore natiuitatis eius. Quam
B *Manus Dei duplex* vitiorum confusionem, quia non sensit sicut alij in mundo nati, ideo singulariter ad sui gloriam dicitur Zorobabel, seu natus in Babylone ac confusione mundi. Secundo, aduertendum quod duplex est manus Christi vel Dei. Prima est manus sinistra, quæ est regum & imperatorum, qui sunt manus, quibus Deus dirigit mũdum. Vnde & imperatores tenent pomum, id est mundum. Periculum est ne mordeant sicut primus homo. Et certe nunc ita percipitur, quia non tenent amplius pomum, id est, mundum in manu ad dirigendum, sed in ore ad mordẽdum & deuorandum. Rex autem Dagobertus fundauit domum istam in memoriam beneficij à sanctis Martyribus accepti in liberatione à manibus patris sui contra eum offensi. Secunda manus dextra fuit sanctorum virorum, quorum memoria hic recolitur, & quorum meritis semper creuit ecclesia ista, ita vt Deus ei benedixit vtraque manu sinistra, ex qua procedunt diuitiæ: & dextera, ex qua dona &
Prou. 3. gratiæ, secundum illud: *In sinistra eius diuitiæ & gloria, in dextera autem illius longitudo dierum*. Si ergo fluere solet populus ad locum, vbi cognoscit esse bona, non debet esse mirabile, si ad locum istum concurrit.

Sed quæres primo de fundamentis eius. Respondet Psalmista: *Fundamenta* Psal. 86. *eius in montibus sanctis*, scilicet in Martyribus Dionysio, Rustico, Eleutherio. Vnde contrario modo se habet ecclesia triumphans, & ista militans. Nam in triumphante fundamenta sunt sursum, scilicet gloriosa Trinitas, hic fundamenta deorsum, scilicet sanguis Martyrum, qui fundamentũ est ecclesiæ. Nam sanguis Martyrum fuit sicut crassitudo seu pinguedo erupta super terram ipsius ecclesiæ. Fuit enim fimus pinguis, qui impinguauit ecclesiam. Inde illo modo tam excellens fundata est hæc ecclesia, vt sit verum illud Psal. *Ipse super mare fundauit eam*, id est Psal. 23. super amaritudinem Martyrum, *& super flumina*, scilicet deuotionis, *præparauit eam*, & tam firmiter, quod numquam aduersitate vel guerra potuit destrui. Venerunt enim flumina bellorum, & flauerunt venti diabolicarum tentationum, & non potuerunt eam mouere. Bene enim fundata est supra firmam petram. Sed etiam multi reges in præsidium ad eam confugerunt, & saluati sunt: vt Carolus Caluus contra exteras nationes. Secundo, quæritur ad quid fundata est hæc Ecclesia. Respondet Psalmista: *Fun-* Psal. 46. *datur exultatione vniuersæ terræ*, ita vt omnis terra Francorum lætetur, & exeat terram suam ad visitandam ecclesiam istam in lætitia & exultatione cordis. Sicut enim adamas attrahit ferrum, sic viri fortes & milites gloriosi corda peccatorum, vt huc accedant; & sicut sol, secundum Philosophum, fœtentes guttas maris attrahit & eleuat, sic illi, qui fuerunt sol in in Gallia, attrahunt fœtentia peccatorum corda. Quantum ad secũdum, sciendum, quod omnibus rite dispositis pro dedicatione ab episcopis, existente in eadem vrbe Dagoberto, descendit Dominus cũ discipulis & sanctis martyribus ad consecrationem templi huius, & ipsum dedicauit & consecrauit.

Sed quæritur primo: Quid mouebat eum ad hoc? Respondetur, quod amor suorum,

suorum, ad ostendendum quantũ diligit suos, vt domum in eorum memoriam ordinatam dignaretur in propria visitare & mundare præsentia, & miraculis illustrare. Quis enim est ille dominus, qui ad sui serui domum descenderet, vt eam mundaret? Non est igitur dubitãdum, quod si tantum fecit dominus pro suo milite Dionysio, vt veniret ad mundandum suum materiale templum, quin multo magis mundet corda sibi deuotorum. Nam & hoc templũ est propter illa. Quam bonum igitur est seruire Domino, qui sic diligit suos, vt omnia pro eis faciat. Et maxime illos milites plus honorat rex, qui sibi acquisierunt primi regna & ciuitates. Isti autem sunt primi qui sibi acquisierunt regnum Frãcorum, ideo nihil mirum, si eos in hoc opere honorauit Dominus. Secundo quæritur, quomodo venit Christus de nocte, cum de die fieri debeant talia mysteria. Respondetur, quod (secundum
Psa. 138 Psalmistam) *nox sicut dies illuminabitur*, scilicet apud Dominum. Non enim est nox apud eum. Sed venit cum tãto lumine, vt prę lumine illo nihil aliud appareret. Nimirum quia ille erat qui illuminat omnẽ hominem venientem in hunc mundum.
C Tertio quæritur, quare facta est dedica-
Nota. tio in festo Mathiæ. Respondetur quod propter tria. Primo, quia Mathias successit loco Iudæ, ad ostendendũ, quod non est ita magnus peccator, qui si ad orationes & suffragia sanctorum, & limina eorũ visitanda venerit, quin loco Iudæ succedat Mathias iustus, si debite pœnituerit & confessus fuerit. Secundo, propter bissextum, vbi loco vnius diei computãtur duo. Sic peccatores merẽtur abbreuiatio-
Psal. 54. nem dierum suorum. Psal. *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos*. Exemplũ
Gen. 7. habetur Genesis 7. vbi Dominus abstulit viginti annos, quos concesserat illis, qui erant tempore diluuij, vt pœniterent de peccatis suis, & hoc propter eorum malitiam & obstinationem. Sed meritis sanctorum reportant hic peccatores longitudinem dierum animæ, & corporis quandoque. Tertio, quia Mathias fecit duodenarium numerum Apostolorum perfectum. Sic qui perfecte dedicati fuerint in anima, ad recipiendum Dominũ in ea, hæreditabunt cum numero perfecto electorum in gloria.

Quantum ad tertium, dicitur quod primus effectus dedicationis fuit sanatio leprosi. Dedicando enim hoc templum abstulit Dominus lepram à leproso, & hoc propter tria. Primo, vt ostenderet templum hoc ab omni lepra immunditiæ corporalis & dæmoniorum contagione esse mundatum. Sic enim purgatur templum per dedicationem. Secundo, vt ostenderet in futurum lepram peccatorũ in hac ecclesia esse dimittendam & sanãdam. Vnde cum lepra sanaretur, necesse erat ostendere se sacerdotibus, & offerre munus in templo. Sic de longinquis partibus exeuntes extra castra veniunt vt lauentur in hac ecclesia. Et merito, quia Heb. 9.
si in sanguine vitulæ rufæ (teste Apostolo) sanctificabantur inquinati, quanto magis merito sanctorum qui in hac ecclesia requiescunt, qui pro Christo sanguinem suum fuderunt. Hic ergo veniãt fatuæ virgines, antequam clausa sit ianua, vt de oleo sacramentorum istorum percipiant, & de meritis eorum. Veniat & peccator quærens cum Dauid: *Amplius* Psa. 50.
*laua me Domine ab iniustitia mea*. Tertio, vt ostenderetur, quod quando anima Deo dedicatur, tunc ab omni lepra curatur. Lepra autem animæ est peccatum, vt deductum est in quadragesimali Sermone 66. in prima parte. Secundus effectus fuit locutio crucifixi. Vt enim firmior esset approbatio mysterij à Christo çelebrati, cum voce & attestatione eius qui leprosus fuerat, & apparentia lepræ in pariete contiguatæ & affixæ, addita est locutio & assertio crucifixi. Vnde & Christus duo loquitur, scilicet misericordiam leproso, & veritatem populo. Psalm. *Semel* Psal. 61
*locutus est Deus, duo hæc audiui, quia potestas tibi est, & tibi Domine misericordia*. Sed non opor-

oportet nimis confidere nec in peregrinatione sua, nec in quocumque alio opere, nisi omnia peccata cõfiteantur, & nisi restituant, quia sequitur: *Tu autem reddes vnicuique iuxta opera sua*. Sed notandum, quod aliquando crux loquitur & nõ crucifixus, aliquando crucifixus loquitur & non crux, aliquando crux loquitur & crucifixus. Crux loquitur & non crucifixus sæpissime, & sæpe ista crux, scilicet pecuniæ, facit mirabilia. Quomodo non loqueretur, quę mutos facit loqui, surdos audire, contractos recte ire, mortuos viuificari, deduci ad inferos, sed tamẽ non reduci? Hæc est crux sine crucifixo. Hæc est crux, quam non timent dæmones, sed eam pollicentur dare. Hæc est crux, quæ sola nihil facit, sed multiplicatis crucibus omnia agit, & quasi sibi nihil est impossibile. Aliquando vero crucifixus loquitur & non crux, quãdo quis conuersatur inter cæteros sæculares, tenens mediocritatem vitæ, sed vt verus Christianus exemplo Christi solam dicit veritatẽ, semper vera prædicat, & vera promittit, & numquã fallit. Si enim hæc faciat, multa patietur, & quasi crucifigetur, quia difficile est inter lupos esse, & non vlulare cũ lupis, vel non pati à lupis. Nam qui loquitur & dicit veritatem, male vt plurimum tractatur. Exemplum de duobus idolis, quorum vni abstulit fur caput, eo quod reuelauerat furtum illius. *Omnes, qui pie volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patiuntur*. Sed aliquando crucifixus loquitur & crux, sicut in religiosis, quorum habitus repræsentatio est crucis, in quo crucifixi sunt, quando boni sunt, & vita & habitus loquuntur austeritatem, sanctimoniam prædicant, & bonum pro populo exemplum. Ad laudem Christi, qui est benedictus in sæcula. Amen.

Psal 61


Nota.

M Crux & crucifixus quãdo loquũtur.

2.Tim. 3

## Secundæ partis finis.





7-2-2